The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

IOS. UBACH S.J.

COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS

VOLUMEN II

COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS

CODICI IURIS CANONICI
ET DECRETIS CONCILII PLENARII AMERICAE LATINAE
NECNON IURIBUS CIVILIBUS GALLIAE HISPANIAE,
LUSITANIAE ET IN PLERISQUE NATIONIBUS
AMERICAE LATINAE VIGENTIBUS
ACCOMMODATUM

AUCTORE

IOSEPHO UBACH S.J.

WITHDRAWN

VOLUMEN II

CONTINENS THEOLOGIAM MORALEM SACRAMENTALEM,
TRACTATUM DE CENSURIS, APPENDICEM DIVERSARUM FACULTATUM

240
U12C
v.2

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

FRIBURGI BRISGOVIAE MCMXXVII
HERDER & CO., TYPOGRAPHI EDITORES PONTIFICII

Imprimi potest

Bonis Auris, 8 Septembris 1924.

RAIMUNDUS LLOBEROLA S.
PRAEP. PROV. ARG.-CHIL.

Imprimatur

Friburgi Brisgoviae, die 23 Decembris 1926.

DR. SESTER
VICARIUS GENERALIS.

Omnia iura reservantur

TRIDENTI — ARTI GRAFICHE TRIDENTUM

16662

SIGLORUM NONNULLORUM DECLARATIO

a.	=	articulus (Codicis Civilis).
A. A. S.	=	Ephemeris Romana officialis « Acta Apostolicae Sedis ».
A. S. S.	=	Ephemeris Romana « Acta Sanctae Sedis », ab anno 1865 ad annum 1908.
BALL.-P.	=	ANTONII BALLERINI, S. J., *Opus Theologicum morale*, quod absolvit et edidit DOMINICUS PALMIERI, S. J.
Bus. ap. S. Alph.	=	HERMANNI BUSENBAUM, S. J., *Medulla Theologiae Moralis*, quam S. ALPHONSUS in suo opere inclusit.
can.	=	canon Codicis iuris canonici.
C. C.	=	Codex Civilis. Citantur sequentes Codices: *arg.* (argentinus, Buenos Aires, 1917), *br.* (brasiliensis, Rio de Janeiro, 1918), *chil.* (chilensis, Valparaíso, 1912), *col.* (columbianus, Bogotá, 1914), *gall.* (gallicus, Paris, 1917), *hisp.* (hispanus, Madrid, 1906), *lus.* (lusitanus, Ministère de la Justice, Paris, 1896), *mex.* (mexicanus, México, 1919), *ur.* (uruquarius, Montevideo, 1907).
Comm. I. C.	=	Commissio Pontificia ad Codicis canones authentice interpretandos.
Conc. Pl. Am. Lat.	=	Concilium Plenarium Americae Latinae in Urbe celebratum anno 1899.
Decr. auth.	=	Decreta authentica Congregationis Sacrorum Rituum.
FERR.	=	JOANNIS B. FERRERES, S. J., *Compendium Theologiae Moralis*, 1919.
GÉN.-S.	=	EDUARDI GÉNICOT, S. J., *Institutiones Theologiae Moralis*, quas recognovit I. SALSMANS, S. J.
LEHMK.	=	AUGUSTINI LEHMKUHL, S. J., *Theologia Moralis*, 2 voll. Citatur editio 11ª, cuius numerorum marginalium ordo valde differt ab ordine, quem exhibebant praecedentes eiusdem editiones.
LUGO	=	Cardinalis DE LUGO, S. J., *Tractatus de Iustitia et Iure*, vel *de Eucharistia*, vel *de Poenitentia*, iuxta materiam subiectam.
S. ALPH.	=	S. ALPHONSI M. DE LIGORIO *Theologia Moralis*. Citatur editio 13ª (Bassanensis) anno 1832 excusa.
S. C. C. *S. C. de Prop. Fide* *S. C. de Sacr.* *S. Off.* *S. Poenit.* *S. R. C.*	=	Responsum vel decretum S. Congregationis Concilii, vel S. Congr. de Propaganda Fide, vel S. Congr. de Sacramentis, vel S. Officii, vel S. Poenitentiariae, vel S. Rituum Congr.
VERM.-CREUS.	=	ARTURI VERMEERSCH et I. CREUSEN, S. J., *Epitome Iuris canonici*, 1921 - 1922.

N. B. — Citationes referuntur ad materiam, de qua agitur; sic, « S. Alph. n. 490 » locum indicat tractatus S. Alphonsi de Septimo Praecepto, vel de Poenitentia, prouti de materia Iustitiae vel Poenitentiae agatur, ubi citatio reperiatur.

INDEX SYNOPTICUS

(citantur numeri marginales).

TRACT. I. - DE SACRAMENTIS IN GENERE

num.

Art. 1. *Confectio sacramentorum* 466
a) Materia et forma 466
b) Intentio 467
c) Attentio 470
d) Status gratiae 471
e) Iteratio 472
f) Simulatio 473

Art. 2. *Administratio sacramentorum* 474

Art. 3. *Susceptio sacramentorum* 477
a) Susceptio valida 477
b) Susceptio licita et fructuosa 478

APPENDIX. - *De sacramentalibus.*

TRACT. II. - DE BAPTISMO

Art. 1. *Materia* 479
a) Materia remota 479
b) Materia proxima 480

Art. 2. *Forma* 481

Art. 3. *Minister* 482
a) Baptismi sollemnis 482
b) Baptismi privati 482

Art. 4. *Subiectum* 483
a) Infantes catholicorum 483
b) Amentes 484
c) Fetus abortivi 485
d) Infantes duorum acatholicorum 487
e) Infantes infidelium 487
f) Adulti filii infidelium 488
g) Adulti infideles moribundi 488
h) Rebaptizandi sub condicione 489

num.

Art. 5. *Caeremoniae aliaeque praescriptiones servandae.* 490
a) Ritus 490
b) Caeremoniae 490
c) Locus 491
d) Materia in baptismo sollemni 491
e) Patrini 492
f) Aliae praescriptiones 493
g) Adnotatio 493

TRACT. III. - DE CONFIRMATIONE

a) Materia remota 494
b) Materia proxima 494
c) Forma 494
d) Minister 495
e) Subiectum 495
f) Patrinus 496
g) Adnotatio 496

TRACT. IV. - DE SS. EUCHARISTIA

CAPUT. 1. – **DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO**

Art. 1. *Natura sacrificii Missae* 497
Art. 2. *Fructus sacrificii Missae* 500
Art. 3. *Applicatio Missae* 503
Art. 4. *Confectio SS. Eucharistiae* 510
a) Materia 510
b) Forma 512
c) Condiciones consecrationis validae 513
d) Condiciones consecrationis licitae 515
Art. 5. *Sacerdos celebrans* 517
a) Celebrare petens in aliena ecclesia 517
b) Obligatio celebrandi 518
c) Dispositiones sacerdotis celebraturi . . . 519
Art. 6. *Tempus et locus celebrandi* 524
a) Quibus diebus 524
b) Quoties in die 524
c) Qua hora 526
d) Quo loco 527
Art. 7. *Ritus et caeremoniae Missae* 529
a) Suppellex requisita 529
b) Observanda in celebratione 533
Art. 8. *Stipendia Missarum* 541
a) Stipendii iustitia 541
b) Taxa stipendii iusti 542

num.
c) Species stipendiorum 543
d) Applicationes vetitae 544
e) Natura obligationis contractae 548
f) Circumstantiae obligationi adnexae . . . 550
g) Tempus adimplendae obligationis 552
h) Dilatio 554
i) Omissio 555
j) Collectio Missarum 556
k) Mercimonium Missarum 557
l) Distributio onerum Missarum 558
m) Transmissio stipendii 559
n) Traditio onerum in fine anni 567
o) Cura fidelis adimpletionis 568

CAPUT. 2. – **DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO**

Art. 1. *Custodia et cultus SS. Eucharistiae* 569
a) Custodia 569
b) Cultus 570
Art. 2. *Renovatio* 571
Art. 3. *Dispensatio* 574
Art. 4. *Susceptio* 580
a) Subiectum 580
b) Status gratiae 586
c) Ieiunium naturale 588

TRACT. V. - DE POENITENTIA

CAPUT. 1. – **MATERIA ET FORMA**

Art. 1. *Materia* 593
Art. 2. *Forma* 596

CAPUT. 2. – **CONTRITIO**

Art. 1. *Contritionis dotes* 600
Art. 2. *Propositum* 605

CAPUT. 3. – **CONFESSIO**

Art. 1. *Integritas confessionis* 609
1. Extensio integritatis 610
a) quoad numerum 610
b) quoad speciem 611
2. Peccata dubia 613
3. Peccata oblita 614
4. Mendacium in confessione 615
5. Examen conscientiae 616
Art. 2. *Causae excusantes ab integritate* 617
Art. 3. *Iteratio confessionis* 622

CAPUT. 4. – **SATISFACTIO** num.

Art. 1. *Impositio poenitentiae* 625
Art. 2. *Adimpletio poenitentiae* 630

CAPUT. 5. – **IURISDICTIO AD CONFESSIONES**

Art. 1. *Iurisdictio in genere* 633
a) Ordinaria 634
b) *Delegata* 635
c) Extraordinaria 640
Art. 2. *Iurisdictio in specie* 643
a) data ab Ordinario loci 643
b) ad religiosos 646
c) ad religiosas 651
d) ad navigantes 655
e) ad milites 655
f) ad moribundos 655
Art. 3. *Absolutio a reservatis* 656
a) Quid reservatio 656
b) Auctor reservationis 657
c) Condiciones 658
d) Absolutio 659
e) Cessatio reservationis 660
f) Confessarius quoad reservata 662
g) Reservatio in religionibus 663

CAPUT. 6. – **ABSOLUTIO COMPLICIS ET SOLLICITATIO**

Art. 1. *Absolutio complicis* 665
a) Peccatum complicitatis 665
b) Absolutionis invaliditas 666
c) Poenae in absolventes 667
d) In periculo mortis 668
e) In locis missionum 668
f) Absolutio absolventis complicem 669
Art. 2. *Confessarius sollicitans* 670
a) Quaenam sollicitatio denuntianda 670
b) Quinam denuntiandi 673
c) Quinam denuntiaturi 673
d) Causae excusantes 674
e) Cuinam denuntiandum 675
f) Quomodo denuntiandum 676
g) Confessarius quoad sollicitatos 676
h) Sollicitatio dubia 677
i) Poenae denuntiationis omissae 678
j) Poenae in sollicitantes 679
k) Calumniosa denuntiatio 679

num.

CAPUT. 7. – **OFFICIA CONFESSARII ANTE CONFESSIONEM** 680

CAPUT. 8. – **OFFICIA CONFESSARII IN CONFESSIONE**

Art. 1. *Obligatio interrogandi* 681
a) Interrogatio moderata 681
b) Discreta 682
c) Opportuna 682
Art. 2. *Obligatio monendi* 686
a) In ignorantia vincibili 686
b) In ignorantia invincibili 686
Art. 3. *Obligatio disponendi poenitentem* 688
Art. 4. *Obligatio iudicandi de peccatis* 689
Art. 5. *Obligatio dandi, negandi, differendi absolutionem* 690
a) Quodnam iudicium de poenitente requiratur . 690
b) Undenam hoc iudicium efformetur 691
c) Consuetudinarii 692
d) Recidivi 693
e) Occasionarii 695
f) Breves regulae 697
Art. 6. *Quomodo tractandi et iuvandi poenitentes* . . 698
a) Recidivi 698
b) Occasionarii 702
c) Pueri 703
d) Adolescentes 704
e) Parentes 704
f) Rudes 705
g) Mulieres 705
h) Omnes in genere 705
i) Personae piae 706
j) Sacerdotes 708
k) Aspirantes status religiosi 708
l) Moniales 708
m) Scrupulosi 709
n) Infirmi et moribundi 710
o) Moribundi infideles 714
p) Moribundi haeretici 715
q) Moribundi schismatici 716
r) Reconciliatio protestantium 717
s) Reconciliatio schismaticorum 719

CAPUT. 9. – **OFFICIA CONFESSARII POST CONFESSIONEM**

Art. 1. *Correctio errorum* 720
a) Error nocivus 720
b) Error non nocivus 721

num.

Art. 2. *Obligatio sigilli* 723
a) Natura huius obligationis 723
b) Subiectum 725
c) Materia 726
d) Regulae 727

CAPUT. 10. – **INDULGENTIAE**

Art. 1. *Notiones praeviae* 730
Art. 2. *Condiciones generales* 732
a) Confessio et communio 733
b) Visitatio ecclesiae 734
c) Preces fundendae 734
Art. 3. *Particulares quaedam indulgentiae* 735
a) Benedictio papalis 735
b) Benedictio apostolica in articulo mortis . . 736
c) Indulgentiae apostolicae 737
d) Absolutio generalis 737
e) Exercitium Viae Crucis 738
f) Rosarium 739
g) Scapularia 740
h) Indulgentia Portiunculae 744
i) Iubilaeum 745

TRACT. VI. - DE EXTREMA UNCTIONE

a) Materia remota 749
b) Materia proxima 750
c) Forma 751
d) Minister 751
e) Subiectum 752
f) De iis qui dicuntur recens obiisse 753

TRACT. VII. - DE ORDINE

Art. 1. *Materia, forma minister* 756
Art. 2. *Subiectum* 757
a) Irregularitates et impedimenta in genere . . 758
b) Irregularitates ex defectu 760
c) Irregularitates ex delicto 762
d) Impedimenta 764
e) Probitas ordinandi 765

TRACT. VIII. - DE MATRIMONIO

CAPUT. 1. – **SPONSALIA** 767

CAPUT. 2. – **NATURA MATRIMONII**

a) Matrimonium ut contractus 770
b) Matrimonium ut sacramentum 771

CAPUT. 3. – **PRAEMITTENDA CELEBRATIONI MATRIMONII** num.

a) Examen sponsorum 773
b) Publicationes 775

CAPUT. 4. – **IMPEDIMENTA IN GENERE**

Art. 1. *Impedimenti notio* 777
Art. 2. *Impedimentum dirimens ignoratum, inauferibile, dubium, existimatum* 779
a) Ignoratum 779
b) Inauferibile 780
c) Dubium 783
d) Existimatum 785
e) Matrimonium invalidum detectum 786

CAPUT. 5. – **IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA**

Art. 1. *Impedimenta canonica* 787
a) Votum 787
b) Cognatio legalis 788
c) Mixta religio 789
Art. 2. *Impedimenta late dicta* 790
a) Impietas compartis 790
b) Dissensus parentum 791
c) Morbus contagiosus 792
d) Defectuum occultatio 794
e) Ecclesiae vetitum 794

CAPUT. 6. – **IMPEDIMENTA DIRIMENTIA**

Art. 1. *Defectus aetatis* 796
Art. 2. *Impotentia* 797
Art. 3. *Ligamen* 800
Art. 4. *Disparitas cultus* 801
Art. 5. *Ordo sacer* 802
Art. 6. *Votum sollemne* 803
Art. 7. *Raptus* 804
Art. 8. *Crimen* 805
a) Adulterium cum promissione 805
b) Adulterium cum coniugicidio 807
c) Coniugicidium tantum 808
Art. 9. *Consanguinitas* 810
Art. 10. *Affinitas* 815
Art. 11. *Honestas publica* 817
Art. 12. *Cognatio spiritualis* 819
Art. 13. *Cognatio legalis* 820

CAPUT. 7. – **IMPEDIMENTORUM DISPENSATIO** num.

Art. 1. *Auctor dispensationis* 822
a) S. Sedes 822
b) Ordinarii locorum 823
c) Parochi 826
d) Confessarius 827
e) Sacerdos non competens 828
f) In periculo mortis 829
Art. 2. *Causae dispensationum* 830
Art. 3. *Petitio dispensationis* 831
a) Ad quem recurrendum 831
b) Per quem recurrendum 832
c) Quaenam exprimenda 833
d) Redactio petitionis 837
Art. 4. *Exsecutio dispensationis* 838
a) Clausulae rescriptorum 839
b) Fulminatio dispensationis 840

CAPUT. 8. – **CELEBRATIO MATRIMONII**

Art. 1. *Consensus matrimonialis* 841
a) Consensus validus 842
b) Limitatus 843
c) Cum errore iuris 843
d) Cum errore facti 844
e) Cum modo adiecto 845
f) Cum condicione 846
g) Ex vi vel metu 847
Art. 2. *Forma celebrationis* 848
a) Celebratio valida 848
b) Celebratio licita 852
c) In casibus extraordinariis 854
d) Quosnam obliget forma canonica 856
e) Tempus et locus celebrationis 857
f) Ritus celebrationis 858
g) Inscriptio matrimonii 860
h) Matrimonium conscientiae 860
i) Matrimonium civile 861

CAPUT. 9. – **USUS MATRIMONII**

Art. 1. *Usus licitus vel illicitus ex circumstantiis* . . 862
a) Tempus 863
b) Locus 865
c) Finis 865
d) Fecundatio artificialis 866

num.

Art. 2. *Usus obligatorius* 867
a) Quando datur obligatio reddendi 867
b) Quando non datur obligatio 867
c) Obligatio cohabitandi 868
Art. 3. *Usus impeditus* 869
a) Ob votum 869
b) Ob adulterium 869
c) Ob impotentiam 870
d) Ob dubium de validitate coniugii 871
e) Ob detectam invaliditatem coniugii . . . 871
Art. 4. *Abusus* 872
a) Per actus luxuriae imperfectae 872
b) Per actus luxuriae perfectae 873
c) Speciatim de onanismo 873

CAPUT. 10. – **SEPARATIO CONIUGUM**

Art. 1. *Dissolutio vinculi* 878
a) Solutio matrimonii rati tantum 878
b) Solutio matrimonii infidelium 879
Art. 2. *Separatio tori, mensae, habitationis* 881
a) Separatio perpetua 881
b) Separatio temporanea 883
c) Quid separatione instituta 884

CAPUT. 11. – **CONVALIDATIO MATRIMONII**

Art. 1. *Convalidatio simplex* 885
a) Ob impedimentum 888
b) Ob defectum consensus 888
c) Ob defectum formae 888
Art. 2. *Sanatio in radice* 889

TRACT. IX. - DE CENSURIS

CAPUT. 1. – **CENSURAE IN GENERE**

Art. 1. *Notiones generales* 890
a) Quid et quotuplex censura 890
b) Auctor et subiectum censurae 892
c) Condiciones 894
d) Causae excusantes 895
Art. 2. *Absolutio a censuris* 898
a) Quotuplex absolutio 898
b) Condiciones 898
c) Quomodo absolvendum 899
d) Reservatio censurae 900

num.

e) Cessatio reservationis 901
f) Absolutio absque facultate 901
g) Quinam absolvere possint 902
h) In periculo mortis 903
i) In casibus urgentioribus 904

CAPUT. 2. – **CENSURAE IN SPECIE**

Art. 1. *Excommunicatio* 909
a) Quid 909
b) Eius effectus 909
Art. 2. *Interdictum* 912
a) Quid 912
b) Eius effectus 912
Art. 3. *Suspensio* 913
a) Quid 913
b) Eius effectus 913

CAPUT. 3. – **CENSURAE HODIE VIGENTES**

Art. 1. *Excommunicationes specialissimo modo S. Sedi reservatae* 915
Art. 2. *Excommunicationes speciali modo S. Sedi reservatae* 916
Art. 3. *Excommunicationes simpliciter S. Sedi reservatae* 922
Art. 4. *Excommunicationes Ordinario reservatae* . . 928
Art. 5. *Excommunicationes non reservatae* 931
Art. 6. *Interdicta* 934
Art. 7. *Suspensiones S. Sedi reservatae* 935
Art. 8. *Suspensiones Ordinario reservatae* 936
Art. 9. *Suspensiones non reservatae* 937

pag.

Brevis conspectus censurarum latae sententiae . . . 684
Conspectus brevior excommunicationum latae sententiae 686

APPENDICES:

I. Facultates Ordinariorum delegatae 691
II. Facultates Nuntiorum etc. delegatae 701
III. Facultates matrimonial. *S.C. de discipl. Sacram.* . 709
IV. Pagella *S. Poenitentiariae* 710

THEOLOGIA MORALIS SACRAMENTALIS

TRACTATUS I.

DE SACRAMENTIS IN GENERE

Art. 1. Confectio sacramentorum.

a) **Materia et forma** debent *inter se ita conjungi*, ut verba **466** secundum moralem hominum aestimationem censeantur applicari materiae. Haec autem moralis aestimatio maxime fundari debet in natura cuiusque sacramenti. Sic in Eucharistia simultas physica requiritur inter materiam et formam, materia enim nondum praesente nihil significarent pronomina demonstrativa « hoc, hic »; in baptismo autem, confirmatione, unctione et ordine sufficit verba inchoare, antequam perficiatur applicatio materiae (id est antequam perficiatur ablutio, unctio etc.), immo moraliter certum videri dicit *S. Alph.*[1] sufficere, ut forma incipiat statim post applicationem, vel e converso materia applicetur immediate post formae prolationem, quamquam simultaneitatem, utpote tutiorem commendat; denique in poenitentia satis separari potest absolutio ab accusatione, dummodo ex adiunctis appareat nexus inter utrasque, quia hoc sacramentum fit per modum iudicii; et in matrimonio sufficit ea distantia, quae ordinarie sufficit in contractibus.

Materia et forma debent poni moraliter certo validae, nam probabilitas nullitatem sacramenti non impediret (n. 14)[2]. Materia igitur dubia non potest adhiberi, nisi quando urget necessitas conferendi sacramentum, v. gr. baptizandi infantem moribundum, et securior haberi non potest; in hoc casu uti licet materia etsi tenuiter[3] probabili; nam nec iniuria fit subiecto, cuius necessitati subvenitur meliore modo possibili, nec irreverentia sacramento, quia conficitur sub condicione.

Mutatio formae si sensum destruit, sacramentum invalidat; id autem facilius evenit, si vocabula corrumpantur initio quam si in fine, v. gr. si dicas « matris » pro « patris », vel

---

1 l. 6, n. 9.
2 Cf. prop. 1 damnn. ab. Innoc. XI.
3 Suárez, *De Sacram.* d. 23, s. 3.

si talis mora interponatur, ut verba videantur moraliter non amplius cohaerere. Accidentalis vero mutatio, qua sensus idem retinetur, quamquam scienter fieri non liceat, validitati tamen non obstat; id autem evenit, si omittas voces sensui non essentiales, v. gr. «ego», vel si error sit mere grammaticalis, quin sensum afficiat, v. gr. si dicas «corpus meus», vel si tam brevis mora interponatur, ut verba moraliter non desinant uniri, v. gr. si dicto «ego te baptizo» interponas «ista aqua est nimis frigida», vel «custos, verte folium», statimque prosequaris «in nomine etc.»[1]

467 *b*) **Intentio**[2] conficiendi sacramentum requiritur certe ad validitatem, vel saltem intentio faciendi quod facit Ecclesia; certissime enim nihil faceret minister, qui verba mere materialiter super materiam proferre vellet.

Non tamen requiritur intentio actualis, sed sufficit virtualis (n. 10); haec enim vere influit in actum: actus scilicet vere dici potest poni vi illius; e contra intentio habitualis aut interpretativa non sufficiunt, quia in actum hic et nunc non influunt. Patet igitur ministrum, qui de more ponit actiones requisitas ad sacramentum, nisi debitam intentionem positive excludat, imprudenter de ea dubitare, quia saltem vult facere quod alias solet et quod alii ministri faciunt; non igitur est opus ut quis se recolligat et ore vel corde reflexe dicat se facere intentionem[3]; nec enim ullus est qui id faciat unquam in aliis actionibus humanis, v. gr. in venditione, quae utique non valerent sine intentione.

468 *Confectio sacramenti sub condicione* de futuro nulla est praeterquam in matrimonio, quia cum eveniet condicio, iam sacramenti essentia non exsistet; excipitur matrimonium, quia hoc sacramentum est ipse contractus, qui tunc perficitur et exsistit, cum ponitur condicio. Condicio vero de praeterito aut de praesenti si revera impleta est, sacramenti validitati non obstat[4]; si vero non est impleta, sacramentum non conficitur; quia intentio huic condicioni alligabatur.

Condicio apponi debet, quoties ex iusta causa necessitatis vel utilitatis licite conficitur sacramentum dubium,

---

1 Bus. ap. S. Alph. l. 6, n. 11.

2 Intentio et attentio res sunt plane diversae. Attentio est actus intellectus sese applicantis ad ea quae aguntur. Intentio vero est actus voluntatis tendentis ad aliquid obtinendum ut finem, utique deliberatus seu positus non caece, sed dirigente intellectu (cf. Wirceb. diss. 2, c, 2, a. 5, n. 168).

3 S. Alph. n. 18.

4 Dubium esset tamen sacramentum sub condicione de re extranea, ignota et ad dignam sacramenti administrationem impertinente, v. gr. «absolvo te, si Deus scit hoc aut illud» (cf. Suárez d. 13, s. 3; Wirceb. n. 189; S. Alph. n. 26).

iuxta ea quae dicuntur n. 466 et 472; v. gr. quando in casu necessitatis alia materia adhiberi non potest nisi dubia, vel quando sacramentum dubie validum iterandum est; nam quamquam condicio ordinarie talis est, v. gr. « si vivis, si dispositus es etc. », ut ea non impleta sacramentum esset etiam nullum, quamvis illa non apponeretur, tamen ob reverentiam erga rem sacram apponenda est, ut scilicet sic protestetur minister se nolle attentare nomine Christi actionem, quam frustraneam fore prudenter timet. Porro sufficit condicionem mente concipere, non enim necessario exprimi debet verbis (excipe in baptismo et extrema unctione, in quibus eam exprimendam praescribit *Rituale*, praesertim si publice conferantur, ad vitandum scandalum). Immo cum condicio de re valori sacramenti intrinseca iam semper habeatur implicite — qui enim vult conferre sacramentum, semper intendit conferre si alter capax est, si ipse potestatem habet etc. — ideo sunt qui [1], quando in casu necessitatis confertur sacramentum dubium, condicionem ne mente quidem concipi exigant, saltem sub gravi.

Condiciones si apponuntur, eae debent esse, quae sacramenti validitati consulant, non eius licitae susceptioni. Quare si adultum moribundum baptizaturus dubitas, num satis instructus sit, num vere credat aut num eum peccatorum poeniteat, non debes condicionem apponere « si es dispositus », sed baptizare illum absolute; illi enim defectus mere liceitatem respiciunt neque impediunt, quominus validus sit baptismus, etsi informiter ideoque illicite suscipiatur; e contra, si dubitas de sincera voluntate sacramentum suscipiendi, illud conferre debes sub condicione « si es capax » [2].

Condicionem apponere, quando de sacramenti validitate rationabiliter dubitari non potest, veniale peccatum est, quia id est contra ritum Ecclesiae [3], v. gr. si sacerdos poenitentem, de cuius dispositione non est cur rationabiliter dubitet, velit absolvere sub condicione « si es dispositus ».

---

1 Cf. ap. Lacroix n. 78 83; Ferr. n. 273.

2 *S. Off.* 6 iun. 1860 (*A.S.S.* XIX, p. 570). Pari modo, in quolibet sacramento, non debet sacerdos habere intentionem condicionatam, vi cuius non conficiatur sacramentum, si forte ex parte ipsius involuntarie desit quidpiam, quod ad substantiam non pertinet, sed tantum ad liceitatem. Cf. de his quae praeclare disserit Ball. - P., *De Euch.* n. 61. Nec unquam debet talis intentio in ministro praesumi, nisi constet illum eam expresse habuisse. Propterea consecratum haberi debet ciborium, quod super corporale erat, etsi forte non supra sanctam petram; valet ordinatio ab Episcopo collata accedentibus cum irregularitate; valet unctio peracta cum oleo, quod ignorabatur esse alterius anni.

3 S. Alph. n. 28.

Conficere, etsi sub condicione, sacramentum dubium illicitum est, si fit sine iusta causa[1], estque ex genere suo grave; gravis enim irreverentia est irrationabiliter attentare actionem nomine Christi nihil curando, an frustra id fiat; propterea non effugeret notam gravis laxitatis sacerdos, qui quemlibet absolvere vellet, de eius dispositione nihil curans, contentus absolvendo sub condicione. Quaenam autem causa sit sufficiens, melius apparebit ex dicendis in n. 598 et 697.

469 *Ex duabus intentionibus contrariis* praevalet ea, quae vel explicite vel implicite continet revocationem alterius, sic enim illa alteram exstinguit et ipsa sola influit in actum.

Porro ad dignoscendum utra alteram exstinguat:

1° Si ambae eliciuntur simul, videndum quid homo elegisset, si repugnantiam utriusque cognovisset; v. gr. baptizatus qui vult matrimonium contrahere sed non conficere sacramentum, valide contrahit, si ita animo comparatus est, ut si nosset non posse sacramentum a contractu separari, adhuc contrahere voluisset; sic enim apparet quod voluntas sacramentum excludat solum condicionate, seu quatenus a contractu separari posset; e contra invalide contrahit, si v. gr. tanto feratur odio in Ecclesiam, ut potius paratus sit manere innuptus quam sacramentum conficere.

2° Si elicitae fuerunt successive, videndum utrum una alteram explicite vel implicite revocet, an vero sint aequales. a) Si una alteram explicite vel implicite revocet, illa praevalet. Quare qui hodie dicit «omnino volo ut sacrum crastinum applicetur pro Petro», scilicet illud «omnino» ita intelligendo, ut haec intentio praeferatur cuilibet ex oblivione faciendae, postea, si aliam intentionem eliciat immemor prioris, praevalet prior, quia illa hanc secundam revocabat; nisi cum secundam intentionem elicuit, eo esset affectu, ut etiam si prioris recordaretur, vellet secundam facere. *b*) Si utraque est aequalis, praevalet posterior, sicut secundum testamentum praevalet priori, etsi homo non recordetur prioris testamenti dum secundum condit; in casu enim non apparet differentia inter testamentum ex sua natura consideratum et Missae applicationem. Quare si heri applicasti Sacrum hodiernum pro Petro et hodie immemor applices pro Paulo per voluntatem aeque absolutam et efficacem, videtur praevalere posterior; haec enim per se ipsam revocat praecedentem contrariam[2].

---

1 Attamen ob idololatriae periculum numquam licet Eucharistiam conficere dubiam, nisi forte ad sacrificium complendum necessarium sit. Gén.-S. n. 110.

2 Lugo, *De Sacramentis* d. 8, s. 8, n. 124; S. Alph. n. 24.

c) **Attentio** non requiritur ad valide conficiendum sacra- **470**
mentum, quia actus humanus vere ponitur etiam a distracto, quia sufficit ut ex voluntate deliberata procedat, id est ex intentione saltem virtuali. Distractio tamen voluntaria erit peccatum veniale, ut omnes concedunt, mortale vero si praevidetur periculum errandi graviter. Etiam secluso periculo errandi distractionem voluntariam in conficienda Eucharistia alii censent irreverentiam gravem, alii tamen id negant[1].

d) **Status gratiae** non requiritur ad valide conficienda **471**
sacramenta, utique vero ad ea conficienda licite. Propterea confecturus sacramentum si reperitur in statu peccati mortalis, tenetur elicere actum contritionis, nisi forsan necessitas v. gr. iuvandi moribundi aut vitandae infamiae adeo urgeat, ut tempus non suppetat ut possit quis attendere ad habendam contritionem[2]. Sufficit autem statum gratiae sibi procurare per contritionem, nisi agatur de conficienda Eucharistia; cum enim haec simul sumenda sit, praecipitur confessio sacramentalis (n. 478).

Igitur conficere sacramentum in statu peccati mortalis sentiunt doctores esse peccatum mortale[3], propter gravissimam indecentiam, quam involvit huiusmodi sanctissimas actiones ponere nomine Christi in tali statu, saltem si minister sit persona ad id per sacram ordinationem specialiter deputata; sufficere tamen ad ea conficienda, ut quis p r o b a b i l i t e r iudicet se esse in statu gratiae, satis aperte deducitur ex *S. Alph.* n. 34[4]. Si vero agitur de aliis actionibus sacris, quae non sunt c o n f e c t i o sacramentorum, v. gr. administrare Eucharistiam, benedicere corporalia, diaconum agere in Missa, praedicare verbum Dei etc., veniale quidem est, sed probabilius non est mortale[5]. Immo etiam in confectione sacramentorum videtur probabile[6] non esse mortale, sed leve, si minister, qui versatur in mortali, sacramentum non conficit v i s a c r a e o r d i n a t i o n i s; hoc autem accidit in duobus casibus, in baptismo privato et in contrahendo matrimonio (quamquam contrahentes ad statum gratiae sub gravi tenentur eo quod simul sacramentum s u s c i p i u n t).

---

1 S. Alph. n. 14.

2 Lugo d. 8, n. 151, d. 9, n. 8; S. Alph. n. 33.

3 Hinc qui celebrat in mortali, duplex sacrilegium committit, et quia indigne sacramentum conficit, et quia illud indigne suscipit; recensent aliqui alia quoque sacrilegia in huiusmodi indigna celebratione, sed cetera non videntur ab illis duobus distincta.

4 Lugo d. 8, n. 149; Suárez d. 16, s. 4.

5 Lugo loc. cit.; S. Alph. n. 34.

6 S. Alph. n. 32; Ball.-P. n. 37.

Qui in mortali plures successive absolvit, probabiliter non tot committit peccata quot sunt personae, sed quot vicibus accedit ad audiendas confessiones (n. 62) [1].

472 *e*) **Iterari** sacramenta non possunt, quando de eorum valore dubitari prudenter non potest. Perperam proinde formam iteraret sacerdos post consecrationem ideo tantum, quia timet nesciens cur timeat, vel quia timet eo quod non recordetur reflexe se verba dixisse, cum alias ea dicere soleat; frequenter tamen excusari potest a mortali, si id facit ob scrupulos, quibus angitur (praesertim si tempus non suppetit examinandi sine suo rubore vel aliorum taedio); timet enim ne magis offendat Deum, si non repetat; qui tamen huiusmodi consuetudinem iterandi contraxit, curare debet, ut eam deponat [2].

Sacramenta iterari possunt (sub condicione), quando de eorum valore prudenter dubitari potest; nam saltem causa, quae sacramentum primo faciendum suasit, tunc etiam sufficere poterit ad licitam sub condicione iterationem [3].

---

1 Lugo, *De Poenit.* d. 16, n. 135.

2 Lacroix n. 130.

3 Sufficere dubium prudens de valore collati sacramenti ad illud iterandum sub condicione, patet omnino in baptismo, ordine et, si homo non fuit absolutus, in extrema unctione; in his enim nullitas magnum proximo afferret damnum; patet ob eamdem rationem in poenitentia, si homo in mortali versabatur; patet in confectione S. Eucharistiae, tum ad sacrificium complendum tum ob periculum idololatriae; patet in matrimonio, tum ad vitanda damna temporalia et scandala, si quando comperiatur nullitas, tum ne sacerdos, si sacramentum nullum fuit, connivere censeatur ad peccata materialia; patet in confirmatione et, quamvis homo absolutus fuerit, in extrema unctione, saltem ne proximus irreparabiliter carere debeat tanto bono; patet denique in poenitentia, etsi homo sola venialia cum indubia tamen dispositione attulerit, saltem ut ipsius iuri ad absolutionem acquisito satisfiat. Immo in praedictis casibus iteratio, ut statim dicetur in textu, debetur ex obligatione; quae quidem quanto sub onere cogat, eruendum est ex regulis praesertim caritatis, perpensa gravitate dubii et quantitate necessitatis, quae plerumque erit spiritualis extrema.

Occurrere quidem possunt casus in poenitentia, in quibus absolutio dari quidem possit, non tamen debeat, ut dicetur alibi. Sed etiam in his casibus si de valore sacramenti dati prudenter dubitatur, illud profecto condicione iterare licebit. Si enim sacramentum ob certam aliquam causam, quaecumque sit, administrare licet, illud sine dubio iterum administrare licet, quamdiu prudenter opinari possumus nondum illi causae satisfactum fuisse, ac proinde eamdem causam administrandi subsistere; aliunde enim reverentiae sacramenti iam satis consulitur per adiectam, saltem implicite, condicionem (Lacroix n. 139). Propterea diximus supra, quod « saltem causa, quae sacramentum etc. ». Nec obiicere licet auctores, qui ad iterandum sub condicione sacramentum videntur

Immo si nullitas damnum proximo crearet aut religioni, sacramentum propter istud dubium prudens iterari non solum potest, sed etiam debet[1], v. gr. si confessarius dubitat num formam protulerit super poenitentem, qui materiam necessariam attulit. Atque adverte eo facilius dubium posse dici prudens et sufficere ad iterationem etiam ex obligatione faciendam, quo magis necessarium est sacramentum. Propterea ad licite iterandum baptismum et presbyteratum sufficiet dubium etiam tenue; in altero ob maximam necessitatem, in altero ob gravissima damna aliis secus obventura (immo, ait Gobat de baptismo iterando, sufficit dubium non aperte vanum)[2].

---

requirere « iustam causam »; non enim loquuntur de casu, quo occurrat dubium circa recte factam collationem sacramenti, sed de hypothesi valde diversa. Nam v. gr. SUÁREZ, qui (*De Sacram.* d. 13, s. 3) requirit causam « necessariam vel probabilem », loquitur, ut aperte patet ex contextu, de eo, qui sacramentum collaturus sine causa vellet illud sub aliqua condicione conferre et non cum intentione absoluta; propterea LACROIX n. 82 illum recte allegat, ubi loquitur de apponenda condicione valori sacramenti extrinseca, atque in eodem sensu intellige quaedam ex S. ALPH. n. 28.

1 Propterea quamvis sacramenta baptismi, confirmationis, ordinis ob impressum characterem iterabilia non sint, nihilominus de iis ait can. 732: « Si prudens dubium exsistat num revera vel num valide collata fuerint, sub condicione iterum conferantur. »

2 In huiusmodi sacramentis maxime necessariis, in baptismo, inquam, et ordine presbyteratus vel episcopatus, ordinarie ubi ob dubium aliquod sacramentum iterari potest, etiam debet. Nam cum ratio cur iteratio fieri possit, sit magna illius necessitas, haec exiget ut iteratio fiat; ideoque si, posita illa ratione, licitudo iterationis non est dubia, eius obligatio non erit dubia. Cf. LUGONEM, *De Poenit.* d. 17, n. 20 32 87-89; DIANA, *Tract. de absol. morib.* resol. 9; S. ALPH. l. 6, n. 482; BALL.-*P.*, *De Poenit.* n. 396.

Diximus « ordinarie »; evenire enim potest, ut iteratio fieri quidem *possit*, non tamen *debeat*. Nam ut exponit LUGO, *Resp. mor.* l. 1, dub. 33, evenire potest, ut sententia negans valorem sacramenti administrati non afferat rationes vere probabiles, sententia vero affirmans sit moraliter certa, ideoque attentis solis rationibus intrinsecis sacramentum sit moraliter certo validum et iteratio non liceat, sed deinde auctores disputent, an saltem propter auctoritatem extrinsecam negantium iteratio liceat vel non liceat; tunc, si huiusmodi licitudo utrinque probabiliter disputetur, poterit quis utrilibet parti adhaerere; proxime enim probabilitas versatur tantum circa liceitatem. Deinde LUGO loc. cit. hanc doctrinam applicat circa iterandum presbyteratum, in cuius collatione ordinandus tetigerat instrumenta immediate post verba Episcopi (supponit LUGO instrumentorum traditionem et tactum ad essentiam sacramenti pertinere saltem probabiliter); sententia nempe exigens simultatem physicam iam tunc temporis non habebatur probabilis, patronos tamen habuerat auctores graves, quos ibidem LUGO designat, et ob quorum auctoritatem aliqui liceitatem iterationis affirmabant. Cf. etiam LUGONEM, *De Poenit.* d. 7, s. 13, n. 273-275.

Similis quaestio recurrit, ubi agitur de ministrando sacramento in casu extremo cum tenui spe de eius valore. Auctores

473 *f*) **Simulare** sacramentum, formam materiae applicando ficte, id est absque intentione, sacrilegium est et numquam licet; propterea insuperque ob periculum idololatriae saltem externae, numquam licet celebrare Missam non proferendo verba consecrationis, aut hostiam non consecratam praebere

---

videntur communiter hanc regulam tenere (cf. ubi agunt de confessione moribundi, qui confessionem petiit antequam sensibus destitueretur), nempe: in necessitate extrema, si spes tenuis est subveniendi proximo per sacramentum, id sub condicione dari licet, si autem *licet*, etiam *debet*. Censemus nihilominus quod etiam in necessitate extrema non semper quoties sacramentum ministrari potest, toties etiam debet. Nimirum regula illa generalis vera est, quando *speculative*, seu re ex suis motivis intrinsecis considerata, constat *certo* adesse spem tenuem subveniendi proximo; sed quando speculative negas esse probabile, quod exsistat ulla spes tenuis, et consequenter negas liceitatem ministrandi sacramentum, tunc adhuc manet *practice* confugium ad auctoritatem extrinsecam auctorum, si isti in eo casu disputant de exsistentia illius spei tenuis vel de liceitate ministrandi cum spe adeo tenui. Si tunc affirmantibus adhaeres, practice sacramentum dare poteris; sed quia potes contrariis adhaerere, dare non obligaberis. Forsan quaeret aliquis, qui fieri possit, ut liceat ministrare sacramentum, si iudicas id certo illicitum, eo quod credis certo nullam dari spem subveniendi proximo, ne tenuem quidem. Responsio erit haec: quia etsi nullam habes spem ex motivis intrinsecis, seu re in seipsa considerata, tamen considerata controversia, habere potes spem saltem tenuem, quod sententia ministrationi favens sit vera (etenim ex una parte sententia *extrinsece* probabilis censeri semper potest *tenuiter* probabilis, ex alia parte certitudo moralis alicuius propositionis non excludit probabilitatem tenuem circa eius contrariam), ideoque iam concipis, hac via indirecta, illam spem tenuem, qua licebit ministrare. Atque haec quidem omnino conformia sunt praecedenti doctrinae Lugonis. Cf. etiam Lehmk. II, n. 26 27 108 645; Ball-P., *De Sacram. in gen.* n. 29, 4°; Gén.-S. n. 118 versus finem, n. 299, reg. 3, n. 422, 4°; Ferr. n. 856, resol. 4°.

Quare censemus doctrinam illam Lugonis posse magis generaliter efferri sequenti modo: Quotiescumque in huiusmodi sacramentis necessariis non videatur haberi ratio probabilis dubitandi de valore, dubitetur tamen num ratio tenuis, quae ad dubitandum occurrit, sit sufficiens ut, saltem respectu habito necessitatis sacramenti vel aliorum motivorum (v. gr. ad sedandam iugem baptizati vel ordinati inquietudinem), putari possit attendibilis et iteratio liceat; si, inquam, circa hanc licitudinem proxime habeatur dubium et factis diligentiis moraliter solvi nequeat, iteratio licebit, non tamen erit obligatoria. Haec doctrina, ut ex dictis patet, similiter applicatur circa sacramentum necessarium conferendum in quibusdam casibus, in quibus iam valor videatur moraliter improbabilis, v. gr. ad absolutionem vel unctionem quibusdam ministrandam adhuc certo tempore postquam dicuntur obiisse (n. 753), vel ad baptizandum infidelem moribundum sensibus destitutum, de cuius dispositione nihil omnino scitur (n. 488).

Denique si quis hac occasione quaerat, num in necessitate liceat conferre sacramentum cum dubio negativo, seu cum mera nescientia de eius valore, adeat Lugonem, *De Sacram. in gen.* d. 8, n. 139 140 et *De Poenit.* d. 17, n. 31 41.

pro consecrata. At occultare sacramenti denegationem licere potest, v. gr. si super poenitentem indispositum, ad dissimulandum, coram adstantibus, loco formae recites aliquam orationem vel praebeas benedictionem; non enim sacramentum simulas, cum eius formam reapse non ponas. Pariter ex gravi causa, v. gr. ad vitandam infamiam alicuius aut scandalum, convenire licet cum poenitente quod sacerdos dicet super eodem verba « Corpus Domini etc. » non porrigendo hostiam, sic enim tantum dissimulatur denegatio sacramenti; at non liceret porrigere hostiam non consecratam; sic enim simularetur sacramentum, quoniam applicaretur materia ficta. Denique non est sacrilegus, qui cum impedimento dirimente, v. gr. ex metu gravi, scienter matrimonium attentat; deficiente enim contractu essentialia sacramenti desunt[1].

Art. 2. Administratio sacramentorum.

474 Habentes curam animarum (proinde Episcopi residentiales, parochi, quasi-parochi, vicarii, qui parochis, iuxta dicta n. 420, quoad iura et obligationes aequiparantur, et respectu suorum subditorum Praelati regularium) *tenentur ex iustitia*, seu ex obligatione cum ipso munere suscepta, sacramenta ministrare subditis rationabiliter petentibus[2], quamvis non petant ex necessitate, sed solum propter convenientiam sui profectus. Et quamvis veniale sit uni vel alteri, aut una alterave vice eidem, Eucharistiam vel poenitentiam denegare in ordinariis adiunctis, tamen mortale est non solum id denegare subdito versanti in gravi necessitate, sed etiam in ordinariis adiunctis ita saepius se gerere, ut subditi a sacramentis arceantur, eo quod susceptio ipsis onerosa reddatur, v. gr. si parochus sese morosum et difficilem soleat ostendere, vel si confessiones audire velit nonnisi paucis quibusdam diebus in mense.

---

1 S. Alph. n. 62.

2 Obligationem administrandi sacramenta, quatenus incumbat eis, qui curam animarum habent vel non habent, refert can. 892 aiens de sacramento poenitentiae: « § 1. Parochi aliique quibus cura animarum vi muneris est demandata, gravi iustitiae obligatione tenentur audiendi sive per se sive per alium confessiones fidelium sibi commissorum, quoties ii audiri rationabiliter petant. — § 2. Urgente necessitate, omnes confessarii obligatione tenentur ex caritate confessiones fidelium audiendi, et in mortis periculo omnes sacerdotes. » Et can. 939 de sacramento extremae unctionis: « Minister ordinarius ex iustitia tenetur hoc sacramentum per se ipse vel per alium administrare, et in casu necessitatis ex caritate quilibet sacerdos. »

Baptismum et poenitentiam vel, in huius defectu, extremam unctionem tenetur pastor animarum subdito in gravi necessitate constituto ministrare, etiam cum gravi periculo sanitatis aut vitae.

Tenetur parochus investigare subditos in gravi periculo constitutos et Viaticum non petentes, ut id eis ministret[1].

Si parochus idoneos habeat vicarios, potest ex parte per eos sacramenta administrare; debet tamen per se ipsum satisfacere, si nominatim postulatur et non est impeditus.

Alios curam animarum non habentes obligatio administrandi sacramenta urget iuxta regulas caritatis, quas confer n. 86. Graviter igitur tenentur alio non succurrente ministrare v. gr. extremam unctionem moribundo non confesso; immo etiam cum vitae periculo, si tamen haec necessitas sit certa et spes subveniendi non minus certa quam periculum.

475 *Sacramenta deneganda sunt indignis.* Attamen sacramentum denegari non debet, nisi ministro de indignitate petentis certo constet; minister enim, excepta poenitentia, non est iudex de dispositione petentis[2]; praeterea magna scandala saepius orirentur et sacramentorum susceptio odiosa redderetur. Propterea nec indignis semper deneganda sunt sacramenta, sed tantum quando denegari possint sine petentis infamia[3].

Ex his infertur denegationem deberi tantum in tribus casibus: 1° Peccatori publico, id est cuius peccata in illo loco plane notoria sunt[4]. — 2° Peccatori occulto petenti occulte, si enim petat publice, arceri non potest, ne infametur. — 3° Quando sacramenti administratio esset scandalo, v. gr. si de emendatione peccatoris publici nondum publice constet[5]. Attamen,

---

1 Ferr. n. 389.

2 Id tamen non impedit quominus inquirere possit et debeat de instructione adulti baptizandi, impedimentis nupturientium etc.

3 Cf. circa haec, si vis, Gén.-S. n. 122, quaer.

4 Peccator publicus dicitur, cuius crimina notoria sunt notorietate vel facti vel iuris, ut nulla possint proinde tergiversatione celari. S. Thom. 3, q. 80, a. 6; Suárez, *De Euch.* d. 67, s. 5; Ball. - P. tr. 10, s. 1, c. 2, n. 55.

5 Praecedentem doctrinam, quoad Eucharistiae sacramentum, sic refert can. 855: « § 1. Arcendi sunt ab Eucharistia publice indigni, quales sunt excommunicati, interdicti manifestoque infames, nisi de eorum poenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint. — § 2. Occultos vero peccatores, si occulte petant et eos non emendatos agnoverit, minister repellat; non autem, si publice petant et sine scandalo ipsos praeterire nequeat. »

« nisi alicubi strictior vigeat praxis [1], habituati in peccatis publicis sine externa occasione removenda, puta publici blasphematores, hodie aestimandi sunt sufficienter satisfecisse, si publice confessi sunt; immo talis confessio saepe e circumstantiis praesumi potest et debet, ubi peccator ad s. communionem accedit. Qui vero occasionem proximam externam removendam habet, ut contingit civiliter tantum nuptis, concubinam aperte alentibus, munus prohibitum exercentibus etc., eam regulariter removere debet, antequam publice communicet, nisi de facto nullum scandalum fidelium timendum est. » [2]

Praedicta nequeunt cum eadem proprietate applicari sacerdoti nuptiis peccatorum adstituro; non enim ille, sed contrahentes ipsi sacramentum sibi invicem administrant, ideoque parocho consulendae tantum erunt regulae de cooperatione, quam de cetero vix denegare poterit; licite ergo assistit parochus matrimonio publicorum peccatorum, si sufficienter catechismo instructi sunt et impedimentum non habent [3]. Quoad ipsos vero nupturientes, etsi alter alterum norit indispositum ad sacramentum, nihilominus contrahere potest, saltem si abstinere non possit sine gravi incommodo [4]; aliunde tamen alia obstare possunt, v. gr. si alter adeo perversus est, ut futurus sit proximo perversionis periculo, vel si est excommunicatus vitandus [5].

De simulanda administratione sacramenti diximus paulo superius in n. 473.

Servandi sunt ritus et caeremoniae, quae in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praecipiuntur, in sacramentis confi-

---

1 Saepe enim praxis, quae forte strictior vigeat, suadere potest, immo et imponere, ut a sacramento arceantur quidam, qui seclusa eadem praxi tolerari potuissent. Sic v. gr. in nonnullis dioecesibus, ad tollendum scandalosum abusum feminarum ad SS. Eucharistiam immodestis vestibus, non obstantibus iteratis monitis, accedentium, decrevit Ordinarius, « ne communio administretur mulieribus vel puellis, quae pectus, humeros, brachia non gerant totaliter cooperta pannis non translucidis »; id nempe necessarium duxit ad convellendum efficaciter morem, in quem tam facile mulieres relabuntur. Ibi igitur sacramentum denegandum erit non iis solum, quibus ob grave scandalum, etiam seclusa qualibet ecclesiastica prohibitione, denegandum esset, sed multis etiam, quae ob vestem non adeo immodestam secus tolerari potuissent.

2 Gén. - S. n. 122.

3 Lugo, *De Sacram.* d. 8, s. 13; Ball. - P. n. 59.

4 Lugo d. 8, s. 14; Ball. - P. n. 60.

5 Quod « vetitum est Sacramenta Ecclesiae ministrare haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, nisi prius, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati fuerint » (can. 731), satis patet tum ex doctrina generali nuper tradita, tum ex dictis n. 76 de prohibita cum haereticis communicatione in sacris.

ciendis, administrandis ac suscipiendis, atque unusquisque suum ritum sequi debet (can. 733). Vide tamen dicenda n. 490 580. Ut autem administratio sacramentorum digne, pie, fructuose peragatur, optimam instructionem dat *Rituale Rom.* tit. 1, cap. unico[1].

Vestes sacrae ad administrationem sacramentorum requisitae sunt stola et superpelliceum. In sacramento poenitentiae iuxta plurium regionum consuetudinem sola stola sufficit[2]; immo ne ipsa quidem requiritur, si consuetudo id permittit, quando ex rationabili causa confessio excipitur in domo privata.

476 *Nihil licet ministro exigere aut petere*, ait can. 736, sive directe sive indirecte, quavis de causa vel occasione, *pro administratione sacramentorum*, praeter oblationes de quibus can. 1507, scilicet eas taxas, quas forte Concilium Provinciale aut conventus Episcoporum provinciae praefiniverit cum approbatione Sanctae Sedis[3].

Ius tamen est parocho ad praestationes, quas occasione functionum parochialium (quaenam istae sint, vide in n. 418) ei tribuit vel probata consuetudo vel legitima taxatio facta, ut nuper diximus, a Concilio Provinciali vel conventu Episcoporum (can. 463, § 1). Hae igitur parocho debentur ex iustitia; atque ipse vicissim, si potiores praestationes exigit, ad restitutionem tenetur quoad excessum (can. 463, §2).

« Licet paroeciale aliquod officium ab alio fuerit expletum, praestationes tamen parocho cedunt, nisi de contraria offerentium voluntate certo constet circa summam quae taxam excedit » (can. 463, § 3).

« Gratuitum ministerium ne deneget parochus iis qui solvendo pares non sunt » (can. 463, § 4).

Art. 3. Susceptio sacramentorum.

477 Distinguenda sunt praerequisita ad sacramenta suscipienda saltem valide et praerequisita ad ea suscipienda etiam licite.

---

1 Similes instructiones apud *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 477 seqq.

2 Cf. *Rit. Rom.* tit. 3, c. 1, n. 9.

3 « Salvo praescripto can. 1056 (de modica scilicet aliqua praestatione ex titulo expensarum cancellariae in dispensationibus pro non pauperibus) et can. 1234 (de taxa scilicet funeralium ab Ordinario facienda), praefinire taxas pro variis actibus iurisdictionis voluntariae vel pro exsecutione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministrationis sacramentorum vel sacramentalium, in tota ecclesiastica provincia solvendas, est Concilii Provincialis aut conventus Episcoporum provinciae; sed nulla vi praefinitio eiusmodi pollet, nisi prius a Sede Apostolica approbata fuerit » (can. 1507, § 1).

a) **Ad validitatem** nulla dispositio requiritur in infantibus et perpetuo amentibus respectu sacramentorum, quorum capaces sunt, baptismi scilicet, confirmationis, Eucharistiae et ordinis. At in adultis, exceptis perpetuo amentibus, requiritur:

1° *Intentio;* non enim sanctificatur adultus, nisi ipse velit, ut habent dogmatici[1]. Intentio explicita habitualis, id est aliquando habita et numquam retractata, sufficit pro baptismo, confirmatione, Eucharistia et extrema unctione, quia cum non agatur nisi de beneficio accipiendo, sufficit huiusmodi acceptatio; immo pro confirmatione, Viatico et extrema unctione, et forsan pro baptismo, videtur sufficere intentio habitualis implicita ea suscipiendi; implicita, inquam, v. gr. qui animum habet perseverandi in religione catholica usque ad mortem, eo ipso implicite vult suscipere in mortis articulo sacramenta, quae boni catholici in hoc discrimine suscipiunt, et proinde valide conferrentur ei sensibus destituto[2]. Intentio virtualis certe requiritur pro matrimonio, aliter enim iniri contractus onerosus non potest, forsan etiam pro poenitentia et ordine.

2° *Susceptio baptismi* ante cetera sacramenta, pro poenitentia dolor etiam et confessio.

Non requiritur attentio, proinde inaniter anguntur poenitentes ob distractionem habitam dum absolvebantur.

b) **Ad liceitatem et fructum** requiritur: 1° *Pro sacramentis mortuorum*, baptismo scilicet et poenitentia, saltem attritio supernaturalis; fuit enim semper ad impetrandam veniam peccatorum detestatio de peccato commisso necessaria (*Conc. Trid.* sess. 14, c. 4); porro haec attritio elici non poterit sine fide et spe, sine quibus non obtinetur iustificatio. 2° *Pro sacramentis vivorum*, pro sacramentis scilicet ceteris, ne suo effectu frustrentur[3], praerequiritur status gratiae, saltem per 478

---

1 V. gr. cf. Wirceb., *De Sacram. in gen.* diss. 2, c. 3, a. 1.

2 An valide ei conferrentur in quocumque casu post illam intentionem, v. gr. simpliciter dormienti, cf. Lehmk. n. 65 nota; S. Alph. n. 81.

3 Quaeres an, sicut non licet ministro sequi opinionem mere probabilem circa validam confectionem sacramenti, quando nulla necessitas impedit agere iuxta sententiam tutiorem (n. 466), ita quoque suscipienti non liceat sequi mere probabilem circa fructuosam susceptionem? — *Resp.* Non licet suscipienti sacramentum sequi opinionem probabilem circa dispositionem necessariam ad non frustrandum eius effectum, quando *sine gravamine* potest certitudinem moralem sibi comparare. Ratio est reverentia sacramento debita; nempe prorsus irrationabile est et religioni iniuriosum,

contritionem procuratus; immo ad suscipiendam Eucharistiam status gratiae comparari debet per sacramentum poenitentiae (n. 586).

---

sacramentum a Christo institutum ad salutem animarum absque necessitate exponere periculo nullitatis (cf. SUÁREZ, *De Bapt.* d. 21, s. 4, n. 4 et d. 24, s. 2, n. 5). Ratio ergo est eadem, ob quam iam intellexerunt auctores fuisse damnatam prop. 1 ab INNOC. XI circa ministrum. Strictius tamen tenetur tutiora sequi minister quam suscipiens, cum ille generatim nequeat periculum invaliditatis inducere absque gravi suscipientium detrimento, quod ex caritate semper, forte etiam ex iustitia (v. gr. si ministrare teneatur ex officio pastoris animarum) vitare debet.

Nec dicas, ut quidam ap. S. ALPH. l. 1, n. 51 nullam censeri iniuriam irrogare sacramento, qui utatur opinione probabili, nec videri sacramenta exoscere maiorem reverentiam quam praecepta divina, circa quae licet uti probabili. Nam etsi non censeatur iniuriam irrogare sacramento qui diligentiam non adhibet exquisitam, etsi ad plenam certitudinem non pertingat; at certe iniuriam irrogat qui periculum frustrandi sacramenti subit *temere*, id est probabilem tantum dispositionem procurat, cum nulla causa impediatur se disponere tuto. Nec valet comparatio, cum in observantia praeceptorum agatur de dubio circa exsistentiam obligationis, proinde circa meram licitudinem, quae tunc omnino certo habetur si agatur, etiam sine causa, iuxta probabilem (n. 19); in casu autem dubium versatur circa sacramenti frustrationem, quae profecto non vitatur agendo iuxta probabilem, aliunde vero certum est sacramentis esse iniuriosum non solum ea frustrare certo, sed etiam frustrationi probabili se exponere sine causa.

Nec rursus dicas pro contraria sententia citari a S. ALPH. l. 1, n.51 et l. 6, n. 475 plures patronos. Imprimis enim S. Alph. eos in hac re dicit non sequendos. Deinde, quos nominat: PONTIUS, SÁNCHEZ, VÁZQUEZ, PÉREZ, SAYRUS, CÁRDENAS, SPORER, VIVA, praeterquam quod directe de *ministro*, non de suscipiente (etsi fere par sit quaestio) loqui solent (cf. etiam GAUDÉ in hunc locum S. ALPHONSI), sane citari ut patroni non possunt. Cum enim priores quinque obierint antequam propositio circa ministrum damnaretur ab INN. XI anno 1679, omnino putandi sunt suam sententiam, si postea vixissent, non amplius fuisse tradituri. Quin etiam VÁZQUEZ 1ª. 2., q. 19, a. 6, disp. 63 et SÁNCHEZ, *In Decal.* l. 1, c. 9, n. 33 suam sententiam practice ad ferme nihil reducunt, siquidem hanc limitationem apponunt, « ut minister non possit uti probabili contra communem usum, quem tenet Ecclesia in administratione sacramentorum »; fatendum tamen est putasse eos, quod nihil obstaret attento solum periculo irreverentiae et frustrationis sacramenti, sed, ut notavimus, id dixerunt ante factam ab INN. XI damnationem. SPORER quoque tr. 1, c. 1, s. 3, n. 57 nullatenus ut adversarius nobis opponi potest; ideo enim permittit poenitenti sequi probabilem circa sufficientiam attritionis ad confessionem loco contritionis etc., quia « minister nullam habet difficultatem practicandi sententiam tutiorem, at vero poenitens quoad requisita ex parte sua maximam habere potest difficultatem sequendi semper tutius, nec reverentia sacramenti obligare potest cum tanto gravamine »; nos vero loqui-

Certum est baptismum, si valide, at non fructuose recipiatur, postmodum positis dispositionibus quae deerant, *reviviscere*, id est causare fructum seu gratiam, quam rite susceptus causasset. Idem censetur communiter de aliis duo-

---

mur de eligente pro lubitu probabilem prae tutiore sine causa. Denique nec obstat Viva, *Theol. mor.*: *De Poenit.* q. 3, a. 3, n. 9, nam solummodo dicit opiniones auctorum ibidem ab eo expositas vel exponendas circa dolorem et propositum « esse practice probabiles, quoties in praxim communiter a fidelibus timoratis deducuntur », immo huiusmodi « opiniones circa dolorem et propositum, quae passim in praxim a fidelibus deducuntur », esse « moraliter certas », nec posse quid amplius a poenitentibus exigi; « aliter passim in angustias animus redigeretur et confessio redderetur odiosa nec deserviret ad medicinam, sed ad carnificinam »: quibus omnibus profecto nemo non subscriberet; et quamvis ibidem insinuet propositionem damnatam loqui de ministro, non de suscipiente, et alia quaedam huiusmodi, haec omnino obiter et per transennam dicit, non vero intendens sententiam de licito usu opinionis probabilis affirmare in casu.

Nullam proinde agnoscimus contrariae sententiae probabilitatem, ne eam quidem, quam Gén. - S. n. 131 plus minus videtur ei tribuere.

Igitur practice: qui grave dubium habeat de suo statu gratiae nec illud possit per principia reflexa excutere (n. 56 ad 3), etsi opinetur probabiliter non peccasse mortaliter, non potest hac probabilitate contentus ad communionem vel celebrationem accedere, sed debet *moraliter* conari securior de sua dispositione reddi saltem per contritionem; moraliter, id est, ea diligentia, qua iam non videatur sacramenti frustrationem parvipendere.

Hanc obligationem agnoscit Gén. - S. cas. 597, sed, an urgeat sub gravi, addit esse dubium, forte motus citatione auctorum in contrarium erronee facta a S. Alph. loc. cit. —

Sufficit status gratiae *prudenter existimatus;* secus, ut ait Gén.-S. n. 131, vix umquam liceret homini, postquam in grave peccatum lapsus fuit, ad sacramenta vivorum accedere cum sola contritione, nisi adhibita diligentia omnino exquisita; firmior enim persuasio solum obtineri posset vel per hanc diligentiam vel per sacramentum poenitentiae. Similiter loquitur Lehmk. n. 205 de eo, qui ante communionem dubitat de peccato mortali; necesse nempe est ut conatum perfectae contritionis eliciat, ne scilicet eo conatu omisso, qui difficilis non sit, videatur *temere* sacramentum frustrationi exponere; si tamen eo elicito videatur sibi non satis certo contritionem concipere, id sufficit, nec obligatio erit maioris certitudinis habendae. Quae quidem prorsus conformia sunt doctrinae traditae in nota praecedenti.

Ad finem advertamus posse casum rarum evenire, in quo liceat sacramentum vivorum sumere extra statum gratiae, v. gr. si sacerdos in altari recordaretur peccati et ita arctatus esset angustiis temporis, ut ne posset quidem attendere ad habendam contritionem, nisi cessando a sacrificio inchoato cum dispendio sui honoris; idem dic de laico accumbente ad mensam communicantium, qui recordaretur peccati gravis (Lugo, *De Sacram.* d. 9, n. 8, *De Euch.* d. 14, n. 3; S. Alph. n. 85).

bus sacramentis characterem imprimentibus, idemque opinantur theologi de extrema unctione, quia in eadem infirmitate, et de matrimonio, quia in eodem coniugio iterari non potest. Pro Eucharistia reviviscentia negari solet.

Sacramenta vivorum posse per accidens causare primam gratiam, si nempe homo peccati letalis reus, sed bona fide se iustificatum putans, ea suscipiat attritus: certum est de extrema unctione (*Iac.* V, 15); multi idem opinantur probabiliter de Eucharistia.

APPENDIX DE SACRAMENTALIBUS

« Sacramentalia, » ait can. 1144, « sunt res aut actiones, quibus Ecclesia, in aliquam sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales. » Res, v. gr. aqua benedicta, arae consecratae; actiones, v. gr. ordines minores, benedictio mulieris post partum, caeremoniae in confectione vel administratione sacramentorum.

Sacramentalia effectus in anima non causant ex opere operato; v. gr. venialia non remittunt nisi vi bonorum motuum, qui in anima per sacramentalium usum excitantur; ad eorum autem excitationem impetrandam Ecclesiae oratio fuerat interposita.

Benedictiones aliae *constitutivae* sunt, quae, sicut consecratio rem consecratam facit, ita res constituunt benedictas, v. gr. aquam lustralem, cereum paschalem, unde res iam reverenter tractandae sunt neque ad usus profanos adhibendae (can. 1150). Aliae sunt *invocativae*, quae per ipsam benedicendi actionem seu divini auxilii invocationem consummantur, v. gr. benedictiones domorum, navium etc.

Consecrationes, monet can. 1147, solus Episcopus valide peragit, nisi vel iure vel apostolico indulto aliqua alii permittatur; benedictiones non reservatas[1] quilibet presbyter dare potest, reservatas vero illicite daret, valide tamen[2], nisi in reservatione aliud exprimatur[3].

---

1 Quaenam benedictiones reserventur vel secus, habes in *Rit. Rom.*

2 Non sunt confundendae benedictiones cum largitionibus indulgentiarum. Unde non solum illicitae, sed prorsus etiam invalidae essent adnexiones indulgentiarum, quas quis absque debita facultate attentaret, v. gr. benedicendo numismata aut rosaria.

3 Plura de sacramentalibus in can. 1144-1153. Cf. etiam Pesch, *Prael. dogm.* VI, n. 328-346; Sasse, *De Sacramentis* I, p. 191-195; Wernz, *Ius decr.* III, n. 758-771; Verm.-Creus. II, n. 461-469.

TRACTATUS II.

DE BAPTISMO

Art. 1. Materia.

Materia alia remota dicitur, alia proxima. 479

a) **Materia remota** est *aqua* naturalis[1], v. gr. fontis, putei, maris, pluviae, e glacie liquefacta. — Invalida materia est sudor, lacrymae, saliva, nam non dicuntur aqua[2]. — Dubia est iusculum tenue, lixivium, humor e plantis; haec proinde adhiberi possunt tantum in casu necessitatis, sub condicione « si haec materia est sufficiens »; postea vero, obtenta materia valida, baptismus iterandus est sub condicione « si non es baptizatus ».

---

1 *Ioann. III, 5; Conc. Trid.* sess. 7, can. 2. « Baptismus..... valide non confertur, nisi per ablutionem aquae verae et naturalis » (can. 737).

2 Nec refert quod sudor, lacrymae, saliva fere totaliter componantur ex aqua; nam materia valida non est praecise ea, quae mediis chimicis comperiatur esse aqua, sed ea quam Christus intentionem habuit assignandi tamquam materiam huius sacramenti. Iam vero cum Christus hoc sacramentum instituens voluerit ablutionem peragendam esse cum aqua, suam voluntatem expressit modo usuali; ideoque imprimis citra omne dubium significavit aquam, prout in natura reperitur et ab hominibus talis appellatur; deinde non videtur voluisse alludere ad ea (v. gr. sudorem, salivam), quibus, quamvis fere totaliter aqua sint atque ita esse forte homines sciant, tamen sermo usualis recusat appellationem aquae; denique dubium est, an sermone vulgari nomine aquae accipi possit iusculum tenue etc. Nec omne dubium evanescit circa aquam chimice obtentam ex oxygenio et hydrogenio; licet enim nonnihil dubitare, an sub intentione Christi censeri debuerit comprehendi etiam aqua tam insolito creata artificio, ab hominibus communiter ignorato; dubium tamen extendi nequit ad aquam mera distillatione seu evaporatione ab aliis extraneis elementis separatam, in quibus iam praeexsistebat.

In baptismo sollemni[1] praecipitur adhibenda aqua consecrata. In privato, qui in mortis periculo administratur, licet adhibere simpliciter aquam naturalem; si tamen administratur a sacerdote vel diacono, etiam tunc aqua consecrata adhibenda est, si facile et sine mora obtineri potest, et servandae erunt caeremoniae baptismum consequentes, ut inferius dicetur[2].

Grave sacrilegium committit, qui extra gravem necessitatem utitur aqua notabiliter turbida aut fetida, etsi baptismus valide cum ea conferatur. Si talis est aqua fontis baptismalis, praeferenda est aqua naturalis, si tempus non suppetit novam benedicendi.

Licet ob morbi periculum, v. gr, si baptismus conferendus est in utero matris, aquae admiscere millesimam partem bichloruri mercurici; id non licet extra morbi periculum[3].

480 *b*) **Materia proxima** est *ablutio* facta a baptizante, ita ut is moraliter censeatur lavare baptizandum.

Probabilius non sufficit una alterave gutta. Probabilius etiam requiritur, ut aqua per caput diffluat seu decurrat[4], ideoque probabilius non valet baptismus, si minister baptizandum tergat manu aut panno madido aut ungat in fronte cum pollice madefacto, aut si eius frontem nive aut glacie perfricet. Si igitur in necessitate baptismus hoc modo collatus fuit, postea meliore modo sub condicione iterandus est.

Ad validitatem sufficit una aquae infusio; trina tamen ad liceitatem requiritur ex praescripto *Ritualis*, quod proinde non obligat in baptismo absque caeremoniis collato in casu necessitatis.

Invalidus est baptismus collatus supra vestes. Probabilius valet in crines[5]; sed quoniam tutius sequendum, crines baptizandi capillati manu separentur, vel is in fronte, commodius adhuc in frontis latere seu in temporibus baptizetur, iniuncto prius, si opus est, ut claudantur oculi[6]. Baptismus collatus in parte alia quam in capite, v. gr. in pectore aut in scapulis, dubius habendus est.

---

1 Baptismus « cum ministratur servatis omnibus ritibus et caeremoniis, quae in ritualibus libris praecipiuntur, appellatur *sollemnis;* secus, *non sollemnis* seu *privatus* » (can. 737, § 2).

2 Cf. can. 759; Ferr. n. 304, q. 3.

3 *S. Off.* 21 aug. 1901.

4 *S. Off.* 9 iul. 1779, 8 nov. 1770 (*A.S.S.* XXV p. 242).

5 Intellige crines caput tegentes, non vero qua parte e capite pendent, si longiores sunt, quia ibi certo invalide conferretur baptismus, ut explicat Vázquez in 3 p., disp. 145 et Lugo, *Resp. mor.* l. 1, dub. 1, n. 9.

6 Accidit aliquando, praesertim in baptismo adulti densam habentis caesariem, ut alius assistens in auxilium properet manu

Art. 2. Forma.

Forma haec est: « Ego te baptizo in nomine Patris et Filii 481
et Spiritus Sancti. » Non est cur addatur « Amen », nec oportet, siquidem haec vox non legitur in *Rituali*. Forma non redderetur invalida ob omissionem vocis « ego », quae ad essentiam non pertinet[1]; valida etiam maneret sine dubio (alii dicunt probabilius), si ex duabus coniunctionibus « et », prior tantum[2] omitteretur. Dubiam dicunt aliqui formam, si praepositio « in » plane omittitur[3]. Certo invalida erit, si omittitur pronomen « te ».

Quando ob necessitatem administratur baptismus cum materia dubia, forma erit: « Si haec materia sufficit, ego te baptizo etc. » In ceteris casibus, si circa subiectum dubitatur an vivat etc., condicio vel sic expresse proferatur: « Si vivis », « Si es homo » etc., vel semper haec adhiberi potest: « Si es capax ». Denique si agitur de iterando baptismo, qui fuerat antea dubie collatus, vel dicatur: « Si non es baptizatus », vel etiam per hanc substituatur: « Si es capax ».

Art. 3. Minister.

Minister baptismi ad validitatem est homo quivis ratione 482
utens, sive mas sive femina, catholicus, haereticus vel paganus. Vi tamen suscepti ordinis munus eius conferendi sollemniter,

---

sua cutem perfricando, ne aqua capillos tantum tangat. Certe non facit sacramentum haec fricatio, siquidem ablutio partis non capillatae, si vere necessaria est, opus est ut debeatur ipsi baptizanti; ex illius tamen frictione factum est, ut iam aqua posterior a baptizante infusa, sponte defluat in partes non capillatas, quas secus non attigisset, tuncque iam ablutio certo valet.

1 Bene notat GÉN. - S. n. 137 id verum esse in lingua latina, in ea enim vox « ego », etsi non proferatur, semper subintelligitur in forma verbali « baptizo » (idem proinde puta, si forma proferretur lingua hispana), sed falsum esse in lingua gallica, anglica et germanica, in quibus sensus fere non vel prorsus non deprehenditur, nisi pronomen primae personae ponatur explicite.

2 Nec invalida videtur omissio secundae aut utriusque, si non fit sensum erroneum intendendo. Cf. LEHMK. n. 89 nota. Aliud tamen senserunt aliqui apud S. ALPH. n. 111.

3 S. ALPH. n. 112. Scrupulus videtur nobis haec dubitatio, si vox « nomine » non alium sensum in mente baptizantis habeat ac *Rituale* intendit per « in nomine », sicut valet forma « in nomine Patria », dummodo baptizans non intendat significare patriam, sed sit prolatio tantum materialiter incorrecta pro « Patris ». Adde quod, ut bene notarunt aliqui apud S. ALPH., loco supra cit., ambiguitas, quae videtur contineri sub sola voce « nomine », non plane disparet sub forma « in nomine ». Propter dubitantium tamen auctoritatem et S. Alphonsi, qui illud dubium spernendum non putat, baptismus iterandus esset.

seu cum praescriptis Ecclesiae caeremoniis, competit sacerdoti, qui propterea dicitur minister *ordinarius*, in huius defectu diacono[1], qui et minister dicitur *extraordinarius;* sed plene et per se competit iis, qui iurisdictionem habent ordinariam, Episcopo et parochis[2].

a) **Baptismi sollemnis** collatio reservatur parocho[3] (can. 738, cf. supra n. 418, 2°), ideoque peccant parentes qui, ius proprii parochi praetereuntes, filium sine licentia alii baptizandum deferunt. Porro parochus baptismum in proprio suo territorio conferre debet ibique sollemniter baptizare potest tum sui loci incolas et advenas[4], tum etiam vagos[5]; peregrinos[6] autem, si facile et sine mora ad suum proprium parochum remitti non possint. Extra suum territorium parochus neminem baptizare potest sollemniter sine debita licentia, ne sui quidem loci incolas[7].

Alii sacerdotes baptizare sollemniter non permittuntur, nisi « de parochi vel Ordinarii loci licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumitur » (can. 738); casus vero necessitatis est, v. gr. si baptizandus diu abesse debet nec potest baptismi caeremonia differri, ut licentia exspectetur. Deinde sacerdos proprium baptizati parochum certiorem facere debet (can. 778).

Adultorum baptismus sollemnis, ubi commode fieri potest, Ordinario loci deferatur, ut ab eo vel eius delegato conferatur (can. 774). De baptismo absolute conferendo id intellige, non de iterando sub condicione[8].

b) **Baptismus privatus** in mortis periculo potest a quovis ministrari, servata debita materia, forma et intentione; quatenus vero fieri queat, adhibeantur duo testes vel saltem unus,

---

1 Diaconus tamen « potestate sua ne utatur sine loci Ordinarii vel parochi licentia, iusta de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur » (can. 741); iusta de causa, v. gr. si multae confessiones audiendae sunt; quae tamen, etsi sufficiens ad licentiam concedendam, non sufficeret ut licentia a diacono praesumeretur, nulla urgente necessitate.

2 Wirceb., *De Bapt.* c. 3, a. 1; can. 738 741.

3 « Ubi paroeciae aut quasi-paroeciae nondum sunt constitutae, statutorum particularium et receptarum consuetudinum ratio habenda est, ut constet cuinam sacerdoti .... ius insit baptizandi » (can. 740).

4 Non est cur advena non possit parochum quasi-domicilii adire, etsi alibi domicilium habeat.

5 Vagi proinde quemlibet parochum adire possunt.

6 Quinam incolae, advenae, vagi, peregrini, cf. n. 37 et nota 2. vel can. 91.

7 Can. 738 739, can. 94, 1° et 2°.

8 Verm. - Creus. n. 28.

quibus baptismi collatio probari possit (can. 742, § 1). Si tamen adsit sacerdos, diacono praeferendus est, diaconus subdiacono, clericus laico et vir feminae, nisi pudoris gratia deceat feminam potius quam virum baptizare, vel nisi femina norit melius formam et modum baptizandi (can. 742, § 2); sed patri aut matri suam prolem baptizare non licet, nisi alius praesto non sit, qui baptizet (can. 742, § 3), aut, quod in idem recidit, prolem baptizare poterunt, si alius non satis tuto calleat modum baptizandi, aut sit haereticus[1].

Etsi Codex tantum memoret periculum mortis, eadem tamen necessitas privatim baptizandi infantes adest, quando diu, v. gr. per octo dies sacerdos non speratur aut adiri non potest[2]; reapse enim baptizantur tunc ex necessitate ob periculum mortis, quae saepe in illa aetate subito supervenit. Propterea *S. C. de Prop. Fide* plusquam semel consuetudinem laudavit in quibusdam missionum regionibus vigentem, ut catechistae aliive instructi laici christianorum infantes, etsi bene valeant, cito baptizent.

«Curet parochus, ut fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant» (can. 743).

---

1 Grave censetur non catholicum praeferre catholico; item, si laicus baptizet praesente sacerdote (S. ALPH. n. 117); nequit igitur is illi locum cedere, nisi id causa exigat pudoris (ut, si fetus baptizari debeat non omnino editus), aut ad sacramentum celandum coram parentibus, qui secus obstarent. In ceteris casibus inversio praedicti ordinis gravis aut non est aut esse non constat; prohibitio tamen parentibus facta ne prolem baptizent praesente alio, est gravis.

2 In regionibus, quae stricte missionum non sunt et ubi ecclesiastica parochiarum distributio satis accurate est constituta, etsi eae tam late pateant, ut sacerdos satis diu in quibusdam earum locis non compareat (id accidit in plerisque Americae Latinae nationibus), non videtur oportere, ut missionarii suo arbitratu inconsulto Ordinario inculcent praxim per laicos baptizandi infantes bona gaudentes valetudine, cum per se id nimiis dubiis locum dare possit, quis et an recte baptizatus sit. Propterea, etsi *S.C. de Prop. Fide* pro quibusdam missionibus praedictam praxim plene ac repetitis vicibus approbaverit (cf. *Append. ad Conc. Plen. Am. Lat.* n. 128), tamen *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 490 vult, ut pro huiusmodi regionibus conficiatur ab Ordinario specialis instructio. Profecto Ordinarii est, non privati sacerdotis, in re tam gravi decernere, an regionis adiuncta ea sint, quae illam praxim suadeant. Interea vero, dum Ordinarii nondum impetratum est consilium, missionarii familias instruant iisque impense inculcent, ut infantes baptizent *si acciderit periculum*, illosque, quamprimum deinde itineris incommoda subire possint, ad sacerdotem deferant per media (v. gr. equitando), quae ad longinqua loca petenda frequenter adhibent.

483 **Art. 4. Subiectum.**

Subiectum capax baptismi est omnis et solus homo viator, nondum baptizatus (can. 745, §1).

Cum agitur de baptismo, parvulorum seu infantium nomine veniunt, qui nondum rationis usum adepti sunt (adipisci autem praesumuntur expleto septennio), eisdemque accensentur amentes ab infantia, in quavis aetate constituti; adulti autem censentur, qui rationis usu fruuntur (can. 745 e 88).

a) **Infantes catholicorum** *quamprimum* baptizandi sunt, parochosque ac concionatores monet Codex, ut vicissim fideles de hac gravi obligatione commoneant (can. 770). Graviter proinde peccant parentes, qui diu suos liberos parocho deferendos differunt. Haud facile tamen est terminum assignare, ultra quem dilatio gravis sit habenda[1]; certe gravis non videtur dilatio unius hebdomadae, etiam sine causa, dummodo periculum non sit decedendi sine baptismo, sed maior dilatio quam octo vel decem dierum communius censetur gravis, ut habes apud *S. Alph.* n. 118[2].

---

1 Suárez, *De Bapt.* d. 25, s. 2, n. 7 id relinquit prudenti arbitrio.

2 Potius tamen putamus cum Castropalao tr. 19, punct. 8, n. 4 (consonat Lehmk. n. 101) gravem esse dilationem unius mensis sine gravi causa; sed cum notabili causa, v. gr. ut baptismus maiore cum sollemnitate conferatur, permitti posse dilationem ultra mensem unum, sed non duos. Ratio obligationis est, ait bene Castropalao, quia consuetudo graviter obligans ne baptismus diu differatur parvulis, introducta videtur a fidelibus, recte iudicantibus alienum esse a parentum pietate et caritate, diu conservare filios mancipia diaboli, cum tam facile possint eos membra Christi efficere et heredes gloriae.

Etsi *Codex* (can. 770) iubeat parvulos baptizare « quamprimum », non ideo tamen minorem dilationem dicemus gravem; nam rigor huius vocis « quamprimum » accipiendus est iuxta materiam, et non constat Codicem per eam vocem voluisse strictiorem obligationem nunc imponere, quam quae exsistebat prius ex praedicta consuetudine (can. 6); eo vel magis quod antea auctores (quos vide ap. S. Alph. loc. cit.) suas plus minus benignas interpretationes non dubitarunt proferre, postquam plura Concilia Provincialia sub vocibus similibus obligationem hanc urserant, ut habes apud eumdem S. Alph.

Dilationem unius hebdomadae gravem censet Ferr. n. 324, sed non videmus sufficientia esse fundamenta, quae adducit. Nam ut aliquid de singulis eorum dicamus, *S. C. Consist.* urget quidem id, quod valde inculcari oportet, contrarium tamen non satis patet ab ea haberi ut grave; Leo XIII de dilatione loquitur in hebdomadas et menses indeterminate numero plurali; et *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 491 valde quidem lamentatur sine gravi causa differri baptismum ultra octiduum, id tamen grave esse non dicit, nec sub gravi peccato significat se velle id in futurum imponere, immo pari sermone loquitur de dilatione ultra triduum, quin propterea quis eam gravem esse dixerit.

Nihilominus sententiae quorumdam veterum de dilatione gravi ultra octo dies videtur se accommodare voluisse *Synodus Pudcheriana* a. 1844 (*Collectio Lacensis* VI, col. 655).

Si ambo parentes catholici in apostasiam vel haeresim vel schisma prolapsi sunt, generatim servandae sunt normae circa infantes infidelium (can. 750 751); generatim [1] proinde nequeunt illorum infantes baptizari, nisi consensus habeatur unius parentum vel tutoris, et catholicae educationi cautum sit, uti dicetur inferius (n. 488) [2].

b) **Amentes** et furiosi, *qui numquam rationis usum habuerunt*, baptizandi sunt sicut infantes, ideoque nulla requisita personali praeparatione (can. 745, § 2). 484

Si aliquando rationis usu gavisi sunt, a) extra mortis periculum baptizari non debent, nisi amentia prudenter praevideatur perpetua. Sed si dilucida habent intervalla, baptizentur dum mentis sunt compotes, dummodo ipsi velint et praevie instruantur circa necessaria. — b) Imminente mortis periculo baptizentur, etsi sui non compotes, si antequam insanirent, suscipiendi baptismum desiderium ostenderint (can. 754, § 2, 3). Quod si de hac condicione nihil compertum habetur, probabiliter adhuc baptizari poterunt sub condicione, ut alibi dicetur de infideli adulto moribundo (n. 488).

Qui lethargo aut phrenesi laborat, amenti lucida intervalla habenti comparatur; proinde exspectandum erit, donec vigilans et volens baptizari possit; at si mortis periculum impendeat, baptizetur etiam in lethargo aut phrenesi, prout de amentibus nuper est dictum (can. 754, § 4).

c) **Fetus abortivi** (n. 176), quovis tempore editi, etsi brevi post conceptionem, omnes baptizandi sunt (can. 747), siquidem, ut habet sententia communiter recepta, iam a primo conceptionis instanti anima humana informantur (n. 177 nota 1). 485

Si fetus certo vivit, baptizatur absolute; si dubie, sub condicione « si vivis » (can. 747). Porro vivatne, difficillime per

---

1 « Generatim », cum enim de parentibus catholicis agatur ideoque Ecclesiae per baptismum subditis, non laederetur eorum ius, ut in casu infidelium, si invitis ipsis baptizarentur filii, ideoque obstaculum praecipuum erit educatio prolis. Quare licitum putamus infantem catholicorum apostatarum sine eorum consensu baptizare in pio asylo, si ibi per congruum tempus mansurus est, donec adultus satis solide instructus erit.

2 Non sunt igitur baptizandi extra mortis periculum filii duorum catholicorum, qui tam acerbo odio in religionem feruntur omnemque fidem adeo abiecerunt, ut merito apostatae habendi sint; idem dic, si ad haeresim aut schisma transierint (can. 751). Nec sufficeret spes catholicae educationis, quam forsan promitteret se daturam suo tempore famula aliave pia mulier (Gén. - S. cas. 617), tum quia id reapse illam facturam satis incertum est, tum quia in casu, praeter illam spem, consensum parentum requirit Codex.

observationem alicuius motus membrorum dignosci poterit ante finem tertii mensis [1], siquidem musculi adhuc imperfecte evoluti sunt; raro inter tertium et quintum mensem; facile ab expleto mense quinto; attamen iam a primis mensibus vita deprehendi potest ex motu cordis, quod primo tempore invenitur prope caput, deinde paulatim ad suum locum descendit; denique quovis tempore, si deprehenditur pulsatio in funiculo umbilicali (pulsatio tactu percipi potest), id signum erit vitae [2], sed pulsationis absentia signum mortis nondum est. Mortuum esse fetum, si putridus profluit liquor amnioticus, probabile est, non tamen certum [3].

Ovum abortivum sequenti modo baptizetur, quin tempus deperdatur ad prolixe investigandum an fetus vivat. Ovum in aqua [4] immergatur et, apprehensa cum pollice et indice aliqua velamenti [5] plicatura, discindatur atque aperiatur, statimque pronuntietur forma sub condicione « si vivis », interea illud semel aut bis ex aqua extrahendo rursusque immergendo [6].

---

1 In re obstetricia Germani menses computant lunares seu viginti octo diebus (quatuor hebdomadis) constantes, ideoque praegnationis tempus dicunt esse decem mensium; Hispani et Galli menses computant communes.

2 Capellmann, *Medicina pastoralis* in D; Antonelli, *Med. past.* II, p. 6.

3 Varnier, *Obstétrique* (ed. 1900) p. 129, col. 1.

4 Consulitur aqua tepida ad tutius prospiciendum vitae fetus, sed ne tempus teratur ad eam procurandam, si in promptu non habetur.

5 Huiusmodi velamentum seu ovi membranae, quae fetum includunt, vocantur secundinae. In partu infans egreditur involucris huiusmodi disruptis iisque in utero relictis; paulo serius mater ea sponte expellit. Quia ergo in partu haec involucra « secundo loco » post infantem emittuntur, propterea « secundinae » appellata sunt.

6 Docent quidam (Eschbach, *Disp. physiol.-theol.* disp. 3, c. 3, a. 3, cui adhaeret Villada, *Cas. consc.* cas. 3, s. 2, n. 80; Ferreres, *La muerte real y ap.* (ed. 1911) p. 29; idemque repetit Dr. Massana, *Cuest. med.* (ed. 1920) p. 389, et Dr. *Banc* et *Benet*, quem citat et sequitur Beguiriztain in opusc. *Almas al cielo* p. 27) oportere, ut primum baptizetur fetus abortivus super involucra sub condicione « si es capax », deinde aperiatur ovum et sub aqua immersum modo supra dicto baptizetur sub condicione « si non es baptizatus ». — E contra primum baptismum condicionatum super secundinas omnino prohibent Capellmann, *Med. past.* (ed. 1901) p. 108 117; cui adhaerent Lehmk. n. 103, nota 3; Gén.-S. n. 141 nota; Verm.-Creus. II, n. 31; Ferr. n. 322; idem omnino prohibet Antonelli, *Med. past.* II, n. 14 et 29.

Ratio priorum est auctoritas quorumdam theologorum. Nempe Vázquez in III, disp. 145, c. 4, n. 31 cum Rosella et Sylvestro baptismum supra secundinas aequiparat baptismo collato supra capillos, nam sicut « capilli, ait, licet (vita hominis) non vivant, censentur partes hominis, cum sint illi naturaliter coniunctae, sicut

Sed si quis mavult, aperiat ovum quin illud in aquam immergat, statimque sine mora super fetum aquam infundat modo ordinario *.

---

etiam ungues »; ita « pellis illa secundina est veluti pars infantis ». Eamdem doctrinam repetit CASTROPALAO p. 4, tr. 19, punct. 4, n. 8. VAZQUEZIUM citat et sequitur DIANA tom. 1, tr. 1, resol. 76. Similiter, auctoritate motus VÁZQUEZII et SYLVESTRI, tradidit BENED. XIV, *De Syn. Dioec.* l. 7, c. 5, n. 3 baptismum supra secundinas probabiliter esse validum.

Ex his testimoniis nihil aliud sequitur, nisi, ad summum, baptismum supra secundinas fore probabiliter validum (id autem falsum esse, si adsunt membranae omnes, dicemus statim), sed non sequitur, quod liceat dare unum baptismum probabilem supra secundinas, antequam detur alius certo validus super fetum; si enim fetus vivit, prior baptismus est prorsus inutilis ideoque illicitus; si non vivit, neuter valet. Re vera antiqui illi theologi nuspiam dixerunt aut debere aut posse conferri ovo abortivo duplicem illum baptismum, sed in locis citatis hanc quaestionem solummodo tractarunt, quid scilicet sentiendum de validitate baptismi forte collati super secundinas. Neque moderni illi, primo loco citati, aliud reapse ex illis antiquorum testimoniis volunt eruere, nisi quod baptismus super secundinas est probabiliter validus.

Quare, si a modernis illis perquiritur, qua de causa voluerint baptismum bis conferri, primo super secundinas, deinde super fetum, respondere videntur eorum aliqui (BEGUIRIZTAIN cum Dr. BLANC et BENET) timere se ne, dum ovum aperitur, statim fetus vitam amittat propter ingressum aeris; id autem timeri posse, didicisse se aiunt a DEBREYNE, *Essai sur la Théol. mor.* p. 209, quem CAPELLMANN, loc. cit. p. 117 putat id vicissim didicisse a CANGLIAMILA.

E contra ratio posteriorum est, quod velamentorum membrana exterior non oritur ex ipso ovo ideoque minime ad fetum pertinet, sed matris omnino est. Cum igitur nec fetus nec pars ulla eiusdem ablueretur, non magis valeret baptismus supra velamen illud, quam si supra vestes quis aspergeretur.

Profecto sciendum est fetum intra uterum tribus membranis involvi, quarum ea, quae interior est, vocatur amnion. Hanc involvit alia, quam dicunt chorion, quod pilosum seu pilis instructum est. Utrasque includit tertia, quae exterior est vocaturque decidua, anatomice autem « decidua reflexa »; est enim ipsa membrana, quae uteri parietibus adhaeret (« decidua vera ») et, in se ipsam reversa seu reflectens, ovum fetale involvit. Deciduam seu tertium hocce velamen ad matrem, non ad fetum pertinere, est certum, idque prorsus patet in figuris schematicis, quas adumbrant embryologi (cf. TESTUT, *Anatomía hum.* [ed. hisp. 4ª] vol. 4, pag. 1224; DUVAL, *Curso de Fisiol.* [ed. 5ª] p. 689; KEITH, *Human Embryology* [ed. 1921] p. 32; VARNIER, *Obstétrique* [a. 1900] p. 203; PUJIULA, *Embr. del hombre* [ed. 1922] tom. 1, n. 113-116).

Ex dictis infertur, quod si fetus abortivus cum membranis omnibus expulsus est (fetum *abortivum* expelli cum decidua reflexa, saltem ordinarie, supponitur a CAPELLMANN op. cit. p. 117), baptismus supra ovum conferri nequaquam potest, esset enim certo invalidus; neque in contrarium poterunt allegari veteres illi theo-

---

* Consultius est hoc secundo modo procedere cum fetibus abortivis grandiusculis.

Molae quoque dissecandae et inspiciendae sunt[1] et, si fetus ibi invenitur, is sub condicione baptizetur.

Monstrum si plura habet capita vel si plura pectora, totidem homines censeri debent, et in eo casu singuli seorsim baptizandi[2]; si periculum mortis immineat, singulorum capitibus aqua infundatur omnes simul baptizando sub forma plurali « ego vos etc. ». Si vero unum caput et pectus habet, cetera autem membra dupliciter, unus absolute baptizetur, postea alter sub condicione « si non es baptizatus »[3]. Monstrum acardiacum, id est fetus capite et pectore carens, tantum ventre et cruribus constans, nihilominus baptizetur sub condicione « si es capax »[4].

Infantes, qui nascuntur mortui, nisi putrefactionis signa certa appareant, baptizentur nihilominus sub condicione « si vivis », tum quia saepe in statu tantum asphyxiae versari inventi sunt, a quo post adhibita per horas plures sollicita auxilia revocari potuerunt, tum quia specie mors multo ante evenire solet, quam reapse accidat, uti dicemus alibi (n. 753).

---

logi, quia ob imperfectam sui temporis de physiologia notitiam de singulis secundinarum membranis diverse iudicandum esse non suspicabantur. Si vero ovum abortivum expellitur sine decidua ulla (utrum ita eveniat, cf. notam mox ad n. 486), vel si decidua digitis discinditur atque a membranis reliquis separatur, tunc propter laudatorum theologorum auctoritatem baptismus super chorion esset dubius, sed in casu censemus eum illicitum, quia inutilem; tuto enim baptismus conferetur, si fetus vivit, aperto ovo. Nec movet nos timor ille a DEBREYNE vel CANGLIAMILA mutuatus; inaniter enim timetur ne mortem afferat et baptismum impediat ingressus aeris, nam baptismus statim ministrari potest aperitione facta, multo magis si aperitio fiat caute, ne liquor amnioticus evacuetur subito; vel si fiat aperitio sub ipsa aqua statimque proferatur forma. Quod si in subtilitates abire velis timeasque, ne fetus minimum unum instans post aperitionem exspectare non possit, time potius ne, dum aliquid temporis in baptismo priore impendis, vel dum consideras an separanda sit decidua, mors, si tam extreme labilis fetus vita est, accidat et secundum baptismum tutiorem praeveniat.

Certe in his adiunctis properare oportet, quia semel excisa communicatione cum matre interruptaque circulatione sanguinis, mors quovis iam instanti timeri debet.

Censemus igitur (sit haec conclusio) nihil aliud fieri oportere, nisi ovum aperiri quamprimum et illico baptizari modo supra dicto.

1 Molae sunt ova fecundata, massae carneae informes, in quibus secundinae ita immaniter excreverunt, ut fetum insufficienter evolvi sinerent aut illum penitus absorberent.

2 Eodem modo procedi debet, quando monstrum caput quidem unicum habet, sed in eo duplex facies est ideoque cum duplici cerebro.

3 Can. 748; *Rit. Rom.* tit. 2, c. 1, n. 20 21.

4 FERR. n. 323, q. 11.

Baptismus in utero conferri non debet, quamdiu proba- **486**
bilis spes sit, ut infans rite editus baptizari possit (can. 746, § 1).

Si vero iam spes probabilis non habetur, ut vivus extrahi possit, tunc aqua manu, spongia[1], vel alio modo apprehendatur (clericus laicos id sinat peragere in his circumstantiis propter decentiam) et infanti subveniatur hoc modo:

1° Si infans aliquod membrum iam emiserit, nempe caput, super hoc baptizetur absolute nec postea, si vivus evaserit, est iterum sub condicione baptizandus; si non caput emittat, sed aliud membrum, in illo baptizetur sub condicione; at tunc, si natus vixerit, est rursus sub condicione baptizandus (can. 746, §§ 2 et 3).

2° Si infans nullum membrum emittat, possit tamen intra uterum attingi, baptizetur sub condicione. Et quoniam can. 746, § 5 monet quod « fetus, in utero baptizatus, post ortum denuo sub condicione baptizari debet », baptismus deinde, si natus vixerit, erit sub condicione repetendus, etiamsi super caput fuisset administratus[2].

3° Si fetus membranis involvitur, hae caute[3] discindantur, dummodo noscatur mors iam ei imminere[4]. Iis discissis, conferatur ei baptismus sub condicione[5]; deinde, si vivus edatur, sub condicione iterum baptizetur[6].

Idem dic, si fetum iam esse mortuum probabile sit atque ovi aperitio urgeat ob imminens periculum matris, iuxta dicta

---

1 Curandum ne spongia mere infantem madefaciat, sed ut aqua diffluat.

2 Antonelli, *Med. past.* II, n. 15; cf. tamen Eschbach, *Disp. phys.-theol.* disp. 3, p. 2, c. 3, a. 4; Pesch, *Prael. dogm.* VI, n. 451-454.

3 Caute, id est, cavendo ne subito totus liquor effluat, id enim nova et gravia pericula fetui creare posset (Fournier, *Accouchement pathol.* p. 109 240 285-286 313).

4 Cum membranarum disruptio liquoris amniotici effusionem provocet et consequenter fetus expulsionem, obiiciet fortasse quis huiusmodi actionem moraliter aequivalere provocationi abortus ideoque non licere umquam in fetu nondum viabili. Respondemus ita esse generatim extra casum, quem consideramus. At in praesenti casu id evidens non est; non enim clare apparet illiusmodi discissionem aequivalere provocationi directae mortis fetus, ubi iam signa deprehenduntur, ut supponimus, eius vitam minui mortemque instare nec spes probabilis iam foveri potest. Tunc actio, quae de se provocat eius eiectionem, non provocat ad eum ponendum in condicione peiore extra uterum, quam si remaneret in utero, aliunde vero valde gravis ratio agendi habetur: hominis aeterna salus (Antonelli vol. II, n. 16 17; Gén.-S. n. 143 nota; cf. praesentem casum cum quibusdam operationibus, de quibus Payen, *Déontol. méd.* n. 333-339).

5 Conferatur, inquam, quia ut supponimus, nulla spes probabilis habetur ei meliore modo subveniendi extra uterum.

6 Baptismus in utero collatus non est certo validus; propterea monet canon 746, 5° ut postea, si fetus edatur, baptismus sub condicione repetatur.

in n. 181; nempe, baptizetur statim fetus sub condicione, si vivus reperitur et exspectari non possit donec extrahatur[1].

Si vero num vivat an mortuus sit mere nesciatur nec urgens mortis periculum, ei, si forte vivit, immineat, non videntur discindendae membranae, cum tam dubium sit quod ei spiritualiter succurri possit et ex discissione gravia pericula enascantur[2]. Si medicus adest, recurri potest ad baptismum per siphunculum[3].

Super membranas baptizari non potest, nisi cum periculum sit adeo urgens, ut earum discissio exspectari non possit; si exspectari non potest, aqua super eas infundatur sub condicione[4], deinde fetus tutiore modo, si potest, iterum sub condicione baptizetur. Super deciduam[5] baptismus, utpote certo invalidus, administrari non debet.

---

1 Nam si exspectare licet donec extrahatur, exspectandum erit, non enim licet inutiliter conferre interea baptismum minus tutum quamdiu speratur posse post extractionem conferri tutius, immo conferri tuto.

2 Nam liquore deficiente difficilior redditur partus; aliunde vero eius subitus fluxus gravia creat pericula fetui (Antonelli n. 16-17; Fournier loc. cit.).

3 Hodie enim possunt medici siphunculum sufficienter tenuem immittere trans membranas quin liquoris effusio sequatur. Valde tamen incertum erit num aqua infantem ipsum attigerit aut quam eius partem; ideoque ad hoc medium recurri non debet quando, ex dictis, liceat secundinas discindi atque ita minus incerte baptismum administrari.

4 Sub condicione, non solum quia baptismus in utero est dubius, sed etiam quia supra secundinas valde dubius, etiam dato quod ablutio certo fiat in membrana ad fetum pertinente (amnio vel chorio). Vid. not. seq.

5 Sunt casus in quibus manifestum est ovum involvi maternis deciduis. In partu quoque, quando placenta fetum anteit (« placenta praevia »), manifestum est non esse internam aliquam membranam fetus eam, quae apparet ad os uteri.

At quando exterior decidua abest, videtur saepe difficile fore, saltem in *abortu*, certo asserere deciduam « reflexam » (quae ad fetum non pertinere certum est, cf. notam ad n. 485) omnino abesse, exterioremque superficiem esse chorion.

Nam decidua « reflexa » iam a primis mensibus incipit ita attenuari vicinisque membranis, praesertim deciduae « verae », ita adhaerere, ut paulatim cum iis coalescat et videatur confundi (Varnier, *Osbtétrique* p. 215-222). Saltem in gestationis termino, id est in partu, non exsistit (ibid. p. 118), sin minus nequit reperiri (« de la caduque réflechie il n' est plus question à terme; elle est méconnaissable », ibid. p. 117, col. 1; cf. etiam p. 222, col. 1). Nec multum videtur significari in contrarium, ubi auctores affirmant ovum *abortivum* nunc expelli cum placenta (ibid. p. 121, col. 2), nunc cum *solo amnio et chorio*, relicta in utero decidua (ibid. p. 117, col. 2). Forte quidem id dicunt nixi in casibus, in quibus deciduae reflexae absentia certo observari potuit. Sed potius videntur id dicere secundum speciem externam vulgarem, praescindentes utrum cum decidua vera simul etiam reflexa totaliter absit, cum haec, si adsit, sit tam difficilis repertu.

Ventris materni excisio an, vivente vel mortua matre, peragi debeat, diximus n. 181.

d) **Infantes duorum haereticorum** vel schismaticorum, etsi 487
absque iuris paterni laesione baptizari possent, parentes enim sunt per baptismum Ecclesiae subditi etsi rebelles, tamen propter perversionis prolis periculum generatim baptizandi non sunt extra vitae discrimen; hac de causa praecipit can. 751, ut circa eos generatim eadem teneantur, quae mox dicentur circa infantes infidelium.

e) **Infantes infidelium** baptizare non licet extra mortis periculum contra voluntatem parentum. Ratio est, quia si proles in eorum potestate sinatur, indubium est periculum perversionis et apostasiae, ideoque sacramentum certo exponitur profanationis periculo sine ulla baptizati utilitate; si vero a parentum potestate abstrahatur, laeditur horum naturale ius in filium [1]. Solum ergo eos baptizare licet, quando *a*) nec iuri parentum, *b*) nec reverentiae sacramenti praeiudicium fiat. Quare, infans infidelium:

1° Extra mortis periculum baptizari poterit, quod ad primum requisitum attinet, « 1° Si parentes vel tutores aut saltem unus eorum consentiat; 2° Si parentes, id est pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut ius in eum amiserint vel illud exercere nullo pacto queant » (can. 750).

Igitur sufficit, ut consensus detur a matre, vel, reluctantibus parentibus, ab uno eorum qui de paterna auctoritate participant, v. gr. ab avia; patet tamen consensum non requiri, si ius paternum amissum est, v. gr. ob amentiam, vel (quod aequivalet) si parentes infantem deseruerunt.

Sed, praeter consensum parentum, aliud requiritur, nempe, ut catholicae educationi prolis cautum sit. Ad id autem sufficit ut, attentis particularibus cuiusque casus adiunctis, non praevideatur aliquod adesse grave perversionis periculum, aut, si quod grave periculum superventurum sit, aliqua ratione praevideatur amoveri posse [2].

---

[1] Wirceb. vol. 9 *De Sacram.* diss. 1, c. 3, a. 3; Pesch, *Prael. dogm.* VI, n. 455-462; Lehmk. n. 113-118.

[2] Ita eruitur ex responsis *S. Off.* 12 oct. 1600, 28 ian. 1637, 18 nov. 1745, 28 iun. 1866 (A.S.S. XXV, p. 247 251 257). Si infans ad baptismum offeratur (absque intentione superstitiosa) a parentibus infidelibus, respondit *S. Off.* 22 iul. 1840, 11 dec. 1850 non posse baptizari, si ambo parentes permanere volunt infideles nec rationabiliter sperantur convertendi; *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 493 dicit posse in casu baptizari, si fundata spes sit, fore, ut in religione catholica institui possit infans et nullum praevideatur grave perversionis periculum.

2° In mortis periculo licite baptizatur, etiam invitis parentibus. Non tamen requiritur ut mors nunc immineat; sufficit ut infans « in eo versetur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus, antequam usum rationis attingat » [1] (can. 750, § 1).

488 *f*) **Adulti filii infidelium** (vel haereticorum aut schismaticorum) consensu parentum non egent ut baptizari possint; nam si rationis usu fruitur, « id satis est, ut suo quisque animi motu baptismum petat et ad illum admittatur » (can. 745, § 2).

Reverentiae tamen sacramenti consulendum est et profanationis periculum cavendum. Propterea prudenter omnino agunt, qui huismodi acatholicorum vel infidelium filiis, si pueri adhuc sunt vel adolescentuli, non protinus obsequuntur, sed pro singulorum casuum circumstantiis eorum vota ad aliquod tempus differunt [2], ut interea debitam instructionem sibi comparent, firmiorem perseverandi voluntatem concipiant et hanc aliquo experimento ostendant.

g) **Adulti infideles moribundi** (v. gr. iudaei, mahumetani, ethnici) praeparandi sunt, ut condiciones habeant ad baptismum necessarias, voluntatem scilicet illum suscipiendi, fidem explicitam articulorum saltem, qui certo vel probabiliter sunt de necessitate medii (sufficit, ut eis pro suo captu intellectis ostendant se consensum praebere), insuper spem et dolorem cum proposito [3].

Si infidelis sensibus destitutus est, nequit baptizari, quin de ipsius desiderio suscipiendi baptismum aliqua saltem coniectura habeatur, interrogatis, si opus est, iis qui ipsum noverint. Coniectura exsurget v. gr., si propensionem quamdam ostenderit erga veram religionem, vel si hanc recusaverit ex motivis huic extrinsecis, cuiusmodi esset difficultas dimittendi uxores aut restitutionem peragendi [4].

---

[1] Requiritur tamen periculum personale; ideoque non sufficeret periculum commune, v. gr. pestis, ut iam omnes infantes infidelium sine parentum consensu baptizarentur.

[2] Neque enim applicari debent hic quae superius diximus de non differendo infantibus baptismo; consuetudo enim, qua illa obligatio nitebatur, circa infantum baptismum solummodo versabatur atque eorum parentes respiciebat.

[3] Cf. dicta n. 71 72 82 477 478. Cf. etiam can. 752 et resp. *S. Off.* 6 iun. 1860 (*A.S.S.* XXIX, p. 570); *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 496.

Non licet eos, qui in Deum credunt, v. gr. mahumetanos, ad dolorem tantum hortari, minime loquendo de Jesu Christo ex timore, ne non sint crediturí (*S. Off.* 1 apr. 1898 [*A.S.S.* XXX, p. 699]).

[4] Aliqua proinde coniectura numquam deerit quoad moribundos non baptizatos, qui in nosocomiis reperiuntur nostris in regionibus. Horum enim nullus aut vix ullus est, qui non multa de vera

Quod si nulla coniectura haberi potest de eius intentione, doctrina communis theologorum fuit non posse, etiam in extremis, baptismum ministrari [1].

Attamen iam nunc pauci aliqui docent [2] posse huiusmodi moribundum infidelem sensibus destitutum, de cuius voluntate nulla coniectura procurari potest, baptizari sub condicione, nisi positiva motiva suadeant eum baptizari noluisse [3]. Horum sen-

---

religione et audiverit et viderit. Facile ergo desiderium quoddam concipere potuit suscipiendi media necessaria ad salutem, quae in vera religione exsistunt, sed forte ob difficultates quasdam aut ex quadam negligentia ea omisit.

[1] Suárez, *De Sacram.* d. 14, s. 2, n. 4; Lugo, *De Sacram. in gen.* n. 129 130; Noldin n. 73, 2°; *A.S.S.* XXX, p. 699.

[2] Cf. Pesch, *Prael. dogm.* VI, n. 439; Bellamy in *Dictionn. de Théol.* II, col. 280; Lehmk. n. 106 107; Gén.-S. n. 126 150; Verm.-Creus. II, p. 18, n. 35.

[3] Huiusmodi opinio, saltem ut tenuiter probabilis, quod ad praesens propositum sufficit, fulciri potest sequenti modo:

Difficultas, ut liceat huiusmodi moribundo ministrare baptismum, in eo consistit, quia in adulto requiritur: 1° aliqua voluntas illum suscipiendi, saltem habitualis, seu aliquando habita et non retractata; 2° aliqua positiva coniectura de hac voluntate, saltem tenuiter probabilis, quae non sit aperte vana. Iam vero:

Quoad 1 um. Auctoribus non paucis (hos vide apud Lacroix l. 6, p. 1, n. 168; Lehmk. n. 106) videtur sufficere ad validitatem baptismi voluntas contenta in actu contritionis vel attritionis, propter inclusam voluntatem servandi praecepta et suscipiendi media ad salutem necessaria. Quorum opinio etsi non videatur solide probabilis, tenuiter saltem probabilis dici debet.

Quoad 2 um. Aliqua coniectura saltem tenui praesumi licet in huiusmodi homine illam voluntatem suscipiendi media salutis necessaria saltem habitualem, aut implicite in attritione contentam, ut apparet percurrendo hypotheses sequentes: — 1° Si homo in sua religione (iudaica, mahumetana etc.) in bona fide vixerat, sine dubio coniectura adeo non est vana, ut videatur baptismus posse ei in his adiunctis ministrari, etiamsi, antequam sensibus destitueretur, illum repulerit; forte enim illum repulit eo, quod bona fide credebat esse innecessarium; de cetero, posita voluntate generali suscipiendi media ad salutem necessaria, quae in eo facile supponi potest, facile etiam, non obstante baptismi repulsione, haberi potest haec voluntas tamquam praevalens. — 2° Si homo morigerate vixerat, de quo testantur circumstantes, facile idem dici potest ac in hypothesi praecedenti. — 3° Si de homine nihil prorsus scitur, adhuc coniecturae non desunt non aperte vanae. Primo enim, quia nemo malus censeri debet, nisi probetur, maxime in ordine ad denegandum auxilium summe necessarium; supponi ergo debet homo morigeratus, et recidimus in casum praecedentem. Secundo sperare licet summam Dei misericordiam, quae omnes vult salvos facere, eum suis auxiliis invitasse saltem ad attritionem; certe ad hanc Dei misericordiam confugiunt in pari casu Gén.-S. n. 150 et Lehmk. n. 648. Tertio ob verba S. Augustini, quae affert S. Alph. l. 6, n. 483. Quarto, quia non videtur maius fundamentum haberi ad concipiendam aliquam coniecturam de

tentia sufficit, ut in extremis extremum istud remedium, etsi cum tenuissima spe, tentari liceat. Sacerdos tamen vitet praemissa monitione scandalum seu contemptum religionis in adstantibus.

---

exsistentia attritionis in catholico repente sensibus correpto in instante ipso peccati (puta adulterum in actu peccandi gravissime vulneratum a marito clam insidiante), quam in illiusmodi infideli. Atqui in hoc catholico adhuc putatur adesse sufficiens coniectura de attritione ad dandam absolutionem. — 4° Si homo male vixerat et non constat eum baptismum repulisse, adhuc propter tres postremas rationes attactas videtur licere collatio condicionata baptismi. Idem licebit, si aliquo modo praesumi potest illum non repulisse in odium religionis christianae, sed v. gr. quia in sua religione educatus religionem christianam vix noverat et baptismum reputabat innecessarium. Si tamen repulit in odium fidei christianae, baptismus ne condicionate quidem dari potest, quia nulla intentio ullo modo praesumi potest.

Obiicies forte resp. *S. Off.* 30 mart. 1898 (cf. *A.S.S.* XXX, p. 701). — *Resp.*: Imprimis ibi *Sacra Congr.* tantum refert quasdam condiciones ut sufficientes ad baptismum condicionatum, sed non dicit illas esse in his adiunctis absolute necessarias. Sed quamvis eas retulisset ut omnino necessarias, dici etiam potest *Sacram Congr.* responsum tulisse, ut ordinarie fit, iuxta sententiam theologorum communem, non iuxta opinionem relative paucorum, praesertim si haec sit tenuiter probabilis. Praeterea *Codex* in can. 752 agit de condicionibus adultorum ad baptismum, et percurrit gradatim diversa adiuncta adulti in mortis periculo constituti; cum autem postremo loco exspectatur, propter controversiam theologorum, quid faciendum si adultus nullo probabili signo intentionem manifestaverit, hanc hypothesim praetermittit. Forte quis dicet id consulto omissum esse, ut ex silentio colligatur non licere tunc baptismum; sed forte quis magis rationabiliter putabit, id consulto omissum esse, ne praeiudicium inferretur praedictae quorumdam opinioni.

Obiici quoque potest infidelem non posse habere attritionem supernaturalem, eo quod, cum Deum solo naturali lumine noverit, fide supernaturali careat. Ad hanc difficultatem, quae ceteroquin non attingit iudaeos, mahumetanos innumerosque ethnicos in regionibus plus minusve cultis viventes, qui notitiam habent de revelatione exsistentiae Dei, cum qua iam possunt supernaturaliter credere (Wirceb., *De virtut. theol.* VIII, disp. 1, c. 1, art. 2; Mazzella, *De gratia* c. 2; Lehmk. I, n. 386), potuisset olim ex quorumdam doctrina responderi, mentem ethnici Deum per creaturas cognoscentis elevari posse a Deo ad aliam cognitionem supernaturalem eiusdem per creaturas (Ripalda, *De ente supern.* l. 1, d. 20 63), et per hanc fidem latam disponi ad iustificationem. Sed quoniam nunc constat ex prop. 23 dam. ab Innoc. XI, quod fides lata non sufficit, respondemus, quod difficultas proposita non probat baptismum huius hominis fore *invalidum* seu non deleturum peccatum originale et characterem non causaturum, sed ad summum probat, quod deficientibus dispositionibus requisitis ad iustificationem non erit *fructuosus*. Atqui forte illae dispositiones non deficiunt, nam variis secretis modis potuit ille homo a Deo disponi; de qua re cf. Bucceroni, opusc. *Comment. de auxil. suffic. infidelibus dato;* Card. Billot, *La Providence de Dieu etc.* in ephem. *Etudes* (1919-1923).

h) **De iterum baptizandis sub condicione.** Quale quantumve dubium requiratur et sufficiat ad baptismum iterum sub condicione conferendum, diximus in n. 472[1]. Superest nunc ut de particularibus quibusdam casibus dicamus. 489

Infantes expositi et inventi « nisi, re diligenter investigata, de eorum baptismo constet, sub condicione baptizentur » (can. 749). Nec fidendum, si infans repertus fuerit cum scheda attestante baptismum; potuit enim malitiose apponi ad baptismum vitandum, vel saltem non constabit quam fidem mereatur et praesertim, an baptismus rite collatus fuerit[2].

Baptizati ab obstetricibus aliisve laicis non illico rebaptizandi sunt, sed res examinanda. Interrogetur proinde ipse qui baptizavit, in eius defectu ii, qui baptismo adstiterunt[3]. Sed nisi liquida sit certitudo de rite dato baptismo, ad sacramentum iterandum propendi debet[4].

---

[1] Generalis quaedam regula eruitur quoque ex his verbis *S. Off.* 20 iun. 1866: « Non quaecumque levis in contrarium suspicio vel scrupulus sufficit ad hoc, ut sub condicione quis iterum baptizetur, sed omnino requiritur probabilis dubitatio, quae, facta etiam diligenti indagine, discuti nullo modo possit » (*A.S.S.* XXV, p. 259).

Hinc quando agitur de dubio *facti*, investigatio diligens instituenda est ad comperiendum, utrum baptismus valide an invalide collatus fuerit; nec licet propter generale quoddam motivum, v. gr. propter ignorantiam laicorum aut generalem incuriam in quadam regione, omnes promiscue, omni praetermissa investigatione, rebaptizare, sed necesse est ut vel investigatio moraliter non sit possibilis, vel ea moraliter peracta dubium depelli non potuerit. Cf. *Synod. Pudch.* in *Coll. Lac.* VI, col. 656, cum correctione facta a *S. Sede* in col. 661; item cf. III, col. 461.

In magnis urbibus, ubi dominatur incredulitas et religionis desidia, facile evenire potest, ut post paucas investigationes iam pateat, ob malam voluntatem eorum, qui interrogandi essent, vel alias ob causas examen aut omnino institui non posse aut sine ulla dubii illustratione certo fore; id iam in similibus adiunctis agnovit ipsa *S.C. de P.F.* (cf. *Coll. Lac.* VI, col. 699); ideo *S. Off.* perquisitionem dixit faciendam esse « pro tempore et locorum ratione » (*A.S.S.* XXV, 260), seu, ut ait Lehmk. n. 27 nota, « prout adiuncta ferant ». Cf. Gén.-S. cas. 625.

[2] Cf. *Synod. Neogranat.* anno 1868 a S. Sede approbatam, (*Coll. Lac.* VI, col. 501).

[3] Iuxta can. 742, § 1 « quatenus fieri potest, adhibeantur duo testes vel saltem unus. *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 501 vult ut obstetrix adhibeat, quoad fieri possit, duos testes, qui verba audiant, ac matrem praesertim.

[4] Quam difficilem oporteat se praebere in admittenda certitudine de rite collato baptismo, luculenter eruitur ex instructione, quam *S.C. de P.F.* 8 sept. 1869 transmisit ad Vicarios Apostolicos Indiarum Orientalium, aiens missionarium debere ordinarie baptismum iterare, « si non adsint duo testes, qui testificare possint eum fuisse legitime collatum » a catechista, quem aliunde « missionarius semel saltem singulis annis examinat » (*Coll. Lac.* VI, col. 670), « ordinarie », id est, nisi attenta peritia et probitate catechistae « nullum prorsus probabile dubium oriatur » (ibid.).

Simile criterium sequi licet circa baptizatos ab obstetricibus

Baptizati ab haereticis valide baptizati sunt, si debita materia et forma cum necessaria intentione[1] fuit adhibita; non sunt igitur rebaptizandi, nisi de invaliditate exsurgat dubium probabile, quod moraliter depelli non possit[2]. Res igitur in singulis casibus examinanda est.

---

aliisve laicis (assentitur VERM.-CREUS. n. 38); timor enim, qui quoad catechistas ibi exsurgit ex nativa ingenii tarditate, concipi potest pariter diebus nostris ex tam communiter insufficienti instructione circa religionem. Sufficienter tamen fidem faceret « unus testis omni exceptione maior » (can. 779).

Quin immo teneri potest regula *Conc. Prov. Lugdun.*, cuius statuta approbavit *S. Sedes* anno 1851: « Attenta hodierna fidei imminutione, volumus ut quando baptisma ministratum fuerit ab obstetricibus aut aliis laicis, communiter sub condicione denuo ministretur, cum experientia teste certitudo moralis de validitate sacramenti sic collati vix acquiri possit; secus tamen, si sacerdos de hac validitate certior evaserit » (*Coll. Lac.* IV, col. 479). Similia *Conc. Prov. Burdigal.* eodem anno (ibid. col. 568).

[1] Intentio debita praesumenda est, nisi specialis ratio habeatur in contrarium, quia, *per se loquendo*, error quoad effectus baptismi non excludit intentionem faciendi quod facit Ecclesia. Sic quamvis haeretici credant effectum nullum habere in animam, immo etsi id declarent antequam baptismum ministrent, hunc tamen valere respondit *S. Off.* 18 dec. 1872 (*A.S.S.* XXV, p. 246). Id intellige « per se loquendo », id est, error ille « per se » non inficit intentionem, facile tamen potest inficere praxim; nam, ut advertit *S.C. de P.F.* 26 iul. 1845, « cum baptismi necessitatem negent, ritum fere contemnunt, atque idcirco baptizare recte dubitantur aut nullo modo creduntur » (*Coll. Lac.* VI, col. 662).

[2] *S.C.C.* 27 mart. 1683, *S. Off.* 6 apr. 1859 (*A.S.S.* XXV, p. 258). Et *S. Off.* 20 nov. 1878 hanc normam dedit: « In conversione haereticorum, a quocumque loco vel a quacumque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine: — si compertum fuerit aut nullum aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute. — Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub condicione secreto baptizentur. — Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem fidei » (*A.S.S.* XXV, p. 260, XVI, p. 416). Hanc S. Sedis instructionem suis statutis incorporavit *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 504. — Vide dicenda in nota sequenti et reliqua quae dicuntur supra in textu.

Quaesitum fuit a S. Sede an, *quando baptismi collatio ignoratur* nec quidquam de eo sciri potest, is recte praesumeretur non collatus in tribus sequentibus casibus: 1° si parentes pertinuerant ad sectam quae baptismum respuat; 2° si ad sectam, quae infantium baptismum non admittit, seu in qua non confertur nisi adultis trigesimum annum adeptis, ut in secta baptistarum; 3° si dum in vivis essent, professi sint se nolle ad ullam sectam pertinere, seque Ens supremum honestis potius, ut aiunt, moribus quam speciali aliquo cultu honorare. Affirmative respondit *S. Off.* 1 aug. 1883. — Atque, ut eruitur ex eodem resp., in praedictis casibus tanta exsurgit praesumptio de non collato baptismo, ut matrimonium (cui secus semper praesumptio favet) sic contractum sine dispensatione cum parte catholice baptizata censeri debeat nullum; proinde in his casibus baptismus iterandus esset absolute.

Attamen per huiusmodi examen difficulter quidquam certum obtinebis, tum quia non semper haeretici sacramenti essentialia servant[1], tum quia, an de facto rite servata fuerint, testes

---

[1] Haereticorum baptismus iure merito valde suspectus esse debet. Nam:

1° *Quarumdam sectarum ritualia non praescribunt baptismum validum*, seu cum necessaria applicatione materiae et formae. Cf. VACANT, *Dictionn. de Théol.* v. Baptême, col. 328-337; *S. Off.* 17 nov. 1830 in *A.S.S.* XXV, p. 258.

2° *Saepe in praxi essentialia negligunt.* Sufficiet sequentia testimonia attulisse:

a) Apud catholicos Statuum Foederat. Americae generalis persuasio est baptismum ab acatholicis collatum (si illos Anglicanos, qui Ritualistae audiunt, excipias) dubie validum esse (*A.S.S.* XIII, p. 457). De praedictis Stat. Foeder. ait LEHMK. n. 27 nota, se idem sentire, addens quod « ne ipsi quidem earum sectarum episcopi, qui secundum rituales suas leges omnia in baptizando necessaria servare debeant, re ipsa essentialia servant, ut aliorum relatione compertum habeo ». Hinc concludit praeclarus auctor: « numquam haberi (in illa regione) sufficientem certitudinem baptismi rite collati, nisi forte in singulari casu habeas testes *catholicos* fide *omnino* dignos, qui tamquam testes *de visu* certo affirment, hoc et illo modo se vidisse baptismum hunc particularem conferri. Immo ita in dies magis crescit sive infidelitas sive etiam apud bonae fidei acatholicos incuria, ut nunc idem dici debeat fere ubique. »

b) Quod haeretici, saltem multis in locis, vel aquam rosaceam honoris causa adhibeant, vel unus verba proferat dum alius aquam infundit, vel ratione frigoris solas vestes aspergant, reperies apud LUGO, *Resp. mor.* l. 1, dub. 2; LACROIX, *De Bapt.* n. 323; BENED. XIV, *De Syn. Dioec.* l. 7, c. 6, n. 7; S. ALPH. n. 137; *Conc. Prov. Albien.* (in Gallia) a. 1852 (*Coll. Lac.* IV, col. 432). Consule etiam deliberationes Episcoporum germanorum in *Coll. Lac.* V, col. 1048-1051, ubi quidam eorum testantur, quod in sua dioecesi, etsi haeretici ritualibus irreprehensibilibus utantur, baptismum nihilominus administrat quisque prout sibi libet. Denique *S.C. de P.F.* 26 iul. 1845 eadem admittit circa « Socinianos, Methodistas, Quakeros et forte alios, qui cum baptismi necessitatem negent, ritum fere contemnunt atque idcirco baptizare recte dubitantur aut nullo modo creduntur » (*Coll. Lac.* VI, col. 662).

c) Hisce de causis « frequenter ab Episcopis Galliae et Germaniae baptismus condicionatus imponitur protestantibus conversis (validus tamen habetur in Scandinavia baptismus collatus a Lutheranis eiusdem regionis) ». (MOREL ap. VACANT, *Dictionn. de Théol.* v. Baptême, col. 335-336). Immo *Conc. Prov. Albien.* (in Gallia) a. 1852 normam adoptavit « baptizandos esse sub condicione infantes ab haereticis nostrorum temporum baptizatos, nisi in aliquo particulari casu compertum haberetur sacramentum fuisse legitime collatum » (*Coll. Lac.* IV, col. 432). Pariter *S.C. de P.F.* 26 iul. 1845 ad *Syn. Pudch.* aiebat: « Baptizatos ab hodiernis haereticis denuo a catholicis baptizari non est imprudens nec insuetum, propter haereticorum incertam et suspectam praxim » (*Coll. Lac.* VI, col. 662). Eadem ferme *Synodus Neogranat.* a. 1868 in suis decretis a S. Sede approbatis (*Coll. Lac.* VI, col. 501). Similia in

interrogari deberent, quibus cum haeretici sint, haud facile plena fides haberi potest [1].

Hinc *S. Sedes* a. 1845 hoc statutum approbavit *Synodi Pudcher.*: « Iuxta usum generatim exceptum omnes, qui a pseudo-ministris protestantibus, quidquid de istorum dotibus et opinionibus praedicetur, baptizati sunt, sub condicione rebaptizandi sunt. Hoc ita statuitur eo, quod merito e multis rationibus dubitatur..... de praxi diversarum sectarum, quae ex reformatione prodierunt. » Item anno 1852 hoc statutum approbavit *Concilii Prov. Senonen.* in Gallia: « Quoad eos, qui ab haereticis baptizati fuerint, sub condicione baptizentur, nisi constet rectam baptizandi formam servatam esse » [2].

Schismaticorum libri rituales administrationem baptismi recte praescribunt [3]. Nihilominus etsi schismatici sacerdotes in quibusdam locis sufficienter instructi sunt, plerumque tamen adeo misere sunt exculti [4], ut nolimus eum reprehendere, qui cum nihil in casu particulari compertum haberet, nollet eis magis fidere quam laicis mediocriter instructis et sollicitis, ideoque postquam investigationem pro adiunctorum ratione fecisset et certitudinem moralem comparare non potuisset, vel

---

instruct. *S. Off.* 4 febr. 1885 ad Visitatorem Coptorum, ut refert Lehmk. n. 27 nota. Similia quoque *Syn. Pudcher.* et *Conc. Prov. Senonen.*, quorum verba recitantur supra.

d) Ad finem adde, quod ipsa haereticorum intentio non ab omni suspicione eximitur. Illa enim persuasio, quam multi eorum habent, baptismum effectu carere in anima, vereri facit ne verba non magis intentione concionatoria proferant quam operatoria (cf. Lugo, *Resp. mor.* l. 1, dub. 2, n. 3). Nec illud omittendum, quod aliquando auditi sunt petere a parentibus, utrum prolem velint catholice baptizari an lutherane (Lacroix l. 6, n. 323).

[1] Nisi forte ipse baptizatus id plene testari possit, si sacramentum suscepit in adulta aetate.

[2] *Coll. Lac.* VI, col. 656 662, et IV, col. 889.

[3] Difficilius quam circa baptismum haereticorum de invaliditate suspicari licet, et proinde diligentius attendendum in casibus particularibus. Circa baptizatos a schismaticis Abyssiniae cf. instructionem *S. Off.* 20 iun. 1866 (*A.S.S.* XXV, p. 259).

[4] De eorum inferiore condicione et cultura cf. Janin, *Les églises orientales* p. 164 seqq. 178 190 201 212 et ita passim; ephem. *Etudes relig.* LXXV (1898), p. 733-734 et opera ibidem ad calcem citata; ephem. *Razón y Fe* X, p. 500-510; Vacant in *Dictionn. de Théol.* v. Constantinople col. 1480-1481 1488; *Catholic Encyclop.* v. Abyssinia p. 78, v. Greek Church p. 769. Non imprudenter igitur eis caeca denegaretur fides, eo vel magis quod crescit in dies schismaticarum ecclesiarum propensio ad quasdam sectas haereticas, quarum doctrina non parum imbuuntur; cf. ephem. *Etudes relig.* LXXV (1898), p. 735-738, CLXV (1920), p. 5 146, CLXX (1922), p. 527-528.

si investigatio fieri non posset, regulam circa baptismum a laicis collatum applicaret et baptismum sub condicione iteraret[1].

Qui diversi sexus esse putatus est, valide omnino baptizatus est, siquidem minister praesentem, quisquis sit, baptizare intendit. Nulla ergo difficultas de validitate baptismi exsurgere potest eo, quod quis in libris baptizatorum ut mas vel femina erronee inscriptus fuerit.

Art. 5. Caeremoniae aliaeque praescriptiones servandae.

a) **Ritu** parentum proles baptizari debet; ritu unici paren- **490**
tis catholici, si unus tantum eorum catholicus est. Quod si alter parentum pertineat ad ritum latinum, alter ad orientalem, proles ritu patris baptizanda erit, nisi aliud iure speciali cautum fuerit (can. 756).

b) **Caeremoniae** in ritualibus libris praescriptae servandae sunt *in baptismo sollemni;* sollemniter autem baptismus semper conferendus est extra mortis periculum (can. 755, § 1). Potest tamen loci Ordinarius gravi et rationabili de causa indulgere ut caeremoniae praescriptae pro baptismo infantium adhibeantur in baptismo adultorum[2] (can. 755, § 2).

Grave esset caeremoniam notabilem omittere, v. gr. salivae et salis impositionem, unctionem chrismatis vel olei catechumenorum. Quod si gravis causa impediat aliquam adhibere, observentur ceterae et, quae omissae sunt, deinde suppleantur. Ideo si propter defectum oleorum differendus esset baptismus infanti plusquam decem aut undecim dies, sentit *S. Alph.*[3] posse, propter multa pericula in illa aetate impendentia, conferri sacramentum omissis unctionibus et has postea suppleri.

Utendum est pollice ad salivam applicandam. Unctio, si persona nimis densam capillaturam habeat, fieri potest in summa fronte prope capillos, vel secernantur capilli verticis, ut chrisma possit cutem aliquantulum tangere.

In mortis periculo baptismum conferre licet privatim seu absque caeremoniis. Si minister nec sacerdos est nec diaconus,

---

1 Annuere videtur LEHMK.; nam regulam, quae circa baptizatos ab haereticis, eamdem teneri posse circa schismaticos, videtur significare n. 27 nota, dum vocibus utitur « heterodoxi, acatholici ». Et circa schismaticos Africae et Syriae facile putanda est versari instructio (quam consulere non potuimus), quam citat LEHMK. ibid., ad Visitatorem Coptorum.

2 Igitur iuri communi incorporata est facultas quam nonnisi gravi de causa concedendam tribuerat LEO XIII const. « *Trans Oceanum* » Episcopis Americae Latinae; cf. *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 499.

3 S. ALPH. n. 141.

nihil aliud facere debet, nisi quod necessarium est ad baptismi validitatem; sed si est sacerdos aut diaconus, addere debet, si tempus adsit, caeremonias quae baptismum sequuntur (can. 759, § 1).

Caeremoniae quavis ratione praetermissae quamprimum in ecclesia supplendae sunt (can. 759, § 2). Hae reservantur parocho, etsi ab alio baptismus privatim collatus fuerit[1].

In baptismo condicionato caeremoniae, si in priore baptismo omissae fuerunt, supplendae sunt; si fuerunt adhibitae, repeti vel omitti possunt (can. 760).

Haereticis, qui in adulta aetate sub condicione baptizantur, Ordinarius loci permittere potest, ut privatim seu absque caeremoniis baptizentur (can. 759, § 2).

491 *c*) **Locus** proprius baptismi sollemnis administrandi est baptisterium in ecclesia vel oratorio publico[2] (can. 773), atque hunc locum servare praeceptum grave est[3].

« Si ad ecclesiam paroecialem, aut ad aliam quae iure fontis gaudeat, baptizandus, propter locorum distantiam aliave adiuncta, sine gravi incommodo aut periculo, accedere aut transferri nequeat, baptismus sollemnis a parocho conferri potest et debet in proxima ecclesia aut oratorio publico intra paroeciae fines, licet haec baptismali fonte careant » (can. 775).

Si infans nequeat ad ecclesiam deferri sine periculo infamiae parentum aut gravi damno valetudinis, poterit Ordinarius concedere ut sollemniter baptizetur domi, in sacello domus aut saltem in aliquo decenti loco et cum aqua consecrata[4]; idem dic, quando missionarii in regionibus procul ab ecclesia baptismum de consensu Ordinarii domi administrant[5].

d) **Materia in baptismo sollemni** adhibenda, est *aqua ad hoc benedicta* (can. 757, § 1), idque obligat sub gravi[6]. *Sacra*

---

1 Verm.-Creus. n. 23; Lehmk. n. 91.

2 « § 1. In domibus privatis baptismus sollemnis administrari non debet, nisi hisce in adiunctis: 1° Si baptizandi sint filii aut nepotes eorum qui supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, quoties isti id rite popoposcerint; 2° Si loci Ordinarius, pro suo prudenti arbitrio et conscientia, iusta ac rationabili de causa, in casu aliquo extraordinario id concedendum censuerit. — § 2. In memoratis casibus baptismus conferendus est in sacello domus aut saltem in alio decenti loco, et aqua baptismali de more benedicta » (can. 776).

3 S. Alph. n. 142.

4 Can. 776; S. Alph. n. 142.

5 *S.R.C.* 4 febr. 1871.

6 S. Alph. n. 141.

Si aqua in baptisterio nimis sit imminuta, alia non benedicta admisceri potest, etiam iterato, minore tamen copia (can. 757, § 2).

olea debent esse ab Episcopo benedicta in Hebdomada Maiori proxime praecedenti, nec possunt vetera adhiberi, nisi necessitas urgeat[1] (can. 734, § 1).

e) **Patrinus,** quatenus fieri possit, adhiberi debet, unus tantum, licet sit diversi sexus a baptizando; ad summum adhiberi possunt unus et una (can. 762, § 1, et 764). — *Cognationem spiritualem*[2] cum baptizato contrahunt baptizans et patrinus, atque hi tantum[3] (can. 768). Quando per procuratorem patrini munus quis adimplet, is, non procurator, cognationem contrahit. — *Munus patrinorum* est « spiritualem filium perpetuo sibi commendatum habere, atque in iis, quae ad christianam vitae institutionem spectant, curare diligenter ut ille talem in tota vita se praebeat, qualem futurum esse sollemni caeremonia spoponderunt » (can. 769). Obligantur igitur instruere filiolum, nisi prudenter praesumere possint eum a parentibus sufficienter instrui. 492

Ut quis valide patrinus sit, necesse est, ut « 1° Sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi; 2° Ad nullam pertineat haereticam[4] aut schismaticam sectam, nec sententia condemnatoria vel declaratoria sit excommunicatus aut infamis infamia iuris aut exclusus ab actibus legitimis, nec sit clericus depositus vel degradatus; 3° Nec sit pater vel mater vel coniux baptizandi; 4° Ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro sit designatus; 5° Baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratores physice teneat aut tangat vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis » (can. 765).

Si igitur patrinus infantem, dum is baptizatur, non tenet, sufficiet ut physico infantis contactu, manu ei superimposita vel supposita, se iungat cum eo, cuius manibus geritur, vel

---

1 Mox deficiente oleo benedicto, aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia (can. 734, § 2). Olea sacra asservari debent in ecclesia, non domi sine Ordinarii licentia, et quidem sub clavi, in loco tuto et decenti (can. 735).

Concessit *Amer. Latinae* Leo XIII const. « *Trans Oceanum* » 18 apr. 1897, ad triginta annos, « ut adhiberi possint Sacra Olea etiam antiqua, non tamen ultra quatuor annos, dummodo corrupta ne sint, et peracta omni diligentia, nova vel recentiora Sacra Olea haberi nequeant. »

2 Haec cognatio constituit impedimentum matrimonium dirimens, ut suo loco dicetur.

3 Antea cognatio contrahebatur quoque cum parentibus baptizati, sed id iam novo iure sublatum est.

4 Quando solus haereticus adesset, qui munus patrini praestare posset, conferendum potius est baptisma sine patrino. *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 505.

ut protinus post baptismum suscipiat illum de sacro fonte vel de manibus baptizantis. Physicus huiusmodi contactus requiritur, etsi baptizandus sit adultus, qui ex se ipso sustentetur.

Ut quis licite patrinus admittatur, necesse est, ut « 1° Decimum quartum suae aetatis annum attigerit, nisi aliud iusta de causa ministro videatur; 2° Non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, nec sit interdictus aut alias publice criminosus vel infamis infamia facti[1]; 3° Fidei rudimenta noverit; 4° In nulla religione sit novitius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur venia Superioris saltem localis; 5° In sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia[2] » (can. 766).

In dubio utrum quis valide vel licite admitti possit, consulatur Ordinarius, si tempus suppetit (can. 767). Si tempus non suppetit et nullo modo parochus possit aliquem repellere, videat an velit acceptare munus testis loco patrini; si nolit et incommodum serium timeatur, eum toleret.

In baptismo etiam privato adhibeatur patrinus, si facile haberi queat; si in baptismo privato adhibitus non fuit, adhibeatur postea in supplendis caeremoniis, sed in hoc casu nullam contrahit spiritualem cognationem (can. 762, § 2). An cognatio contrahatur in baptismo privato, dicemus suo loco, ubi de impedimentis matrimonii.

In baptismo condicionato « idem patrinus, quatenus fieri possit, adhibeatur, qui in priore baptismo forte adfuit », et si non adhibetur idem patrinus, alius non est necessarius (can. 763, § 1). Propter baptismum, qui sub condicione iteratur, neque patrinus qui priori baptismo adfuit, neque alius qui forte adhibetur in posteriori, cognationem spiritualem contrahit, nisi idem sit qui in utroque adhibitus fuerit (can. 763, § 2).

493 *f*) **Aliae praescriptiones** observandae sunt. Imprimis enim si agitur *de baptismo adultorum*, « tam sacerdotem[3] qui adultos baptizaturus est, quam ipsos adultos qui sani sint, decet esse ieiunos » (can. 753, § 1), quibus verbis obligationem aliquam, tametsi levem, significari putat *Blat*[4], eique assentimur.

---

1 V. gr. qui publice sciuntur in matrimonio civili vivere; *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 505. Sed minime excludendi sunt, secluso speciali statuto, qui annuam confessionem et communionem negligunt (Ferr. n. 332).

2 Sed ex *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 505: « Nullus clericus sine Episcopi licentia... munus patrini suscipiat. »

3 Etiam Episcopum, si ipse baptizat.

4 Blat, *Comment. text. iur.* III, p. 43.

Praeterea, « nisi graves urgentesque causae obsint, adultus baptizatus statim Missae sacrificio assistat et sacram communionem percipiat » (can. 753, § 2), quibus verbis obligatio gravis videtur contineri. Putamus Missam eodem die post baptismum esse audiendam (seu die sequenti, si baptismus collatus fuit vespere), posse tamen ex aliqua mediocri causa ad unum alterumve diem, non amplius, differri; pariter communionem, si ob infirmitatem eo die ieiunium servari non potuit, quamprimum suppleri debere. De cetero huiusmodi obligationes de baptismo absolute collato accipiendae sunt, non de sub condicione iterato.

Sale a catechumenis praegustato, etsi videatur ieiunium frangi, tamen nullum dubium est, quin adulti ad communionem admitti possint et debeant [1].

Interrogationes, quae ex praescripto *Ritualis* patrinis faciendae sunt, latine fieri debent, nec licet caeremonias interrumpere ad eas explicandas; licet tamen post latinam interrogationem eamdem repetere sermone vulgari; patrini possunt recitare *Pater* et *Credo* lingua vernacula, dum parochus ea recitat latino sermone, itemque responsa dicere lingua vernacula [2].

Nomen christianum imponatur ei, qui baptizatur; quod si id parochus consequi non possit, nomini a parentibus imposito addat nomen alicuius Sancti et in libro baptizatorum utrumque nomen perscribatur [3] (can. 761).

g) **Adnotatio baptismi.** Collato baptismo debet parochus « nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus, patrinis, de loco ac die collati baptismi, in baptismali libro [4] sedulo et sine ulla mora referre » (can. 777, § 1), vel ea in libro aliena manu descripta suo nomine subscribere. In eodem libro baptizatorum adnotari debent suo tempore, prout suis locis dicimus, baptizati confirmatio, sollemnis religiosa professio, subdiaconatus, matrimonium, si occurrerint, eaque parochus referre debet in attestatione baptismatis, quandocumque ab eo postulatur [5].

---

1 S.C. *de Prop. Fide* 13 febr. 1806.

2 *S.R.C.* 21 iun. 1879, 30 dec. 1881, *S. Off.* 23 aug. 1886. Eadem refert *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 500.

3 « Piam et laudabilem consuetudinem benedicendi mulieres post partum servandam curent Ordinarii, ad formam *Ritualis Romani*: et ubi obsoleverit, instauretur. Ad huiusmodi tamen benedictionem ius tantum habent mulieres, quae ex legitimo matrimonio pepererunt, etiamsi proles mortua fuerit antequam baptismum susceperit. » *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 509.

4 Minime in solutis schedulis. *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 507.

5 Monet *Rituale Rom.* tit. 10, c. 2 (edit. 1913), p. 328 librum baptizatorum habendum esse in omnibus ecclesiis, in quibus con-

« Si baptismus nec a proprio parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister de ipso collato quamprimum proprium ratione domicilii parochum baptizati certiorem reddat » (can. 778).

---

fertur baptisma, atque ibidem, c. 3, formam tradit describendi baptizatos, cum variationibus et additionibus eidem formae inserendis, si infans fuerit illegitimus, si expositus, si domi in mortis periculo baptizatus, si caeremoniae suppletae sunt, si alius sacerdos baptizaverit, si baptismus fuit condicionatus.

Monet etiam *Rituale*, ut si infans est illegitimus, nomen parentis, de quo constat, scribatur, omnis tamen infamiae occasionem vitando; vel dicantur parentes ignorari, si de neutro constat. Haec ita expressius declarat can. 777, § 2: « Ubi vero de illegitimis filiis agatur, matris nomen est inserendum, si publice eius maternitas constet, vel ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris, dummodo ipse sponte sua a parocho vel scripto vel coram duobus testibus id requirat, vel ex publico authentico documento sit notus; in ceteris casibus inscribatur natus tamquam filius patris ignoti vel ignotorum parentum. » Quaesitum fuit, an in hoc canone verbum « illegitimi » omnes omnino comprehendat illegitime natos, etiam adulterinos, sacrilegos etc.; responditque *Comm. I. C.* 14 iul. 1922 « nomina parentum ita inserenda esse, ut omnis infamiae vitetur occasio; in casibus vero particularibus recurrendum esse ad *S.C. Concilii.* » Saepe sufficiet recurrere ad Ordinarium.

TRACTATUS III.

DE CONFIRMATIONE

a) **Materia remota** huius sacramenti est chrisma, con- **494**
fectum ex oleo (olivarum) et balsamo (immixto in ea quantitate, ut det odorem sui) et consecratum ab Episcopo (idque requiritur ad validitatem).

Sub gravi requiritur, ut chrisma sit in die Coenae proxime praecedenti consecratum; valide tamen conferretur confirmatio cum chrismate vetere [1].

b) **Materia proxima** est unctio per impositionem manus ministri in capite confirmandi. Igitur impositio manus in capite, quae fit in unctione, est materia proxima partialis, ideoque unctio nequit fieri aliquo instrumento (can. 781).

Unctio facienda est cum pollice dextero per modum crucis in fronte confirmandi; valida tamen esset unctio cum alio digito praeter pollicem manus dexterae, sed extra necessitatem esset leviter illicitum.

Essentiale habetur quod fiat in fronte; essentiale erit quoque quod fiat ad modum crucis, si verba « signo te signo crucis » pertinent, ut multi volunt, ad essentiam formae [2]; aliter enim non verificarentur.

c) **Forma** est: « Signo te signo crucis et confirmo te chrismate salutis in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. » [3]

---

1 Pro *Amer. Lat.* cf., sis, const. Leon. XIII « *Trans Oceanum* » 18 apr. 1897 in Append. ad *Conc. Plen. Am. Lat.* p. 610, n. III IV.

2 De hac re cf. S. Alph. n. 168.

3 « Confirmandus tempore confirmationis, quando Episcopus dicit: *N., signo te signo crucis etc.* praeter nomen suum baptismale potest aliud nomen Sancti sibi imponi curare. Immo, si de nominis impositione peccatum fuit in collatione baptismi, illud Episcopus mutet, et nomen imponat, quod homini christiano congruat. » *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 517.

495 *d*) **Minister** confirmationis *ordinarius* est solus Episcopus (can. 782, § 1).

Is in sua dioecesi potest sacramentum quibuslibet ministrare, nisi circa extraneos proprius eorum Ordinarius obstiterit; in aliena dioecesi potest etiam ministrare quibuslibet, sed cum licentia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta; nulla tamen licentia indiget ut suos subditos confirmet privatim ac sine baculo et mitra (can. 783).

Si Ordinarius impeditus fuerit, providere debet ut saltem intra quodlibet quinquennium suis subditis confirmatio administretur (can. 785, § 3).

Minister *extraordinarius* est presbyter, cui vel iure communi vel peculiari Sedis Apostolicae indulto ea facultas concessa sit[1] (can. 782, § 2).

Presbyter, nisi alias usum Pontificalium ex privilegio habeat, non potest in collatione sacramenti confirmationis sedere[2].

Presbyter latini ritus, si confirmandi facultatem habet ex indulto, in quo aliud cautum non fuerit, nequit valide confirmare fideles alius ritus (can. 782, § 4).

e) **Subiectum** validae confirmationis est omnis et solus baptizatus nondum confirmatus. Ad validitatem in adultis requiritur intentio, ad liceitatem praeterea status gratiae (n. 477 478), et ideo valde conveniens est, ut praemittatur sacramentalis confessio[3]. In amentibus sufficit status gratiae praesumptio, si quando ratione usi sunt.

Sat communis theologorum sententia fuit non dari obligationem gravem sacramentum hoc suscipiendi[4]; quorum sententiae stari adhuc potest, cum can. 787 dicat tantum « nemini licere, oblata occasione, illud (sacramentum negligere ».

---

1 Sacerdos simplex nequit valide confirmationem conferre, nisi ex delegatione Summi Pontificis (Wirceb. diss. 2, c. 1, a. 2). Hanc delegationem nunc quidam habent datam ab ipso iure, nempe « Praeter S. R. E. Cardinales, Abbas vel Praelatus nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus, qui tamen ea valide uti nequeunt, nisi intra fines sui territorii et durante munere tantum » (can. 782, § 3). In suo autem territorio confirmare possunt etiam extraneos, nisi id eorum Ordinarius expresse prohibuerit (can. 784).

2 *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 518.

3 Ita *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 513, eam tamen non iniungit.

4 Statum quaestionis vide, sis, apud S. Alph. n. 181, etsi praedictam plerorumque theologorum sententiam ipse (et cum eo alii posteriores) amplecti renuerit, motus quadam Benedicti XIV bulla, cuius tamen verba contrariam sententiam non evincunt, ut probat Lehmk. n. 140-142. Nostris adhuc temporibus illiusmodi obligationem gravem non esse docuerunt sat multi, quos refert Ferr. n. 358. Aliunde Codex nullam novam obligationem in hac materia imposuit.

« Confirmationis administratio convenienter in Ecclesia Latina differtur ad septimum circiter aetatis annum; nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur » [1] (can. 788).

Commendat can. 789 ut « confirmandi, si plures sint, adsint primae manuum impositioni seu extensioni, nec nisi expleto ritu discedant » [2].

Quovis tempore confirmatio conferri potest, maxime tamen decet illud administrare in hebdomada Pentecostes (can. 790). Nihil refert quod confirmandus non sit ieiunus, ideo invaluit mos confirmandi etiam vespere.

Locus proprius est ecclesia (can. 791); extra eam tamen confirmare non esset grave [3]. Ipse can. 791 addit quod « ex causa, quam minister iustam ac rationabilem iudicaverit, potest hoc sacramentum in quolibet alio decenti loco conferri ».

f) **Patrinus** adhibendus est, si haberi possit [4] (can. 793). 496
Unum tantum patrinum confirmandus habere debet [5]; patrinus quoque unum tantum confirmandum aut duos praesentare potest, nisi aliud iusta de causa ministro videatur (can. 794). *Cognationem spiritualem* contrahunt inter se confirmatus et patrinus [6] (can. 797). *Munus patrini* est, confirmatum sibi perpetuo commendatum habere eiusque christianam educationem curare (can. 797).

---

1 « Servari potest consuetudo, vigens in regionibus nostris, confirmandi scilicet quotquot se praesentant Episcopo, in quacumque aetate constituti. » *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 520. Viget quoque haec consuetudo in *Hispania*. FERR. n. 357.

2 « Caveant confirmandi ne sordida fronte capillisque impexis ad hoc Sacramentum accedant; vestibus tamen sint induti, quemadmodum et patrini, simplicibus et ad modestiam compositis. Mulieres vero illud suscepturae et quae matrinarum officium exercebunt, non cum vanis ornamentis aut fucata facie, sed cum omni modestia et reverentia Ecclesiam adeant. » *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 514.

3 S. ALPH. n. 184.

4 Haec obligatio antea censebatur gravis (S. ALPH. n. 185); nunc vero, in novo iure, tam moderate imponitur, ut sub gravi urgere non videatur.

5 « Quia contingere potest, ut in locis missionum vel in aliis a civitate episcopali valde separatis nullus adsit, qui antea confirmatus fuerit, permittitur in hoc casu, ut aliqui sine patrino confirmentur, qui postea patrini ceterorum esse poterunt. » *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 517.

6 Ex hac cognatione, si forte patrinus et confirmandus diversi sexus fuerint, non oritur iam in novo iure matrimonii impedimentum.

Ut quis valide patrinus sit, necesse est, ut « 1° Sit ipse quoque confirmatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi; 2° Nulli haereticae aut schismaticae sectae sit adscriptus, nec ulla ex aliis poenis alibi (n. 492) circa patrinum baptismi relatis per sententiam declaratoriam aut condemnatoriam notatus; 3° Non sit pater, mater, coniux confirmandi; 4° A confirmando eiusve parentibus vel tutoribus vel, hi si desint aut renuant, a ministro vel a parocho sit designatus; 5° Confirmandum in ipso confirmationis actu per se vel per procuratorem phýsice tangat » [1] (can. 795).

Ut quis licite patrinus admittatur, necesse est, ut « 1° Sit alius a patrino baptismi, nisi rationabilis causa iudicio ministri aliud suadeat, aut statim post baptismum legitime confirmatio conferatur; 2° Sit eiusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus ex rationabili causa videatur; 3° Serventur praeterea ea, quae » alibi (n. 492) dicta sunt, ut quis licite patrinus esse possit in baptismo (can. 796).

g) **Adnotatio confirmationis.** « Nomina ministri, confirmatorum, parentum et patrinorum, diem ac locum confirmationis parochus inscribat in peculiari libro, praeter adnotationem in libro baptizatorum » referendam, ut diximus n. 493 g (can. 798) [2].

« Si proprius confirmati parochus praesens non fuerit, de collata confirmatione minister vel per se ipse vel per alium quamprimum eundem certiorem faciat » (can. 799).

---

[1] « Sufficit ut patrinus ponat manum suam dexteram super humerum dexterum confirmandi, etiam adulti. » *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 517.

[2] Formam describendi confirmatos exhibet *Rituale Rom.* tit. 10, c. 4.

16662

TRACTATUS IV.

DE SS. EUCHARISTIA

Caput 1. DE EUCHARISTIA UT SACRIFICIO

Art. 1. Natura sacrificii Missae.

497 « In sanctissima Eucharistia sub speciebus panis et vini ipsemet Christus Dominus continetur, offertur, sumitur » (can. 801); eiusque sacrificium, sive in eo dicatur *formaliter* consistere, quod Christus, eius corpore et sanguine vi verborum seorsim positis, in statu constituitur mysticae victimae Deo mactatae atque oblatae, sive in eo, quod Christus, impedito omni actu eius vitae humanae connaturali factusque verus cibus et potus, statum induit mysticae exinanitionis destructioni humano modo aequivalentis, realis certe est repraesentatio sacrificii crucis, in qua una eademque est victima, unus idemque qui se obtulit in cruce et nunc se offert per sacerdotum ministerium, sola tantum offerendi ratione diversa. Sed haec ad dogmaticos fusius evolvenda spectant [1].

Nostra quod attinet, *essentia* sacrificii Missae in consecratione utriusque speciei consistit in eaque sola, ut habet sententia multo communior [2]; ibi enim tota ratio formalis sacrificii videtur contineri [3], quin ad eam essentialiter

---

1 Cf. S. THOM. 3, q. 83, a. 1.; SUÁREZ, *De Euch.* d. 75, s. 5; LUGO, *De Euch.* d. 19, s. 5; PESCH., *Prael. dogm.* VI, prop. 89 seqq.; SASSE, *De Sacram.* I, th. 25 seqq.; GIHR, *Das heilige Messopfer* 2. Abschn.

2 Hanc, ait LUGO, *De Euch.* d. 19, s. 41, tenent « innumeri ». Hodie videtur iam fere unica.

3 Quaeres forsan, an tota essentia iam habeatur in unius speciei consecratione. — *Resp.*: Etsi in ea sola iam tota videatur essentia haberi *sacrificii universaliter sumpti*, praesertim in sententia,

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.

complendam exspectanda sit specierum sumptio; cum enim sacrificium consistat in iteratione actionis Christi et communio non huius nomine ponatur, sed celebrantis, ad Missae essentiam pertinere non videtur, etsi certe ad eius integritatem maxime spectet, cum participatio victimae a sacrificante una sit ex potissimis partibus actionis sacrificalis. Contrariae tamen sententiae, quae in sumptione agnoscit victimae immolationem sacrificio essentialem, non denegatur probabilitas [1], praesertim propter eius patronorum auctoritatem, immo eam probabiliorem habuit *S. Alph.* [2].

498 Quare: 1° « *Nefas est, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera consecrare* » (can. 817), nec licet unquam sacrificium relinquere mutilatum post unius speciei consecrationem. Propterea *Miss. Rom.* De defect. monet: « Si post verba consecrationis (sacerdos) advertat vinum non fuisse positum, sed aquam, deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice et consecret, resumendo a verbis *Simili modo*. Si hoc advertat post sumptionem corporis vel huiusmodi aquae, apponat aliam hostiam iterum consecrandam et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque et consecret et sumat, quamvis non sit ieiunus. Vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare ac statim sumere et prosequi cetera.» Hoc ultimum putat *Suárez* cum aliis faciendum esse in omni casu, ne potius fiat novum sacrificium.

2° *Nec relinqui potest sacrificium mutilatum per omissionem communionis.* Ideo si post primam consecrationem tantum vel post utramque corruat in syncopen sacerdos aut moriatur, supplendus est ab alio (etsi non ieiuno, si tamen

---

quae hanc totam verificatam docet in exinanitione Christi cibus potusque facti, certum tamen videtur per eam solam nondum haberi *sacrificium Missae*, hoc enim aliud sacrificium esse non potest, nisi quod Christus Dominus in sui commemorationem peragendum mandavit. Propterea probabiliter tenet Lugo d. 19, s. 8., quod invalide consecraret sacerdos unam speciem, si ab initio intentionem haberet eam solam consecrandi; potestatem enim sibi arrogaret quam non accepit; aliam enim a Christo non accepit nisi ad eius sacrificium commemorandum. Attamen certum est species, seclusa illa intentione, consecrari successive, ideoque primam absolute consecratam iam esse antequam consecretur altera. Cf. etiam Ball.-P., *De Euch.* n. 230.

1 Cf. Lugonem d. 19, s. 3, n. 46-50; Sasse, *De Sacram.* I, thes. 27.

2 S. Alph. l. 6, n. 305.

alius ieiunus haberi non possit) [1], isque Missam prosequetur a loco, ubi alter desierat [2].

Praeterea sacerdos debet sumere ex speciebus a se in eadem Missa consecratis [3]; proinde non potest v. gr. reponere hostiam suam in tabernaculo pro expositione SS.mi et sumere ex aliis praeconsecratis, quae ibi asservantur.

3° *Celebrans si forte inconsecratum reliquit ciborium, aut si dubitat num istud consecratum sit, non potest formam super illud proferre*, quantumvis multi sine communione dimittendi sint; idem enim esset ac novum sacrificium, et quidem cum unius tantum speciei consecratione, attentare [4].

Sacerdos celebrans in hoc sacrificio offerens secundarius **499**
et ministerialis est, principalis vero Christus; sacerdos scilicet personam Christi sustinet et repraesentat, ut patet ex verbis

---

1 Rubr. de defect. X, n. 3.

2 Si ipse celebrans post aliquam interruptionem prosequi posset etsi non ieiunus, melius ipse quam alius sacrificium perficiet. Si non obierit et possit communicare, sacerdos qui Missam supplet, si non adsit alia hostia consecrata, dividat hostiam et unam partem praebeat infirmo, aliam ipse sumat (Rubr. de defect. X, n. 3).

Si spatium unius circiter horae iam effluxerit, non esset obligatio prosequendi, quia non certo adesset iam inter utramque actionem sufficiens unio moralis; prosequi tamen liceret etiam post plures horas (cf. n. 539).

Si sacerdos corruit post primam consecrationem et alter, qui supplevit, propriam applicationem fecit (valide adhuc applicatio fieri potest ante secundam consecrationem), Missa celebrata est ad huius intentionem; si vero propriam non fecit, celebrata est ad intentionem prioris, secundus enim ipsum prioris sacrificium perfecit. Si sacerdos corruit post utramque consecrationem, sacrificium pro prioris intentione applicatum fuit, alter enim partem tantum integrantem posuit; vide tamen dicenda n. 505 de applicatione facta post peractam utramque consecrationem.

Sacerdos qui Missam supplet, prohibetur eo die aliam Missam celebrare. Nec liceret ei ad id evadendum Missam imprimis celebrare et dein supplere; sic enim voluntarie se coniiceret in necessitatem binandi (nam, etsi celebrasset, supplere nihilominus teneretur, si alius praesto non esset, et adhuc urgeret tempus supplendi ex obligatione), ideoque transgrediendi gravem binandi prohibitionem.

3 Id enim proprie est de suo sacrificio participare. Confirmatur idipsum ex Rubr. de defect. loc. cit. Si enim posset sacrificium compleri per sumptionem hostiae in alia Missa consecratae, non praeciperetur, ut corruente celebrante post utramque consecrationem et non impedito ad communicandum, alius sacerdos Missam perficeret; sufficeret enim celebranti dare communionem ex hostiis praeconsecratis, quae asservantur in tabernaculo.

4 Idem asserit Lacroix l. 6, p. 2, n. 243; Lehmk. n. 169; Gén.-S. n. 174 nota; Gury-Ferr., *Casus* II, n. 263.

consecrationis, Christus vero per eum censetur loqui et consecrare. Is igitur est, qui principaliter sacrificat per actionem, quam sacerdos eius repraesentationem legitime gerens ponit.

Sed per celebrantis personam censetur quoque sacrificium offerre Ecclesia; haec enim sacerdotem suum deputat, ut eius nomine sacrificium peragat, quod sibi faciendum commisit Christus.

Denique sacrificium quoque offerunt diaconus ceterive ministri et circumstantes, fideles quoque qui aliquo modo, v. gr. sua stipe, ad sacrificii oblationem active concurrunt; horum enim omnium vice loquitur sacerdos in plurali: «Offerimus tibi, Domine», et alias saepe [1].

Art. 2. Fructus sacrifici Missae.

500 Missae sacrificium omnes fines perfecte explet, pro quibus in Vet. Test. varia instituta erant sacrificia; finem scilicet *latreuticum*, omni sacrificio essentialem, ad testandum supremum Dei dominium in nos et omnia nostra [2]; *eucharisticum*, ad gratias Deo agendas pro acceptis beneficiis; *impetratorium*, ut bona spiritualia atque etiam temporalia, quatenus nobis ad salutem aeternam profutura sint, imploremus; *propitiatorium*, ut placatum nobis Deum reddamus, gratiam poenitentiae et culparum veniam, poenarum debitarum remissionem pro vivis et defunctis obtineamus. Et quoniam hunc ultimum effectum (poenarum nempe remissionem, quas vivi adhuc satisfacere vel defuncti satispati debebant) sacrificium Missae per se ipsum, satisfactionibus Christi Deo oblatis, immediate causat, ideo cum fine propitiatorio *satisfactorium*, atque ex opere quidem operato obtinendum, simul coniungi dicendum est.

Etsi sacrificium Missae infinitam in se dignitatem atque aestimabilitatem habet, ideoque infiniti valoris est intrinsece, suos effectus tamen, quatenus propitiatorium et satisfactorium est, ex opere operato limitate causat, tum propter limitatam hominis capacitatem, tum propter limitatam mensuram [3], nobis

---

1 Suárez, *De Euch.* d. 77, s. 3; Lugo, *De Euch.* d. 19, s. 11; Lehmk. n. 231.

2 Missae igitur sacrificium per se primum institutum est ad adorandum et colendum Deum, quod tamen non obstat, quominus simul in honorem quoque sanctorum offerri possit. Conc. Trid. sess. 22, can. 5.

3 Haec tamen mensura variabilis esse debet pro varia subiecti dispositione; nam pro maiore eius dispositione applicationem proportionate augeri sicut in sacramentis dubitari nequit. Lehmk. n. 249; Lacroix, l. 6, p. 2, n. 60.

tamen ignotam, iuxta quam Deus illud acceptat; nisi enim ita esset, una Missa pro omnibus quibuslibet intentionibus simul satisfaciendis abunde sufficeret [1], nec proinde explicaretur, cur v. gr. pro eodem defuncto plura sacrificia applicarentur, ut habet Ecclesiae et fidelium praxis.

Quibusnam fructus Missae obveniant. Loquimur de fructu impetratorio et propitiatorio seu satisfactorio, qui hominibus redundat ex Missae opere operato, quatenus saltem ex eorum parte obstaculum non sit, propter quod applicatio debeat manere inefficax [2]. **501**

Atque imprimis fructus obvenit *sacerdoti celebranti*, non solum ratione sacramenti sumpti, sed etiam ratione sacrificii oblati. Ipse enim ratione ministerii, quo fungitur, primo loco haberi debet inter populum fidelem, pro quo Missa offertur, nam « debet quemadmodum pro populo, ita etiam et pro semetipso offerre » (Hebr. V, 3), et propterea nequit, saltem sub quodam respectu, alteri transferre hunc fructum, quem alii personalissimum, alii *specialissimum* vel specialem vocant.

Secundo obvenit *ad eos, pro quibus illum sacerdos*, nomine Christi et Ecclesiae sacrificans, determinate ex sua libera intentione *applicat;* hanc enim potestatem habet, ut patet non ex natura solum sacrificii, sed ex praxi etiam et doctrina Ecclesiae, quam Patres et sacrae liturgiae testantur [3]. Illis porro fructus, quatenus propitiatorius et satisfactorius, obvenit limitate, ut diximus, atque ea limitatione ut, iuxta multo communiorem sententiam, si pluribus Missa applicatur, inter eos dividatur et singulis minuatur [4]; quatenus autem impetratorius,

---

1 Unam Missam ad id sufficere, S. ALPH. n. 312 cum aliis probabile, speculative loquendo, immo probabilius habet, quod tamen verum non censemus ob rationem supra adiunctam. Cf. SUÁREZ d. 79, s. 12; LUGO d. 19, s. 12; GÉN.-S. n. 218; LEHMK. n. 249-253. Monet tamen GAUDÉ in sua editione *Theol. Mor. S. Alphonsi* vol. III, p. 293 (ad hunc locum), S. Doctorem sententiam suam mutasse anno 1769.

2 V. gr. impetratio esset inefficax, si applicaretur pro excommunicato vitando (nisi pro eius conversione); pariter ne satisfactio maneat inefficax, opus est, ut is, cui applicanda est, sit in statu gratiae, in quo statu certe sunt animae purgatorii.

3 Cf. quoque prop. 30 *Synodi Pistor.* damn. a PIO VI.

4 Non desunt quidam magno nomine theologi censentes fructum etiam satisfactorium, si pluribus applicetur, non dividi, sed secundum eamdem mensuram, qua uni applicaretur, singulis applicari. Attamen non liceret in applicatione Missae propter probabilitatem huius sententiae plures obligationes ex stipendio adimplendas sub eadem prima intentione complecti; etsi enim probabile esset, quod una intentio nullum praeiudicium ab aliis esset subitura, certum tamen est nolle eum, qui stipendium dedit, ut sua

forte pluribus in eadem mensura ac uni prodesse potest[1]. Fructum hunc vocant *medium* alii, alii specialem.

Denique fructus obvenit *fidelibus omnibus vivis atque defunctis*, quos Ecclesia ab hac communicatione non excluserit; pro iis enim omnibus fit generaliter applicatio nomine Ecclesiae, ut patet ex verbis Offertorii. Hunc fructum *generalem* vocant. Quoad hunc, quatenus impetratorium consideres, dicendum est, quod vi impetrationis pro iisdem omnibus positae ab Ecclesia in singulos dividitur. Vi autem oblationis ab offerentibus positae, in horum offerentium singulos (id est, in ministros ceterosque adstantes) fructus impetratorius independenter obvenit; nimirum pro maiore ipsorum numero singulis non minuitur; cuiusblibet enim actio effectum in ipso causat ad modum causae naturalis, quae minorem effectum non producit, si pluribus applicatur; profecto enim ni ita esset, assistentes ab invicem damnum paterentur, quod nemo dixerit. Fructum autem satisfactorium dari praedictis fidelibus omnibus, vivis atque defunctis, plures negant, ne scilicet, cum limitatus esse deberet, si inter tot communicaretur, vix aliquid singulis applicari posset[2].

502 *Secunda intentio*, si Missa, uti quidam censuerunt, secundum totum suum valorem infinitum applicaretur, nullum praeiudicium inferret intentioni primae. At quoniam fructus satisfactorius iis, pro quibus Missa offertur, limitate obtingit, sacerdos ni velit intentioni primae obesse, secundam ita elicere debet, ut ille fructus secundae obveniat, quatenus de prima supersit (pro fructu impetratorio haec restrictio, ut ex dictis patet, non videtur necessaria). De cetero ita suam intentionem habere censetur, eo ipso quod imprimis seu absolute obligationi sibi commissae satisfacere intendit.

Art. 3. Applicatio Missae.

503 Agimus de applicatione fructus illius medii seu specialis, de quo diximus nuper, quae liberae sacerdotis celebrantis dispo-

---

intentio illud periculum subeat, quod asserit sententia contraria; ideoque certo eius voluntati non satisfit, si non tota prima intentio pro obligatione contracta offeratur, nisi sacerdos intentiones alias adiungat sub hac condicione, quod nihil de intentione dantis detrahatur. Cf. prop. 10 damn. ab Alex. VII. Cf. etiam S. Alph. n. 312; Lugonem d. 19, s. 10 et 11; Sasse, *De Sacram.* thes. 35; Pesch, *Prael. dogm.* VI, n. 931 seqq.

1 Cf. Lehmk. n. 250-254.

2 Cf. Suárez d. 78, s. 2; Ball.-P. n. 239; Gén.-S. n. 217; Lehmk. n. 240.

sitioni concreditur; nam generalem intentionem pro omnibus fidelibus vivis et defunctis ad mentem Ecclesiae celebrandi, habet semper sacerdos, eo ipso quod tamquam eius minister agere intendit[1], illisque proinde fructus generalis semper obtingit.

Si sacerdos nullam particularem faceret applicationem Missae, dicunt aliqui[2] fructum illum medium seu specialem, qui debetur ex oblatione prout facta a Christo principali offerente, inapplicatum manere in thesauro Ecclesiae. Melius alii[3] negant suppositum; nam dicunt sacerdotem habere semper intentionem generalem, ut sacrificium sibi et aliis omnibus prosit quantum possit, eamque satis explicari per illa verba «offero tibi pro innumerabilibus peccatis etc.», ideoque omnibus fructum illum superaddi. Practice ergo ruit obligatio, quam quidam[4] adstruunt eliciendi aliquam intentionem, verentes ne fructus illius applicatio frustretur.

Ut applicatio fiat valide, debet esse: **504**

1° Determinata, determinatione saltem implicita; nam non est necesse ut sacerdos eam cognoscat expresse. Valet igitur, si dicat: «applico pro intentione Superioris (nam, ut supponitur, is suam intentionem determinavit), pro intentione dantis stipendium, pro intentione quam exigit fundatio, pro anima purgatorii maiore ope indigente aut pro magis Deo grata, pro omnibus animabus purgatorii, pro eo cui applicare teneor, pro eo quem initio mensis adnotavi.» At non valet, si dicat: «pro eo cui Deus voluerit applicare[5], vel pro aliquo eorum, pro quibus applicare teneor»; sic enim nihil determinat.

Quando satisfaciendum est pro stipendio proveniente ex aliquo cumulo ab ignotis deposito, v. gr e capsa eleemosynarum pro Missis, potest Missa applicari ad intentionem illius, qui stipendia distribuit; is enim intentionem implicitam habere censetur, ut obligationibus satisfiat iuxta ordinem temporis, quo stipendia erogata sunt[6].

---

1 Cf. Lugonem d. 19, n. 223 224.

2 Suárez, *De Euch.* d. 79, s. 9, n. 6; Vázquez, *De Euch.* d. 231, c. 3, n. 10.

3 Lugo d. 19, n. 228; Tamburini, opusc. *De Sacrif. Miss. celebrando* l. 2, c. 2, § 12, n. 2; Ball.-P. n. 284.

4 Billuart diss. 8, n. 4; Gury II, n. 354.

5 Cf. si lubet, de hac formula Tamburini opusc. cit. l. 2, § 9, n. 17; Lacroix l. 6, p. 2, n. 221.

6 Cf. si lubet, decisionem quamdam S.P. 7 dec. 1882 ap. Gasparri, *De Euch.* n. 597, et resp. *S.C.C.* 27 febr. 1905 ad 5 (*A.S.S.* XXXVII, p. 525).

Si sacerdos stipendia accepit a duobus, potest vel hodie celebrare pro uno, cras pro alio, vel, nisi aliud obstet [1], utramque Missam applicare ad intentiones utriusque.

Si sacerdos immemor prioris intentionis aliam elicuerit, vide dicta n. 469. In casu dubii applicari potest sequenti die pro illa ex duabus intentionibus, quae invalida remansit; alterutra enim certo valida fuit.

505 2° Elicita ante consecrationem secundae speciei, qua peracta frustra eliceretur intentio; nam neque applicatio sacrificii nomine Cristi in potestate sacerdotis relinquitur nisi pro tempore, quo proprie eius personam sustinet, id est, in consecratione; neque ea peracta et completo iam essentialiter sacrificio eius applicatio suspenditur; non enim applicari posset actio iam praeterita [2].

---

1 V. gr. si Missa applicanda erat in altari privilegiato; privilegium enim unius tantum applicationem exigit.

2 Applicationem Missae invalide fieri *post* consecrationem utriusque speciei, docetur sat communiter.

Attamen posito, quod sententia requirens ad essentiam Missae tum consecrationem tum communionem sit vere probabilis, consequenter dicendum erit, quod ante communionem probabiliter nondum habetur sacrificium; ideoque quod, quamvis actio consecrationis iam sit peracta, haec tamen probabiliter nullam adhuc applicationem obtinuit, sed exspectandum erit donec, posita actione alia seu communione, ens istud morale, duabus constans actionibus successivis, id est, Missae sacrificium, exsistat. Nulla ergo actio praeterita offerretur per applicationem ante communionem, sed sacrificium adhuc faciendum. Propterea Lugo, *De Euch.* d. 19, n. 48-50 et Tamburini, *De Sacrif. Missae celebr.* l. 2, c. 2, p. 10, n. 6, qui probabilitatem agnoverant illi sententiae de constitutivis essentialibus Missae, consequentes sunt et aperte dicunt in citatis locis, applicationem elicitam inter utramque partem esse probabiliter validam.

E contra mirum videri posset, quod invaliditatem applicationis eo tempore factae potuerint docere tamquam certam aliqui eorum, qui alibi tradiderant praedictam sententiam esse probabilem. Nihilominus bene explicari possunt, si consideres illos loqui, ut videntur, de illa applicatione *in ordine ad satisfaciendum stipendio.* Nimirum: illi viderunt sine dubio applicationem non posse influere in actionem iam praeteritam, ideoque sine dubio iudicarunt partes singulas sacrificii suam applicationem obtinere statim cum ponuntur, quin prior exspectet, donec per alteram tota essentia compleatur. Profecto ita eos iudicasse satis clare patet ex ratione quam afferunt, nempe: sacrificium transacta consecratione « non posset applicari, saltem *adaequate* » (Bus. ap. S. Alph. n. 355, et alii), quasi sola communio futura, non iam consecratio praeterita, applicari posset. Aliunde vero fideles cum Missam petunt, certo volunt totum illud obtinere, quod ex opere operato sacrificium efficere potest, proinde non applicationem unius tan-

3° Saltem habitualis, haecque sufficit[1]; applicatio enim sacrificii est veluti donatio de praesenti, quae potest etiam anticipate fieri circa rem futuram. Sufficit igitur, ut

---

tum partis. His igitur positis iam apparet, illos sine inconsequentia docere simul potuisse, quod communio requiritur probabiliter ad essentiam, et quod applicatio ante communionem ad satisfaciendum stipendio sit certo invalida. — Neque velis eos aliunde arguere inconsequentiae, eo quod noluerint validam esse applicationem post consecrationem utriusque speciei, ne applicatio iam non possit esse adaequata, et tamen dixerint illam validam esse post consecrationem speciei primae. Nam bene videre potuerunt, quod utriusque speciei consecratio est actio moraliter una, non duae (neque enim dicitur Missae essentia constare « consecrationibus », sed « consecratione »), quae effectum proinde non sortitur, donec totaliter est posita.

Applicationem valide fieri *inter* consecrationem primae et secundae speciei, doceri solet; quod quidem conforme est sententiae sat communi, requirenti ad Missae essentiam consecrationem utriusque; sed id asserere non posset qui, ut quidam censuerunt (ap. S. Alph. n. 306), diceret consecrationem unius ad essentiam sufficere.

Denique forsan quaeres, an si probabilis est sententia requirens ad essentiam Missae communionem, posset is, qui applicationem distulisset faciendam inter consecrationem et communionem, saltem a restitutione excusari. — *Resp.*: Si id scienter egisset, certum putamus quod a restitutione (vel ab alius Missae applicatione) excusari non potest; non enim dubitari potest, quin fideles cum Missam dato stipendio committunt, omnino nolint, ut sacerdos per usum opinionis probabilis *scienter eos exponat* periculo defraudatae applicationis, quod asserit opinio contraria. Atque haec forte est ratio, cur tam communiter doceatur illam applicationem esse invalidam (fatemur tamen, quod Lugo et Tamburini cum in locis citatis illam dicunt probabiliter validam, loqui videntur de applicatione etiam facta pro stipendio, ideoque putare quod probabiliter satisfit stipendio). Nolimus tamen ad restitutionem obligare eum, qui bona prorsus fide egisset, putans v. gr. « Memento defunctorum » occasionem esse, quam *Missale* proponeret ad eligendum defunctum, cui Missa applicetur; tum quia sacerdos cum id scienter non fecerit, iudicare poterit probabiliter obligationem acceptam iam esse exstinctam; tum quia oblator, si stipendium ordinarium dedit ad aliam Missam non sufficiens, eo ipso censeri potest contentus applicatione probabili, si bona fide fiat, et nolle sacerdotem ad aliud sacrificium adigere.

1 Lugo, *De Sacram. in gen.* d. 8, n. 91 seqq.; S. Alph. n. 335; Lacroix l. 6, p. 2, n. 205; Tamburini op. cit. l. 2, c. 2, § 10, n. 1 2. Item Suárez, *De Sacram. in gen.* d. 13, s. 3, n. 3 expresse; implicite vero *De Euch.* d. 79, s. 9, n. 6; ibi enim ait, quod raro evenire potest, ut sacrificium non applicetur; nam omnis sacerdos, ait, si nulli applicat sacrificium, intentionem habet fruendi ipse, vel, si aliquo titulo obligatus sit ad offerendum pro alio, intelligitur habere intentionem adimplendi obligationem suam. Est ergo sententia communis, quod sufficit intentio habitualis; contra Vázquez, qui exigit intentionem virtualem.

pridie facta sit, etiamsi ipso die de ea non cogites[1], nec quidquam obstat quominus initio mensis applicationes facias pro toto mense, etsi de iis non amplius sis sollicitus.

506 *Pro quibus applicatio fieri possit vel non possit*[2]. Missa applicari potest pro quibusvis tum vivis[3] tum etiam defunctis in purgatorio detentis (can. 809).

Excipiuntur tantum excommunicati[4], nam tantum permittitur applicari Missa pro iis «privatim ac remoto scandalo» (can. 2262, § 2); ideoque vetatur applicari *a*) publice[5], quamvis forte sine scandalo, vel *b*) privatim cum scandalo[6]. Quod si excommunicatus sit vitandus[7], ne privatim quidem et sine scandalo potest pro eo applicari Missa, nisi applicatio fiat pro eius conversione (can. 2262, § 2)[8].

---

1 Idque est iuxta praxim omnium, ut bene aiunt Lugo et Tamburini loc. cit. Et quia ratio supra allata valet pro quavis anticipatione, ideo iure merito addunt Tamburini et Lacroix loc. cit. valere applicationem habitualem, seu factam et non retractatam, quae praecesserit per annum vel per decem annos. Sed Lehmk. n. 256 non approbat (nulla tamen addita ratione) anticipationem nimis diuturnam, tradit tamen anticipationem per mensem posse fieri sine scrupulo.

2 Agimus, ut par est, de applicatione, quam minister ponit ut persona publica seu nomine Christi, id est, de fructu illo medio seu speciali (n. 501), qui ex opere operato producitur ob oblationem Christi et liberae dispositioni sacerdotis nomine Christi applicantis relinquitur. De cetero enim posse ministrum cuivis capaci applicare fructum ut personam privatam, id est, fructum, qui sibi privatim obvenit ex Missa, quatenus est aliquod opus bonum a se positum, patet; sicut faceret de quolibet alio bono opere.

3 Etsi haeretici sint aut schismatici aut infideles (nulla enim distinctio fit in Codice), dummodo applicatio, ut mox dicemus supra, fiat privatim et fieri possit sine scandalo, v. gr. si haereticus Missas secreto pro se petit a sacerdote. Mitior igitur facta est actualis legislatio nec stari iam debet quibusdam pristinis S. Sedis responsionibus, quae rigidius acatholicos in hac materia considerabant quam infideles. Cf. Verm.-Creus, n. 80; Lehmk. opusc. *Quaestiones praecipuae mor.* (ed. 1918) p. 29.

4 Intellige qui tales esse noti sunt, id est, qui unione externa (Lehmk. n. 243, 2) carent cum Ecclesia (v. gr. protestantes vel schismatici), non vero quem tu privatim scis excommunicationem incurrisse in conscientia.

5 Id est, publice eius nomen canendo, vel in Missa privata illius nomen in orationibus exprimendo. Publice celebrare Missam pro principe in haeresi defuncto expresse prohibitum est; si princeps haereticus regnare incipit, fieri potest ad obtinendam regni prosperitatem.

6 Id est, si per illam celebrationem Ecclesia videatur v. gr. connivere cum haeresi vel aliquo modo fovere spiritum indifferentismi.

7 In novo iure ii omnino sunt rarissimi.

8 Ac proinde relinquendus est absque Missarum suffragiis.

Obligationem applicandi certis diebus pro populo (id est, **507** pro grege sibi commisso), vi officii ac proinde ex iustitia et sine stipendio, habent a momento adeptae possessionis sui muneris pastores animarum, scilicet: Vicarii et Praefecti Apostolici (can. 306), Administratores Apostolici, si permanenter constituti sunt (can. 315), Abbates vel Praelati nullius, qui praesunt territorio proprio, separato ab omni dioecesi, cum clero et populo (can. 319 323), Episcopi residentiales (can. 339), Vicarius Capitularis (can. 440), parochi[1] et quasi-parochi[2] (can. 466, § 1), vicarii oeconomi (can. 473), vicarii substituti, nisi parochus malit per se ipsum applicare in loco ubi degat (can. 474 466, § 5). — Vicarii adiutores et vicarii cooperatores (etsi praesint alicui ecclesiae filiali) ad applicandum pro populo non tenentur[3]; haec enim obligatio manet in parocho 52 (can. 475, § 2 et 476, § 6) — neque tenentur capellani carceris, navis, monialium, orphanotrophii etc. — Episcopi titulares non tenentur; decet tamen, ait can. 348, § 2, ut aliquando Missae sacrificium pro sua dioecesi applicent. Quod etiam decet, ut Superiores religiosi interdum faciant pro suis subditis; immo non desunt aliqui[4], qui sentiant eos ad id aliquoties faciendum teneri ex iure divino.

Dies, quibus obligatio urget applicandi pro populo, **508** pauciores sunt pro Vicariis et Praefectis Apostolicis et quasi-parochis, ut patet ex can. 306 466, § 1, quam pro ceteris. Pro ceteris enim non solum urget quibusvis dominicis, sed etiam omnibus festis de praecepto, etiam suppressis (can. 339, § 1). Igitur:

1° Episcopi et parochi (ceterique supra recensiti praeter Vicarios Apostolicos, Praefectos Apostolicos et quasi-parochos) tenentur sequentibus diebus[5]: Omnibus diebus do-

---

1 Sive saeculares sive religiosi.

2 Quasi-parochi dicuntur qui quasi-paroecias regunt, id est, partes Vicariatus Apostolici, vel Praefecturae Apostolicae (can. 451).

3 Vicarii adiutores et cooperatores non tenentur applicare pro populo, etsi parochus impediatur; istius enim est alium quaerere, per quem huic obligationi suae personali satisfaciat (can. 466, § 1, 339, § 4 et 6; Blat, *Comment. text. Cod.* l. II, n. 525.

4 Cf. Lehmk. n. 261 266.

5 Festa, quibus urget obligatio, eadem sunt post ac erant ante Codicem, ut declaravit *Comm. I.C.* 18 febr. 1918, scilicet ea, quae continebantur in catalogo Urbani VIII, cui Clemens XI addidit festum Immaculatae Conceptionis; ad commodiorem autem quorum interest notitiam, indicem festorum in universali Ecclesia suppressorum, in quibus obligatio manet applicandi pro populo, edidit *S.C.C.* 28 dec. 1919 (*A.A.S.* [1920] p. 43). Ex his omnibus series, quam habes supra, exarata est, iuxta ordinem quo festa successive occurrunt per annum.

minicis. — Die Circumcisionis, Epiphaniae, Purificationis B.M.V., S. Mathiae, S. Ioseph (19 mart.), Annuntiationis B.M.V., fer. II et III post Dominicam Resurrectionis, in festo Ss. Philippi et Iacobi, Inventionis S. Crucis, Ascensionis D.N.I.C., fer. II et III post Dominicam Pentecostes, in festo SS.mi Corporis Christi, S. Ioannis Bapt., Ss. Petri et Pauli, S. Iacobi, S. Annae, S. Laurentii, Assumptionis B.M.V., S. Bartholomaei, Nativitatis B.M.V., S. Matthaei, Dedic. S. Michael. Arch., Ss. Simonis et Iudae, Omnium Sanctorum, S. Andreae, Immac. Conceptionis B.M.V., S. Thomae Ap., Nativitatis D.N.I.C., S. Stephani, S. Ioannis Ap., Ss. Innocentium, S. Silvestri Pap. — Praeterea, in festis S. Patroni Regni et S. Patroni loci[1]. — Festa, in quibus obligatio urget applicandi, sunt ea tantummodo, quae nuper recensita sunt; ideoque si aliquod aliud festum habetur de praecepto pro particulari regione vel loco concessum, obligatio praedicta non datur[2].

2° Vicarii Apostolici, Praefecti Apostolici et quasi-parochi «applicare debent saltem in sollemnitatibus Nativitatis D.ni, Epiphaniae, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, SS.mi Corporis Christi, Immac. Conceptionis et Assumptionis B.M.V., S. Ioseph eius sponsi, Ss. App. Petri et Pauli, Omn. Sanctorum» (can. 306); praeter undecim hos dies, aliis diebus dominicis vel festis non obligantur.

509 Pro omnibus praedictis animarum curatoribus valent, iuxta canones 306 466 etc. ad singulos eorum respicientes, ea quae habentur in can. 339, §§ 2-6, ideoque: 1° Sufficit, ut unam Missam applicent, quando festum incidit in dominicam; similiter unam tantum in die Nativitatis D.ni (can. 339, § 2). — 2° Si festum ita transferatur, ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum Missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi Missam et abstinendi a servilibus, Missa pro populo applicanda est in die *ad quem*, secus in die *a quo* (can. 339, § 3). — 3° Episcopi, parochi etc. Missam pro populo diebus indicatis per se ipsi applicare debent; si a celebratione

---

1 Nimirum, prout expressius habetur in catalogo Urbani VIII: «In festo unius ex principalioribus patronis in quocumque regno, sive provincia et alterius pariter principalioris in quacumque civitate, oppido, vel pago, ubi hos patronos haberi et venerari contigerit.» In *Am. Lat.* patronae principaliores habentur B.M.V. Immaculata, B.M.V. de Guadalupe pro *Am. Lat.;* S.ta Rosa Limana pro tota America; sufficit ergo applicatio in quolibet ex his diebus. At non sufficeret loco eorum applicare in Rep. Argentina die festo B.M.V. de Luxán, etsi patrona sit totius Reipublicae; liturgice enim titulum habet patronae minus principalis.

2 Blat, *Comm. text. Cod.* l. II, n. 363.

impediantur, applicare debent per alium [1]; si neque id praestare possint, quamprimum vel per se ipsi vel per alium applicent alia die (can. 339, § 4). — 4° Licet Episcopus, parochus etc. duas vel plures dioeceses vel parochias aeque principaliter unitas regat, aut praeter propriam aliam vel alias in administrationem habeat, obligationi tamen satisfacit per applicationem unius Missae pro universo populo sibi commisso (can. 339, § 5 et 466, § 2) [2]. — 5° Qui obligationi praedictae non satisfecerit (etsi inculpabiliter), quam citius pro populo tot applicare Missas obligatur, quot omisit (can. 339, § 6).

Etsi principalis obligatio eaque gravis sit, ut Missa applicetur [3], sunt tamen aliae circumstantiae ex obligatione servandae; videlicet Missam parochus applicare debet [4]: 1° die assignato, 2° in ecclesia parochiali, 3° per se ipsum. Has secundarias obligationes *crebro et cum levi motivo* praetermittere, sine dubio erit grave, secus leve est dicendum, praesertim cum videamus non difficulter nunc a Codice admitti causas ab iis excusantes [5], sic enim ait can. 466, § 3-5: « Ordinarius loci iusta de causa permittere potest, ut parochus Missam pro populo alia die applicet ab ea qua iure adstringitur. — Parochus Missam pro populo applicandam celebret in ecclesia parochiali, nisi rerum adiuncta Missam alibi celebrandam exigant aut suadeant. — Legitime absens parochus potest Missam pro populo applicare vel ipse per se in loco quo degit, vel per sacerdotem qui eius vices gerat in paroecia. »

---

1 Est enim onus non tantum personale, sed etiam reale (cf., si lubet, dissertationem de his materiis in *A.S.S.* VII, p. 184 193). Quare parochus, qui ob infirmitatem vel ob secessum exercitiorum applicare non possit, curet ut alius sui loco applicet, dato etiam stipendio; alius enim non tenetur stipendio carere.

2 Duas tenebatur applicare ante Codicem, atque hanc veterem doctrinam referebat *Con. Plen. Am. Lat.* n. 356, quae nunc sublata est.

3 Ab obligatione applicandi pro populo, quae utique absque stipendio facienda est, non excusat exiguitas redituum (Leo XIII const. « In suprema » 10 iun. 1882).

4 Non tenetur applicare Missam sollemnem, sed hanc alii celebrandam committere potest, nisi Episcopus contrarium statuerit.

5 Harum circumstantiarum omissionem in vetere iure dicebant moralistae esse levem si « raro » fieret, nixi quibusdam S. Sedis declarationibus, quae videbantur causam sat notabilem exigere ad excusandum (cf. Ferr. n. 471), et iuxta hanc doctrinam eo tempore admissam redacti fuere art. 355-357 *Conc. Plen. Am. Lat.* (in quibus alia continentur in nova disciplina non vigentia). Multo mitius putamus hodie esse loquendum, attento modo quo de huiusmodi obligationibus accidentalibus loquitur Codex. Propterea diximus mortale non videri, nisi hae « crebro et cum levi motivo » praetermittantur.

Art. 4. Confectio SS. Eucharistiae.

510 *a*) **Materia** ad validitatem necessaria est panis et vinum.

Iuxta can. 815, § 1, « panis debet esse mere triticeus et recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis. » Panis igitur debet esse:

1° Mere triticeus et quidem aqua naturali confectus et igne coctus; nam massa triticea cruda vel non cocta non est materia valida, quia non dicitur panis usualis; ob eamdem rationem invalida probabilius materia erit panis ex farre vel ex hordeo, certo invalida panis ex fabis vel oryza.

Si materia non consecrabilis misceatur in quantitate valde modica, ita ut triticum et aqua naturalis multum praedominentur, consecratio quidem valida est, sed graviter illicita; sub gravi enim verba canonis praecipiunt ut panis sit tantummodo ex tritico[1].

2° Recenter confectus, ita ut nullum sit periculum corruptionis. Materia, quae incipit corrumpi, v. gr. panis mucidus, valida est, sed graviter illicita. Porro non potest determinari, post quantum temporis incipiat corrumpi; id enim pendet a regionis et temporis condicionibus, praesertim ab humiditate aeris. Certe materiam a duobus mensibus confectam consecrare non licet[2].

Haec de hostiis consecrandis; sed particulae consecratae, quae asservantur in ciborio, etsi recentes sint, multo frequentius renovari praecipiuntur, ut dicemus alibi (n. 571).

511 Iuxta can. 815, § 2 « Vinum debet esse naturale de genimine vitis et non corruptum. » Vinum igitur debet esse:

1° Naturale de genimine vitis[3], ideoque invalida materia est vinum ex pomis aliisve fructibus, invalidum

---

1 Cf. de his LUGONEM, *De Euch.* d. 4, s. 1; S. ALPH. n. 199 seqq.; GÉN.-S. n. 169; LEHMK. n. 160 seqq.

2 *Rit. Rom.* tit. 4, c. 1, n. 7 dicit ut « hostiae seu particulae consecrandae sint recentes ». *S.R.C.* 16 dec. 1826 in resp. ad Episcop. Gandavensem (*Decr. auth.* n. 2650) reprobaverat quorumdam abusum consecrandi hostias confectas a tribus mensibus in hieme, a sex mensibus in aestate. Et recentius *S.C. de Sacram.* 7 dec. 1918 (*A.A.S.* [1919] p. 8) reprobavit praxim adhibendi hostias a tribus vel duobus mensibus confectas. *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 347 in mentem revocat voluisse S. Carolum Borromaeum, ut hostiae nunquam plus quam viginti dies a sua confectione haberent.

3 Id est, productum ex ipsa vite, non artificialiter confectum. Sophisticationes vini, sicut et farinae, plurimae sunt et difficile deteguntur. Diligenter proinde cavendum est (cf. *A.S.S.* XXXIV, p. 318), requirendo praesertim probitatem venditoris et originem mercis. Non enim quaelibet merx, quae licite pro farina aut vino

quoque vinum, quod penitus transiit in acetum. Mustum, id est, vinum ante fermentationem, est materia valida, sed gra-

---

vendi potest, licite aut valide ad consecrandum assumeretur; nam ad licitam venditionem sufficit, ut nihil sanitati noxium mixtum sit, nulla adhibeatur fraus, qua rei adulteratio celetur, et pro re maius pretium non exigatur quam valet.

Ex consuetis sophisticationibus aliae materiam invalidam ad consecrationem reddunt, aliae tantum illicitam. De huiusmodi alterationibus, quod ad vinum attinet, in eo enim frequentissimae sunt, praeclare omnino disseruit P. Vitoria, Dr. Chimiae, in ephem. *Razón y Fe* XXV, p. 196 seqq. et 305 seqq., et post eum P. Pauwels, pariter Dr. Chimiae, in ephem. *De Religiosis periodica* vol. 6 supplem. XVIII, p. (57) - (72). Propter magnam huius materiae utilitatem opere pretium videtur praecipua illius capita complecti.

Vinum est liquor obtentus ex fermentatione uvarum. Vinum non una substantia est, sed ex pluribus permixtis componitur, quarum praecipuae sunt alcool, saccharum (vel proprius chimice loquendo *glucosa*), aqua, materiae colorantes etc. Haec elementa in quantitate reperiuntur diversa pro qualitate uvarum, variabili tamen intra certos limites; sic v. gr. vinum certo sophisticatum est, si habet minus quam 5 % *alcoolis;* minorem enim quantitatem nullum vinum habet, aliunde vero quantitas eiusdem variat usque ad 12 % vel 13 %, qui est limes, quem generatim non excedunt vina fortissima, quando recentia sunt; quantitas *sacchari* ante vini fermentationem haesitat inter 10 % et 30 %; quantitas *aquae*, similiter in succo nuper ex uvis expresso ideoque ante fermentationem, plerumque inter 70 % et 80 %.

Ex praedictis elementis alia ab ipsa vite elaborata sunt, v. gr. alcool, saccharum, substantiae colorantes, ideoque haec omnino *stricte* dici possunt pertinere ad vinum; alia *minus stricte* ad illud pertinent, v. gr. aqua, haec enim a vite non elaboratur, sed e solo per radices sugitur estque vehiculum, quo plura necessaria elementa ad uvam perferuntur; alia denique sunt vino *quasi extranea*, scilicet fermenta, quae consistunt in quibusdam microorganismis, ope quorum peragitur fermentatio (fermentum invenitur in uvarum cute seu pellicula; et in seminibus continetur tanninum, quod in vinum transibit, si huiusmodi parva granula conteruntur).

Vino, ut plene formatum sit, essentialis est fermentatio, quae incipit, si temperies non est infra 20°-22° (haec est temperies minima; si haec non habetur, opus erit liquorem aliquantum reddere tepidum; temperies optima habetur circiter 24°-25°), aliquot horis postquam succus ex uvis expressus est, et in forma plus minus tumultuosa perdurat tres quatuorve dies. Fermentatio in hoc consistit, quod microorganismi *glucosam* destruunt, eam transformando in alcool cum emissione gaseosa anhidridi carbonici. Si fermentatio incompleta est, remanet maior minorve quantitas *glucosae*, unde vinum magis minusve dulce; si completa, fere tota *glucosa* conversa est in alcool, et vinum vocatur siccum. Vinum nondum fermentatum vocatur *mustum*.

His praeiectis sequentia statui possunt in ordine ad SS. Eucharistiae confectionem:

1° *Vinum debet esse fermentatum.*

Succus ex uvis maturis non fermentatus seu mustum est materia valida consecrationis, sed illicita, ut constat ex *Rubr. Miss.*

viter illicita; erit proinde graviter illicitum vinum recenter expressum ex uvis maturis *, quia nondum naturaliter ferbuit.

---

de defect. tit. 4, n. 2. Ex maturis, inquam, nam si immaturae sunt, earum succus materia invalida vel dubia erit pro gradu acerbitatis.

Mustum, si temperies calida est, facile credi potest quod fermentare incipit iam statim ac uva in torculari calcata est; propterea facile vocari potest vinum inchoatum. Haec tamen fermentationis inchoatio ad liceitatem non sufficit; aliqua maior requiritur donec odore, gustu etc. dici iam possit vinum esse, non mustum. Quod si ita iam dici possit, materia licita est, quin ulterior fermentatio requiratur; licita enim sunt vina dulcia, in quibus magna sacchari portio ob suspensam fermentationem immutata remansit.

2° *Vinum debet esse incorruptum.*

Incorruptum, id est, non substantialiter mutatum. Corrumpi autem vinum intelligi potest tripliciter: 1° si putrescit; sunt enim quidam microorganismi, qui totam vini massam alterant et putrescere faciunt; 2° si vini alcool transit in acetum; id similibus microorganismis tribuendum est; 3° si ea quantitas materiae extraneae infunditur, v. gr. aquae, ut desinat posse vocari vinum.

Quaenam autem quantitas aquae vino immisceri posset, quin desineret ab hominibus posse vocari vinum, aestimationis cuiusdam moralis negotium est. Lugo d. 4, n. 38 dicit posse quintam vel sextam partem admisceri sine scrupulo, quia, ait, non est credibile vinum esse adeo debile, ut tam modica aqua corrumpatur; idque admittunt Gobat et Lacroix, l. 6, p. 1, n. 439 etiam pro locis Germaniae, ubi vinum ob frigiditatem regionis est sat debile. Busenbaum et Sporer (ap. S. Alph. n. 210) putant sufficere, ut aqua non excedat tertiam partem; sed quamvis hi duo Germani fuerint et consequenter id dixisse putandi sint etiam pro vinis debilibus, tutum tamen non videtur tantum aquae infundere in vino debili. Cf. S. Alph. n. 210.

Forte quis putaverit citatos auctores fuisse locutos de aqua, quae infundi possit quin incurratur periculum, « ne vinum non possit iam commode conservari », ideoque plus aquae infundi posse, si mox post infusionem ad consecrandum adhibeatur. Sed negandum est; intelligendi enim sunt de quantitate, ultra quam periculum sit « ne vinum desinat posse vocari vinum » (idque expresse dicit Tamburini, *De Sacrif. Missae cel.* l. 2, c. 4, § 1, n. 2 3); illud enim dixerunt, ubi quaesierunt de quantitate aquae, quae *in Missa* infundi possit in calicem.

Vinum aliquantum acre regionum septentrionalium non debet confundi cum vino aliquantum acri, de quo loquuntur *Rubr. Miss. de defect.* tit. IV, n. 2. In illis enim regionibus, in quibus minus propitia est temperies, vinum quidem debile est, quia ob minorem sacchari quantitatem, quam continebant uvae, parva alcoolis quantitas effecta est, et propterea vinum difficile conservatur; iniucundum praeterea est gustui, quia totum ferme saccharum disparere

---

* Maturis, inquam; nam si immaturae sunt, pro gradu acerbitatis materiam praebebunt invalidam, dubiam vel saltem illicitam (*Rubr. Miss. de defect.* tit. 1, n. 4).

Vinum ex uvis passis, dummodo colore, odore et gustu dignoscatur esse verum vinum, est materia valida et licita. Vinum congelatum est materia aliquantum dubia *.

---

debuit, remanentibus quibusdam uvae acidis. Huiusmodi igitur vinum, quamdiu corrumpi seu in acetum verti nondum coepit, materia et valida et licita est.

3° *Operationes, quibus in vinum substantiae introducuntur, quae vini elementa non sunt*, reiiciendae sunt, si substantiae vinum substantialiter alterent vel in eo immixtae maneant. Patet 1.um, quia si vinum substantialiter alteraretur, ne chimice quidem iam esset vinum. Patet 2.um, quia si mixtio illa tantum substantiae extraneae contineret, ut iam nequiret vocari simpliciter « vinum », esset materia invalida; si vero in parva quantitate substantia immixta manet, mixtio adhuc erit « vinum », sed materia illicita (nisi tam parum substantiae misceatur, ut applicari possit illud: « parum pro nihilo reputatur »). Et quamvis commixtio sit parva, bene ait LEHMK. n. 162, 9°, illicita videtur si fiat sine rationabili causa quae eam suadeat (v. gr. ad conservandum vinum, ut dicemus postea de mixtione alcoolis).

Hinc materia valida et licita ad consecrandum manet:

a) Si vinum redditur clarum ope albuminae (duorum ovorum albuminae pro quibusvis 100 litris vini), vel arenae siliceae (praevie lotae cum acido clorhydrico, dein cum aqua, et exsiccatae), vel massae papyraceae. Haec enim elementa deinde nullo negotio separantur intacta. Vina fiunt etiam clara per rhythmicam rotationem doliorum, in quibus continentur. His mediis uti oportet, quia vinum recens turbidum est, et nullatenus decet illud sic cum faecibus ad consecrandum adhibere.

b) Si vinum parumper calefit usque ad 65° per 20 circiter minuta, ut per calorem perimantur bacteriae, quae vini corruptionem saepe producunt. Hac methodo, quae vocatur « pasteurizatio » atque approbata est a *S. Off.* 8 maii 1887 (*A.S.S.* XXIII, p. 699), nihil vino immiscetur, nihil ab eo detrahitur. Idem dic, si vinum concentratur illud frigefaciendo.

E contra materia vel invalida vel saltem illicita redditur:

a) Si vinum redditur clarum immisso marmore vel sanguine vel corticibus ovorum vel conchylibus etc.

b) Si vinum commiscetur cum sulphito aut bisulphito aut anhydrido sulphuroso (sive in statu liquido sive gaseoso), vel cum creta, kalio tartarico, materiis colorantibus, antisepticis etc. Haec fiunt vel ad destruendam maiorem vel minorem quantitatem ex acidis, quae vino naturaliter insunt, vel ad modificandum colorem, vel ad praeservandum vinum, sed nequeunt pro vino ad Missam destinato admitti. Sed nihil prohibet, quominus ad praeservandum

---

* Cf. LUGONEM d. 4, n. 13; S. ALPH. n. 207 quaer. II.

Vinum consecratum, si congeletur, manere consecratum non videtur dubium. Aliud enim est esse consecrabile, aliud retinere consecrationem. Sic v. gr. vinum in offa aut panno imbibitum probabiliter non consecraretur; manet tamen sanguis Christi, si pane imbibitur, vel gutta decidit in tobaleam altaris. Cf. LUGONEM d. 4, n. 10-12 43 108-116.

2° Non corruptum. « Si vinum coeperit acescere vel corrumpi vel fuerit aliquantulum acre, aiunt *Rubr. Miss. de*

---

vinum dolium, quod ad illud continendum destinatur, repleatur gase sulphuroso (quod fit comburendo sulphur), deinde bis terve aqua calida, mox frigida lavetur.

Licet tamen sulphitatio non « vini », sed « musti », et cum debitis cautionibus (cum sulphitatio microorganismos destruat; his deficientibus impeditur fermentatio, atque ita potest mustum aliquo tempore conservari). Condiciones sunt: ut materia extranea sit modica, ea nempe quae ad finem intentum sufficit; ut postea materia immixta detrahatur; denique, ut hac detracta musti fermentatio obtineatur. Cf. Vitoria in ephem. *Razón y Fe* LXVII, p. 219-235, ubi plura de sulphitatione.

c) Si fermentatio vinosa in aliam mutetur diversae speciei, per immissionem microorganismorum diversorum ab iis, qui in vino naturaliter continentur et eius fermentationem provocant.

4° *Operationes, quae in vinum introducunt aliqua elementa huiusmodi mixtionis propria* (v. gr. alcool), licitae videntur, dummodo haec procedant e genimine vitis, et quantitas totalis non sit maior, quam quae liquori, quem vocamus « vinum », correspondet. Ratio est, quia commixtio inde resultans adhuc vocari poterit «vinum e vite ». Nam poterit vocari « vinum », quia ex hypothesi mixtio componetur iisdem elementis atque in eadem proportione, ac in mixtione sic dicta « vino »; et vocari potest vinum « de vite », quia omnia eius elementa ex hypothesi originem trahunt e vite.

Diximus, quod licitae « videntur », quia res non est evidens. Nam 1°, cum dicitur ad Missae validitatem requiri « vinum de vite », timeri potest ne non sufficiat, quod singula mixtionis elementa e vitibus duxerint originem, sed forsan ex institutione Christi requiratur, ut ipsa eorumdem mixtio facta fuerit naturaliter a vite. Attamen vix sustineri potest hoc requisitum, siquidem Ecclesia, ut mox videbimus, commixtiones quasdam permittit, quas vitis non operata est. 2° Forte requiritur, ut infusio fiat in substantiam, quae nunquam desierit esse in se vinum aut apta ad vinum. Ex hoc requisito explicaretur, quod quaedam commixtiones ab Ecclesia permissae sint, aliae vero iisdem specie tenus similes non videantur licitae. Ex hoc quoque requisito explicaretur, cur non sit materia ad Missam apta vinum syntheticum, quod fieret miscendo debitis proportionibus ipsissimas substantias, quae in vino occurrunt; nulla nempe earum fuerat « vinum », ne « mustum » quidem.

Propterea ut tuto procedatur, ne huiusmodi commixtiones fiant nisi cum iis substantiis et eo modo, prouti Ecclesia approbaverit, a ceteris vero abstineatur, etiamsi elementa a vite ortum traxerint, donec ipsa iudicium suum protulerit. Ecclesia autem id tantum, stricte loquendo, declaravit de immixtione alcoolis.

Nonnulla de praecipuis huiusmodi substantiis singillatim.

a) De infusione *alcoolis*. Huius infusio fit vel ad vinum a corruptione praeservandum, vel ad excessum acidorum temperandum, vel ad debilitandam fermentationem, ut sic, saccharo partim remanente, vinum sit gustui magis probatum.

Iuxta *S. Off.* decreta infusio alcoolis licet, dummodo: 1° alcool extractus fuerit ex genimine vitis (extrahitur ex alio vino); 2° quantitas alcoolica addita, una cum ea quam vinum naturaliter continet, non excedat proportionem 12 % et, si vinum iam naturaliter

defect. tit. IV, n. 2, conficitur sacramentum, sed conficiens graviter peccat» ob irreverentiam sacramenti; urgente tamen

hanc quantitatem continet, non excedat 18 %; 3° additio fiat, quando fermentatio sic dicta tumultuosa defervescere inceperit (*A.S.S.* XXIII, p. 699, XXIX, p. 316-319 572-573).

Si huiusmodi infusio fieret ante fermentationem seu in mustum, fermentatio impediretur; quare non solum materia esset illicita, quia de facto non fermentasset, sed forte etiam invalida, eo quod, cum fermentatio evaserit impossibilis (nisi nova germina immittantur), mustum illud forte iam ne « vinum imperfectum » quidem considerari posset, ideoque quatenus vinum, morali aestimatione esset substantialiter alteratum. E contra si illiusmodi infusio fieret, ubi fermentatio iam quievit, alcool additum cum vino iam confecto imperfecte tantum commisceretur.

b) De additione *sacchari.* Saccharum, quod a mercatoribus ordinarie additur, originem non trahit ex vite (sed quamvis e vite procederet, addendum non esset, donec Ecclesia de re iudicium ferret, ut diximus); nam adhiberi solet saccharum ordinarium (v. gr. ex canna), vel *glucosa* aliunde obtenta. Censendum igitur sicut de commixtionibus vino extraneis, de quibus nuper satis dictum fuit.

Nequeunt ergo in ordine ad Missam permitti operationes dictae « gallisatio », « petiotisatio », « chaptalisatio », omnes enim saccharum addunt cum aqua dilutum vel sine aqua; idemque dicendum, etsi quantitas totalis non superet quantitatem sacchari respondentem uvae maturae. Si tamen quantitas immixta sit modica, poterit materia esse valida, quamvis pro quantitatis gradu plus minus illicita, sicut de quavis extranea substantia diximus.

« Hodie, ait Gén.-S. n. 171, saepe ex uvis non maturis conficitur vinum, quod veri vini speciem habet, addito saccharo quod uvis deest », quod saltem quidem est illicitum. Insinuat ibi idem auctor materiam esse saltem validam, si quantitas sacchari addita non superat eam, quae in musto reperitur. Sed id, si uvarum immaturitas ea erat, ut nullam aut parvam *glucosae* quantitatem continerent, admitti non potest; nam quod liquor speciem haberet vini, deberetur alcooli, alcool autem totum aut magnam partem proveniret ex conversione sacchari adventitii, non orti e genimine vitis.

c) De infusione *aquae.* Non licet, ut patet, immo potest materia reddi invalida, prouti supra exposuimus hac ipsa in nota sub n. 2°.

Attamen *S. Congr.* approbavit vinum *ex uvis passis,* in cuius tamen confectione aqua necessario adhibetur. Conficitur enim sic: Immittitur in vase certum pondus uvarum passarum; hae tunduntur cum tantumdem ponderis aquae; massa tota relinquitur in loco calido, ubi post decem circiter horas si temperies sufficiens erat (saltem 20°-22°, ut diximus superius), iam aliquod fermentationis initium (ad liceitatem insufficiens) facile factum est (dignoscitur fermentatio ex formatione parvorum globulorum gaseiformium), sed ad fermentationem vividam diutius exspectandum erit; denique massa exprimitur, atque inde resultat vinum, nec iam deest nisi ut istud a faecibus purgetur. Vel potius procedatur ita: Immittantur uvae passae in aquam atque ibi sinantur integrae, donec aqua imbibita turgescant; extrahantur, ab aqua exteriore

necessitate liceret eo uti, dummodo adhuc esset certo vinum; vinum autem parum acescens seu non notabiliter acidum, deficiente alio vino, licet adhibere sine scrupulo.

---

purgentur et in torculari exprimantur; quod inde extrahitur, sinatur vivide fermentare. Vel: super passas integras superinfunde tantumdem pondus aquae tepidae (temperie 25°-30°); totum relinque in loco calido et post duos tresve dies eveniet sponte fermentatio; ubi huius vividitas decrescat, massam cum sua aqua exprime in torculari.

Congr. S. Off. interrogata, utrum liceat celebrare cum vino facto ex uvis passis, respondit 7 maii 1879: « Licere, dummodo liquor ex colore et gustu dignoscatur esse verum vinum » (*A.S.S.* XXV, p. 441). Cf. Lehmk. n. 162 not.

Cur huiusmodi infusio aquae, quae a vite non procedit, in casu permittatur, alcoolis vero infusio a vite non procedentis non permittatur, alia ratio non apparet, nisi quod vini alcool est elementum essentialiter a vite elaboratum, ut diximus, aqua vero potius iam exsistens ab extra desumitur a planta.

d) De immissione *fermenti.* Quoniam fermentum munus aliud non habet nisi conversionem sacchari in alcool provocare, ipso fermento integro manente, ideo omnino idem videtur, si huiusmodi conversio verificatur sponte ope microorganismorum « saccharomices » exsistentium naturaliter in uva, ac si provocetur per « saccharomices » aliunde obtentos. Nihil ergo prohibet, quominus mustum, quod igni subiectum fuerat et proinde, microorganismis propter calorem peremptis, sponte fermentandi iam sit incapax, iniicias (quoad quantitatem satis minorem, v. gr. quintam vel sextam partem) musto tumultuose fermentanti, ut per actionem fermenti alieni fermentare et ipsum possit. Possunt etiam fermenta alcoolica ab extera regione procurari.

5° *Operationes, quae a vino aliquod suorum elementorum detrahunt,* admitti possunt, dummodo quantitas elementi non ita imminuatur, ut proportio remanens iam nulli vino respondere possit. Ratio, quia si huiusmodi limites non exceduntur, substantia tum chimice tum vulgari aestimatione est adhuc « vinum », et profecto « de vite ».

Qua super re nulla ferme alia operatio in considerationem venit nisi extractio aquae. Videlicet occurrit multis in regionibus, ut uva parum sacchari contineat et consequenter vinum inde proveniens non multum habeat alcoolis. Ut autem, sine substantiae ullius additione, proportio sacchari augeatur atque inde maior alcoolis proportio oriri possit, recurritur ad evaporationem *musti* ante fermentationem; sic enim pars aquae disparet et mustum iam maiorem sacchari proportionem continet. Interrogatum respondit *S. Off.* 6 aug. 1896 et 22 maii 1901 (*A.S.S.* XXIX, p. 318-319, XXXIV, p. 256) id licere, « dummodo decoctio huiusmodi fermentationem alcoolicam haud excludat, ipsaque fermentatio naturaliter obtineri possit et de facto obtineatur ». Cum hic tantum quaeratur maior fortitudo vini, non agitur de imminuenda aqua in nimia quantitate. Sed certe cavendum erit, ne evaporatio fiat per calorem excessivum. Is debebit esse modicus, saltem ne attingat 65° (recurratur ergo ad duplex vas, « *baño de maría - bain-marie* »), secus ene-

Si vino admiscetur aqua aliusve liquor in modica quantitate, materia est valida (etsi graviter vel leviter illicita pro rei immixtae quantitate); si quantitas non est relative modica, facile validitas potest evadere dubia; quodsi admiscetur « tantum aquae ut vinum sit corruptum, aiunt *Rubr. Miss. de defect* tit. IV, n. 1, non conficitur Sacramentum ».

Vinum a faecibus non purgatum est graviter illicitum, utpote quod admixtas habet materias non consecrabiles. Sed si purgatum est, nullus scrupulus est habendus propterea quod sit turbidum; id enim vino saepe est naturale.

b) **Forma** consecrandi panis est: « Hoc est (enim) corpus **512**
meum »; calicis autem: « Hic [1] est (enim) calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum. » Et quamvis sola priora verba « hic est calix sanguinis mei » sufficere ad consecrationem calicis, quin ad validitatem subsequentia requirantur, sustinet sententia communior, contrarium tamen sen-

---

caretur fermentum musti atque id iam redderetur essentialiter incapax per se ipsum fermentandi; quo fieret, ut iam forte considerari posset substantialiter alteratum. Propterea monet *S.C.* ne huiusmodi decoctio ita impediat fermentationem, ut haec naturaliter evenire non possit, ita nimirum, ut ad eam obtinendam recurrendum necessario esset ad aliena fermenta, quia id signum esset mustum fuisse factum fermentandi incapax.

Methodum condensandi *vini* per evaporationem ad reddendum illud robustius declaravit *S. Off.* 4 maii 1887 (*A.S.S.* XXIX, p. 572) magis esse probandam quam additionem alcoolis. Cavendum, ne tanta aquae quantitas dispareat, ut proportio alcoolis nullius sit iam vini propria.

Quaeres forte, an posset aqua detrahi a vino per evaporationem, donec remaneat in proportione 50 %, si postea ei restituatur. Ad affirmandum valde inclinat Vitoria op. cit. n. 38 39 72; admittere videtur Pauwels loc. cit. n. 22. Videtur id tamen esse plus minus incertum; nam tanta aquae copia detracta desiit iam esse vinum, ut fatetur Pauwels; et quamvis per aquae restitutionem habeatur iterum et chimice et vulgo « vinum », tamen mixtio imprimis non erit facta ab ipsa vite (quod iam diximus nocere posse in ordine ad celebrationem, extra casus ab Ecclesia approbatos), et praeterea, quod forte maiorem difficultatem creat, nova aqua infunditur in rem, quae iam non erat « vinum ».

6° *Pro locis, ubi difficile est parare vinum cum uvis ipsius regionis*, consilium sit:

a) Si uvae sufficienter maturae sunt, sed vinum praebent debilius, addantur uvae passae, quae cum illis uvis simul in torculari exprimantur. Id approbavit *S. Off.* 25 iun. 1891 (*A.S.S.* XXIX, p. 573).

b) Si uvae sufficienter maturae non inveniuntur, vinum conficiatur ex uvis passis tantum.

[1] Vox « hic » pronomen est, non adverbium.

tiunt alii, quorum sententiae videtur esse S. Thomas; unde si priora tantum verba prolata fuerunt, forma ex integro, ne consecratio evadat dubia, repetenda erit [1].

Si forma repetenda est, postquam celebrans iam longius processit, ex praecepto Ecclesiae resumi debet a verbis « Qui pridie », vel « Simili modo » [2].

Quaenam immutatio formam invalidaret, diximus n. 466. Certe nihil repeti debet, si quis sine prava mente seu ob lapsum linguae dicat « colpus, copus, meu, meus, calis, sanguis » pro « corpus, meum, calix, sanguinis ».

Ceterum advertit *S. Alph.* [3] verba consecrationis non esse repetenda, nisi valde probabiliter dubitet sacerdos se aliquid omisisse. Et *Rubr. Miss.* [4] monent: « Si celebrans non recordetur se dixisse ea, quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet se omisisse aliquid eorum, quae sunt de necessitate sacramenti, id est, formam consecrationis seu partem, resumat ipsam formam et cetera prosequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter dubitat se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita condicione. Si autem non sunt de necessitate sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius. »

513 *c*) **Condiciones consecrationis validae** sunt:

1° *Ut materia sit physice praesens* [5]; id enim postulant pronomina « hoc, hic ». Valide consecraretur vinum in calice cooperto aut hostiae in ciborio clauso; bene enim etiam hoc modo per illa pronomina designantur. Dubia esset consecratio hostiae sub corporali aut mappa latentis, cuius consecrandae intentionem aliquam habebat sacerdos; aliud vero dicendum, si eius praesentia in tam insolito loco fuisset prorsus ignorata.

2° *Ut materia sit per intentionem sacerdotis determinata*, v. gr. hic cumulus hostiarum, hae hostiae supra corporale positae; nam id postulant pronomina « hoc, hic ». Indeterminata esset materia, si sacerdos intenderet consecrare dimidiam aut tertiam partem huius cumuli.

---

1 Cf. Lugonem d. 11, s. 4; S. Alph. n. 223.

2 *Rubr. Miss. de defect.* III IV X.

3 S. Alph. n. 224.

4 *Rubr. Miss. de defect.* V, n. 2.

5 Etsi per accidens ob sensus defectum non percipiatur, v. gr. a sacerdote caeco.

Guttae calici adhaerentes exterius non consecrantur, quia merito censetur sacerdos eas nolle consecrare. De iis vero, quae adhaerent interius, si sacerdos nullam specialem intentionem habuit, dubium est[1]; *S. Rituum Congr.* laudabilem dixit morem eas ante offertorium purificatorio extergendi[2].

Si duae hostiae iunctae sunt, etsi sacerdos unam putat, utramque consecrat, quia intendit consecrare id omne, quod iuxta consuetudinem Ecclesiae manibus tenet.

Si hostiae (vel ciborium) appositae fuerant inscio sacerdote, non consecrantur, si appositae fuerant extra corporale; nam sacerdos nec explicite potuit eas consecrare velle, cum easdem adesse ignoraverit, nec implicite, nullo enim modo supponi potest sacerdos voluntatem generalem habere consecrandi, quidquid inveniatur extra corporale. Si vero appositae fuerant supra corporale, incertum videtur[3]; forsan enim supponi potest sacerdos implicite habere intentionem generalem consecrandi quidquid sit supra corporale, nisi contrariam efformaverit.

Si celebrans advertit ciborium ad altare afferri et, videns esse id intra corporale, illud consecrare intendit[4], intentio perdurat ac proinde valet consecratio, etsi 514

---

1 Quidam auctores (Bus. ap. S. Alph. n. 215; Gén.-S. n. 174) suadent, ut sacerdos ad haec et alia similia dubia tollenda semel pro semper intentionem eliciat non consecrandi guttas separatas, intentionem consecrandi quidquid sit supra corporale etc.; supponunt enim, quod vi huius intentionis semel habitae, dummodo non retractetur, iam semper in futurum materia consecrabitur vel non consecrabitur. At vero cum ex una parte sacerdos huius intentionis, post tempus plus minus longum, penitus obliviscatur, ut fieri solet, ex alia vero non sufficiat pro confectione sacramenti intentio habitualis, sed opus sit virtuali; ideo intentionem semel habitam censemus influxum suum tamdiu exercere, quamdiu sacerdos, si ex improviso interrogaretur, num illas guttas consecrare intendat, paratus esset vi illius intentionis habitae respondere absque haesitatione: « non intendo ». Sicut qui Romam petit, etiamsi durante itinere detineatur ad negotia, ideo nihilominus illum dicimus suam intentionem retinere virtualiter, quia quovis momento interrogatus, quo vadat, vi illius intentionis incunctanter responderet: « Romam ». Cf. Wirceb., *De Sacram. in gen.* diss. 2, c. 2, a. 7, n. 187.

2 *S.R.C.* 7 sept. 1816.

3 Vide notam ante praecedentem.

4 Si sacerdos rationabili modo advertit ciborium (vel hostias) ab alio afferri, et supra corporale collocari, incredibile est, quod cum illud non reiiciat, eo ipso intentionem non concipiat illud consecrandi. Si tamen advertit « rationabili modo »; nam si, dum vidit, interea distrahebatur circa alia, potuit fieri ut nullam intentionem haberet.

tempore oblationis aut etiam consecrationis ciborium oblitus non detexerit. Quod si vidit ciborium afferri et consecrare intendit, sed illud ex oblivione extra corporale reliquit, consecratio est dubia; dubitari enim potest, utrum intentionem absolutam habuerit an vero condicionatam cum condicione, quod intra corporale ab alio collocatum fuerit vel a seipso collocandum sit.

Si sacerdos hostias (vel ciborium) collocavit supra corporale et sacrum lapidem, eo ipso manifestum est illum intentionem habere illas (vel illud) consecrandi; ideoque consecratae erunt, quamvis earum amplius non meminerit. Idem dic, si errore deceptus eas super lapidem, qui nimis angustus sit, revera non collocaverit; cum enim eas rite collocatas putaverit, eas absolute intendit includere in materia consecranda, ideoque vere erunt consecratae[1].

Si hostiae, quas sacerdos consecrare intenderat, eo inscio excurrerunt extra corporale durante Missa, earum consecratio non est certa[2], quia dubitari potest, an quando eas in loco debito vidit, intentionem absolutam habuerit eas consecrandi, etiamsi in locum diversum abirent extra corporale. Si tamen sacerdos eas hostias conscius aspicit iam consecraturus, vel de iis tunc cogitavit, etsi non advertit eas extra corporale sitas esse, dubitari nequit quin easdem tunc absolute consecrare velit[3], ideoque consecratae erunt.

---

1 Quid, si putans se ciborium rite collocare illud ex praecipitantia collocaret non solum extra angustum lapidem, sed etiam extra corporale? — *Resp.*: Dubia videtur consecratio; quia cum diligentiam illam posuerit, ostendisse videtur se nolle illud consecrare extra corporale, ideoque intentio videtur fuisse condicionata. Si vero ex errore reliquit solum extra lapidem, sed non extra corporale, intentio supponitur absoluta. Non enim debet sacerdos huic condicioni consecrationis valorem alligare, ideoque huiusmodi condicio in eo non supponitur, nisi contrarium constet; e contra vero circa corporale cum tam indecens sit extra illud consecrare, intentio absoluta difficilius supponi debet, nisi contrarium ex aliquo signo colligatur.

2 Idem dic non tantum si omnes excurrerant, sed etiam si earum cumulus sine divisione ita excurrit, ut partim extra, partim intra corporale reperiatur, propter materiae indeterminationem.

3 Nec dicas intentionem huiusmodi absolutam non posse praesumi, eo quod intentio consecrandi extra corporale sit peccatum grave. Aliud enim est velle consecrare scienter extra corporale, aliud velle consecrare absolute, quamvis ignota sit aliqua circumstantia, quae si cognosceretur, a consecrando deterreret. Cf. Ball.-P., *De Euch.* n. 60. Exempla habes in sacerdote, qui inscius consecrat vinum notabiliter acescens aut nulla aqua infusa; in Episcopo, qui

Quando sacerdos ante Missam monetur ciborium vel hostias esse in altari, forsan tunc nondum intendit eas consecrare [1]. Res quidem ab eius intentione pendet. Quare si deinde in altari earum penitus obliviscitur, consecratio poterit esse incerta, multo magis si relictae fuerant extra corporale.

Hostiae dubie consecratae debent vel in alia Missa iterum consecrari sub condicione, vel a sacerdote post sumptionem Sanguinis absumi ante ablutiones [2]. Numquam autem post 515

---

inscius sacros ordines confert candidato irregulari (cf. dicta supra in n. 468).

Nec iterum dicas S. ALPH. n. 217 ciborium dicere dubie consecratum, si extra corporale ex oblivione relictum fuerit. Non enim datur paritas. 1° Quia in casu nostro non datur oblivio, siquidem sacerdos de hostiis consecraturus cogitat, S. ALPH. vero supponit illum non amplius de ciborio cogitasse. 2° Quia in casu nostro sacerdos nullo momento viderat hostias in loco indebito, ideoque motivum non habebat impediens intentionem absolutam; S. ALPH. vero supponit sacerdotem vidisse antea ciborium extra corporale, quod quidem potuit tunc intentionem absolutam impedire.

1 LEHMK. n. 168, sed cf. BALL.-P. n. 62.

2 Eas absumendas esse ante ablutiones dicunt LEHMK. n. 168, 6 et GÉN.-S. n. 177, cum de praesenti casu agunt. Et generatim, hostiam dubie consecratam sumendam esse ante ablutiones dicit FERR. n. 413 quaer. 8, resp. 2; GÉN.-S. n. 184 VII; *Rubr. Miss. de defect.* tit. III, n. 5 aiunt quod, si sacerdos deprehenderit hostiam corruptam vel non triticeam ideoque non consecratam, vel dubie consecratam, eam sumat «post sumptionem Corporis et Sanguinis», quod idem sonat ac immediate post sumptionem Sanguinis seu ante ablutiones. Idem BENED. XIV, *De sacr. Missae Sacrif.* l. 3, c. 15, n. 1.

Nihilominus S. ALPH. n. 217 vult, ut hostia dubie consecrata absumatur inter primam et secundam ablutionem, quia censet reliquias Sanguinis superinfuso novo vino manere adhuc consecratas, ideoque vitandum esse ne sumantur post materiam dubiam (hostiae, ut patet, supponendae sunt negative dubiae; secus bene posses actionem ponere, qua probabiliter iudicares non violatum iri eucharisticum ieiunium).

Pauca nunc de ratione a S. ALPH. allata, in qua tangitur quaestio de praesentia Christi in speciebus alii liquido commixtis.

Omnes in hoc videntur convenire, vinum desinere esse consecratum, si commiscetur cum liquido diversae speciei, puta aqua, aceto in sufficiente quantitate; manere consecratum, si commiscetur cum liquido sive diversae speciei, sive eiusdem (id est cum alio vino, sed non consecrato), sed in parva quantitate. Ratio utriusque est, Christum desinere esse praesentem, cum corrumpuntur species vini; manere ibi praesentem, quamdiu species vini consecrati perseverant. Propterea si aliquis liquor solum invadit partem vini consecrati, reliquam sinendo intactam, illa sola, addunt, amittit consecrationem. Disputant deinde, an pars minor, puta paucae guttae aquae vel vini, quae in vinum iam consecratum cadat et

consecrationem liceret formam, quamvis sub condicione, super eas proferre ad tollendam incertitudinem; sic enim essentia Missae iterum perageretur et quidem incomplete, uti alibi monuimus (n. 498, 3°).

---

cum eo commisceatur, acquirat consecrationem; an guttulae aquae cum vino commixtae simul cum eo consecrentur. Primum negant, alterum affirmant. Sed de his parum refert in praesenti.

Quod ad casum propositum refert, est commixtio vini consecrati cum alio non consecrato in maiore quantitate. Hac super re, quod pauculae reliquiae SS. Sanguinis manent in prima ablutione adhuc consecratae, non obstante quod novum vinum superinfundatur in tam ingenti proportione, sententia evasit fere communis theologorum (Suárez d. 57, s. 4; Lugo d. 10, n. 41-52; Lacroix l. 6, p. 1, n. 462-464; S. Alph. n. 217 229), qui, pro gradu cognitionis scientificae suo tempore, nimis difficile putarunt id, quod S. Thomas p. 3, q. 77, a. 8 in contrarium tradiderat. Minus quidem aegre illi ferunt, quod consecratio evanescat si infunditur vinum *valde diversum*, praesertim si est potentius, sed omnino putant consecrationem retineri, si infundatur vinum *eiusdem speciei* in quantacumque quantitate, quia, aiunt, particulae vini consecrati, quantumcumque minimae, non amiserunt rationem vini, cuius species erant.

Quaestio quidem subobscura est, putamus tamen illud assertum theologorum non multum habere verisimilitudinis, et e contra rationem S. Thomae, « quod non remaneret idem numero vinum », forte non adeo esse difficilem.

Etenim considerandum est, vinum non esse unam substantiam, prout illi theologi videntur autumasse, sed mixtionem quarumdam, ex quibus veluti elementis necessario constat. Particula ergo unius elementi, v. gr. alcoolis vel aquae, quae propter commixtionem liquoris pervadentis massam vini separetur ab aliis elementis, desinit efformare illud compositum, quod vocatur vinum, ideoque, etsi pergat individualiter exsistere eadem, iam desinit esse species vini et amittit consecrationem. Porro particulas illius compositi, vini consecrati, reapse ab invicem separari et disgregari per commixtionem cum alio vino non consecrato in maiore quantitate infuso, omnino putandum videtur; non enim vinum, quod infunditur, distribuitur circum guttulas consecratas easque circumcingit, sed eas disrumpit dividitque in particulas, nec videtur dubitandum, quin pertingat usque ad minima etiam elementa vini consecrati eaque ab invicem (v. gr. particulam alcoolis a particula aquae) omnia aut fere omnia separet.

Fatendum quidem est quod, quando in vinum consecratum infunditur aliud vinum, particulae prioris, quamvis ab invicem separentur, manent tamen in contactu cum particulis vini infusi, ideoque non desinunt esse particulae « vini ». Affirmamus nihilominus, quod amittunt consecrationem, quia etsi non desinant efformare aliquam compositionem vini seu « aliquod vinum », desinunt tamen efformare « illud vinum, quod fuerat consecratum », seu, ut aiebat S. Thomas, « non remanet idem numero vinum ».

Obiici posset quod forte aliquae particulae vini consecrati non separantur ab invicem. — *Resp.*: Profecto non potest hoc aut negari aut affirmari, quando in ablutione infunditur, ut in prima ablutione consuevit fieri, vinum eiusdem omnino speciei. Si aliquae

d) **Ad consecrandum licite** requiritur praeterea:

1° *Ut panis sit azymus vel fermentatus, iuxta sacerdotis ritum*, ubicumque sacerdos celebret[1]. Porro pane communi seu fermentato sacerdos latinus, deficiente hostia ex azymo, non posset uti, ne in necessitate quidem administrandi Viatici, ut habet sententia communis[2]; posset tantum, immo deberet in necessitate complendi sacrificii.

2° *Ut panis habeat figuram orbicularem*[3] *et magnitudinem consuetam.* Licet tamen celebrare, etiam ex mera devotione, cum hostia minore, qualis datur laicis, quando alia haberi non potest neque scandalum populi timendum est. Secluso scandalo est tantum veniale, sine rationabili causa consecrare hostiam fractam; mortale dicit *S. Alph.* n. 204, si fractura sit enormis.

3° *Ut materia sit munda.* Secluso scandalo est tantum veniale, sine rationabili causa consecrare hostiam maculatam, nisi macula sit enormis; nam si enormis, esset mortale[4].

---

vini consecrati particulae ab invicem non disiunguntur (quod nescimus) et pergunt componere portionem, etsi minimam, vini consecrati, manent consecratae.

Quod si in ablutione infundatur vinum diversae speciei (sive vinum potentius sive debilius), multo magis si liquor diversae speciei (v. gr. aqua, acetum), tunc videtur certum quod omnes vini consecrati particulae ab invicem dissociantur et proinde consecratio in omnibus perimitur. Etenim ad particularum dissociationem non tantum cooperantur in hoc casu commixtio resultans ex infusione et agitatio calicis commixtionem accelerans, sed etiam, et non minus efficaciter, novum phaenomenon diffusionis, quod tunc supervenit. Hoc enim phaenomenon, prouti hodie scientia physico-chimica illud concipit, consistit in hoc, quod unumquodque ex duobus liquidis alterum intime pervadit tenditque ad constituendam ex utrisque massam quamdam homogeneam (cf. CHWOLSON, *Traité de Phys.* t. 1, p. 5, pag. 653 seqq.; DRESSEL, *Lehrb. der Phys.* [ed. 1ª] pag. 134-135 164 seqq.). Hoc phaenomenon in infusione vini omnino aequalis, ut fit ordinarie in ablutione prima, locum non habet, quia massa vini consecrati et alterius superinfusi, quomodocumque disponantur, iam est homogenea.

Nec obiicias quod phaenomenon diffusionis non est instantaneum, sed aliquo eget tempore, a physicis computabili. Nam cum in secunda ablutione superinfundatur aliud liquidum, et in quantitate quidem enormiter maiore, quaevis particula vini consecrati minimam distantiam habet a partibus liquidi superinfusi et iam plus minus intime commixti, ideoque statim ab eius particulis per diffusionem penitius invaditur.

1 « In Missae celebratione sacerdos, secundum proprium ritum, debet panem azymum vel fermentatum adhibere ubicumque Sacrum litet » (can. 816).

2 S. ALPH. n. 203, dub. 2.

3 Pro sacerdote latino intellige; nam orientales fermentatum adhibent figura quadrangulari.

4 S. ALPH. n. 204.

4° *Ut vino admisceatur modicum aquae.* Sufficit infundere unam guttam, ut patet ex verbis «aqua modicissima» (can. 814) desumptis ex *Conc. Florent.* Quanta infundi possit, *Suárez* et *Vázquez* relinquunt prudentiae sacerdotis; quinta vel sexta pars admitti potest sine scrupulo, si vinum regionis non sit nimis debile, ut colligitur ex dictis in n. 511 nota, § «Quaenam autem».

Aqua infundenda est in ipso calice; si infusio omissa fuit et advertatur ante consecrationem, adhuc facienda est, secus si post consecrationem [1].

516 5° *Ut materia sit intra corporale et, si altare habeat solum parvum lapidem consecratum, etiam supra hunc sacrum lapidem.* Sufficit, ut ciborium vel calix quoad maiorem sui partem in sacro lapide consistat; quod si is nequeat prae angustia utrumque simul cum hostia continere, potest materia accessoria seu ciborium supra lapidem tempore tantum consecrationis collocari, deinde removeatur (supra corporali tamen), ut locum cedat calici consecrando. Ceterum in curando, ut materia supra petram consistat, moralis diligentia sufficit; praefecti enim ecclesiae est lapidem sic collocare, ut celebranti sufficiat communi more materiam in corporali disponere.

Materia accessoria non debet ab altari auferri ante communionem sacerdotis [2].

6° *Ut ciborium vel calix sit discoopertus.* Si tamen sacerdos discooperire oblitus fuerit, diximus n. 514 valere consecrationem vi intentionis praeteritae.

7° *Ut materia accessoria praesens sit in offertorio vel saltem ante praefationem.* Si hostiae minores afferantur post offertorium ante praefationem, licite admittuntur, sufficitque supplere oblationem mentaliter. Cum rationabili causa possunt admitti inter praefationem et inceptum Canonem. At incepto Canone videntur non debere admitti sine gravi causa [3], v. gr. si plures secus sine communione remanerent; in hoc casu, addit cum aliis auctoribus *Lacroix*, admitti possunt etiam usque ad consecrationem; quod si unus tantum carere deberet communione, praestaret partem ex hostia sacerdotis ei dare [4]; nam quod secus diu exspectare deberet, est causa sufficiens cur id fiat [5].

---

1 Bus. ap. S. Alph. n. 208.

2 Lehmk. n. 167; Gury-Ferr., *Casus* II, n. 262.

3 Nam quoad illas hostias perverteretur ordo Missae.

4 Ex hostia maiore particulam defractam aliis dare, non debet fieri sine sufficienti causa; si tamen fiat sine causa, non excedit veniale. S. Alph. n. 245.

5 Lacroix n. 460 508; S. Alph. n. 217; Gury-Ferr., *Casus* II, n. 261.

Art. 5. Sacerdos celebrans.

a) **De admittendo sacerdote extraneo.** Quid hac in re observandum sit, clare exprimitur in can. 804, videlicet: **517**

1° *Si exhibet litteras commendatitias* sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si religiosus, vel *S. Congr. pro Eccl. Orientali*, si ritus orientalis, Codex vult ut admittatur; dummodo litterae ex sigillis aliisque signis dignoscantur esse authenticae et aduc validae, nec constet interim aliquid eum commisisse, cur a celebrando repelli debeat.

Sermo est de postulante celebrare accidentaliter, nulla enim obligatio admittendi eum, qui ibi celebrare velit modo stabili.

2° *Si iis litteris careat*, rector ecclesiae potest (non tamen debet) eum admittere, si eius probitatem perspectam habet. Si vero ipsi sit ignotus, adhuc admittere eum potest semel vel bis, dummodo ecclesiastica veste sit indutus (etsi non talari, cf. n. 407), nihil ob celebrationem ab illa ecclesia quovis titulo [1] percipiat, et nomen, officium suamque dioecesim in peculiari libro signet.

3° *Peculiares normae*, *quas Ordinarius loci* hac de re dederit, servandae sunt ab omnibus [2], etiam religiosis exemptis, nisi agatur de admittendis religiosis in ecclesia suae religionis.

b) **Obligatio celebrandi.** Num ex ipsa ratione sacerdotii, proinde ex iure divino, oriatur obligatio aliquoties in anno, puta ter quaterve, celebrandi, disputarunt auctores, quorum controversia minus practica evasit, cum iam constet omnino obligationem imponi ex iure ecclesiastico, ut sacerdotes omnes Sacrum litent « pluries per annum » (can. 805). Immo vult Ecclesia, ut « curet Episcopus vel Superior religiosus, ut iidem (sacerdotes omnes) saltem singulis diebus dominicis aliisque festis de praecepto divinis operentur », quibus verbis ex *Conc. Trid.* sess. 23 de ref. c. 14 depromptis aperte exprimit quam vehementer, ut id sacerdotes faciant, exoptet, atque a suis Superioribus adhortationibus et monitionibus, non tamen poenis et censuris [3] compellantur. **518**

---

1 Etsi nimis sero celebraverit ad ecclesiae commoditatem, ut sic nempe quilibet pecuniae impulsus ad celebrandum tollatur.

2 Sive a celebrare petentibus, sive ab ecclesiarum rectoribus. *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 360 praecepit, ut nemo ignotus et advena ad Sacrum faciendum admittatur, qui necessaria testimonia antea non produxerit. Sed cum id ante Codicem fuerit latum, non videtur inconveniens, ut Codicis praxis admittatur, donec illa paulo severior confirmetur.

3 *S.C.C.* 25 febr. 1617.

Si tamen de casu agatur, quo populus ob Missarum penuriam non posset praecepto ecclesiastico satisfacere, utique posset Episcopus sacerdotes saeculares, etiamsi animarum curam non habentes, quos necesse duxerit, collato stipendio compellere[1], ut celebrent diebus festis in ecclesiis, quas assignaverit[2]; id enim sub obligatione continetur adimplendi muneris ab Episcopo commissi, quam in ordinatione susceperunt (can. 128). Ad celebrandum vero diebus ferialibus adigere solum potest animarum curam habentes, si id aliqua ratione videatur requiri, ut eorum munus convenienter impleatur[3], non autem ceteros. Omnino tamen decet, ut quilibet sacerdos quotidie celebret; immo nisi rationabilis causa Missam praetermittendi occurrat, vix absque veniali abstinebit, generatim enim ducetur tepiditate, immodica effusione ad exteriora aliove motivo reprehensibili, ad quod forte est dispositus, eo quod vitam piam iuxta vota canonis 125 (cf. supra n. 406) non servat.

Posse Superiores regulares suis subditis obligationem celebrandi imponere titulo iustitiae ad adimplenda stipendia accepta, ambigi non potest; est enim onus, quod communitatem gravat et imprimis per eius membra praestari debet[4].

Ex aliis etiam titulis obligatio celebrandi exsurgere potest, ex officio curae animarum, prouti dictum in n. 507, ex beneficio, ex contractu, ut patet. De postremo hoc titulo, si stipendium acceptum est, seorsim, propter speciales difficultates, agendum erit.

519 *c*) **Dispositio sacerdotis celebraturi.** Sacerdos debet esse

1° *Liber a censura, irregularitate aliove canonico impedimento.* De his alio loco disserendum erit. Sufficit dixisse nunc de defectibus corporis, qui Missam « secure et decenter » (can. 984, 2°) celebrare impediunt et irregularitatem afferunt, eos difficilius exercitio suscepti ordinis obstare quam huius suscep-

---

1 Potest Episcopus simul applicationem imponere, si aliam sacerdos ex obligatione non habet. Si Episcopus collato stipendio applicationem liberam relinquit, poterit sacerdos alii stipendio simul satisfacere. Non potest Episcopus stipendium denegare eo quod sacerdos stipendia missarum aliunde collecta habeat, si is possit et velit iis omnibus aliis diebus satisfacere.

2 Bened. XIV const. « Declarasti » 16 mart. 1746, § « Minus quoque »; Wernz III, n. 535; Ferr. n. 488 quaer. 7; Gén.-S. n. 223.

3 Immo curatores animarum monitum Episcopi exspectare non debent, sed tenentur consuetudinem rationabiliter exsistentem prosequi, ne ignavia sua tepescat in suis paroecianis devotio, quam ex officio suo fovere debent. Gén.-S. cas. 724.

4 Cf. *S.C. de Relig.* 23 mart. 1914 (*A.A.S.* [1914] p. 231); Lugonem d. 19, n. 210 seqq.; Gasparri, *De SS. Euch.* n. 636 seqq.; Lehmk. n. 282-283.

tioni. Ipse enim can. 984, 2° iam expresse monet, quod a veteribus canonistis tenebatur, scilicet, quod « ad impediendum exercitium ordinis legitime recepti gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus, qui rite poni possunt. » Porro celebratio sufficienter rite poni potest, si non obstante defectu potest peragi sine irreverentia, sine adstantium scandalo et sine omissione ullius ritus, qui sat notabilis sit momenti [1]. Quare:

Sacerdos caecutiens non prohibetur celebrare, dummodo Missam firmiter memoria teneat, et discernat calicem et hostiam quantum sufficit ad vitandam irreverentiam. At sacerdoti penitus caeco illicitum est celebrare [2] sine indulto pontificio, item ita caecutienti, ut nequeat Missas pro dierum diversitate legere [3].

Neque celebrare prohibetur surdus, etsi ministrum audire nequeat; nec balbutiens, nisi risum aut contemptum moveat; nec cruribus distortus, si vitium talari veste sufficienter tegat; nec claudus, nisi absque baculo stare non possit [4].

Sunt quidam defectus, ut lepra, syphilis foris apparens etc., qui ob populi scandalum aut horrorem a publice celebrando impedire possunt, sed tolerari poterunt in celebratione privata [5].

---

1 Privatio *alterutrius* brachii, ait Verm.-Creus. II, n. 256, non necessario facit irregularem ad ordines susceptos *exercendos*, si per brachium affabre factum apte suppleatur defectui. Mutilus altera *manu*, ad ordines susceptos *exercendos* non est irregularis, modo decentiae consulatur.

2 S. Alph. l. 6, n. 390.

3 Sacerdos accidentaliter vel habitualiter caecutiens facultatem impetrare potest a *S. Rituum Congr.* (vel ab Episcopo, si copia eam dandi fuerit munitus) dicendi quotidie, quovis anni tempore, Missam quintam de B.M.V. (etiam ter in die Natalis D.ñi) cum Gloria et Credo, si utrumque vel alterutrum habeat Missa diei currentis in ecclesia, in qua celebrat, additisque orationibus de Spiritu Sancto et «Ecclesiae» vel pro Papa, si ibidem occurrunt orationes pro tempore, si secus, nulla addita; Missam vero quotidianam Defunctorum, diebus quibus in eadem Ecclesia licet. In triduo Maioris Hebd. a celebrando abstinebit. Cf. plura in instruct. *S.R.C.* 12 ian. 1921 (*A.S.S.* [1921] p. 154, [1920] p. 122); De Herdt I, n. 68; Soláns-Casanueva, *Manual lit.* I, n. 264 seqq.; Martínez De Antonana, *Manual de Lit. Sagr.* I, n. 429. Caecutiens condiciones in privilegio accepto appositas observare tenetur in conscientia, et si ibi apposita est condicio « dummodo non sit omnino caecus », novum indultum impetrare debet, si plane caecus evadat; caecus autem tenetur assistentia uti alterius sacerdotis, quamvis id in indulto non exprimatur. Cf. instruct. cit.

4 S. Alph. l. 7, n. 404-413.

5 S. Alph. l. 7, n. 411.

520 2° *In statu gratiae*, ne sacramentum suo effectu frustretur. Statum gratiae, quoniam SS. Eucharistiam suscepturus est, omnino debet sacerdos, si peccato mortali gravatur, per sacramentalem confessionem recuperare, uti dictum in n. 478 et dicetur iterum in n. 586, ubi de dispositionibus ad sumendam communionem.

Specialiter pro sacerdote hanc obligationem sic exprimit can. 807: « Sacerdos sibi conscius peccati mortalis, quantumvis se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione Missam celebrare ne audeat; quod si, deficiente copia confessarii et urgente necessitate, elicito tamen perfectae contritionis actu, celebraverit, quamprimum confiteatur. »

Praecepto igitur ecclesiastico, utique gravi, recuperandae gratiae per confessionem antequam celebret, non alligatur interea sacerdos qui *copia caret confessarii et in necessitate celebrandi versatur*. Huiusmodi necessitatem non inducit mera privatio stipendii. Sed certe in illa necessitate versatur: 1° Qui consecrare debet hostiam pro moribundo; 2° Qui celebrare debet, ne populus maneat sine Missa die festo; 3° Qui cum celebrare teneatur ex officio aut alia de causa, non potest Missam omittere sine gravi infamia aut scandalo; 4° Qui peccati gravis recordatur incepta Missa; nam vix unquam poterit sine gravi nota vel Missam interrumpere ad confitendum, vel eam dimidiatam deserere, vel confessarium ad altare accersere, idemque dic, si peccati mortalis recordatur, cum ex sacristia ad celebrandum procedit, vel si coram aliis se parare incepit, immo si peccati mortalis recordatur peracta iam consecratione, etsi nulli sint adstantes; nam sacrificium omnino perficere debebit[1].

Quandonam censendum sit *deficere copiam confessarii*, dicemus n. 587, ubi de dispositionibus animi ad communicandum. Ibi alia quoque consule.

521 In praedictis necessitatis casibus, si confessio praemitti non potuit, *elici debet actus contritionis* perfectae, ut monet ipse can. 807, ne sacramenti gratia frustretur, nisi, quod non facile eveniet, temporis vel adiunctorum angustiae tantae sint, ut ne id quidem perfici possit. Cf. dicta n. 478.

Diximus sacerdotem in praedictis adiunctis a confessione eximi « interea »; nam iuxta eumdem can. 807 imponitur ei obligatio, certe gravis, a *Conc. Trid.* sess. 13, c. 7 iampridem lata, peracta celebratione confitendi *quamprimum*. Iuxta multorum sententiam[2] sufficit, si confiteatur intra triduum, etsi antea copiam confessarii habeat. Per accidens tamen teneri

---

[1] Lugo d. 14, n. 113; S. Alph. n. 262; Ball.-P. n. 121 131.
[2] Cf. S. Alph. n. 266.

potest ad confitendum eadem celebrationis die, scilicet: 1° si ea die confessarium habere posset, quo deinceps cariturus sit; 2° si cras iterum celebrare vellet.

Hoc praecepto confitendi quamprimum post celebrationem non tenetur sacerdos: 1° qui celebravit memor peccati in confessione inculpabiliter obliti, id enim indirecte iam fuerat deletum, proinde dici non potuit conscius peccati mortalis; 2° qui cum ad altare peccati letalis recordetur vel illud admittat, conteritur et pergit in celebratione, diversimode enim de eo loquuntur *Rubr. Miss. de defect. in celebrat. Missae occurr.*, tit. VIII, n. 4[1]; 3° qui celebravit sacrilege, v. gr. qui noluit confiteri cum posset; in eo enim qui sacrilege celebrare non fuit veritus, praeceptum finem suum intendere non potuisset[2].

3° *Ieiunus*, servato ieiunio naturali, de quo fusius in n. 588 seqq., idque particulariter de sacerdote celebraturo praecipit can. 808: « Sacerdoti celebrare ne liceat, nisi ieiunio naturali a media nocte servato. »[3] 522

Potest tamen sacerdoti occurrere necessitas celebrandi non ieiuno, nempe: 1° Si necessitas est ad dandum Viaticum[4]; 2° Si sacerdos Missam omittere non posset sine nota et infamia, v. gr. si omittere non posset absque populi offensione et malis suspicionibus (sola tamen ratio, quod secus populus Missa careret[5], non esset sufficiens). Ideo Missam vix umquam tene-

---

1 Lugo d. 14, n. 140-148; Verm.-Creus. n. 79.

2 S. Alph. n. 266 267.

3 Aliqualem remissionem tam antiquae et gravissimae legis fecit S. Sedes 22 mart. 1923 in favorem sacerdotum, qui *Missam eodem die iterare* aut *eam tardiore hora celebrare* debent et sine *gravi damno ieiunium eucharisticum servare nequeunt.* Nihil tamen ipsis directe conceditur, sed tantum declaratur, quod Ordinarii locorum ad *Congr. S. Off.* pro dispensatione obtinenda recurrere possunt. Eisdem tamen locorum Ordinariis conceditur, ut in casibus urgentioribus, in quibus tempus recurrendi non suppetit, dispensationem tribuere possint, hisce tamen sub condicionibus, ut nonnisi aliquid per modum potus (n. 591), exclusis inebriantibus sumere permittatur, efficaciter scandalum removeatur ac quamprimum S. Sedes de concessa dispensatione certior fiat; dispensatio solum concedi potest, cum spirituale fidelium bonum eam exigat, non vero ob privatam ipsius sacerdotis devotionem aut utilitatem. (*A.A.S.* [1923] p. 151). Ei ergo, qui eam dispensationem obtinuit, nullatenus licet vinum sumere, etiam debile aut in parva quantitate, aut aliquid in loco publico, aut privatim coram iis non praemonitis, qui verisimiliter in cognitionem venire poterunt peractae postea celebrationis.

4 Lugo d. 15, n. 67 et S. Alph. n. 286, qui probabile id dicunt, etsi contrarium ipsi opinentur.

5 Strictius enim urget praeceptum servandi ieiunii ante celebrandum Sacrum quam praeceptum de eo audiendo.

bitur deserere sacerdos, qui durante Missa recordetur se non esse ieiunum, etenim vix umquam deerit infamiae periculum; si recordetur post consecrationem, omnino tenebitur prosequi et sacrificium perficere; 3° In necessitate perficiendi sacrificii, v. gr. si sacerdos sumpto calice deprehendit non fuisse vinum [1], vel si deficiente alio sacerdote ieiuno, perficere debet non ieiunus sacrificium alicuius celebrantis post consecrationem morbo aut morte correpti (n. 498, 2°).

523 4° *Paratus piis precibus.* « Sacerdos ne omittat ad Eucharistici Sacrificii oblationem sese piis precibus disponere, eoque expleto, gratias Deo pro tanto beneficio agere » (can. 810) [2]. Quod etsi per modum praecepti ab Ecclesia non proponatur, patet tamen ex ipsa rei natura ob reverentiam tremendi sacrificii tam enixe reclamari, ut qui id sine rationabili causa praetermittat, reus sit notabilis negligentiae a veniali non excusandae, quae saepe, in omissione praesertim gratiarum actionis, cum aliquo scandalo coniungi solet.

Quantum temporis impendendum sit, a rebus gerendis potissimum pendet, quae praeparationem impediant aut a prosequenda gratiarum actione avocent. *Rubrica Missalis* [3] dicit tantum, ut « sacerdos celebraturus orationi aliquantulum vacet », cui satisfieri videtur per dimidium quadrantis spatium [4]. Gratiarum autem actio, ait *S. Alph.* [5] de personis spiritualibus loquens, « fiat saltem per dimidiam horam »; profecto sacerdotem, nisi urgente necessitate, minus quam integrum horae quadrantem gratiarum actioni tribuere nullatenus decet, atque omnia praevenire deberet, ut consueto posset conveniens temporis spatium, ante et post Missam, ad se disponendum et gratias agendum impendere.

Peculiares orationes ad praeparationem non praescribuntur, ut patet ex eo quod, quae in *Missali* prostant, proponuntur solum ut dicendae « pro opportunitate sacerdotis ». E contra gratiarum actio iuxta rubricas [6] a sacerdote iam inchoari debet in recessu ab altari per Antiph. « Trium puerorum » cum cantico « Benedicite » et psalmo cum tribus orationibus subse-

---

1 *Rubr. Miss. de defect.* tit. 4, n. 5.

2 Cf. optimas instructiones *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 338-342.

3 *Rit. serv. in celebr. Missae* tit. I, n. 1.

4 Nec minus decet tribui sine urgenti causa. S. Alph. (ap. Soláns, *Manual lit.* [ed. 1913] t. 1, n. 130) dicit quod oportet, ut se praeparet « saltem per quadrantem, quod ceteroquin nimis parum est ».

5 *Prax. Confess.* c. 9, § 4, n. 156.

6 *Rit. serv. in celebr. Missae* tit. XII, n. 6, et in fine partis, quae inscribitur « Ordo Missae », immediate ante dom. Resurrectionis.

quentibus, ut in *Missalis* initio. Non constat tamen de obligatione sub peccato, quoniam non constat esse stricte praeceptivas rubricas *Missalis* circa agenda ante et post actum ipsum Missae [1].

Art. 6. Tempus et locus Missae celebrandae.

a) **Quibus diebus** celebrare liceat. « Missae sacrificium **524** omnibus diebus celebrari potest, exceptis iis, qui proprio sacerdotis ritu excluduntur » (can. 820). In romano ritu excluduntur sub gravi a celebratione tres postremi dies Hedomadae Maioris, videlicet fer. VI in Parasceve, in qua non dicitur nisi ea quae vocatur Missa Praesanctificatorum, feria V et sabbatum, in quibus ea tantum dicitur, quae sacrae functioni coniuncta est [2].

---

1 S. Alph. l. 6, n. 399; Lehmk. n. 326; Ferr. n. 514.

2 Attamen *feria V in Coena D.ñi.*

1° Episcopus concedere potest, ut in ecclesiis paroecialibus una Missa legatur ante sollemnem, vel si ibi sollemnis non celebretur, ante sollemnitatem ecclesiae cathedralis (Soláns, *Man. liturg.* [ed. 1913] t. 2, n. 538, 6°; Gasparri, *De SS. Euch.* t. 1, n. 77-82; Gén.-S. n. 235; Ferr. n. 48; Verm.-Creus. n. 95), idque Schneider, *Man. sacerd.* p. 532 et Gén.-S. n. 235 interpretantur pro ecclesiis etiam hospitalium, carcerum, parvorum conventuum, quae proprium rectorem et ius SS.mum Sacram. asservandi habent. Praeterea videtur iam quibusdam in locis consuetudo invaluisse pratermittendae petitionis licentiae ab Episcopo.

2° Superior regularium (proprie dictorum), si in sua ecclesia functiones non fiant, Missam celebrare potest, ut sui communicent, in privato oratorio vel ianuis clausis in ecclesia (*Decr. auth.* n. 2799 4049; Soláns, etc., ll. cc.; Lehmk. n. 287 nota). In Soc. Iesu Missa pro infirmis legi potest ex privilegio, etsi functiones in ecclesia fiant.

3° Si incidat eo die festum de praecepto, Episcopus curare debet ut fiant tot Missae, quot opus sint ut populus praeceptum adimplere possit.

Fer. VI in Parasceve in unico casu celebrare liceret, quo infirmus secus decederet sine Viatico, quod nondum sumpserat. Legenda videtur in casu Missa de Passione (Gasparri op. cit. n. 84). Casus vix occurret, quia Sacramentum pro infirmis asservari debet.

Sabbato sancto non licet nisi Missa, quae sacrae functioni est adnexa. Aliquando tamen ex specialissimo privilegio Missa privata fuit concessa (Lehmk. n. 288; Gasparri op. cit. n. 89 seqq.; Blat, *Comm. text. Cod.* l. 3, p. 131). In ecclesiis non parochialibus functio Sabbati Sancti omitti potest, etsi duae praecedentes peractae fuerint (*Decr. auth.* n. 4049), nec quidquam videtur obstare quominus fiat, etsi praecedentes peractae non fuerint.

Functiones Tridui Hebdomadae Maioris posse s o l l e m n i t e r celebrari in quibuslibet ecclesiis atque oratoriis semipublicis constat ex can. 1171 1193, et *S. R. C.* excepit tantum illas, in quibus SS. Sacramentum plerumque non asservatur (Soláns op. cit. n. 538, 3°). N o n s o l l e m n i t e r, seu cum caeremoniis parvi ritualis Benedicti XIII, illas fieri licet in ecclesiis parochialibus tantum, in quibus aliter peragi non possint; in non parochialibus opus est indulto apostolico vel Episcopi licentia, si eam tribuendi facultatem habet.

b) **Quoties in die** celebrare liceat. Semel tantum, nisi: 1° diebus Nativitatis Domini et Commemorat. omn. fidel. defunct., in quibus ter celebrare licet[1]; 2° facultate accepta ab Ordinario loci, qui tamen eam ad secundam tantum Missam dare potest, et nonnisi propter penuriam sacerdotum, ne pars notabilis fidelium die festo praeceptum adimplere non possit[2]; 3° in necessitate Viatici[3].

525 *De binatione*[4]. Iuxta laudatum can. 806 Ordinarius loci facultatem binandi die festo dare potest ob necessitatem populi et penuriam sacerdotum. Casus frequenter evenire potest, si nempe parochus duabus paroeciis vel duobus populis nimis

---

1 Die Nativitatis Domini qui unam tantum Missam celebrare vult, sumere debet primam, quae in *Missali* prostat, si celebrat ante auroram; secundam, si in aurora; tertiam, si ea transacta. Simile observet, qui duas tantum legat. Die autem Commemorationis defunctorum, sive una Missa legatur, sive duae, sive tres, eo ordine dicuntur, quo habentur in novo *Missali;* qui tamen unam canit, primam adhibere debet, facta potestate anticipandae secundae et tertiae.

His diebus in 1ª et 2ª Missa, si sacerdos aliam sit celebraturus, sumpto SS. Sanguine non abstergit calicem, sed palla tegit; iunctis manibus dicit in medio altaris « Quod ore etc. » et in vase cum aqua parato digitos abluit dicens « Corpus tuum etc. » calicemque super corporale manentem disponit. In 2ª et 3ª Missa, ad offertorium calicem non abstergit, sed eum intra corporale relinquens leviter elevat, vinumque et aquam caute infundit et ipsum, nullatenus ab intus abstersum, more solito offert.

Die Commemorationis omnium fid. defuntorum omnes Missae gaudent privilegio altaris privilegiati (can. 917, § 1).

2 « § 1. Excepto die Nativitatis Domini et die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, quibus facultas est ter offerendi Eucharisticum Sacrificium, non licet sacerdoti plures in die celebrare Missas, nisi ex apostolico indulto aut potestate facta a loci Ordinario. — § 2. Hanc tamen facultatem impertiri nequit Ordinarius, nisi cum prudenti ipsius iudicio propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto notabilis fidelium pars Missae adstare non possit; non est autem in eius potestate plures quam duas Missas eidem sacerdoti permittere » (can. 806).

3 Ratio, quia minus stricta est prohibitio binandi quam celebrandi fracto ieiunio; binatio enim conceditur ab Ordinario, ne pars populi die festo Missa careat; celebrare autem fracto ieiunio non conceditur, etsi populus eo die Missa careat. Atqui fracto ieiunio licet probabiliter celebrare in necessitate Viatici. Ergo a fortiori secundam Missam dicere in eadem necessitate. Nec videtur obstare, quod in casu non alterutra, sed utraque lex simul praetermitteretur, et ieiunii servandi et non binandi; quia si in tanta necessitate lex fortior urgere cessavit, cessare censeri simul debet et altera. Neque aliter sentiunt Lehmk. n. 291; Gasparri, *De Euch.* II. 390 434; Many, *Prael. de Missa* n. 31 35.

4 De hoc argumento utiliter adhuc post Codicem aditur instructio *S. C. de Prop. Fide* 29 maii 1870 (*A.S.S.* VI, p. 546 seqq.); Bened. XIV, *De Syn. Dioec.* l. 6, c. 8; Lehmk. n. 291 seqq.; Gasparri, *De Euch.* n. 378-407; Many, *Prael. de Missa* n. 28 seqq., 58 seqq.

dissitis inservire debet, vel si secus ob ecclesiae angustiam, loci distantiam, incolarum legitimas occupationes aliamve ob causam pars quaedam populi [1] praeceptum audiendae Missae moraliter adimplere non posset.

Huiusmodi binandi facultas cessat cessante eius causa, ideoque nequit sacerdos ea uti, si alius praesto sit qui opportune celebret [2]. Cum autem propter populi necessitatem concedatur, illa facultas, etsi certo parocho concessa, magis realis quam personalis dicenda est, ideoque ea uti potest qui eius vices gerat. Ob similem rationem, si forte in aliqua ecclesia ex inopinato deficeret sacerdos, qui ad binandum in ea fuerat assignatus ab Episcopo nec facilis pateret ad hunc recursus, posset alius sacerdos ieiunus licentiam praesumere [3].

Qui alteram Missam celebraturus est, nequit in praecedenti ablutiones sumere [4]; quod si oblitus eas sumpserit, aliam Missam celebrare non potest, etsi populus praeceptum adimplere non possit; haec enim ratio sola non excusaret, nisi accederet ratio scandali, offensionis populi vel periculi infamiae (n. 522).

An alterum stipendium percipi possit vide in n. 546.

c) **Qua hora** celebrari possit, ita decernit can. 821, § 1: **526**
« Missae celebrandae initium ne fiat citius quam una hora ante auroram [5] vel serius quam una hora post meridiem. » *

---

1 Generatim sufficere videtur, si 20 personae Missae assisterent, quae secus ea carerent. D' Annibale III, n. 405 nota 55; Verm.-Creus. n. 78; cf. *A.S.S.* VI, p. 557-558; Lehmk. n. 295.

2 Ita *Conc. Plen. Am. Lat.*, n. 349.

3 Verm.-Creus. n. 78; Lehmk. n. 293; Gén.-S. n. 240.

4 Sacerdos, post sumptum SS. Sanguinem, eum diligentissime sorbet et in reliquis se gerit sicut nuper diximus pro die Nativitatis Domini. Sed post ultimum Evangelium stans in medio altari, calicem adhuc super corporale manentem detegit, inspicit, et si gutta quaedam supersit, eam sorbet ex eadem parte, qua Sanguinem sumpserat.

Deinde, si alteram Missam in eadem ecclesia celebraturus est, calicem coopertum in sacristiam defert et super corporali vel palla, in loco decenti et clauso collocat, vel si nulla sit sacristia, super corporali et coopertum in altari relinquit.

Si vero alibi celebraturus est, postquam guttulam remanentem sorbuit, tantum saltem aquae infundit, quantum prius vini posuerat, eamque circumactam ex eadem parte, qua S. Sanguinem biberat, in paratum vas demittit, et calicem linteo abstergit. Gratiarum actione completa, aquam vel ad diem crastinum servat, ut eam in calicem in secunda purificatione demittat, vel absorbet gossypio aut stuppa comburenda, vel demittit in piscinam.

(Instruct. *S.R.C.* 12 sept. 1857 in Append. ad *Rit. Rom.* [ed. 1913] p. 9).

5 Circa horam qua incipit *aurora*, varie locuti sunt auctores, ut videre est apud S. Alph. n. 340 et 341. Nec mirum, cum

* Vide, sis, notam asterisco (*) distinctam in pag. 87.

Ubi aurora valde tarda est, licet celebrare exorto die civili et usuali, quando nempe communiter homines surgere iam solent ad labores, iuxta receptas consuetudines **.

---

illa hora pendeat non solum a temporis varietate, sed etiam a latitudine geographica cuiusque loci, ideoque non pro omnibus eodem anni tempore eadem sit. Praeterea aliquis eorum quos refert Bus. ap. S. Alph., videtur suam sententiam erronee protulisse iuxta diluculum civile, non iuxta astronomicum. Hoc postremum incipit, quando sol tantum demergitur 18° sub horizonte, et iuxta hunc computandi modum confecta est sequens tabella; quae quoniam utrique hemisphaerio adaptari et brevissima simulque perpetua fieri debuit, omnino exacta esse non potuit; error tamen maximus (is recurrere potest mensibus martio et septembri quorumdam annorum) non excedet 4 minuta (latitudo cuiusque loci eruenda est e chartis geographicis).

Qua hora incipit aurora (tempore *vero*).

Latitudo borealis.

Dies	0°	10°	15°	20°	32°	34°	36°	38°	40°	42°	
	h m	h m	h m	h m	h m	h m	h m	h m	h m	h m	
Ian. 20	4.43	4.57	5. 4	5.10	5.24	5.27	5.29	5.31	5.33	5.35	20 Iul.
Febr. 20	4.46	4.54	4 57	5.00	5. 4	5. 5	5. 5	5. 5	5. 6	5. 6	20 Aug.
Mart. 20	4.48	4.47	4.46	4.45	4.37	4.35	4.33	4.31	4.28	4.25	20 Sept.
Apr. 20	4.47	4.37	4.31	4.25	4. 3	3.58	3.53	3.47	3.41	3.34	20 Oct.
Mai. 20	4.43	4.27	4.17	4. 5	3.29	3.22	3.13	3. 3	2.53	2.41	20 Nov.
Iun. 20	4.41	4.21	4. 9	3.56	3.13	3. 3	2.52	2.40	2.26	2.10	20 Dec.
Iul. 20	4.43	4.25	4.15	4. 3	3.26	3.18	3. 9	2.59	2.47	2.34	20 Ian.
Aug. 20	4.47	4.36	4.30	4.22	3 59	3.54	3.48	3.42	3.36	3.28	20 Febr.
Sept. 20	4.48	4.46	4.44	4.42	4.32	4.30	4.27	4.24	4.21	4.18	20 Mart.
Oct. 20	4.46	4.54	4.56	4.58	5. 1	5. 2	5. 2	5. 2	5. 2	5. 1	20 Apr.
Nov. 20	4.43	4.57	5. 3	5. 9	5.22	5.24	5.26	5.28	5.30	5.32	20 Mai
Dec. 20	4.41	4.58	5. 6	5.14	5.31	5.34	5.36	5.39	5.42	5.45	20 Iun.
	0°	10°	15°	20°	32°	34°	36°	38°	40°	42°	Dies

Pro locis latitudinis borealis — Pro locis latitudinis australis

Latitudo australis.

At tempus in praecedenti tabula appositum est tempus *verum* seu solare. Si computandum est iuxta tempus *medium*, cui solent adaptari horologia rotata, superaddi debet correctio, quam pro diversis anni temporibus et pro quibuscumque locis exhibet sequens tabella:

Dies	Correctio	Dies	Correctio	Dies	Correctio	Dies	Correctio
	m		m		m		m
20 Ian.	+ 11	20 Apr.	— 1	20 Iul.	+ 6	20 Oct.	— 15
20 Febr.	+ 14	20 Mai	— 4	20 Aug.	+ 3	20 Nov.	— 15
20 Mart.	+ 8	20 Iun.	+ 1	20 Sept.	— 6	20 Dec.	— 2

Insuper si hora computanda est iuxta tempus *legale seu officiale*, alia adhuc correctio facienda erit, scilicet, debebunt toties addi vel subtrahi 4m, quot gradus longitudinis geographicae intercedant inter locum et meridianum officiale (correctio additur, si meridianum officiale situm est ad orientem loci, subtrahitur si situm est ad occidentem).

Iuxta praedicta Barcinone (cuius latitudo borealis 41° cum dimidio) aurora die 20 Ian. incipit hora 5h 34m (tempore vero) vel

** Vide, sis, notam duobus asteriscis (**) distinctam in p. 87.

Missam citius aut serius celebrare quam lex praedicta statuit, peccatum est[1]. Gravis tamen non censetur, iuxta communiorem sententiam[2], anticipatio vel dilatio nisi unius integrae horae, nimirum, si inchoetur Missa duabus horis ante auroram vel duabus post meridiem.

Licet tamen tempus celebrationis antevertere vel protrahere: 1° Ubi est mos rationabilis, ut opifices et famuli summo mane possint audire Missam; 2° Ex causa itineris, per horam ante vel ultra tempus assignatum; 3° Si sollemnitas in templo nimis protracta sit, poterit Missa privata subsequi, etiam usque ad horam secundam, si pars populi exspectet adhuc ut praecepto satisfaciat; idem teneri potest, si Missa nuptialis celebranda est et sponsi opportune nondum accedere potuerunt.

« *In nocte Nativitatis Domini* inchoari[3] media nocte potest sola Missa conventualis[4] vel paroecialis, non autem alia sine apostolico indulto »[5] (can. 821, § 2).

5h 45m (tempore medio) vel 5h 36m (tempore officiali meridiani Greenwich, seu subtractis 9m, nam meridianum Greenwichense currit ad occidentem Barcinonis, distans fere duobus gradibus et quarta parte). Similiter Bonis Auris (cuius latitudo australis 34° cum dimidio) aurora die 20 Octobris incipit 3h 57m (tempore vero) vel 3h 42m (tempore medio) vel 3h 36m (tempore officiali meridiani distantis 60° a Greenwich, ideoque distantis gradu cum dimidio ad occidentem praedictae urbis).

Computo sic facto, sufficit detrahere unam horam, ut habeatur instans, quo iuxta can. 821 initium Missae fieri potest.

* *Meridies* computari potest ad libitum iuxta tempus verum, medium vel officiale (n. 33, can. 33).

** *Decr. auth.* n. 614, et auctores communiter.

1 Privilegia regularibus concessa pro anticipatione vel dilatione Missae vide in n. 464. Adverterat S. Alph. n. 346, privilegium celebrandi una hora post meridiem vel ante auroram intelligi de una hora ante vel post tempus non privilegiatis concessum. Sed cum hoc privilegium hodie iam in ius commune transierit (cf. can. 821) ideoque privilegium esse desierit, perperam inferret quispiam licere hodie, vi eiusdem privilegii, celebrare duabus horis ante auroram vel post meridiem.

2 S. Alph. n. 346.

3 Non licet eam ante mediam noctem inchoare (*Decr. auth.* n. 3577). Potest sacra communio intra Missam fidelibus distribui, iuxta can. 846.

4 Id est Missa, cui conveniunt qui illius ecclesiae choro sunt addicti. Blat., *Comm. text. Iur.* III, p. 134; De Herdt, *Sacrae lit. Praxis* t. 1, n. 13.

5 « In omnibus tamen religiosis seu piis domibus oratorium habentibus cum facultate sanctissimam Eucharistiam habitualiter asservandi, nocte Nativitatis D.ñi, unus sacerdos tres rituales Missas vel, servatis servandis, unam tantum quae adstantibus omnibus ad praecepti quoque satisfactionem valeat, celebrare potest et sacram communionem petentibus ministrare » (can. 821, § 3).

In piis domibus, ad finem scilicet caritatis erectis, cuiusmodi sunt nosocomia, orphanotrophia etc., quibus adiunge seminaria

527 *d*) **Quo loco** celebrandum sit, exprimitur in canone 822, ex quo sequentia eruuntur:

1° *De aedibus.*

a) *Non licet celebrare, nisi in ecclesia*[1] *vel oratorio* (publico, semi-publico vel domestico) (can. 822, § 1); sed in oratorio, si sit domesticum, celebrari potest unica tantum Missa eaque lecta singulis diebus, exceptis festis sollemnioribus, nisi aliud in indulto concedatur. De his cf. dicta n. 357 358.

b) *Ecclesia* vel *oratorium publicum*[2] debent esse *consecrata* vel *benedicta*[3] ad normam iuris (can. 822, § 1).

c) *Ecclesia* vel *oratorium publicum* non debent esse *violata*[4]. (can. 1173, § 1, can. 1191, § 1).

« § 1 Ecclesia (vel oratorium publicum, can 1191, § 1) violatur infra recensitis tantum[5] actibus, dummodo certi[6] sint, notorii[7] et in ipsa ecclesia* positi: 1° De-

---

(Blat op. cit. p. 136) et carceres, si in iis SS. Eucharistia habitualiter asservatur (Verm.-Creus. n. 97), non vero alumnorum collegia, nisi sint simul religiosae domus. Quid domus religiosa, cf. n. 423, 5°, vel can. 488, 5°.

Missa in huiusmodi domibus celebranda est ianuis ecclesiae (si oratorium non habetur) vel oratorii (cui e via publica est aditus) clausis (*S. Off.* 26 nov. 1908), quod tamen non impedit, quominus fideles quidam invitati privatim introducantur (cf. Ferr. in ephem. *Razón y Fe* XIX, p. 230 seqq., XXIII, p. 243; Vermeersch, *Period.* III, p. 168, IV, p. 311).

1 « Non licet Missam celebrare in templo haereticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecrato aut benedicto » (can. 823, § 1).

2 Quid veniat nomine ecclesiae vel oratorii publici, cf. n. 357.

3 Patet proinde prohiberi celebrationem in ecclesia vel oratorio publico, quod consecrationem aut benedictionem amiserit. De cetero « consecrationem vel benedictionem ecclesia (idem dic de oratorio publico, can. 1191, § 1) non amittit, nisi tota destructa fuerit, vel maior parietum pars corruerit, vel in usus profanos ab Ordinario loci redacta sit » (can. 1170).

« Exsecratio ecclesiae non secumfert exsecrationem altarium sive immobilium sive mobilium; et viceversa » (can. 1200, § 4).

4 « Si violatio accidat tempore divinorum officiorum, haec statim cessent; si ante Missae canonem vel post communionem, Missa dimittatur; secus sacerdos Missam prosequatur usque ad communionem » (can. 1173, § 2).

5 Ex sequentibus patebit casus, quibus Ecclesia violatur seu polluitur, ad minorem numerum contractos esse in novo iure.

6 Non sufficit ergo probabilitas sive iuris sive facti.

7 Notorietate sive iuris sive facti. S. Alph. l. 6, n. 364. Quid autem censendum sit notorium, habes in can. 2197: « Delictum est: 1° *Publicum*, si iam divulgatum est aut talibus contigit seu versatur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgatum iri; — 2° *Notorium notorietate iuris*, post sententiam iudicis competentis quae in rem iudicatam transierit aut post confessio-

* Vide, sis, notam asterisco (*) distinctam in pag. 89.

licto[1] homicidii[2]; 2° Iniuriosa[3] et gravi[4] sanguinis effusione; 3° Impiis vel sordidis usibus[5], quibus ecclesia addicta fuerit; 4° Sepultura infidelis vel excommunicati post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. — § 2. Violata ecclesia, non ideo coemeterium, etsi contiguum, violatum censetur, et viceversa » (can. 1172)[6].

d) *Extra ecclesiam vel oratorium celebrari* tantum potest vi acceptae ab Ordinario facultatis, ad tenorem sequentis can. 822, § 4: « Loci Ordinarius aut, si agatur de domo religionis exemptae[7], Superior maior, licentiam celebrandi extra ecclesiam et oratorium[8] super petram sanctam et decenti loco,

---

nem delinquentis in iudicio factam ad normam can. 1750; — 3° *Notorium notorietate facti*, si publice notum sit et in talibus adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit; — 4° *Occultum*, quod non est publicum; *occultum materialiter*, si lateat delictum ipsum; *occultum formaliter*, si eiusdem imputabilitas. »

* Non v. gr. in sacristia vel in turri; idem dic de crypta, si ad eam ingressus positus est extra ecclesiam.

1 Non proinde homicidium, si delictuosum non est, v. gr. patratum in iusta defensione vel commissum ab amente. S. ALPH. n. 364.

2 Huic assimilatur suicidium. VERM.-CREUS. n. 489.

3 Iniuriosa, id est iniusta.

4 Gravi tum propter notabilem sanguinis copiam, tum quia cum culpa mortali.

5 V. gr. in stabulum vel in locum nundinarum. Furtum, etsi sacrilegum, ecclesiam non violat; nequit enim dici quod haec impiis aut sordidis usibus destinata fuerit.

6 « § 1. Ecclesia violata reconcilietur, quam citissime poterit, secundum ritus in probatis liturgicis libris descriptos. — § 2. Si dubitetur num ecclesia sit violata, reconciliari potest ad cautelam » (can. 1174).

« § 1. Ecclesiam *benedictam* reconciliare potest rector eiusdem vel quilibet sacerdos de consensu saltem praesumpto rectoris. — § 2. Ecclesiae *consecratae* valida reconciliatio ad eos spectat de quibus in can. 1156 (nimirum ad eos, ad quos spectaret ius illam benedicendi; hos autem sic exprimit can. 1156: Ius benedicendi locum sacrum, si hic pertineat ad clerum saecularem vel ad religionem non exemptam, vel ad laicalem, spectat ad Ordinarium territorii in quo locus reperitur; si ad religionem clericalem exemptam, ad Superiorem maiorem; uterque vero potest alium sacerdotem ad hoc delegare.) — § 3. In casu tamen gravis et urgentis necessitatis, si Ordinarius adiri nequeat, rectori ecclesiae consecratae eandem reconciliare fas est, certiore facto postea Ordinario » (can. 1176).

« Reconciliatio ecclesiae benedictae fieri potest aqua lustrali communi; reconciliatio vero ecclesiae consecratae fiat aqua ad hoc benedicta secundum leges liturgicas; quam tamen non solum Episcopi, sed etiam presbyteri qui ecclesiam reconciliant, benedicere possunt » (can. 1177).

7 Etsi laicalis.

8 Non tamen in mari, ut manifestum est ex can. 822, § 3, de quo mentio fiet paulo inferius.

nunquam autem in cubiculo[1], concedere potest iusta tantum et rationabili de causa, in aliquo extraordinario[2] casu et per modum actus. »[3]

528 2° *De altari.*

a) *Super altare consecratum*[4], immobile vel mobile[5], Missa celebranda est (can. 822, § 1).

---

1 Intelligi debet camera, quae actu inservit ad decumbendum. Non putamus excludi facultatem, ut celebretur in cubiculo infirmi exire moraliter impediti, prius rite mundato et composito; sed mentem putamus fuisse ne sacerdos in propria vel aliena domo celebraturus suum proprium cubiculum aut aliena cubicula eligeret vel acceptaret. Cf. LEHMK. n. 305 nota; GASPARRI, *De Euch.* n. 261-273.

2 Quoniam haec facultas restrictive interpretanda est, ut declaravit *Comm. I. C.* 16 oct. 1919 (*A.A.S.* [1919] p. 478), non sufficeret pro motivo morbus sacerdotis, non enim est casus extraordinarius; bene vero, ait VERM.-CREUS. n. 99, si concurrat cum speciali anniversario. Dari posse hanc facultatem, ut celebretur sub dio ob multitudinem cuiusdam peregrinationis etc., manifestum est. GASPARRI, *De Euch.* n. 276. Immo si necessitas adeo urget, ut nullam patiatur moram, licentia Ordinarii praesumitur, v. gr. si in recenti terraemotu ecclesiae corruissent. GASPARRI ibid. n. 275.

Rursus inculcavit nuper *S.C. de Sacram.* 26 iul. 1924 facultatem permittendi celebrationem extra ecclesiam vel oratorium, iuxta can. 822, § 4, valde circumspecte esse exercendam. Declaravit enim Ordinariis Italiae nonnisi in casu extraordinario et cum iusta causa debere eam exerceri; porro causam huiusmodi debere cultum divinum et fidelium bonum spirituale respicere, celebrationemque extra praedicta loca non posse concedi occasione alicuius commemorationis profanae vel ad augendum splendorem alicuis festi politici (*A.A.S.* [1924] p. 370).

3 Id est, non modo permanenti seu quasi habitualiter, sed ad unam alteramve vicem; potest tamen licentia toties iterari, quoties motivum sufficiens recurrat.

4 « Ut Missae sacrificium super illud celebrari possit, altare debet esse, secundum liturgicas leges, consecratum; idest vel totum, si agatur de immobili, vel ara tantum portatilis, si de mobili » (can. 1199, § 1).

« Deficiente altari proprii ritus, sacerdoti fas est ritu proprio celebrare in altari consecrato alius ritus catholici, non autem super Graecorum *antimensiis* » (can. 823, § 2). Est autem antimension linteum ad modum corporalium latinorum, sacris reliquiis in angulis instructum, quod ab Episcopo simul cum ecclesia consecratur. Antimension extenditur super altare, si id non est consecratum, et tenet locum nostrae arae portatilis. FERR. n. 494 nota.

5 « § 1. Sensu liturgico intelligitur: 1° Nomine altaris *immobilis* seu *fixi* mensa superior una cum stipitibus per modum unius cum eadem consecratis; 2° Nomine altaris *mobilis* seu *portatilis* petra, ut plurimum parva, quae sola consecratur, quaeque dicitur etiam *ara portatilis* seu *petra sacra;* vel eadem petra cum stipite, qui tamen non fuit una cum eadem consecratus. — § 2. In ecclesia consecrata saltem unum altare, praesertim maius, debet esse im-

Altare immobile amittit consecrationem, si mensa a stipite separetur.

Tum altare immobile tum ara portatilis amittunt consecrationem: 1° Si frangantur enormiter, sive ratione quantitatis fractionis (puta, si scissura per medium integrum lapidem currat, vel si ara portatilis iam partem non habeat, in qua possint simul hostia et maior pars calicis consistere), sive ratione loci unctionis (v. gr. si aliqua e crucibus lateralibus separata sit). 2° Si amoveantur reliquiae, aut si frangatur vel amoveatur sepulcri operculum. Nec levis fractio operculi nec fractio sigilli episcopalis, inducunt exsecrationem [1].

b) *Privilegium altaris portatilis* [2], si cui est concessum [3], ita intelligendum est, ut possit celebrare ubique super aram, in decenti loco [4], non autem in mari *.

---

mobile; in ecclesia autem benedicta omnia altaria possunt esse mobilia » (can. 1197).

« § 1. Tum mensa altaris immobilis tum petra sacra ex unico constent lapide naturali, integro et non friabili. — § 2. In altari immobili tabula seu mensa lapidea ad integrum altare protendi debet, et apte cum stipite cohaerere; stipes autem sit lapideus vel saltem latera seu collumellae quibus mensa sustentatur sint ex lapide. — § 3. Petra sacra sit tam ampla ut saltem hostiam et maiorem partem calicis capiat. — § 4. Tum in altari immobili tum in petra sacra sit, ad normam legum liturgicarum, sepulcrum continens reliquias Sanctorum, lapide clausum » (can. 1198).

1 « § 1. Altare immobile amittit consecrationem, si tabula seu mensa a stipite, etiam per temporis momentum, separetur; quo in casu Ordinarius potest permittere ut presbyter altaris consecrationem rursus perficiat ritu formulaque breviore. — § 2. Tum altare immobile tum petra sacra amittunt consecrationem: 1° Si frangantur enormiter sive ratione quantitatis fractionis sive ratione loci unctionis; 2° Si amoveantur reliquiae aut frangatur vel amoveatur sepulcri operculum, excepto casu quo ipse Episcopus vel eius delegatus operculum amoveat ad illud firmandum vel reparandum vel subrogandum, aut ad visitandas reliquias. — § 3. Levis fractio operculi non inducit exsecrationem et quilibet sacerdos potest rimulam cemento firmare. — § 4. Exsecratio ecclesiae non secumfert exsecrationem altarium sive immobilium sive mobilium; et viceversa » (can. 1200).

2 « § 2. Privilegium *altaris portatilis* vel iure vel indulto Sedis tantum Apostolicae conceditur. — § 3. Hoc privilegium ita intelligendum est, ut secumferat facultatem ubique celebrandi, honesto tamen ac decenti loco et super petram sacram, non autem in mari » (can. 822, §§ 2 3).

3 Hoc privilegio iure ipso gaudent Cardinales et Episcopi (can. 239, 7° et 349), idem obtinere possunt a Superiore maiore missionarii (cf. 465), idemque per modum actus concedere possunt Episcopi et Superiores maiores suis respectivis subditis (can. 822, § 4, cf. supra n. 527).

4 Decens locus ad celebrandum generatim nullatenus est cubiculum, quod actu ad decumbendum destinatum sit; propterea ex-

* Vide, sis, notam asterisco (*) distinctam in pag. 92.

Art. 7. Ritus et caeremoniae Missae.

529 *a*) **De rebus ad celebrandum requisitis.** 1° *De altaris supellectili*[1]. Altare debet esse opertum tribus mappis seu tobaleis mundis et benedictis, quarum superior usque ad terram pertingat; sufficiet tamen duas mappas adhibere, dummodo earum una duplicetur[2]. Mapparum benedictio requiritur sub levi, eas autem benedicere possunt iidem, qui iuxta statim dicenda sacras vestes benedicere possunt. Grave esset celebrare sine ulla mappa, veniale cum una[3].

Super altari collocari debet in medio crux[4], quae inter candelabra promineat et a populo aspici possit. Requiritur crux sub levi.

In utroque latere crucis hinc et inde collocari debent candelabra saltem duo[5] cum candelis accensis; quae adeo requiruntur, ut nisi in necessitate perficiendi Sacrificii[6] vel

---

presse excluditur a facultate, quam possunt dare Ordinarii iuxta can. 822, § 4, et tacite exclusum censeri debet in facultate altaris portatilis, de qua in § 3 (Blat, *Comm. text. Iur.* III, p. 140). Diximus tamen nuper (n. 527 nota) videri in § 4 id intelligendum de privato sacerdotis cubiculo, non de celebratione in cubiculo impediti infirmi in eius obsequium; quod a fortiori intelligi potest, si agitur de facultate altaris portatilis, de qua in § 3, ubi limitatio est minus expressa.

✻ *S.R.C.* 4 mart. 1901 (*Decr. auth.* n. 4069). Privilegium celebrandi in mari habent Cardinales et Episcopi (can. 239, 8° et can. 349). Qui idem obtinuerit, debitas cautelas adhibere debet (v. gr. ut ex statu maris nullum oriatur periculum effundendi sacras species), inter quas tamen alius sacerdotis assistentia iam non necessario debet intelligi, nisi id expresse in concessione exigatur (cf. can. 239, 8°; Wernz III, n. 540, I, n. 544). Propter magnam difficultatem et saepe impossibilitatem reperiendi alium locum minus rigorose prohibetur celebratio in cellulis navium ad decumbendum destinatis; nam cum *S.C. de Prop. Fide* 1 mart. 1902 normas ad id dedisset, in quibus aiebat, indecens certe esse si celebraretur « in cellulis pro privatis viatorum usibus destinatis » (*A.S.S.* XXXV, p. 48), dixit deinde id intelligendum « de abusibus, qui orirentur, si ibi indecenter offerretur Sacrificium; non autem absolute celebrationem prohibitam esse, si adiuncta omnia removeant indecentiae pericula » (*A.S.S.* XXXV, p. 612).

1 De his cf. *Rubr. gen. Missalis* tit. XX; *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 345.

2 Constat ex ipsis *Rubr. gen. Miss.* tit. XX.

3 S. Alph. n. 375.

4 Nisi in altari adsit magna imago crucifixi, vel nisi SS. Sacramentum publice expositum sit; in hoc postremo casu potest crux tolli vel relinqui.

5 Non licet plures quam duas candelas accendere propter dignitatem celebrantis, qui sit Episcopo inferior; bene vero ratione Missae parochialis, conventualis aut earum locum habentis.

6 V. gr. si post consecrationem exstinguerentur candelae, nec aliae haberi possint.

celebrandi ob ministrandum Viaticum, grave esset sine ulla celebrare; cum una solum candela celebrare, veniale esset, et cum causa rationabili liceret, v. gr. si secus celebratio, etsi ex mera devotione peragenda, omitti deberet[1]. Ex parte Epistolae parandus est cereus ad elevationem Sacramenti accendendus[2].

Candelae debent esse ex cera, non ex stearina aliave materia; permittitur tamen, ut duae candelae ad Missam accendendae sint ex cera in maxima parte, ceterae, quae super altare ponantur, in maiore vel notabili parte[3]. Celebrare in necessi-

---

1 S. Alph. n. 394; Ferr. n. 508.

2 *Rubr. gen. Miss.* tit. XX. Servari tamen potest consuetudo eum non accendendi, ubi vigeat, nisi Ordinarius contrarium praeceperit. *S.R.C.* 9 iun. 1899 ad 2 et 29 iul. 1904 ad 6 (*Decr. auth.* n. 4029 4141).

3 *Decr. auth.* n. 4147 (vel *A.S.S.* XXXVII, p. 388). Iuxta hoc decretum, quod *S.R.C.* tulit 14 dec. 1904, candelae, attenta magna difficultate eas procurandi ex cera, permittuntur cum alia materia commixtae, sed « Episcopi curent, ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus, et duae candelae in Missis accendendae, sint ex cera apum saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quae supra Altaribus ponendae sunt, materia in maiori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. Qua in re parochi aliique rectores ecclesiarum et oratoriorum tuto stare poterunt normis a respectivis Ordinariis traditis, nec privati sacerdotes, Missam celebraturi, de qualitate candelarum anxie inquirere tenentur. » — Ad Missam proinde contineant oportet ceram ex apibus in maxima parte (puta 70 %); ad Expositionem SS.mi aut quomodolibet supra Altaribus ponendae, in maiore (puta 60 %) vel saltem in notabili (puta 30 %). Quibusdam in dioecesibus Episcopi interpretationem dederunt, pro Missa 60 %, sine dubio propter hodiernas iustioris normae servandae difficultates.

De cereis ad fines liturgicos destinatis egregiam elucubrationem edidit Dr. Chimiae, P. Vitoria S. I., in ephem. « *Memorias de la real Academia de Ciencias y Artes* » (Barcelona, mense decembri 1291), omnibus numeris completam. Ex ea manifesta fit hodierna, quam diximus, difficultas. Nam ex 43 cereis, quos eidem ipsi fabri cerearii miserunt, ut iudicium ferret, quorum 25 tamquam ad Missam, 18 tamquam ad Expositionem *specialiter* confecti vendebantur, et quorum analysis physico-chimica ibidem exhibetur, unus tantum 80 % cerae continebat, duo 60 %, e ceteris 3 inter 50-60 % haerebant, 2 inter 40-50 %, 5 inter 30-40 %, 8 inter 25-30 %, 22 reliqui infra 25 %; quare 3 tantum cerei normae ab Episcopis pressius assignatae pro Missis conformabantur.

Ex eiusdem peritissimi viri dissertatione elucet quoque, quam difficile sit privatis sacerdotibus quantitatem cerae contentae in commixtionibus dignoscere. Nam densitas cerae, quae est circiter 0.96 et fusio, quae incipit versus 60°-65°, facile quidem comprobari potest, sed nihil inde licebit concludere, cum et commixtiones permissae parumper ab iis facile discedant, et aliae sophisticationes eosdem characteres plus minus imitentur. Id tandem interesset, *quantitatem* dignoscere cerae adhibitae, sed methodi sunt nimis conquisiti. Nititur vir peritissimus ad quorumdam captum accom-

tate cum lumine ex sebo vel oleo probabiliter licere putat *S. Alph.* n. 394 cum pluribus, absente scandalo; addit tamen quod sola ratio celebrandi ex devotione non videtur sufficiens ad excusandum a mortali.

« Super altare nihil omnino ponatur (aiunt *Rubr. gen. Miss.* tit. XX, in fine), quod ad Missae sacrificium vel ipsius altaris ornatum non pertineat. » Ipsae etiam candelae ex stearina, nisi ceram habeant in notabili quantitate, super altare poni prohibentur; magis adhuc collocari prohibentur luces gaseae vel electricae, hae enim permittuntur tantum ad depellendas ecclesiae tenebras aut eas splendidius illuminandas (semota quavis specie theatrali), ideoque ab altaris etiam gradibus sunt removendae [1].

Missale apponendum est, quamvis memoriter sciatur Missa [2]; sine eo tamen celebrare, probabiliter [3] esset tantum leve, dummodo sacerdos prorsus certus esset nullum se incurrere periculum errandi, et scandalum tolleretur, v. gr. apposito alio libro liturgico.

530 2° *De vasis sacris.* Sub gravi requiruntur calix et patena, quae saltem in interiore parte inaurata esse sub gravi praecipiuntur. Materia autem cuppae calicis potest esse aurum vel saltem argentum vel in casu paupertatis stannum, non autem cuprum vel crystallum; materia patenae similis sit, etsi nulla lex eam expresse determinat, et propterea admittitur stannum, aluminium vel cuprum, dummodo in concava saltem parte inauretur.

Calix et patena sub gravi consecrata esset debent (can. 1305, § 2); sed consecrationem non amittunt, nisi ea ratione deformentur, ut ad suos usus iam non sint idonea [4], vel si usibus

---

modare methodum prae ceteris faciliorem a Leys inventam, a seipso secundum propriae experientiae monita aptius conformatam; adhuc tamen putamus eam a chimicarum praxeon profanis nimis esse alienam. Nihil ergo parochis et ecclesiarum rectoribus reliquum est nisi diligentiam adhibere, ut quae Episcopi praescripserint, quantum fieri possit, obtineant, idque iam est Sacrae Congr. votis conforme.

1 De luce electrica cf. *S.R.C.* 4 iun. 1895, 29 nov. 1901, 16 maii 1902, 22 nov. 1907, 17 ian. 1908, 24 iun. 1914 (*Decr. auth.* n. 3859 4086 4097 4206 4210, et *A.A.S.* [1914] p. 352 et *Rev. ecles. de Buenos-Aires* [1914] p. 1256).

2 *Rubr. Miss. de defect.* tit. X, n. 1.

3 Cf. Lugonem d. 20, n. 78; Lacroix l. 6, p. 2, n. 364; Tamburini, *De Sacrif. Missae* l. 1, c. 5, § 5.

4 V. gr. si cuppa calicis separatur a basi, cui fixa inhaerebat, non autem si cuppa sit versatilis et a pede separetur, quia solet consecrari sola cuppa. Item, si appareat foramen in parte inferiore cuppae, non autem si in superiore.

indecoris aut publicae venditioni tradita fuerint. Amissa auratura non requiritur nova consecratio, sed certe sub gravi nova deauratio [1].

Corporale adhibendum est, ex lino vel cannabe confectum et benedictum [2]. Grave esset celebrare sine corporali, vel cum eo valde immundo aut non benedicto. Purificatorium praeterea et palla; illud quidem ex lino vel cannabe, sed non necessario benedicendum [3], immo posset in eius defectu adhiberi strophiolum mundum profanis usibus deinceps non destinandum; palla vero sub levi benedicenda est, ex lino vel cannabe conficienda, qua parte calicem tangere debet, atque ex rationabili causa posset in eius defectu calix purificatorio vel bursa tegi [4].

Parvum cochleare ad infundendam aquam in calicem non est prohibitum.

3° *De vestibus sacris.* Necessaria sunt ad celebrandum **531** amictus, alba, cingulum, manipulus, stola et casula. Amictus et alba ex lino vel cannabe sunt conficienda; quae tamen ex gossypio habentur, adhiberi possunt donec consumantur; manipulus, stola et casula debent esse ex materia pretiosa, ut ex serico; ob ecclesiae tamen paupertatem tolerari potest panni genus, quod ex parte externa et oculis intuentium apparet ex filo serico, sed habet operis textilis fulcimentum in gossypio, lana vel lino; non permittuntur ex mera lana, lino vel gossypio confecta [5].

Praedictae vestes sacrae (probabilius etiam cingulum) benedictione donandae sunt, quae in *Rit. Rom.* [6] simul cum benedictione mapparum et corporalium reperitur. Huiusmodi benedictiones dare possunt etiam simplices sacerdotes ex delegatione Ordinarii loci pro ecclesiis et oratoriis eidem subiectis,

---

1 Cf. canonem 1305 mox in subsequentibus notis exscribendum.

2 Corporalia benedicere possunt iidem, qui vestes sacras possunt. Cf. mox de vestibus dicenda.

3 *Decr. auth.* n. 2572, n. 12.

4 « § 1. Curandum ne calix cum patena et ante lotionem purificatoria, pallae, et corporalia, quae adhibita fuere in sacrificio Missae, tangantur, nisi a clericis vel ab iis qui eorum custodiam habent. — § 2. Purificatoria, pallae et corporalia, in Missae sacrificio adhibita, ne tradantur lavanda laicis etiam religiosis, nisi prius abluta fuerint a clerico in maioribus ordinibus constituto; aqua autem primae lotionis mittatur in sacrarium vel, si hoc desit, in ignem» (can. 1306).

Vide alia dicta in n. 128.

5 « § 3. Circa materiam et formam sacrae supellectilis serventur praescripta liturgica, ecclesiastica traditio et, meliore quo fieri potest modo, etiam artis sacrae leges » (can. 1296, § 3).

6 *Rit. Rom.* tit. 8, n. 20 21 22.

regulares ex delegatione Superioris pro ecclesiis et oratoriis suis vel monialium sibi subiectarum[1]. Benedictionem vestes sacrae, item mappae et corporalia amittunt, si ea ratione deformentur, ut ad suos usus iam non sint idonea (puta, si addantur plures simul partes novae ex magna parte, vel si ex alba separetur manica, etiamsi statim iterum assuatur), vel si usibus indecoris aut publicae venditioni traditae fuerint[2]; tunc denuo erunt benedicendae.

Grave esset celebrare sine ulla veste sacra, immo celebrare omissis simul stola et manipulo. Veniale vero, celebrare sine solo manipulo, aut sine sola stola, aut sine amictu vel cingulo, et proinde liceret, si non adesset scandalum, ita celebrare, etiam ex devotione, si aliquid horum non haberetur.

Color vestium obligat tantum sub levi[3], nisi adsit scandalum, v. gr. si die Paschatis celebretur colore nigro.

532 4° *De ministro.* «§ 1. Sacerdos Missam ne celebret sine ministro, qui eidem inserviat et respondeat. — § 2. Minister Missae inserviens ne sit mulier, nisi deficiente viro, iusta de causa, eaque lege ut mulier ex longinquo respondeat nec ullo pacto ad altare accedat» (can. 813).

Minister in Missa privata debet esse unicus, possunt tamen adhiberi duo quoad Missas parochiales vel similes in diebus sollemnioribus, et in iis, quae celebrantur loco sollemnis vel cantatae occasione alicuius sollemnitatis[4].

---

[1] « Benedictionem illius sacrae supellectilis quae ad normam legum liturgicarum benedici debet antequam ad usum sibi proprium adhibeatur, impertire possunt: 1° S.R.E. Cardinales et Episcopi omnes; 2° Locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes, pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii; 3° Parochus pro ecclesiis et oratoriis in territorio suae paroeciae positis, et rectores ecclesiarum pro suis ecclesiis; 4° Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis; 5° Superiores religiosi, et sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subiectarum» (can. 1304).

[2] « § 1. Sacra supellex benedicta aut consecrata benedictionem aut consecrationem amittit: 1° Si tales laesiones vel mutationes subierit ut pristinam amiserit formam, et iam ad suos usus non habeatur idonea; 2° Si ad usus indecoros adhibita vel publicae venditioni exposita fuerit. — § 2. Calix et patena non amittunt consecrationem ob consumptionem vel renovationem auraturae, salva tamen, priore in casu, gravi obligatione rursum ea inaurandi» (can. 1305).

[3] Liceret igitur celebrare, etiam ex mera devotione, cum indebito colore, si debitus haberi non posset, v. gr. ob concursum plurium sacerdotum.

[4] *Decr. auth.* n. 3059 ad 7; *Con. Plen. Am. Lat.* n. 353.

Grave esset celebrare sine ministro. Liceret tamen in necessitate, v. gr. ut populus Missam audiat de praecepto; tum sacerdos suppleat sibi respondendo. Grave autem non esset celebrare cum ministro nesciente respondere [1].

Feminam adhibere pro ministro, quae etiam ad altare accederet, v. gr. ad porrigendos urceolos, grave esset, nec permitti potest in ullo casu; melius enim esset in necessitate celebrare sine ministro. Eam vero respondentem a longe atque ad altare non accedentem loco viri adhibere sine causa, leve tantum esset.

b) **Observanda in ipsa celebratione.** 1° *De ritu.* Missam **533** sacerdos celebrare debet lingua liturgica sui proprii ritus ab Ecclesia probati (can. 819), indutus ornamentis sui eiusdem ritus (can. 811, § 1), atque accurate et devote servatis rubricis suorum ritualium librorum (can. 818).

2° *De sacerdote dum celebrat.* Celebrans convenientem vestem ad talos pertingentem deferre sub levi iubetur (can. 811, § 1). Prohibetur deferre pileolum aut annulum, nisi iure vel indulto ad eum pertineat (can. 811, § 2), aut presbyterum habere assistentem (can. 812), praeterquam in Missa neo-sacerdotis, iuxta consuetudinem [2].

Pileolum deferre tota Missa censetur grave. Leve autem illum deferre usque ad Canonem et resumere post communionem, praeciso scandalo, et tolerari posset ex causa rationabili, v. gr. si causa adstantibus est manifesta ob senectutem sacerdotis aut loci frigus [3].

Celebrare cum capillitio ficto, simplici tamen et modesto, non videtur illicitum, cum plures iam id faciant nec indecorum reputent [4].

3° *De rubricarum obligatione.* Rubricas intra Mis- **534** sam observandas esse de praecepto, gravi vel levi iuxta materiam, et non abrogari vi ullius consuetudinis nemo dubitat; utrumque constat ex can. 818 [5]. Quae vero ad actiones ante vel post Missam referuntur, proprie obligantes non cen-

---

1 Advertunt auctores, quod celebrans non debet facere scrupulum, si minister male pronuntiat; nec facile corrigat eius errores, ne turbet seipsum vel alios vel ordinem Missae; suppleat tamen, si non respondet. Si minister incepta Missa, maxime post offertorium, discedat et aliquantum exspectatus non redeat, potest celebrans prosequi. S. Alph. n. 391.

2 *Decr. auth.* n. 3515.

3 S. Alph. n. 397.

4 Cf. Lacroix n. 401; Lehmk. n. 336; Ferr. n. 518, 1°.

5 Idem dic de decretis *Sacrae Rit. Congreg.* easdem rubricas authentice declarantibus. (Soláns, *Man. liturg.* n. 13; *Codex Iuris* can. 2; Gén.-S. n. 250).

sentur, quin tamen liceat eas facile violare, fere sicut dicimus, ait *Gén.-S.* 1, de regulis religiosorum. Denique, quae sunt inscriptae « De Defectibus » solummodo intendunt doctrinam theologorum revocare in celebrantis mentem pro casu urgente.

Si quis aliquam rubricam observare non potest ob infirmitatem aut aliquem defectum, non facile sibi celebrationem prohiberi censere debet. Nam si rubrica non tanti momenti est aut defectus non adeo magnus, v. gr. si quis non possit elevare hostiam, aut si ita debilis sit, ut celebrare non possit, nisi quandoque innitatur baculo, aut si ita vertigine laboret, ut nequeat stare, nisi altari innitatur utraque manu vel alterutro cubito, poterit privatim celebrare, non publice, nisi ex necessitate aut populo monito ad vitandam admirationem 2.

535 Omissiones rubricarum sunt consequenter peccatum, si advertenter fiant, grave vel leve iuxta earum momentum. Omittere aliquam e partibus extraordinariis Missae, id est earum, quae non semper dicuntur, facilius excusatur a mortali, v. gr. Gloriæ, Credo, Commemorationes aut Orationes imperatas, Tractum, specialia in Praefatione vel in « Communicantes », nisi partes simul sumptae notabilem materiam constituant; veniale quoque esset omittere Prophetias in Missis Quatuor Temporum. Difficilius excusantur a mortali omissiones in partibus ordinariis, maxime intra Canonem; ideo mortale censetur omittere Confessionem cum reliquis in principio Missae, Orationem propriam Missae cum sua Secreta vel Postcommunione (si omissa fuerit prima Oratio, recitetur postea cum Secreta), Epistolam cum Tractu, Evangelium, Offertorium, fractionem hostiae, eius mixtionem cum Sanguine, « Pater Noster », aut quamlibet orationem in Canone contentam.

Nihil addere licet caeremoniis praescriptis, monente can. 818 ut sacerdos celebrans « caveat ne alias caeremonias aut preces proprio arbitrio adiungat ». Aliquid ex importuna devotione addere, quod tamen Missae formam non vitiet, veniale non excederet. Iaculatorias orationes interserere importunum est, maxime inter utriusque speciei consecrationem.

536 4° *De quibusdam particularibus rubricis.* Lotio manuum ante Missam fieri debet sub levi, et si manus valde immundae sunt, sub gravi; earum lotionem omittere post Missam non est peccatum 3.

---

1 Gén.-S. n. 250.
2 Lacroix l. 6, p. 2, n. 402; S. Alph. n. 402.
3 S. Alph. n. 409; Ferr. n. 519, 8°.

Purificare sola aqua calicem non excedit veniale, nec deest qui id excuset, si sacerdos est abstemius[1].

Diversae vocum species a rubricis praescriptae[2] servandae sunt. Clara voce recitare ea, quae submisse dicenda sunt, veniale est; mortale autem, si tam alte et in tanta Canonis parte, ut grave scandalum detur; nullum vero peccatum, si illa a solis ministris audiantur[3]; eadem denique tam submisse proferre, ut ne seipsum quis audire possit (seclusa surditate vel strepitu), leve est, immo in consecratione periculosum[4]. Certe consecrationi non obstat, quod sacerdos sua verba ob surditatem, strepitum etc. de facto non audiat. E contra tam demisse proferre ea, quae clara voce dicenda sunt, ut adstantes nihil audire possint[5], a veniali excusari non debet, quia rubrica contrarium praecipit, nisi impediat infirmitas, vel si ad vitandum aliorum celebrantium perturbationem necesse sit vocem aliquantum deprimere[6].

Cuinam Kalendario Missa conformanda. Omnes sacerdotes tam saeculares quam regulares, Missas, etsi regularium proprias[7], exclusis tamen ritibus Ordinum et ecclesiarum propriis[8], omnino[9] celebrare debent iuxta Kalendarium ecclesiae vel oratorii publici vel semi-

---

1 S. Alph. n. 408; Ferr. n. 519, 10°.

2 Cf. *Rubr. gen. Missalis* tit. XVI.

3 S. Alph. n. 416.

4 Quia si forma in se non sit sensibilis, saltem dubia reddi potest (S. Alph. n. 414; Lehmk. n. 333; Gén.-S. n. 254).

5 Lacroix n. 439; Tamburini, *De Sacrif. Missae* l. 2, c. 9, § 1; S. Alph. n. 415; Lehmk. n. 333.

6 Iustus ergo modus est, ut quae clara voce dicenda sunt, ita proferantur, ut ab iis qui prope altare adstant commode intelligi possint, nisi propter alios celebrantes submissius legere oporteat; quae vero secreto, ita recitentur, ut ab ipso sacerdote, sed non a circumstantibus audiantur.

De cetero ad vitandam aliorum celebrantium perturbationem necesse non est, prout aliqui faciunt, totam Missam tam submisse legere, ut vix se ipsum sacerdos audire possit. Semper aliqua vocum dictinctio facienda est, ut patet ex ipsa rubrica, quae dum monet, ut sacerdos ne legat « voce nimis elata, ne perturbet alios etc. », non dicit, ut legat omnino secreto.

Demum, *S.R.C.* 4 aug. 1922 tamquam abusum reprobavit, quod fideles Sacro adstantes elata voce legant quae secreto praecipiuntur dicenda a celebrante. Cf. *A.A.S.* (1922) p. 505.

7 Etsi de Beatis alicuius Ordinis propriis.

8 V. gr. non debent addere ad « Confiteor » nomen S. Fundatoris Ordinis, si ad eum non pertinent.

9 Ideoque sub omni respectu, etiam quoad ritum festi, quoad electionem et numerum orationum, « Credo » etc. Brehm, *Synopsis addit. et var. Missalis* p. 39.

publici[1], in quo celebrent[2]. Quod si iuxta eorum Kalendarium Missae votivae vel aliae permittantur, easdem servatis Rubricis[3] celebrare poterunt. — Si oratorium pertineat ad Religiosas vel Sorores, quae Kalendarium proprium non habeant, proprium Kalendarium oratorii, etsi interni et fidelibus minime patentis, est Kalendarium dioecesanum. — Denique in oratoriis privatis (quibus aequiparatur oratorium secundarium piarum communitatum etc.) celebrans suo se conformare debet Kalendario[4].

537 De musica sacra. Leges liturgicae circa musicam sacram servandae sunt (can. 1264), et prorsus curandum ut iis sanctitatis et verae artis dotibus sit praedita, quibus eam ornatam voluit *Pius* X[5], quaeque inveniuntur praecipue in cantu gregoriano, in classica quoque polyphonia, necnon in musica hodierna, si arcetur ab ea quidquid theatrale redoleat vel profanum. Propterea, quod ad Missam attinet, si haec fiat sollemniter vel cum cantu, celebrans et ministri iubentur suas melodias ad altare modo gregoriano canere, chorus vero, servata forma musicae choralis, amotis instrumentis strepentibus, et exclusis a choralium musicorum numero mulieribus[6], textum Missae statutum suo ordine atque integrum canere, sine verborum permutatione vel repetitione, forma intelligibili, prohibito cantu quolibet sermone vulgari, etiam durante distributione sacrae communionis[7]. Sic denique musica in Sacris sollemnibus se habere debet, ut non potiores partes liturgiae sortita videatur, sed eius esse pars tantummodo.

---

1 In hac materia nomine « oratorii semipublici » intellige « capellam principalem Seminariorum, Collegiorum, piarum Communitatum, Hospitalium, Carcerum et similium » (*Addit. et Var.* in *Rubric. Missalis* tit. IV, n. 6), non vero capellam minus principalem, si forte iuxta can. 1192, § 2 plures exstent, quae proinde censebuntur tamquam privatae, in quibus celebrans suum sequetur Kalendarium.

3 Attamen Cardinales et Episcopi, sive residentiales sive titulares, Missam celebrare possunt proprio Kalendario conformem; can. 239, § 1, 9°, can. 349, § 1, 1°.

2 V. gr., ut si propriam sui Kalendarii eo die celebrare velit, eam ne celebret ritu votivo, sed festivo.

4 *Decr. auth.* n. 3862 3910 3919 (dub. 17-19), 3927; *Addit. et Var.* in *Rubric. Missalis* tit. IV, n. 6.

5 Pius X, *Motu proprio* 8 dec. 1903 cum adiuncta instructione (cf. *A.S.S.* XXXVI, p. 329 et 387 vel *Decr. auth.* n. 3830).

6 Cf. Verm.-Creus. n. 586 587, et pleniorem huius rei expositionem a Viladevall editam in ephem. *El Mensajero* (Buenos Aires) oct. 1924, p. 358-360. Religiosae si cum debita licentia in propria ecclesia aut oratorio publico canunt, tali e loco canant, ubi a populo conspici nequeant (can. 1264, § 2). Chorus quoque, monet Instr. de Miss. sacra, si palam sit prospicientibus, transennis celetur.

7 *Decr. auth.* n. 3496 3921.

Quantum Missa privata durare debeat, lex nulla generalis **538** sancivit. Videtur non protrahenda, si nulla occurrat pars insolitae longitudinis, ultra dimidiam horam, ne adstantes taedio afficiantur, nec absolvenda, etiam Missa quotidiana defunctorum, minus quam 25 minutis, ut devotioni conveninter possit consuli. Profecto Missa, etiam quae brevior sit, videtur non posse brevius quam per tertiam horae partem cum convenienti decore celebrari, et si minus duraret quam per quadrantem, a mortali peccato non excusatur celebrans propter scandalosam celeritatem [1].

Si statuta hac super re tulerit Ordinarius, prorsus servari debent.

5° *De Missae interruptione*. Missa interrumpi non potest, **539** maxime post peractam consecrationem, nisi ob gravem causam, v. gr. supervenientis morbi vel necessitatis proximi, puta in necessitate baptizandi vel absolvendi moribundum. Quantocius sacerdos ad altare reverti debet, ibique si recesserat post consecrationem, prosequatur ubi desierit, idemque faciet, si abiit ante consecrationem et non abfuit diutius quam uno quadrante; secus incipiat denuo [2].

Licet ante et post Evangelium interrumpere ob concionem, proclamationes faciendas, preces pro defunctis recitandas etc.

Licet quoque ante Offertorium Missam denuo incipere in gratiam supervenientis Principis vel turbae peregrinorum die festo, ut totum Sacrum audiant.

Licet Missam deserere ante Canonem, si sacerdos recordatur impedimenti, v. gr. se non esse ieiunum vel non in gratia, modo id possit fieri sine scandalo aut gravi nota.

6° *De defectibus occurrentibus*. Quid agendum si deficiat **540** sacerdos post consecrationem, diximus in n. 498, 2°, vel, si mavis, adi *Rubr. Miss. de defect.* tit. X, ubi alii quoque casus praeveniuntur, inter quos, qui sequuntur: 1° Si musca vel aranea vel aliquid aliud ceciderit in calicem ante consecrationem, sacerdos proiiciat vinum in locum decentem, et aliud ponat in calice, misceat parum aquae, offerat, et prosequatur Missam; si post consecrationem et fiat nausea sacerdoti, extrahat eam, lavet cum vino, finita Missa comburat, et combustio ac lotio in sacrarium proiiciatur. — 2° Si sumendo Sanguinem particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat et sumat ante purificationem, vel infundat vinum et sumat. — 3° Si hostia ante consecrationem inveniatur fracta, conse-

---

1 S. Alph. n. 400 cum aliis.

2 Bus. ap. S. Alph. n. 354.

cretur, sed si populo scandalum esse possit, alia accipiatur et offeratur; illa autem, si iam fuerat oblata, post ablutionem sumatur. Si confracta apparet ante oblationem, alia accipiatur, si citra scandalum aut longam moram fieri possit. — 4° Si hostia dilabatur in calicem, nihil est reiterandum, sed prosequendum faciendo caeremonias consuetas cum residua parte non madefacta, si commode possit; si tota fuerat madefacta, ne extrahatur, sed omissis signis cum ea secus faciendis, omnia dicantur. — 5° Si aliquid de Sanguine ceciderit in terram vel super tabulam, lingua lambatur et locus radatur, quantum satis est; si super lapidem altaris, sorbeatur stilla et locus bene abluatur; si super linteum altaris et ad aliud linteum pervenerit, linteamina ter abluantur, supposito calice; si solum in corporali, aut si in vestibus sacerdotis, vel in substrato pedibus tapete, bene abluatur. Abrasio dein combusta vel ablutio in sacrarium proiiciatur. — 6° Si totus Sanguis effusus fuit et nihil omnino remansit, ponatur novum vinum cum aqua, offeratur et incipiendo a verbis « Smili modo » consecretur. — 7° Si hostia consecrata vel aliqua particula dilabatur in terram, reverenter accipiatur et locus mundetur et aliquantum abradatur; si extra corporale in mappam vel aliud linteum, locus diligenter lavetur. Abrasio vel lotio in sacrarium proiiciatur.

Art. 8. Stipendia Missarum.

541 Paucula quaedam de stipendiis diximus n. 130-133, sed pleraque nunc expedienda manent.

a) **Stipendii iustitia.** Certum est sacerdoti Missam celebranti et applicanti licere eleemosynam seu stipendium recipere, idque receptis et probatis Ecclesiae moribus atque institutis conforme esse, ut ait can. 824, § 1. « Eleemosyna » dicitur ad significandum, nullam hic intercedere rei sacrae venditionem, sed Missam applicari gratis omnino, quavis remota aequiparatione inter Missam et rem temporalem acceptam. Dicitur quoque « stipendium », quia est remuneratio sacerdotis in alterius gratiam occupati et sustentatione indigentis. Si igitur ad sustentationem illius, cuius opera petitur, datur stipendium, iam verus intercedit contractus, non quidem venditionis (cum nec ipsa Missa nec labor celebrationi intrinsecus sit materia huius contractus, siquidem haec non venduntur; nec indigentia sustentationis, per aliam viam secus quaerendae, quae est huius contractus materia, vulgo dicatur vendi, quia non est res, quae alteri tradatur), sed contractus speciali nomine ca-

rens, et propterea generali denominatione appellatus « do ut facias » [1]. Ex his sequitur:

1° Ex iustitia deberi celebrationem Missae ad intentionem dantis stipendium, ideoque sacerdotem, si contractui non steterit, id est si rogatae applicationi non satisfecerit, ad stipendii rstitutionem teneri.

2° Ex iustitia deberi stipendium sacerdoti etiam diviti; etenim is quoque sustentatione indiget nec tenetur aliunde ex suis sibi ipse providere, si in alterius gratiam occupatur.

b) **Taxa stipendii iusti** non facile determinari potest. Pro- **542**
fecto non requiritur, ut sufficiat ad sacerdotem uno die alendum, siquidem non exigit huius occupationem per totum diem, illeque potest aliunde, concionando, docendo etc. sustentationem congruam complere. Taxam stipendii iusti determinare pertinet ad loci Ordinarium, atque in defectu cuiuslibet dioecesani statuti quantitas illius regitur consuetudine; utriuslibet autem norma vigeat, illi stare debent omnes, etiam religiosi exempti [2].

Stipendium taxa maius exigere, sive taxa a dioecesano statuto regatur, sive in huius defectu a consuetudine, iniustitia est (n. 59 nota), quae ad restitutionem obligat. Quoniam autem taxa huiusmodi respicit tantum personae occupationem pro celebratione ponenda requisitam, maius stipendium licebit exigere, si tituli alii accedant laboris aut incommodi, v. gr. si occupatio petita adstringitur certae horae, seu, ut dici solet, si petitur Missa hora fixa, vel si celebrandum est in loco dissito, aut servato ieiunio naturali usque ad valde provectam horam etc. Solent tamen Ordinarii loci decreta huiusmodi circumstantiarum rationem habere et pro diversis diversas taxas distincte statuere.

Licere stipendium maius accipere, si scienter et omnino sponte datur, quantumcumque magnum sit, manifestum est. E contra sacerdos, sicut potest Missam celebrare gratis, ita potest stipendium minus, si vult, admittere. Nihilominus aliquibus in locis Episcopus prohibet accipere stipendium minus, ne Missa quodammodo vilescat aut alii sacerdotes, qui e suo iure nolint remittere, stipendiis careant. Huiusmodi tamen

---

1 De his SUÁREZ, *De Euch.* d. 86; LUGO, *De Euch.* d. 21; GASPARRI, *De Euch.* n. 535-556; *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 863. Cf. etiam dicta in n. 131.

2 « § 1. Ordinarii loci est manualem Missarum stipem in sua dioecesi definire per decretum, quantum fieri potest, in dioecesana Synodo latum; nec sacerdoti licet ea maiorem exigere. — § 2. Ubi desit Ordinarii decretum, servetur consuetudo dioecesis. — § 3. Etiam religiosi, licet exempti, circa stipem manualem stare debent decreto Ordinarii loci aut dioecesis consuetudini » (can. 831).

prohibitio non obstaret, quominus aliquando parum quid a paupere admitteretur; tunc enim, si tam parum accipitur, videretur potius gratuita Missae promissio [1].

543 *Si summam reliquit testator, quin taxam determinaverit*, vel quod idem est, quin determinaverit Missarum numerum, harum numerus supputandus est secundum taxam vigentem in loco, ubi oblator morabatur, nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat (can. 830). Quod si testator eleemosynam determinavit taxa vigente inferiorem, aut standum erit voluntati testatoris aut recurrendum ad S. Sedem pro reductione numeri Missarum, nisi forte Episcopus a S. Sede vel a testatore ipso facultatem eas reducendi acceperit (can. 1517 1551).

c) **Triplex stipendiorum species** recensetur in Codice, stipendia videlicet *manualia*, *ad instar manualium* et *fundata* [2].

Manualia sunt stipendia quae a fidelibus dantur veluti ad manum; item ea, quae ab heredibus dantur ex obligatione sive ad tempus sive in perpetuum accepta a testatore.

Fundata sunt quae percipiuntur ex reditibus alicuius fundationis [3]. Hinc nomen accipiunt « Missae fundatae ».

Ad instar manualium vocantur stipendia quae dantur pro Missis fundatis, quae vel non possunt applicari in proprio loco, vel non possunt applicari ab iis, quibus ex statuto fundationis incumbebat (v. gr. si beneficiarius impeditur ob morbum).

---

[1] « Sacerdoti fas est oblatam ultro maiorem stipem pro Missae applicatione accipere; et, nisi loci Ordinarius prohibuerit, etiam minorem » (can. 832).

[2] « § 1. Stipendia quae a fidelibus pro Missis offeruntur sive ex propria devotione, veluti ad manum, sive ex obligatione etiam perpetua a testatore propriis heredibus facta, *manualia* dicuntur. — § 2. *Ad instar manualium* vocantur stipendia Missarum fundatarum, quae applicari non possunt in proprio loco, aut ab iis qui eas applicare deberent secundum tabulas fundationis, et ideo de iure aut Sanctae Sedis indulto aliis sacerdotibus tradendae sunt ut iisdem satisfiat. — § 3. Alia stipendia quae ex fundationum reditibus percipiuntur, appellantur *fundata* seu *Missae fundatae* » (can. 826).

[3] « Nomine piarum fundationum significantur bona temporalia alicui personae morali in Ecclesia quoquo modo data, cum onere in perpetuum vel in diuturnum tempus ex reditibus annuis aliquas Missas celebrandi, vel alias praefinitas functiones ecclesiasticas explendi, aut nonnulla pietatis et caritatis opera peragendi » (can. 1544, § 1).

De piis fundationibus agit Codex can. 1544 seqq.

Huiusmodi ergo Missae sunt, quae in aliqua Ecclesia ex reditibus constitutae vel alicui beneficio adnexae sunt, vel quae ex onere perpetuo inhaerent alicui monasterio, confraternitati aut loco pio cuicumque. *S.C.C.* decr. « Ut debita » 11 maii 1904 et decl. 19 dec. 1904.

d) **Applicationes vetitae.** Quaedam prohibitiones circa 544
applicationem ex stipendio faciendam impositae sunt a iure, praesertim per can. 825 [1], de quibus nunc dicendum.

1° *Prohibetur applicari Missa pro eo qui stipendium daturus est, sed Missam nondum petiit*, et deinde stipendium accipere et retinere (can. 825, 1°). Revera haec praxis pluribus abusibus obnoxia est, praesertim quia facile applicatio evadere potest invalida, vel quia esset indeterminata; saepe enim prorsus impossibile erit sciri, quisnam Missam petiturus sit, cum id a voluntate hominis futura et libera pendeat, vel quia versaretur circa materiam inexsistentem, puta, si deinde Missa petitur pro necessitate tempore applicationis nondum exsistente, v. gr. si petitur pro recenter defuncto. In his igitur casibus stipendium retineretur et illicite et iniuste [2]. Si tamen applicatio esset valida, quia determinata et quia circa materiam iam exsistentem, tunc stipendium non retineretur iniuste [3], utpote quod cum valido titulo acceptum; sd prorsus illicite actum esset propter prohibitionem Ecclesiae.

Similiter non satisfacit, qui cum teneatur applicare pro aliquo post eius mortem, applicat, dum adhuc vivit, etsi id ex errore prorsus inculpabili faciat; non enim fructus Missae suspenditur in futurum [4].

---

1 « Nunquam licet: 1° Missam applicare ad intentionem illius qui applicationem, oblata eleemosyna, petiturus est, sed nondum petiit, et eleemosynam postea datam retinere pro Missa antea applicata; 2° Eleemosynam recipere pro Missa quae alio titulo debetur et applicatur; 3° Duplicem eleemosynam pro eiusdem Missae applicatione accipere; 4° Alteram recipere eleemosynam pro sola celebratione, alteram pro applicatione eiusdem Missae, nisi certo constet unam stipem oblatam esse pro celebratione sine applicatione » (can. 825).

2 Lugo, *Resp. mor.* l. 5, dub. 19, *De Euch.* d. 19, n. 209, *De Poenit.* d. 13, n. 136; S. Alph. n. 337. Casus huiusmodi non esset, si sacerdos ad moniales invitatus pro Missa celebranda et nescius an applicationem velint, Missam sub condicione applicet (facta alia applicatione sub condicione, ne Missa applicatione careat), et deinde stipendium retineat. Iste, inquam, casus non est ab Ecclesia prohibitus; Missa enim iam petita fuerat, etsi sacerdos petitionem nondum satis aperte intelligere potuit.

3 Propterea admittebatur communiter cum S. Alph. n. 337 quod, si sacerdos praevideret Missas fore postulandas pro certo aliquo defuncto, posset eas nunc offerre et deinde stipendium percipere. Id nunc iam admitti non potest, cum aperta sit prohibitio canonis 825, 1°.

4 Cf. Ferr. n. 484 quaer. 29. Hinc apparet quid dicendum de iis, qui durante vita Missas anticipate celebrari faciunt, quae sibi prosint post mortem, eo quod neminem habeant, cui suffragia pro se persolvenda commendare possint.

545 2° *Prohibetur applicari una Missa pro pluribus titulis ex iustitia;* idque non prohibitum solummodo, sed etiam iniustum esset, tum quia quod uni debetur ex iustitia, nequit alteri tradi, tum quia severissima[1] huiusmodi prohibitio procul dubio ab Ecclesia fit ob motivum iustitiae (n. 59 nota), tum quia sic declaratum fuit ab *Alex. VII* in damn. prop. 10.

Quare prohibetur « eleemosynam recipere pro Missa, quae alio titulo debetur et applicatur » (can. 825, 2°), v. gr. si parochus eamdem Missam applicet pro populo et pro aliquo stipendio, vel si beneficiatus simul applicet pro fundatione[2], ad quam tenetur et pro stipendio; item prohibetur « duplicem eleemosynam pro eiusdem Missae applicatione accipere » (can. 825, 3°), seu una Missa pluribus stipendiis velle satisfacere, etsi haec exigua fuerint, libere enim pro iis obligationem assumpsit sacerdos; propterea expressius decretum est in can. 828, quod « tot celebrandae et applicandae sunt Missae, quot stipendia etiam exigua data et accepta fuerint ».

546 3° *Prohibentur applicari plures Missae titulo iustitiae eodem die*[3], ita ut si quis ea die binare permittatur, eo ipso subintelligatur prohiberi, ne satisfaciat duplici stipendio; vel si unam Missam pro populo celebret (ideoque ex titulo iustitiae) aut pro alia quavis obligatione vere ex contractu aliquo orta, nequeat pro altera accipere stipendium, quantumvis celebrans intenderet hoc stipendium in opera pia impendere. Debet igitur sacerdos alteram Missam vel ceteras praeter unam aliis intentionibus applicare ex iustitia non debitis, et consequenter non prohibetur per eas satisfacere obligationibus fidelitatis, caritatis, voti etc.[4]. Potest tamen secundum stipendium accipi

---

[1] Cf. severas Pontificum prohibitiones ap. S. Alph. n. 318 320, § « Casu autem »; Lehmk. n. 273.

[2] Sacerdotes, quibus diebus tenentur celebrare ratione beneficii seu capellaniae, generatim eam tenentur applicare pro fundatore; haec enim praesumitur huius voluntas fuisse, nisi in fundatione aliud expresse cautum fuerit aut contrarium ex circumstantiis colligatur; contrarium autem facile colligitur, quando v. gr. sacerdos obligatur ad celebrandum tantummodo, ut alii tali hora Missam habeant, quam audire possint; tunc enim intelligitur peti in fundatione celebratio tantum et relinqui applicatio libera (Lugo d. 21, n. 23; S. Alph. n. 324; Diana p. 2, tr. 14, res. 80). Diebus igitur, quibus beneficiarius ratione beneficii celebrare debet, non potest alii stipendio satisfacere.

[3] « Quoties autem pluries in die celebrat, si unam Missam ex titulo iustitiae applicet, sacerdos, praeterquam in die Nativitatis Domini, pro alia eleemosynam recipere nequit, excepta aliqua retributione ex titulo extrinseco » (can. 824, § 2).

[4] *S.C.C.* 14 sept. 1878 societati cuidam, cuius socii tenebantur semel pro quovis confratre defuncto celebrare, declaravit posse hanc obligationem per Missam binationis expleri (*A.S.S.* X, p. 283).

ex titulo Missae extrinseco, v. gr. propter horam nimis tardam, propter iter longum etc., exclusa semper Missae applicatione. Attamen saepe Ordinariis indulta conceduntur, ut permittere valeant acceptionem alterius stipendii in certum pium opus erogandum [1].

Qui contra praescripta Ecclesiae stipendium pro Missa binationis acciperet, graviter utique peccaret, quantumvis stipendii quantitas quantitatem in furto gravem non aequaret; est enim lex magni momenti ad vitandos gravissimos abusus obventuros plurium in die celebrationum, nisi iste avaritiae et sordido quaestui aditus praecluderetur; non tamen ageret iniuste [2], siquidem prohibitio bonum religionis respicit, non iustitiae [3].

Excipitur dies Nativitatis Domini, in eo enim tres Missae permittuntur et pro singulis stipendium accipere licet, uti constat ex can. 824, § 2.

Die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum ter licet offerre Sacrificium ex concessione orbi universo facta a *Bened. XV* const. « Incruentum » 10 aug. 1915, ratihabita per can. 806, § 1, hac tamen lege [4], 1° ut pro una tantum e tribus Missis liceat accipere stipendium; 2° e ceteris Missis prior applicanda sit in suffragium omnium fidelium defunctorum, altera ad mentem Summi Pontificis; 3° non liceat stipendium illud unicum exigere synodali taxa vel consuetudine maius; licet tamen maius accipere si omnino ultro offeratur, vetita quavis petitione aut insinuatione, ut detur maius; 4° pro aliis duabus Missis non liceat emolumentum ullum accipere [5], ne ratione quidem laboris seu incommodi extrinseci [6], etsi celebrentur in loco incommodo et circa meridiem *.

---

1 Cf. *A.A.S.* I, p. 9 seqq., VI, p. 545 seqq. (*A.A.S.* [1920] p. 536).

2 Contra Blat op. cit. l. 3, p. 148, qui ad restitutionem obligat, erronee putans, quod cum deficiat « iustus titulus canonicus », adest « simonia » ad normam can. 730, ad restitutionem obligans iuxta can. 729. Verum enimvero titulus iustus adest, nempe, sustentatio celebrantis in oblatoris gratiam occupati, et canonicus, cum id generaliter tamquam iustus titulus a can. 824, § 1 agnoscatur, etsi in casu particulari eius usus prohibeatur. Cf. Suárez, *De Euch.* d. 86, s. 2, n. 5; Ferr. n. 489 quaer. 9; Gasparri, *De SS. Euch.* n. 546.

3 Consentiunt *A.S.S.* XI, p. 284 sub fin. Cf. etiam const. Bened. XIV « Quod expensis » §§ « Applicationem » et seqq.

4 Cf. Bened. XV const. « Incruentum » 10 aug. 1915, et *S.R.C.* declar. 15 oct. 1915 (*A.A.S.* [1915] p. 401 et 479). Cf. etiam Blat op. cit. l. 3, p. 149-151.

5 Non licet proinde ea die pro aliis duobus stipendiis celebrare, etsi cum proposito celebrandi insequentibus diebus pro fidelibus defunctis et ad mentem Summi Pontificis.

6 Quamvis id alias liceret, prohibetur tamen ea die, quia repetita celebratio conceditur unice in favorem animarum purgatorii

* Vide, sis, notam asterisco (*) distintam in pag. 108.

547 4° *Prohibetur accipi una eleemosyna pro sola celebratione, altera pro applicatione Missae*, nisi certo constet

---

et vult Summus Pontifex, ut celebratio non habeatur ut concessa, nisi cum nulla prorsus pecuniae perceptione fiat. Cf. etiam const. BENED. XIV « Quod expensis » §§ « Ad hunc » et « Quam vero ». Et generatim rigor, quo quaedam ea die vetantur, quae secus essent licita, duabus causis, credimus, debetur, scilicet, ne sordidus quaestus introducatur ea die, qua fideles saluberrima erga defunctos devotione tot Missas certatim expetunt, vel maior eleemosyna expetatur eo quod Missae ea die privilegio gaudent altaris privilegiati, et ne hac saltem die suis suffragiis careant tot animae, a suis forsan oblitae, quae adiutorio indigent.

✻ In *Hispania* et *Amer. Lat.* libera manet facultas tres Missas die defunctorum celebrandi ad normam concessionis in iuris Codice orbi universo factae, vel secundum privilegia olim illis regionibus concessa respective per BENED. XIV const. « Quod expensis » 21 et 26 aug. 1748, et LEON. XIII const. « Trans oceanum » (ad 30 annos valitura) 18 apr. 1897, quae aliquantisper a laudata concessione universali differunt, ut patebit ex sequentibus, nempe:

In regionibus veteris *regni Aragoniae* (sub quo actuales regiones Aragoniae, Valentiae, Cataloniae et Maioricae comprehenduntur) res a BENED. XIV relictae sunt, prout ante ipsum exsistebant, addita tantum sacerdotibus saecularibus bis tantum celebrantibus facultate celebrandi tertiam Missam, dummodo in suffragium omnium defunctorum. In his igitur regionibus: 1° sacerdotes omnes ter celebrare permittuntur; 2° regulares tribus stipendiis satisfacere possunt, saeculares duobus tantum, nulla facta circa stipendia speciali admonitione; saeculares tertiam Missam pro omnibus defunctis applicare debent, nullo percepto emolumento quovis titulo etiam extrinseco; 3° rogantur omnes, tum regulares tum saeculares, ut uno stipendio contenti esse velint ceterasque Missas pro defunctis omnibus applicent.

In ceteris *Hispaniae* regionibus, in *Lusitania* et in tota *Amer. Latina*, 1° sacerdotes omnes ter celebrare permittuntur; 2° unum tantummodo stipendium percipere possunt, istud autem non potest excedere taxam synodalem seu consuetudinis. Insuper vetabat omnino BENED. XIV, ut maius acceptaretur, etiamsi voluntarie et sponte prorsus offerretur (intellige de stipendio oblato ut Missa celebretur ea die, non enim videtur fuisse prohibitum, si quis ea die satisfacere vellet alii ex stipendiis acceptis nulli diei affixis, vel si celebraretur pro trecenario gregoriano); sed id iam sublatum censeri ptoest per decl. *S.C.C.* 15 oct. 1915 circa const. BENED. XV «Incruentum », nam licet huius concessionem privilegio pristino cumulare (cf. BLAT op. cit., p. 149); 3° reliquae duae Missae applicari omnino debent omnibus fidelibus defunctis, vetito prorsus quovis emolumento quocumque titulo etiam laboris et incommodi extrinseci (cf. const. BENED. XIV « Quod expensis » § « Scimus etiam », et const. LEON. XIII « Trans oceanum » n. VII, ubi concessio fit « ad normam constitutionis BENED. XIV »).

Quare ut praedicta paucis verbis comprehendantur, in *Hispania* (praeter regiones veteris regni Aragoniae), in *Lusit.* et in *Amer. Lat.* potest applicari una Missa pro stipendio, non tamen quod taxam synodalem vel in loco consuetam excedat, nisi scienter et nulla facta petitione et insinuatione offeratur; alia Missa, si celebratur, applicari debet pro omnibus fidelibus defunctis; tertia, si additur, vel ad mentem Summi Pontificis, vel iterum pro fidelibus defunctis omnibus.

unam stipem oblatam esse pro celebratione sine applicatione (can. 825, 4°).

Etsi nulla intercedente expressa vel implicita conventione libere possit sacerdos unum Missae fructum applicare uni, alium alii, v. gr. fructum satisfactorium defuncto, impetratorium autem ad gratiam aliquam obtinendam, attamen id fieri non potest, si titulus intercedit iustitiae, cuiusmodi esset stipendium. Qui enim propter datum stipendium aut propter alium iustitiae titulum ius acquisivit ad applicationem Missae, censetur sibi ius reservare ad fructum totum, et quamvis unum finem tantum expresserit, v. gr. Missam petierit pro sanatione aegroti vel ad gratiarum actionem, potuit tamen alias intentiones sibi reservare, immo censendus est implicite velle, ut quidquid de fructu supersit, sibi et suis obveniat. Quare non potest sacerdos partem fructus applicare alii nisi sub condicione, quod salva omnino sit mens oblatoris [1].

e) **Natura obligationis contractae.** 548

Sacerdos accepto stipendio id, etiam ante celebrationem, iam facit suum; tum quia ante celebrationem iam potest pecuniam acceptam pro suo lubitu expendere, v. gr. ad emendos libros, tum quia certum est, ut nunc dicetur, sacerdotem onere suo teneri, etsi stipendium pereat [2].

Si stipendium perit, obligatio non cessat, idque valet, etsi absque ulla sacerdotis culpa perierit (can. 829) [3]. Ratio alia non est, nisi quia sacerdos iam factus fuerat stipendii dominus; quod autem perit, domino perit (n. 249).

Si deprehenditur Missarum praeteritarum vinum fuisse sophisticatum, probabile est [4] sacerdotem non teneri [5] eas com-

---

1 Quando Missa non debetur ex iustitia, sed ex fidelitate vel ex obedientia ad certum finem, v. gr. ad gratiarum actionem, potest tunc satisfactorius fructus applicari defuncto cuidam; etenim ad primum finem tantum debetur Missa, nec secundus iste fructus ad illum finem conducere posset. Sed si Missa ex fidelitate vel obedientia deberetur ad suffragium defuncti alicuius, perperam ei applicaretur tantum satisfactorius fructus et reservaretur impetratorius ad alium finem, siquidem impetratorius quoque defuncto prodesse potest.

2 Cf. Suárez, *De Euch.* d. 86, s. 3, n. 7; Lugonem, *Resp. mor.* d. 21, s. 1, n. 4; S. Alph. l. 6, n. 322.

3 « Licet sine culpa illius qui onere celebrandi gravatur, Missarum eleemosynae iam perceptae perierint, obligatio non cessat » (can. 829).

4 Gury-Ferr., *Casus* II, n. 254; Ball.-P. n. 230; Gén.-S. n. 229bis (in aliis edit. n. 233, in aliis n. 234); Berardi, *Prax. Conf.* n. 3529 (ap. Génicot ed. 3ª).

5 In rigore nempe iustitiae; caritas enim aliud exigere potest, si timendum sit ne propter hanc causam defunctus praecipuis suffragiis privandus sit, eique sine nimio incommodo subveniri possit.

pensare. Alii aliam rationem dant, videlicet, probabile esse totam sacrificii rationem iam exstitisse per consecrationem unius speciei[1] ideoque probabiliter iam debito satisfactum fuisse (*Gury*)[2], vel praesumi posse eum, qui stipendium dedit[3], nihil amplius exegisse quam ut sacerdos Missam vel certum Missarum numerum celebraret, adhibita diligentia ordinaria ut omnia valide peragantur[4]; immo, addimus, cum stipendium non sit pretium Missae, sed oblatio pro sustentatione celebrantis in alterius gratiam occupati, videtur eum in rigore nihil amplius potuisse exigere. Nobis igitur secunda ratio praeplacet. Intellige, si datum fuit tantummodo stipendium ordinarium aut paulo maius.

549 *Reducere onera Missarum* unice pertinet ad S. Sedem[5] (can. 1517, § 2, 1551); posse autem S. Sedem ea reducere, manifestum est, siquidem de thesauro Ecclesiae huiusmodi debita supplere potest.

Qui non potest fundationi satisfacere propter morbum, non tenetur alium sibi substituere aut Missas deinde compensare, si onus personale sit (ut accidit ratione beneficii), et morbus sit brevis (*S. Alph.* n. 333 probabile censet tempus extendi posse ad unum alterumve mensem), nec de contraria fundatoris voluntate constet[6]. Secus vero dicendum, si onus sit reale (ut accidit, si v. gr. fundatio facta fuit, « ut in tali ecclesia quotidie celebretur Missa », vel « ut celebrentur centum Missae quotannis »)[7], vel si onus quidem personale est, sed

---

1 Cf. supra n. 497; S. Alph. n. 306; Ball.-P. n. 230.

2 Cf. supra n. 26 et 283.

3 Nisi datum fuerit stipendium pingue.

4 Ball.-P. in utraque simul ratione nititur.

5 Nisi in tabulis fundationis facultas fiat Ordinario. *Comm. I.C.* 14 iul. 1922 (*A.A.S.* [1922] p. 529).

6 S. Alph. n. 332 333 admittit beneficiarium posse semel quavis hebdomada a celebratione abstinere devotionis et reverentiae causa (non ex segnitie aliave irrationabili causa), nec teneri alium sibi substituere, nisi contrarium de voluntate fundatoris constet (v. gr. si velle se dixisset, ut « beneficiarius quotidie celebret » vel « in ecclesia non desit quotidie Missa »); nullatenus vero ei liceret his diebus pro accepto aliquo stipendio celebrare; admittit pariter posse eum quater aut sexies in anno celebrare gratis pro se vel amicis, idque ex praesumpto consensu fundatoris. Cf. S. Alph. l. c.; Lugonem, *Resp. mor.* l. 5, dub. 5; Lehmk, n. 273 nota; Gasparri, *De SS. Euch.* n. 623-626.

7 De beneficiis: can. 1409 seqq.; Wernz, *Ius Decr.* II, n. 240 seqq., 469 seqq., III, n. 175 seqq.; Verm.-Creus. p. 2, n. 741 seqq.; de piis fundationibus: can. 1544 seqq.; Wernz III, n. 194 seqq.; Gasparri, *De Euch.* n. 559 seqq.; Verm.-Creus. n. 865 seqq.

morbus est diuturnus, vel si, quamvis onus personale sit, satis constat explicite vel implicite de contraria voluntate fundatoris [1].

Qui restituit propter neglectas Missas ex stipendio debitas, non sufficit, ut pecuniam oblatori reddat occulte, quia is semper propter illius culpam Missis carebit, quas quaesierat, nec pecunia Missis aequivalet. Debet igitur vel oblatorem aperte monere et rescissionem contractus impetrare, vel Missas celebrare, vel condonationem a S. Sede obtinere [2].

f) **Circumstantiae obligationi adnexae.** 550

Circumstantiae temporis et loci, si per se intendantur [3], obligationem important ex genere suo gravem. Hinc facile eruitur quid sentiendum pro Missis fundatis; si fundator scilicet determinavit locum aut altare [4], mortale erit hanc circumstantiam frequenter praetermittere, veniale si praetermittatur raro (v. gr. semel aut bis in mense), nullum peccatum si raro et cum sufficienti causa; similiter iudicandum de circumstantia temporis [5], non tamen facile poterit mortaliter in eius omissione peccari, praesertim si omittatur cum causa aut non multum frequenter [6].

Circumstantia qualitatis Missae. Generatim cum petitur Missa sive pro vivo sive pro defuncto sive in honorem alicuius Sancti, satisfit per Missam quamlibet, sive de Requie sive de alio Sancto, quia nihil aliud solet intendi, nisi ut aliqua Missa applicetur vel pro vivo vel pro requie defuncti vel ad illius Sancti honorem. Si vero ex adiunctis satis colligitur revera intendi Missam votivam de illo Sancto vel de Requie, haec circumstantia servanda erit.

Circumstantia altaris privilegiati [7]. Non sufficit in alio 551

---

1 Cf. *A.S.S.* VII, p. 173-183.

2 Verm.-Creus. n. 108, 8°.

3 V. gr. in Missa nuptiali aut exsequiali, cui donator velit cum familia assistere.

4 V. gr. ob commodum populi, ut possit ibi audire Missam, vel ob memoriam suae familiae, ad quam altare pertinet.

5 V. gr. si fundator voluit quibuslibet sabbatis dici Missam de B. Virgine.

6 Lugo d. 21, s. 2; S. Alph. n. 328 329; Lehmk. n. 271 272.

7 Altare privilegiatum dicitur, quod adnexam habet indulgentiam plenariam, qua statim ab omnibus purgatorii poenis (quatenus est mens concedentis, nescimus vero qua mensura id divinae misericordiae et beneplacito acceptum erit) liberatur anima (*S.C. Indulg.* [*Decr. auth.* n. 283]). Indulgentia defuncto applicatur, quin necesse sit ut vel offerens eleemosynam vel sacerdos id intendat (ibid. n. 366); si tamen Missa pro pluribus offeratur, indulgentia

altari celebrare[1], supplendo aliunde indulgentiam plenariam pro defuncto. Si tamen celebrans bona fide erravit, non teneretur restituere stipendium, sed sufficeret indulgentiam ordinariam supplere aliunde, v. gr. per exercitium Viae crucis; nihil enim aliud censendus est exegisse oblator, nisi dedisset stipendium extraordinarium, ad novam Missam sufficiens.

Ad lucrandam indulgentiam altaris privilegiati iam non requiritur, ut Missa celebretur de Requie, aut de feria vel vigilia cum oratione pro defuncto; id tamen laudabiliter fit[2].

Pro Missis celebrandis in altari privilegiato nequit, praecise propter hanc causam, maior exigi Missae eleemosyna (can. 918, § 2), non enim est circumstantia aliqua onerosa. Quare etsi oblator stipem ordinariam tradiderit, si tamen Missam in huiusmodi altari exegit, sacerdos eo ipso quod consensit, ad hanc circumstantiam servandam tenebitur[3].

Tricenarium gregorianum[4] exigit, ut Missa celebretur triginta diebus continuis (non tamen obstat interruptio consueta

---

altaris uni ex iis applicetur, quia ad unum limitatur (ibid. n. 451; *S.C. Indulg.* 18 dec. 1885 [*A.S.S.* XVIII, p. 340]). Indulgentia illi tantum animae prodesse potest, pro qua sacrificium offertur (contrarium significabatur ibid. n. 348, sed nunc iam res non est dubia post declar. *S.C. Indulg.* 19 dec. 1885 [*A.S.S.* XVIII, p. 337-339]), neque enim aliter privilegium hocce a S. Sede concedi solet. Sacerdos celebrans in altari privilegiato pro defuncto eique indulgentiam altaris applicans potest nihilominus vi suae communionis indulgentiam aliam lucrari sibi vel aliis applicabilem, si ad eam lucrandam communio praescribatur (ibid. n. 327). Sacerdos habens privilegium personale altaris privilegiati, si accipit eleemosynam pro Missa celebranda in altari privilegiato, satisfacit celebrando in altari non privilegiato (ibid. n. 351).

De altari privilegiato cf. Beringer, *Les indulgences* (ed. 1893), tom. 1, p. 436-474; Mach-Ferreres, *Tesoro del Sacerd.* tom. 1, n. 646 ad 652; Soláns, *Man. liturg.* tom. 1, n. 43-44 227; Lehmk. n. 668 698; Blat, *Comment. text. Iur.* l. 3, p. 303-312.

Quinam designare possint altare privilegiatum, cf. can. 916; quomodo indicandum istud altare, cf. can. 918, § 1.

« Die Commemorationis omnium fidelium defunctorum, omnes Missae gaudent privilegio ac si essent ad altare privilegiatum celebratae » (can. 917, § 1). « Omnia altaria ecclesiae per eos dies quibus in ea peragitur supplicatio Quadraginta Horarum sunt privilegiata » (can. 917, § 2).

1 Nisi sacerdos gaudeat privilegio personali altaris privilegiati.

2 *S. Off.* 20 febr. 1913 (*A.A.S.* [1913] p. 122).

3 « Praesumitur oblatorem petiisse solam Missae applicationem; si tamen oblator expresse aliquas circumstantias in Missae celebratione servandas determinaverit, sacerdos, eleemosynam acceptans, eius voluntati stare debet » (can. 833).

4 Cum monachus quidam nomine Iustus graviter se offendisse regulam fateretur morti proximus seque peccati poenitere,

Hebdomadae Maioris) pro una eademque anima. Non opus est, ut legantur ab eodem sacerdote aut in eodem altari [1], aut quod dicatur Missa de Requie diebus a rubricis permissis; id tamen laudabiliter fieret [2].

Si tricenarium interrumpatur, eius essentia amplius non subsistit, etsi id inculpabiliter evenerit. Quare si interruptio facta est inculpabiliter et stipendium acceptum ita fuit extraordinarium, ut ad illud denuo incipiendum sufficiat, illud denuo incipiendum erit, nisi sacerdos malit rem cum eo, qui Missas petiit, componere; si vero stipendium fuit ordinarium, quod pro Missis dari solet, sufficiet prosequi et aliquam Missam celebrare ad altare privilegiatum.

Parochus tricenarium acceptare non potest, nisi certus sit quod possit diebus dominicis et festis alium sibi pro tricenario substituere, quia ipse pro populo applicare debet. Et quamvis illis diebus binandi facultatem haberet, nequiret tamen ipse hanc alteram Missam pro tricenario applicare, ut patet ex dictis n. 551; secus graviter peccaret, etsi valide ageret [3].

S. Gregorius M. monacho alii commisit, ut diebus triginta continuis pro eo offerret Sacrificium, monens ut nullus praetermitteretur dies. His expletis Iustus se a purgatorii poenis liberatum significavit. Hinc fidelium usus invaluit iniungendi triginta Missas sine interruptione pro determinata anima, confidentium hanc Missarum triginta celebrationem specialiter efficacem esse ex beneplacito et acceptatione divinae Misericordiae ad animarum liberationem. Huiusmodi fiduciam piam esse et rationabilem, et praxim in Ecclesia probari declaravit *S.C. Indulg.* 15 mart. 1884. Hinc non immerito dices cum eiusdem Congr. consultore (*A.S.S.* XVI, p. 516), quod quamvis pro certo haberi non possit animam post tricenarium semper revera liberari, et aliunde triginta Missae, paucis diebus persolutae, citius animae levamen afferrent, tricenarium tamen id habet, quod maximam dat probabilitatem, animam ad eius exitum esse liberatam. Cf. *A.A.S.* (1913) p. 32; *A.S.S.* XVI, p. 508-523, XXI, p. 255; Bened. XIV, *De Miss. Sacrif.* l. 3, c. 23; Beringer op. cit. tom. 1, p. 472-474; Mach-Ferr. op. cit. tom. 1, n. 347-355; Soláns op. cit. n. 228-229; Gasparri op. cit. n. 865.

[1] Nec opus est ut dicantur in altari privilegiato, sed sufficit « in quovis altari ». Cf. verba praeliminaria postulatoris ad resp. *S.C. Indulg.* 11 mart. 1884; Soláns op. cit. n. 229.

[2] *S. Off.* 12 dec. 1912 (*A.A.S.* [1913] p. 32).

[3] Putat tamen Ferr. n. 484 (cf. etiam Mach-Ferr. op. cit. tom. 1, n. 353 354), quod si ob morbum aliamve inopinatam causam deficeret ex improviso qui pro tricenario supplere debebat, et alius haberi non posset, posset parochus (saltem, ait, absque gravi peccato) pro tricenario applicare cum proposito celebrandi alia die Missam sine stipendio, loco illius cum stipendio celebratae. Non videtur abnuendum; etenim irrationabilis non videtur epikeia in huiusmodi necessitate, postquam omnis praemissa fuerat diligentia, et dummodo res eo modo sit componenda.

552 *g*) **Tempus legitimum ad obligationem implendam** est sine dubio quod ab oblatore fuit praescriptum, etsi breve fuerit, aut quod fuit concessum, etsi valde longum (non tamen ultra annum iuxta dicenda in n. 556).

Quod si oblator nullum tempus expresse praescripserit, Missae pro re urgenti (v. gr. pro recuperanda sanitate, pro impetrando felici negotii alicuius successu) quamprimum tempore utili [1] celebrandae sunt, aliae Missae intra modicum tempus pro maiore vel minore earum numero (can. 834) [2].

Indeterminationem quamdam continent illa canonis verba « intra modicum tempus ». Sed manifestum est sumi ea posse ad normam pressius datam nostris temporibus iussu *Pii X* per decr. « Ut debita » 11 mai. 1904, nempe: « Utile tempus ad manualium Missarum obligationes implendas esse mensem pro Missa una, semestre pro centum Missis, et aliud longius vel brevius temporis spatium plus minusve iuxta maiorem vel minorem numerum Missarum. » Eruebant inde nonnulli auctores [3] sequentem regulam pressius adhuc idipsum determinantem: tempus illud esse mensem cum dimidio pro decem, bimestre pro viginti, bimestre cum medio mense pro triginta, trimestre pro quadraginta et ita porro; sed interrogata circa hanc regulam *S.C.C.* respondit 27 febr. 1905 rem relinqui discreto sacerdotum iudicio iuxta legis praescriptum et probatos auctores.

In rigore tamen nihil cogit praedictam normam decreti « Ut debita » sequi. Nam cum Codex ea praetermissa redierit ad veterem formulam minus determinatam, nempe « intra modicum tempus », datam a *S.C.C.* sub *Urbano VIII* 21 iun. 1625 [4], licet eam sumere iuxta probatas veteris illius formulae interpretationes. Iuxta eas autem videtur non posse improbari spatium bimestrale [5] pro Missa una, propter auctoritatem eorum

---

1 Tempore utili, id est dum potest adhuc obtineri finis ab oblatore intentus, v. gr. sanatio aegroti, successus negotii etc.

2 « § 1. Missae pro quibus celebrandis tempus ab oblatore expresse praescriptum est, eo omnino tempore sunt celebrandae. — § 2. Si oblator nullum tempus pro Missarum manualium celebratione expresse praescripserit: 1° Missae pro urgenti causa oblatae quamprimum tempore utili sunt celebrandae; 2° In aliis casibus Missae sunt celebrandae intra modicum tempus pro maiore vel minore Missarum numero. — § 3. Quod si oblator arbitrio sacerdotis tempus celebrationis expresse reliquerit, sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit, eas celebrare, firmo praescripto can. 835 » (can. 834).

3 Ferreres in ephem. *Razón y Fe* X, p. 104, n. 23 vel Mach-Ferr. op. cit. n. 336; Gén.-S. n. 230.

4 Cf. Blat, *Comm. text. Cod.* p. 3, pag. 159; Many, *Prael. de Missa* p. 349.

5 Forsan putabit quis huiusmodi interpretationes sustineri iam non posse, cum ipsa *S.C.C.* triginta post annis, nempe 17 iul. 1655 dixerit verba « intra modicum tempus » intelligenda esse « in-

qui illud admiserunt[1], quamquam nos tantam moram admittere ausi non fuissemus; quidquid enim mensem excedit, nobis videtur nimium.

Semper tamen exceptio facienda est, si Missa dicenda est pro re urgenti; item, si pro recenter defuncto, nam pro eo sat breve spatium permitti potest, si aliter pauca suffragia haberet, quoniam dilatio ad mensem iam censetur gravis, ut dicemus statim in n. 554. Pro commissione plurium simul Missarum ab uno oblatore spatium congrua proportione dilatandum est, numquam tamen liceret admittere Missas, quibus intra annum satisfieri non posset, ut dicemus n. 556.

Praedicti temporis termini intelliguntur seorsim de Missis acceptis a quovis stipendium offerente, non vero de omnibus simul Missis a diversis offerentibus acceptis[2]. Quare si viginti Missas eodem die accipis a diversis, quorum quisque unam tantum Missam petit, non potes pro tempore legitimo sumere idem tempus longius, quod pro viginti ab uno traditis sumi posset, sed debes eas omnes celebrare intra tempus legitimum singulis Missis respondens.

A quo die incipiat tempus legitimum. 1° Si onus Missae **553** vel Missarum nunc primum accipitur ab oblatore seu stipendii domino, tempus legitimum incipit currere a die oneris accepti, ut patet.

2° Si onus accipitur ab eo, qui vicissim illud onus iam acceperat explendum per se ipsum, vel per alios explendum, sed a se in defectu aliorum, tempus currit a die, quo onus priori commissum fuit. Quare Missae, quas Superior suis subditis distribuit, celebrandae sunt intra terminos currentes a die, quo eas Superior acceptavit, non a die, quo eas subditis tradi-

---

fra mensem » (MACH-FERR., *Tesoro del sac.* tom. 1, p. 355); immo huic *S.C.C.* interpretationi standum esse ex praescripto canonis 6, 2°. Sed illa *S.C.C.* declaratio videtur non obligasse universaliter (cf. MANY, *Prael. de Missa* n. 50, p. 101) et revera non fuit deserta ab auctoribus probabilitas spatii bimestralis adhuc post illam declarationem, idemque spatium adhuc admisit ut « probabile » S. ALPH. loc. cit., etsi post paucas lineolas agnoscat contrarium esse « rationabile » propter illam *S.C.C.* interpretationem.

[1] LUGO d. 21, n. 34; S. ALPH. n. 317, § « Praecisis » et alii ap. S. ALPH. Immo sunt qui hanc interpretationem dicant fuisse communem; cf. TOURNELY ap. S. ALPH. loc. cit.; GASPARRI, *De Euch.* n. 592; MANY, *Prael. de Missa* n. 50, p. 101. Minus autem accurate citatur a S. ALPH. alter locus LUGONIS d. 21, n. 45, ibi enim loquitur LUGO de eo, qui ex fundatione tenebatur legere 15 Missas quolibet mense et eas differt ad mensem sequentem legendas cum aliis illius mensis, potest enim in casu nulla Missa diferri ad duos menses; neque id LUGO a veniali excusat, quia in casu obligatio fundationis plus minus adstringebat ad singulos menses.

[2] *S.C.C.* 27 febr. 1905 (*A.S.S.* XXXVII, p. 525).

derit; similiter, si Missam acceptasti ab amico sacerdote, qui illam pridem acceptaverat, currit onus a die primae acceptationis. Ratio est, quia non possunt hi, distributionem differendo vel onus in alium transmittendo, tempus legitimum protrahere.

3° Si onus accipitur ab eo, qui non eas celebrare, sed eas tantummodo distribuere tenebatur, « tempus legitimum pro earumdem celebratione incipit a die quo sacerdos celebraturus easdem receperit, nisi aliud constet » (can. 837). Huiusmodi sunt Missae, quae accipiuntur ab administratoribus piarum causarum, ab herede vel ab exsecutore testamenti etc., nisi aliud constet. Aliud vero constat, v. gr. si testamenti exsecutor Missas distribuit pro testatore recens defuncto[1]; tunc enim agitur de causa urgente, causa autem urgens adimpleri debet intra tempus utile, quod in praesenti casu est mensis[2] ab obitu testatoris computandus[3].

554 *h*) **Dilatio** Missae ultra tempus legitimum, de quo nuper in n. 554, per se grave peccatum est; dilatio tamen modica, v. gr. paucorum dierum ultra tempus legitimum pro celebranda Missa una, venialis tantum erit; at dilatio notabilis erit gravis[4].

---

1 Aliud prorsus esset, si debitis suffragiis iam suo tempore persolutis Missas exsecutor distribuit quas testator ab huiusmodi urgentia liberas commendaverat, v. gr. si disposuit, ut centum quotannis celebrari faceret.

2 Missae in suffragium recens defuncti ab auctoribus consideratae sunt semper tamquam pro causa suo modo urgenti, cuius peculiari urgentiae infra mensem a die accepti oneris satisfieri debeat sub gravi: S. Alph. n. 317; Choupin in ephem. *Etudes* CII, p. 114-115; Ferreres in ephem. *Razón y Fe* X, p. 103, n. 16; Mach-Ferr. op. cit. n. 336 b. Intellige, si defunctus pauca habet suffragia, ideoque una Missa censenda sit pars suffragiorum convenientium notabilis, vel si defunctus pro se protinus post mortem persolvendas reliquit ideoque cum voluntate, ut acceptarentur tamquam pro re urgenti; tunc enim haec circumstantia contractus tacite acceptata servanda est. His sepositis Missa pro defuncto fere tractari posset, sicut de aliis Missis diximus.

3 Consequenter non potest testamenti exsecutor Missas, quas testator in sui suffragium persolvi iussit, uni vel paucis sacerdotibus committere, si adeo multae sunt, quia debent omnes intra mensem adimpleri. Mach-Ferr. op. cit. n. 337. Nec dicas, quod si pleraeque intra breve dicantur, iam debita suffragia abunde erunt persoluta et deinde ceterae Missae non adeo urgebunt. Non enim id solum attendi debet, sed etiam voluntas manifestata testatoris. Nam si testator eas reliquit, etsi multas, in suae animae levamen post mortem, implicite vult ut dicantur cito; cito autem intelligunt auctores in hac materia non esse protrahendum ad mensem.

4 Vide tamen mox dicenda de omissione unius Missae in una ex proximis notis.

Si tamen Missa commendata est pro recens defuncto, peccatum grave erit[1] eam differre ultra mensem a tempore, quo acceptata fuit, tum quia intentio dantis est, ut quantocius celebretur, tum propter necessitatem defuncti.

Si Missa commendata fuit pro aliqua urgente gratia, v. gr. pro felici partu, pro recuperanda sanitate etc., dilatio etiam brevis poterit esse gravis. Quodsi Missa dilata fuit usque dum tempus impetrandae gratiae transiit, puta donec partus iam acciderit, vel aeger iam obierit vel convaluerit, stipendium restituendum erit, etsi Missa celebrata fuerit; nam cum illa circumstantia ad substantiam pertineret, sacerdos non adimpleverat contractum[2].

i) **Omissio** oneris ex stipendio debiti grave peccatum est, **555**
non quidem propter quantitatem pecuniae defraudatae, quae saepe levis erit, sed propter magnum momentum rei in contractu oneroso promissae[3]. Patet tamen restitutionem stipendii,

---

1 S. Alph. n. 317; Ferr. n. 476.

2 Lugo d. 21, n. 45; S. Alph. n. 317; Ferr. n. 476; Gén.-S. n. 230.

3 Mortalem semper esse omissionem unius Missae, cuius stipendium sit materia levis et praecisis circumstantiis specialibus, ob quas ex omissione grave sequi posset nocumentum, v. gr. si secus defunctus careret necessarioribus suffragiis, aut urgeat magna aliqua necessitas, nobis certe non apparet clare, si attendimus tantum ad rationes, quas adducunt auctores, et ad modum, quo eas proponunt. Quapropter non miramur, quod multi e veteribus (quos citat S. Alph. n. 317 quaer. III.) grave id esse negaverint, et quod recentius Ball.-P. n. 250 adhuc id incertum putaverit dixeritque veterum opinioni suam probabilitatem tum intrinsecam tum extrinsecam non deesse.

Rationes nempe, quae adducuntur, sunt:

1° Magnum momentum rei in contractu oneroso promissae (S Alph. loc. cit.; Lehmk. n. 269, quamquam is non vult adeo urgere, quando Missa, quae omittatur, sit unica ex magno numero). Sed huic rationi responderi potest, quod in contractibus non debet solummodo attendi, quam magni momenti seu quam utilis sit res, quae ex contractu tradi debebat et non traditur, sed etiam quam stricta esset obligatio eam rem tradendi; secus grave etiam esset eam non tradere, si debeatur ex mera fidelitate. Nec desunt alia exempla. Nam grave non est, si parochus semel deneget communionem subdito, nec grave est negare semel absolutionem post confessionem venialium (nisi aliunde ob damnum grave secutum vel ob rationabilem contristationem gravem, v. gr. si subditus anxie communionem quaesierat ob necessitatem spiritualem et alio recurrere facile non possit; vel si poenitens accusaverat venialia, quorum manifestationem non sine magna repugnantia homines faciunt, vel si diu, v. gr. ob longum iter gratia sacramentali carere debebit), cum tamen in utroque casu res debita, gratia scilicet sanctificans ceteraeque gratiae sacramentales sint maximae utilitatis et debeantur ex titulo iustitiae. Huius autem rei alia sine dubio ratio non est, nisi quia non unice attendenda est *quantitas*

si quando debet fieri, urgere sub levi vel gravi iuxta materiam furti relative gravem (n. 243).

Omissio est levis, si Missa tantum debebatur ex promissione gratuita sub obligatione solius fidelitatis (n. 306).

---

utilitatis rei debitae, sed etiam *quantitas obligationis*, quam iustitia magis minusve stricte pro diversis casibus imponit.

2° Si gravitas culpae e materia stipendii eruenda esset, quandoque decem Missarum omissio levis esset (Gén.-S. n. 229). — *Resp.*: Hoc bene probat non sufficere solam levitatem stipendii, sed debere attendi quoque ad aliquid aliud, ad magnam nempe utilitatem rei debitae. Sed imprimis non probat hanc magnam utilitatem eiusdem esse aestimationis circa unam ac circa decem Missas; immo non aequaliter aestimari, probari potest praecise ex eo, quod fideles saepe non unam Missam committunt, sed plures. Perperam ergo a decem Missis argumentum transferretur ad unam, quasi ex nostris principiis deduceretur esse idem. Deinde nec probat, quod si stipendium sit leve, omissio Missarum inferatur esse gravis ex sola consideratione magnae utilitatis rei debitae; nam, ut diximus, simul respicienda est et utilitas rei et quam stricte debeatur.

3° Ecclesia omnino vult, ut sacerdos sub gravi adstringatur, ut liquet e tot documentis, quibus severissime urget, ne Sacra ob stipendium accepta omittantur aut diutius differantur (Gén.-S. n. 229). Id tamen non magis nos movet. Nam documenta S. Sedis loquuntur modo universaliore, quin possit ex eis liquido concludi g r a v i t a s omissionis u n i u s Missae. Confirmatur ex eo, quod paria documenta a S. Sede iam olim fuerant edita, et tamen post ea multi auctores peccatum grave in omissione unius Missae nondum agnoscebant.

4° Gravitas infertur ex verbis decreti « Ut debita » art. 4 « Super integra », quibus graviter oneratur integra et perfecta exsecutio praecedentium dispositionum (Ferr. n. 476 quaer. 8). — *Resp.*: His verbis severissime urgetur exsecutio praecedentium dispositionum secundum propriam cuiusque dispositionis capacitatem, et generatim omnes sub gravi urgeri possunt. Adeo autem urgeri sub gravi exactam cuiuslibet earum dispositionum exsecutionem, falsum est; tum quia nemo dicet grave esse tot Missas contra praecedentes dispositiones assumere, quibus satisfieri posset nonnisi intra duodecim menses cum dimidio, tum quia ipse Ferr. ibid. admittit non esse gravem, contra easdem, dilationem unius Missae ad paucos dies post mensem.

5° *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 865 ait quod « stipendio accepto sacerdos ex iustitia Sacrum promissum sub gravi obligatione celebrare tenetur » (Ferr. n. 476 quaer. 9). — *Resp.*: Id verum est per se, praescindendo an stipendium accipiatur pro unica vel pro pluribus Missis, sicut vere dici potest maledictionis peccatum esse grave, furtum esse grave, grave esse differre Missas ex stipendio etc., quae vera sunt per se, praescindendo a levitate materiae. Aliunde illae sunt instructiones doctrinales, quibus officia sacerdotum urgentur, nihil vero de novo statuitur, nec voluntas est imponendi praeceptum grave, si res de se non urgeat iam sub gravi.

Potius nobis ratio inde repetenda videtur, quod oblator maximum certe bonum quaesierat, etiam cum quodam suo gravamine, (id est collato stipendio), et ipse a sacerdote impeditur, non solum ne maximum hoc bonum, quod quaerit, ab eo obtineat, sed etiam n e p o s s i t ab alio obtinere; cum enim nesciat celebra-

j) **Collectio Missarum.** 556

« Nemini licet tot Missarum onera per se celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeat » (can. 835). Agitur, ut patet, de Missis manualibus vel ad instar manualium, non de Missis fundatis.

Prohibitum ergo est eas tam copiose recipere, ut ultra annum praevideantur differendae, quantumvis oblator in terminum uno anno maiorem consentiat[1] sive implicite, v. gr. si quadringentas Missas offert, sive explicite, v. gr. si aliquas offert sacerdoti, qui dicit se ad annum aliis oneribus acceptis impediri[2].

---

tionem esse omissam, decipitur atque a tanto bono sibi aliunde procurando quodammodo avertitur. Sacerdos ergo in causa est, cur donator tam pretiosa re (quam aliunde ei ex iustitia debebat) privatus esse debeat n e c e s s a r i o, atque hinc videtur datum fuisse ei motivum contristationis g r a v i s.

Neque hinc sequitur omissionem Missae ex levi stipendio debitae esse peccatum grave solummodo contra c a r i t a t e m; nam motivum contristationis gravis oritur ex defraudatione i u r i s, tum iuris stipendii dati, tum praesertim iuris quaerendi aliunde tam magnum spirituale bonum. Est ergo grave contra iustitiam.

Videmus tamen duplici in casu hoc argumentum posse deficere. Imprimis si supponere velimus, quod sacerdos oblatorem de omissione facta moneret et de suo proposito non adimplendi; iam enim in casu tolleretur dolus et restitueretur alter in iure adeundi alium sacerdotem. Deinde si ageretur non de omissione Missae, quae unica commissa fuit, aut de omissione unius super paucis commissis, sed unius super plurimis, puta quinquaginta, quarum singularum stipendium sit leve; videtur enim in casu oblator non sumere rationabiliter motivum ad contristationem gravem.

Rationem ergo *generalem*, qua in casu stipendii levis et secluso motivo speciali probetur certo gravitas omissionis unius Missae, *ex natura rei* vel *ex iure canonico* desumptam non videmus.

Nihilominus de facto omissio unius Missae, etsi cum stipendio levi, generatim erit gravis. Tum quia de facto agitur saepe de una Missa super paucis et oblator de omissione non monetur; tum quia de facto non desunt circumstantiae, ob quas omissio inducit nocumentum grave, v. gr. defunctus notabili parte suffragiorum defraudatur, quia pauca procurata sunt, vel urget gratia sanitatis, felicis partus aliave non modici momenti impetranda; tum denique propter scandalum, quia multis oblocutionibus contra sacerdotes daretur locus, si forte sciretur praetermissam fuisse ex voluntaria incuria Missam commendatam.

[1] In art. 3° decreti « Ut debita » 11 mai. 1904 concedebatur, ut recipi possent Missae etiam post annum celebrandae, si offerentes longius tempus concederent. Id nunc admitti iam non potest, Codex enim sat expresse loquitur et dum can. 834, § 2 admittit oblatorem posse tempus assignare pro suo arbitrio, limitem tamen imponit unius anni, qui assignatur in can. 835. Ita etiam Blat, *Comm. text. Iur.* p. 3, pag. 159; Gén.-S. n. 230, 4°; Mach-Ferr., *Tesoro del sacerd.* I, n. 338, p. 341.

[2] Idem casus non videtur, si oblator Missam tradit sacerdoti aliunde oneribus vacanti, aiens se concedere, ut satisfiat tempore ad libitum sacerdotis, etiam ultra annum; non sacerdos acceptat

Qui ergo Missas plures acceptat, duci debet prudenti praevisione, ideoque non potest v. gr. colligere Missas ad totum annum, si ex infirmitate, ex occupationibus praesentibus vel obventuris aliave de causa praevidet se a celebrando per aliquam anni partem aut per maiorem minoremve dierum numerum fore impeditum.

Praedicta prohibitio afficit eos, qui Missas colligunt per se ipsos celebrandas, non Ordinarios aliosve Superiores, qui eas colligunt celebrandas per alios, dummodo prudenter praevideant omnibus oneribus intra legitimum tempus rite satisfactum iri.

« In ecclesiis in quibus ob fidelium peculiarem devotionem Missarum eleemosynae ita affluunt, ut omnes Missae celebrari ibidem debito tempore nequeant, moneantur fideles, per tabellam in loco patenti et obvio positam, Missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi » (can. 836).

557 *k*) **Vetitum Missarum mercimonium.** Vetitum omnino est non solum negotiationem aut mercaturam exercere cum Missis, sed etiam quidquam facere, quod negotiationis aut mercaturae speciem habeat[1].

Quamvis negotiationis et mercaturae nomina fere in idem recidant, in eo tamen praesertim distinguuntur, quod negotiatio pecunias, mercatura merces pro materia habeat. Distinctiorem utriusque conceptum sume ex dictis in n. 401.

Negotiatio vel mercatura est, aut saltem earum speciem habent sequentes actiones, quae proinde circa Missas prorsus sunt prohibitae[2]:

1° Colligere eleemosynas Missarum ex eisque lucrum captare faciendo eas celebrari in loco, ubi stipendia minora sunt, vel ubi moneta minoris pretii est ad lucrandum beneficium cambii. Nec licitum ullo modo id est, quamvis fiat ex fine applicandi lucrum ad opus aliquod pium.

---

tunc Missam, cui « intra annum satisfacere nequeat ». Hoc vero non tenendum, si sacerdos iam aliunde occupatus esset, quantumvis oblator largos terminos expresse concederet, ut diximus. Canon nempe iste impedire intendit nimiam Missarum congeriem, unde magnum solet provenire praetermissionis periculum, sed non intendit ut Missa quaelibet reapse intra annum celebretur.

1 « A stipe Missarum quaelibet etiam species negotiationis vel mercaturae omnino arceatur » (can. 827).

2 Cf. const. Pii IX *Apostolicae Sedis* 12 oct. 1869 ser. 2, art. 12; Resp. *S.C.C.* 25 iul. et 9 sept. 1874 (*A.S.S.* VIII, p. 107 et p. 650); decr. *S.C.C. Vigilanti* 25 maii 1893 (*A.S.S.* XXVI, p. 56 vel Append. *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 78; adde resol. in Roman. *A.S.S.* XXVI, p. 533); decr. *S.C.C. Ut debita* 11 maii 1904 (*A.S.S.* XXXVI, p. 672); Ferr. ap. ephem. *Razón y Fe* X, p. 96 240 378 523, XI, p. 99; Gasparri, *De Euch.* n. 570-576; Many, *Prael. de Missa* n. 100-108; Verm.-Creus. n. 105, 6°.

2° Stipendia pro mercibus aliisve rebus permutare. Quare non licet loco pecuniae ab oblatoribus acceptae dare celebranti libros aliasve merces, sed debent stipendia tradi in eadem specie, qua accepta fuerunt.

Sed non est prohibitum, quod ipse oblator loco pecuniae offerat tamquam stipendium sacerdoti librum aut subscriptionem ephemeridis, planeque licet sacerdoti id acceptare; sicut enim potest consistere stipendium in pecunia, ita in alia quavis re, nec ulla fit in casu stipendii permutatio. Quare bene potest sacerdos celebrare certum Missarum numerum ad intentionem venditoris librorum, loco solvendi pretium, vel ad intentionem proprietarii ephemeridis alicuius, loco solvendi pretium subscriptionis, dummodo illi id non acceptent loco stipendiorum, quae ab aliis collegerint, sed ex sua devotione eas Missas celebrari faciant.

3° Ope Missarum ab aliis collectarum libros, sacra utensilia aliasve res vendere aut emere aut subscriptiones cum diario aut ephemeride procurare; sic enim stipendia accepta cum huiusmodi rebus commutantur [1]. Non licet proinde Missas tradere bibliopolis, mercatoribus aut ephemeridum administratoribus, etiamsi religiosi viri forte sint, qui ad hos fines eas colligunt; sic enim rei vetitae cooperatio praestaretur [2].

l) **Distributio onerum Missarum** [3]. 558

Qui Missas receperunt ad distribuendum (v. gr. testamenti exsecutor, Ordinarius cui sub anni exitum Missae nondum persolutae traditae sunt, sacerdos cui aliquis Missas tradidit ut eas distribueret, administratores locorum piorum aut rectores ecclesiarum qui eas colligunt etc.), eas quamprimum distri-

---

1 Igitur non posset sacerdos pauper, qui subscriptionem ephemeridis alicuius cuperet, promittere administratori se celebraturum aliquas Missas ex iis, quas ille distribuendas habet sive ad id collectas sive privatim ab amico per testamentum commissas; sic enim subscriptio ope Missarum emeretur. Posset tamen admitti, ut si subscriptionem, cuius iam erat debitor, solvere non posset, rogaret administratorem, ut aliqua stipendia velit sibi mittere; sicut enim per se, sic etiam per alium potest necessaria stipendia quaerere, dummodo tamen subscriptio non fuerit inita sub spe huiusmodi subsidii, nec renovetur, si non praevidetur quod rite solvi poterit. Ferr. ap. ephem. *Razón y Fe* XI, p. 99, n.114.

2 Variis sanctionibus muniebantur hae prohibitiones in iure usque ad novum Codicem vigente, quae iam nunc ob Codicis silentium abrogatae sunt; cf. can. 6, 5°.

3 De hac re hi tres canones lati sunt: « Qui Missas per alios celebrandas habet, eas quamprimum distribuat, firmo praescripto can. 841 (id est, de tradendis Ordinario oneribus sub anni exitum); sed tempus legitimum pro earundem celebratione incipit a die quo sacerdos celebraturus easdem receperit, nisi aliud constet » (can. 837). — « Qui habent Missarum numerum de quibus sibi liceat

buere debent (can. 837). Possunt autem, nisi certae ecclesiae aut certis sacerdotibus tradendas acceperint, eas distribuere « sacerdotibus » (non laicis, non aliis clericis) quibuslibet (etiam extra dioecesim commorantibus) [1], dummodo cum serio fundamento credant, quod fideles erunt in adimplendis oneribus [2], aut si a suis Ordinariis commendati fuerint (can. 838).

Quicumque alii Missas tradat, sive eas per se ipsum celebrandas sive aliis distribuendas habebat (ideoque sive manuales, sive ad instar manualium seu ex fundatione provenientes), eadem, qua ante traditionem, obligatione tenetur, donec testimonium acceperit [3] oretenus vel ex scripto vel per nuntium [4], quod obligatio fuit acceptata et stipendium receptum [5] (can. 839).

559 *m*) **Transmissio stipendii** [6].

Qui Missas manuales transmittit, debet stipendium acceptum *integre* transmittere, idque Ecclesia saepe saepius enixe

---

libere disponere, possunt eas tribuere sacerdotibus sibi acceptis, dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores vel testimonio proprii Ordinarii commendatos » (can. 838). — « Qui Missas a fidelibus receptas aut quoquo modo suae fidei commissas aliis celebrandas tradiderint, obligatione tenentur usque dum acceptatae ab eisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerint » (can. 839).

1 Non possunt Episcopi huiusmodi iuris canonici facultates sacerdotibus coarctare, nisi indirecte ratione materiae, v. gr. poterunt prohibere quominus Missae a peregrinis sanctuario suae iurisdictioni subiecto traditae ad aliam dioecesim transferantur. Cf. *S.C.C.* in causa dioec. N. 19 febr. 1921 (*A.A.S.* [1921] p. 228; Verm.-Creus. n. 107, 10).

2 Can. 838 ait: « dummodo probe sibi constet eos esse omni exceptione maiores », quod Blat, *Comm. text. Cod.* p. 3, pag. 163 sic interpretatur: « ex prudenti ac sufficienti ratione constet in fidelitate adimplendorum onerum non pati exceptionem contrariam ». Verm.-Creus. autem n. 107, 1°: « Omni exceptione maiores sunt iidem qui optimi, seu in quos suspicio cadere nequit. Hoc proprie dicitur de teste qui egregie idoneus est. Cf. Reiffenstuel, *Ius can.* II, 20, 10-11. » Et Ferreres in ephem. *Razón y Fe* X, p. 244, n. 46: « personas de toda confianza », seu omnino fidedigni.

3 Ideoque si ipse stipendii dominus non erat (v. gr. testamenti exsecutor) et de acceptatis Missis notitiam non recipit, eas iterum, etiam de sua pecunia, committere tenetur vel eas per se ipsum celebrare, si est sacerdos; nisi stipendium transmisisset per medium prorsus tutum et debitis investigationibus factis nihil comperire posset; tunc enim inculpabiliter periisset ideoque domino periisset. Si vero stipendii erat dominus (v. gr. qui onere celebrandi gravabatur) et stipendium, etsi inculpabiliter, perit, sibi perit, ideoque eodem, quo antea, celebrandi onere tenetur. Cf. dicta n. 548.

4 Cf. Blat loc. cit. p. 165.

5 Non iam igitur requiritur, ut testimonium acceperit adimpletae obligationis, prouti per decr. « Ut debita » impositum fuerat.

6 « 1. Qui Missarum stipes manuales ad alios transmittit, debet acceptas integre transmittere, nisi aut oblator expresse per-

praecepit[1]. De Missis ad instar manualium paulo inferius in n. 560.

Utrum retentio partis stipendii sit contra iustitiam, quando is, qui illud transmittit, *ad celebrandum per se ipsum tenebatur*, an tantum contra praeceptum Ecclesiae, seu utrum stipendium integrum debeatur de iure naturali, an tantum de iure positivo, controvertitur (supponitur tradi alteri saltem taxam dioecesanam vel consuetudinis). Probabilior quidem videtur sententia affirmans iniustitiam et consequenter obligans ad partem retentam restituendam ex iustitia ei, qui celebravit, hac nixa ratione, quod stipendii dominium acquiritur iuxta voluntatem dantis; huius autem voluntas substantialis videtur esse non tantum ut Missa celebretur, sed etiam ut pro tali stipendio celebretur[2]. Nihilominus probabilitas denegari non debet sententiae multorum veterum[3], qui iniustitiae reatum denegarunt, hac nixi ratione, quod sacerdos, qui Missae onus

---

mittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam datum fuisse intuitu personae. — § 2. In Missis ad instar manualium, nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus et satis est remittere solam eleemosynam manualem dioecesis, in qua Missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii aut causae piae » (can. 840).

1 Ita decr. URBANI VIII et INNOC. XII 21 iun. 1625 et 23 dec. 1697, § 5 vel 6 (cf. MANY, *Prael. de Missa* p. 349, vel GASPARRI, *De SS. Euch.* II, p. 436); prop. 9 damn. ab ALEX. VII; decr. *S.C.C.* « Ut debita » 11 maii 1904, n. 9°; *Codex iuris* can. 840, § 1.

2 Rationem sic effert MANY op. cit. n. 93, p. 177: Sacerdos non acquirit eleemosynam, nisi « *titulo obligationis*, quam assumit, *Missam celebrandi* ». Et post ARENDT, sic FERR. n. 479 nota: stipendium datur « propter ipsam susceptam celebrationem ». Horum rationi hanc nos addimus, quod prohibitio Ecclesiae probabilius non tantum propter bonum religionis nomen videatur fieri, sed etiam propter motivum iustitiae (n. 36 nota).

3 SUÁREZ, VÁZQUEZ, CASTROPALAO, NAVARRO etc. ap. S. ALPH. n. 322; horum sententiae probabilitatem concesserunt hodierni BALL.-P. n. 257; D'ANNIB. III, n. 190 nota 17; GÉNICOT (ed. 3ª) n. 231 quaer.; NOLDIN n. 191. Recentius tamen post opusculum de hac quaestione editum ab ARENDT a. 1914 auctores inclinant ad denegandam veteri sententiae probabilitatem; ita FERR. n. 479; GÉN.-S. n. 231 bis quaer.; VERM.-CREUS. n. 107, 3° et ante hos omnes MANY op. cit. n. 93 et GASPARRI op. cit. n. 601. Non potuimus quidem opusculum P. ARENDT consulere, quod auctores nuperrime permovit; sed interea veterum opinioni censemus nec deesse auctoritatem extrinsecam, cum inter illos magna certe nomina recenseantur, nec intrinsecam, quia horum ratio allata nullatenus apparet spernenda (legatur v. gr. SUÁREZ, *De Euch.* d. 86, s. 3, n. 7).

Ut probabilitatem sententiae veterum detrectent, allegant quidam verba BENED. XIV aientis in const. « Quanta cura » 30 iun. 1741 contravenientes teneri « furti crimine ». Sed ut recte respondet MANY op. cit. n. 94 NB., ratio non valet, quia ibi loquitur Pon-

in se suscepit, iam acquisivit stipendii dominium nihilque prohibet, quominus oneri satisfaciat per alium [1].

Certe omnibus in confesso esse debet iniustitiae reum esse atque ad restitutionem teneri eum, qui alii non integrum transmittit stipendium, quod respondet Missae, cuius onus celebrandae per seipsum non susceperat. Huiusmodi sunt exsecutores testamentorum, administratores ecclesiarum ceterique omnes, qui Missas habent distribuendas tantum [2]. Eisdem

---

tifex de sacerdotibus colligentibus Missas in alio loco celebrandas. Certe qui eas colligit mere in alium locum transmittendas, ut dicimus supra, titulum iuris acquisiti allegare non potest.

Alias rationes afferunt alii, quas retulimus in praecedenti nota, quibus tamen non deest responsio probabilis.

Nam ad rationem datam a MANY responderi potest, quod stipendium datur « titulo obligationis celebrandi Missam per se ipsum, si quis alium non reperiat », ut probabili argumento docuit SUÁREZ; quod autem detur titulo peractae a se ipso celebrationis, ut supponit MANY, id praecise ab eo probandum erat.

Pariter ad eamdem, quam sub aliis verbis post ARENDT affert FERR., respondetur quod stipendium non datur praecise propter susceptam et peractam celebrationem, nisi ipse speciali argumento id probare possit, sed probabiliter propter « onus susceptum celebrationis a se peragendae, nisi alius peragat », ut probabiliter probavit SUÁREZ.

Similiter, si idem sub nova alia forma proponas, dicens quod stipendium datur in hoc sensu: « do tibi, ut tradas ei qui celebret », vel quod assimilari debet donationi factae cum adiecto quodam fine determinato: respondeo quod 1.um est falsum; nam stipendium non deponitur penes sacerdotem, qui hoc onus suscipit donec celebret, sed statim, antequam celebret, ab eo acquiritur (n. 548); ad 2.um respondeo quod certum est tradi stipendium cum certo fine, sed is finis non est praecise ut stipendium acquiratur totum ab ipso celebrante, sed finis dantis duplex est, scilicet, ut quis onus celebrandi Missam in se ipso suscipiat, atque ut reipsa ab eodem vel ab alio celebretur. Ita saltem teneri debet ut probabile, donec adversarii vel directe suam thesim certam esse probent specialibus argumentis, vel argumenta SUÁREZII diluant ostendendo ea ne ut probabilia quidem sustineri posse.

Denique ad argumentum, quod addidimus de motivo prohibitionis ecclesiasticae, responderi potest quod probabiliter non est facta ob motivum iustitiae, sed religionis; nam bene explicari potest prohibitio ex eo quod traditio stipendii imminuti habeat « speciem turpis lucri », ut ait SUÁREZ (d. 86, s. 3, n. 7 sub finem), ideoque prohibitio intendit praecipue decorem et reverentiam rei sacrae. Aliunde confirmari potest, quia Ecclesia non addit, quod qui aliter agit excessum stipendii retentum non facit *suum*, prouti alias profecto consueverat addere. Confirmari praeterea potest, quia qui turpe mercimonium exercet cum stipendiis, ea nihilominus facit sua.

1 Supponitur ergo quod, qui partem stipendii retinet, non erat merus eiusdem transmissor, sed eius dominium acquisierat, ideoque onus celebrandi in se susceperat. Supponitur praeterea, ut iam monuimus, tradi alteri saltem taxam iustam, secus iniuria certo fieret.

2 GÉN.-S. loc. cit.; VERM.-CREUS loc. cit.

accense sacerdotem, cui Missa traditur alii transmittenda, vel qui Missas colligit cum proposito eas in aliam regionem transmittendi; cum enim in his casibus onus celebrandi ipse non susceperit, stipendii dominium non habet.

Licet partem stipendii retinere: 1° Si oblator expresse **560** permittat aliquid retinere (can. 840).

2° Si sacerdos, ad quem Missae onus transfertur, omnino sponte et non rogatus neque interrogatus [1] excessum remittit [2].

3° Si moraliter certo constet excessum supra taxam datum fuisse intuitu personae (can. 840), id est amicitiae, paupertatis, gratitudinis, propinquitatis etc. causa [3].

4° Si quis in colligendis seu procurandis eleemosynis Missarum pro aliis deputatus est quasi ex munere; tunc enim potest moderatam mercedem sui laboris retinere, si suus labor vere mercedem meretur: in id enim ipsi offerentes implicite consentiunt aut saltem rationabiliter consentire debent [4].

Sacerdos, qui hodie celebrare debebat pro pingui stipendio [5] et obligationem adimplere impeditur, probabiliter potest,

---

1 Secus enim facile coactio irrepit, quae debitam libertatem tollat.

2 S. Alph. n. 321.

3 S. Alph. loc. cit. Haec autem fidelium intentio non ita facile est praesumenda, sed vel expressa esse debet vel ex indiciis non aequivocis, quae moralem certitudinem pariant, eruenda (Gasparri n. 606).

4 S. Alph. n. 322, dub. 3; *A.S.S.* XXXVIII, p. 79; Gasparri n. 609; Lehmk. n. 281, 6° 7°; Gén.-S. cas. 727. Eum, qui stipendium alii transmittit, posse necessarias transmissionis expensas deducere manifestum est.

5 Auctores casum hunc ita plus minusve post S. Alph. n. 322, dub. 4 enuntiare solent: « Sacerdos, cui hodie pingue stipendium offertur ». Sed parum recte; non enim sufficit ut ei stipendium *offeratur*, si sacerdos onus per seipsum adimplendum non suscipit.

Potest quidem probabiliter sacerdos, si dominium stipendii acquisierat, ideoque *si ipse celebrandi onus in se assumere poterat et assumpserat*, potest, inquam, probabiliter retento stipendio permutationem intentionum facere; idque accidere potest, v. gr. si ex impraevisa indispositione, aut ex superveniente alia obligatione urgentiore aliove impedimento satisfacere non potest, aut simpliciter quia ad aliam intentionem ex devotione celebrare vellet.

Sed si pingue stipendium ei offertur et *onus in se assumere non potest aut non vult*, stipendium non facit suum (non enim id potest facere suum, nisi assumendo illud onus), ac proinde *permutationi* locus non est, sed tantum potest ipse onus *transmittere* nomine dantis et consequenter nullum titulum habet, quo eleemosynam eiusve partem retinere possit. V. gr. petitur pro pingui stipendio Missa hodie celebranda; si non possis aut nolis eam ipse acceptare, quia hodie forsan obligaris personaliter ex

retento stipendio, rogare alium, ut hodie ad suam intentionem celebret, promittens vicissim se celebraturum alio die ad intentionem illius, qui pro minore stipendio celebrat[1].

Si alii celebranda transfertur Missa ad instar manualium, seu quae beneficio aliive piae fundationi adnexa erat, sufficit, nisi obstet mens fundatoris, tradere taxam dioeceseos, in qua Missa celebratur (non dioeceseos, in qua Missa celebranda erat,

---

beneficio aut fundatione et non vis tuae obligationi deesse, vel quia iam teneris celebrare pro alio stipendio adhuc pinguiore ideoque hanc meliorem intentionem alteri committere non vis, non potes hanc novam obligationem oblatam acceptare cum intentione eam tradendi alii et deinde illi dicere, retento stipendio, ut eo die ad tuam intentionem celebret, alio die ad eius intentionem celebraturus, sed totum negotium cum suo stipendio in alterum reiicere debes.

Ideo rectius LACROIX n. 134 casum sic enuntiaverat: « Si Caio incumbat hodie legere Missam etc. ».

1 S. ALPH. n. 322, dub. 4; LACROIX n. 134; BALL.-P. n. 258; D' ANNIBALE n. 190 nota 18; MANY op. cit. n. 97; FERR. n. 479 quaer. 16; GÉN.-S. n. 231 bis X.

E patronis huius sententiae alii rationem dant, quod sit mera intentionum et dierum permutatio. Sed non recte, quia in casu fit intentionum permutatio et simul stipendiorum retentio, in hoc autem postremo consistit difficultas.

Alii dicunt quod alter excessum implicite condonat. Sed saepe saepius videtur huiusmodi condonatio non exsistere. Etenim saepe saepius alter nihil de excessu stipendii suspicatur; et si suspicatur, amicitia aut indignationis metus non sinit rem inquirere et ultroneitatem condonationis tollit (et cf. S. ALPH. n. 321, § « Excipiunt II »). Quod si sciretur alterum accepisse stipendium pingue et impedimento detineri, de multis non facile credendum est quod tacerent.

Nobis igitur sat clarum videtur inesse ibi retentionem partis stipendii (cf. etiam GASPARRI n. 610), sed probabilitas licitudinis in casu, de quo agimus, partim fundanda videtur in probabilitate sententiae negantis in his adiunctis peccatum iniustitiae, partim in probabilitate extrinseca auctorum benigne in praesenti quaestione opinantium. Nimirum in casu probabiliter abest imprimis peccatum iniustitiae, quia, ut superius diximus, probabile est, quod acquisito dominio stipendii iniuria non fit, si onus alii transfertur stipendii excessu retento (et propterea non videmus, qua ratione probabilitatem benignae suae sententiae in praesenti quaestione satis fundare possint, qui probabilitatem sententiae benigniori in superiore quaestione denegaverint). Deinde probabiliter abest etiam transgressio praecepti Ecclesiae; nam quamvis videatur nobis hic reapse adesse aequivalenter transmissio stipendii deminuta, restamen non adeo evidens est, ut possimus resistere auctoritati saltem extrinsecae tot theologorum, qui opinantur non committi hic deminutam transmissionem illius speciei, quam Pontifices damnarunt, nec casum praesentem esse formaliter eumdem, neque hic apparere turpem illam cupiditatem lucri, quae ratio fuit prohibitionis. Quibus positis sententia benignior sustineri potest adhuc post Codicem.

seu in qua beneficium aut fundatio sita est), dummodo excessus eleemosynae locum partis teneat dotis beneficii aut causae piae (can. 840, § 2) [1].

Administratores ecclesiarum an possint expensas celebrationis (id est luminum, hostiae, vini, sacrorum utensilium) sibi compensare stipendiis, distinguendum est. 561

Possunt expensas celebrationis detrahere de Missis quoad beneficiatos et capellanos, qui ibi celebrant titulo beneficii aut capellaniae (nisi ecclesia de bonis fundatoris participaverit), etiamsi ecclesia pauper non sit et alios reditus habeat [2]. At non potest deminui numerus Missarum, sed tot Missae celebrandae erunt, quot fundatio vel capellania requirat.

Quoad sacerdotes alios, nihil ab eis pro expensis celebrationis exigi aut de stipendio Missae eis commissae detrahi potest, si ecclesia non sit pauper, aut si, quamvis ea pauper sit, sacerdos advocatus fuit vel admissus in ecclesiae commodum, v. gr. ne deficeret ibi Missa tali die aut tali hora. Secus dicendum, si concurrant sequentes condiciones [3]: 1° Ut ecclesia sit pauper; 2° Ut sacerdos celebret in proprium commodum; 3° Ut nihil amplius exigatur quam quod competens auctoritas statuerit [4]. Semper vero tot Missae celebrandae sunt, quot ab offerentibus fuerint praescriptae.

---

1 Id est dummodo fundatio non fuerit constituta, ut eius reditus in Missas tantummodo expenderentur, sed etiam in utilitatem causae piae aut in beneficiarii sustentationem. Quid constituat dotem beneficii, cf. can. 1410; de dote causae piae cf. can. 1489 1545.

2 Nam cum ecclesia de fundatione non participet, capellani ibi potius celebrant in proprium commodum, nec tenetur ecclesia propriis expensis utensilia comparare, deteriorata reficere etc. Saltem haec erat regula quoad has Missas sat recepta, et cum in se iusta sit nec a Codice excludatur, teneri adhuc potest.

3 « § 2. Si qua ecclesia paupertate laborat, potest Ordinarius permittere ut a sacerdotibus qui in proprium commodum inibi celebrant, propter utensilia ceteraque ad Missae sacrificium necessaria, moderata stipes exigatur. — § 3. Episcopi, non autem Vicarii Capitularis aut Vicarii Generalis sine speciali mandato, est eamdem stipem definire, et nemini, etiam religiosis etsi exemptis, licet ea maiorem exigere. — § 4. Episcopus pro tota dioecesi eiusmodi stipem in dioecesana Synodo, si fieri possit, definiat, aut extra Synodum, audito Capitulo » (can. 1303).

De hac materia FERR. in ephem. *Razón y Fe* X, p. 379; S. ALPH. n. 322, dub. 5; GASPARRI n. 669-674; MANY op. cit. n. 136-138; VERM. - CREUS. n. 631.

4 Id statuere competit Episcopo. Huius statuto deficiente pro regularibus competit suo Superiori maiori (can. 1303, § 2); sed si Episcopus aliquid statuerit, huius determinationi stare debent etiam regulares (can. 1303, § 3).

562 *Qui partem stipendii illicite retinet, etsi forte non egerit contra iustitiam, nihilominus restituere tenetur*, quia adimplere tenetur praeceptum ecclesiae, atque in peccato est, quamdiu illam portionem retinet contra ipsius vetitum. Si tamen solum ecclesiae praeceptum laesum est, obligatio illud adimplendi erat mere personalis, ideoque obligatio restituendi non transit ad heredes.

Qui partem illicite retentam restituere tenetur ex solo praecepto ecclesiae, non tenetur pecuniam debitam in pauperes expendere, si nescit cuinam eam tradere debeat aut aliter eam nequeat ad illum transmittere; obligatio enim expendendi in pauperes tenet eum solummodo, qui urgebatur ex iustitia. In casu igitur poterit ipse interea pecuniam retinere [1].

563 *De quibusdam casibus in particulari.* Operae pretium est praecedentes expositiones sequentibus casibus complere:

1° Ex eleemosynis manualibus Missarum, quas fideles ecclesiae vel sanctuariis tradunt, non licet quidquam detrahere, ut ipsorum decori et ornamento consulatur [2].

2° Tolerari potest consuetudo, qua parochi pro victu et servitio suorum vicariorum adiutorum retinent fructus Missarum pinguiorum, soluta illis taxa tantum ordinaria, dummodo ita non plus retineatur quam honesta compensatio postulat [3].

3° Potest rector ecclesiae exigere a sacerdotibus extraneis, qui ibi celebrare petunt, expensas celebrationis [4].

4° Parochus committens alteri cantandam Missam, cuius celebratio inter iura parochialia reponitur, v. gr. in exsequiis defunctorum, non tenetur celebranti tradere nisi eleemosynam consuetam pro Missa, quae tali hora canatur, et reliquum licite retinet ut pertinens ad iura stolae [5].

5° Quando Missa alii committitur, sufficit eleemosynam tribuere consuetam, si Missarum celebrandarum onus adnexum est praebendae parochiali, beneficio aut capellaniae [6]; non vero si fundator dixerit Missas a parocho, si voluerit, fore celebrandas, quia tunc fundatio data est ecclesiae, quin sit computanda in partem dotis parochialis, sed parocho conceditur solum ius praelationis [7].

---

1 Gén.-S. cas. 739.

2 *S.C.C.* 9 sept. 1874 (*A.S.S.* VIII, p. 108); resol. *S.C.C.* 24 apr. 1875 (*A.S.S.* VIII, p. 650 seqq.); decr. « Vigilanti » ad 7; decr. « Ut debita » n. 11.

3 *A.S.S.* XXXVIII, p. 15, *A.A.S.* (1910) p. 203, (1920) p. 70.

4 Verm.-Creus. n. 108, 6°. Cf. dicta n. 561.

5 *A.S.S.* VIII, p. 65 seqq., 75 seqq.; Gasparri, *De SS. Euch.* n. 603; Verm.-Creus. n. 108, 3°.

6 Gasparri, *De SS. Euch.* n. 603.

7 Gén.-S. cas. 730.

6° Si capellania nullum aliud onus habet nisi celebrationem Missae, totum stipendium, etsi pingue, capellanus alteri tradere debet. Idemque tene, etsi eleemosyna Missae non fuerit a testatore taxata, sed tantummodo certi reditus pro capellano annuatim constituti. Ratio, quia can. 840, § 2 id iubet, excessus enim supra taxam aliam rationem in casu non habet nisi eleemosynae pro Missa [1]. **564**

7° Si cui nominatim capellania relicta fuit, id est, si testator eam nominatim reliquit Titio, is, qua die alteri Missam committat, poterit tradere tantum taxam dioecesanam (nisi alia noscatur fuisse mens testatoris pro casu, quo Titius alium sibi substitueret); facile enim censeri potest testator in pecunia taxanda intuitum habuisse personae [2].

8° Similiter si testator legatum reliquit ecclesiae hoc modo: « Relinquo hanc summam cum onere centum Missarum pro mea anima », legatum obvenit ecclesiae, onere tamen imposito; ideoque quoniam testator favere voluit ecclesiae, haec poterit pro Missis solam solvere taxam ordinariam [3].

9° Sed si testator summam reliquerit ecclesiae in Missas tantummodo impendendam, totum stipendium celebranti tradi debet, quia ecclesiae administrator partes solum agit exsecutoris legati [4]; qui autem has Missas in se susceperit et alium sibi substituat, huic integrum stipendium tradere debebit.

10° Si testator reliquit titulos debiti publici, ut ex iis celebrarentur quolibet trimestri quadraginta Missae, nihil obstat, quominus exsecutor eas omnes (quae cum pro defuncto celebrandae sint, intra mensem celebrandae intelliguntur) uni sacerdoti tradat, dummodo is omnes celebrare possit ante finitum mensem computandum a die, quo tituli incipiunt esse solubiles; id autem facere potest si decem ante illam diem anticipaverit [5]. **565**

11° Non est prohibitum petere a celebrante, cui onus Missae cum stipendio transfertur, ut partem velit condonare

---

1 Verm.-Creus. n. 107, 4°. Excipiebat Gasparri n. 604 (et cf. *A.S.S.* VIII, p. 79, §, « Dari »), si ageretur de Missis perpetuis, sed videtur iam non sustinendum post Codicem, cum is iam non permittat excessum retinere, si testator unice onus Missae imposuerat. — Qui vero excessum retineret, quando huiusmodi capellania reditus habet constitutos annuatim, etsi prohibitionem Ecclesiae transgrederetur, non tamen iustitiam laederet; in casu enim retentio excessus iniusta esse non posset, siquidem antea non censebatur intelligi sub prohibitione generali retinendi partem stipendii et licita habebatur; S. Alph. n. 321, § « Idem licet»; Gasparri n. 603; *A.S.S.* VIII, p. 79.

2 *A.S.S.* VIII, p. 80; Verm.-Creus. n. 108, 4°.

3 *A.S.S.* VIII, p. 80; Gasparri n. 605.

4 *A.S.S.* VIII, p. 81; Lehmk. n. 281 nota.

5 Ferreres, in ephem. *Razón y Fe* XI, p. 102, n. 129-131.

in favorem pii alicuius operis, dummodo in plena sua libertate relinquatur; ideoque nullo modo ponatur id tamquam condicio, sine qua non committeretur Missa aut saltem aliae in posterum non essent eidem committendae [1].

12° Sacerdos acceptis a moribundo mille francis, ut ex eorum reditibus decem Missas quotannis celebraret, emit actiones, e quibus generatim 6 %, quibusdam annis etiam 7 % et 8 % percepit, quin tamen plus quam decem Missas celebraret. Earum vero pretium deinde ita decrevit, ut 30 tantum francos producerent, et tunc sex tantum Missas legit iuxta taxam dioecesanam 5 francorum. — Sacerdos iste perperam egit hoc postremo tempore; sibi enim imputare debebat decrementum redituum, cum reditus non procurasset securiores, v. gr. emendo obligationes. Praeterea cum actiones emit, libere se exposuit aleae damni sicut et maioris lucri [2].

13° Si sacerdos Missas, quas celebrandas acceperat, transmittit ad alium per publicum tabellarium, et stipendium durante itinere subtrahitur ab epistola, in qua includebatur, tenetur adhuc ipse ad celebrandas Missas [3], nisi de infortunio oblatorem moneat et condonationem obtineat.

566 14° Si statuta synodalia prohibeant Missas transferre extra dioecesim, non prohibetur id fieri circa Missas, de quibus oblatores id expresse concessissent; non enim prohiberi potest, ut fideles de suis bonis disponant, prout voluerint [4].

15° Quacumque de causa reditus Missarum imminuantur aut pereant, et quocumque modo onus acceptatum fuerit (etsi v. gr. sacerdos omnino privatim a moribundo quasdam Status obligationes acceperit ad celebrandas quotannis triginta Missas, et deinde illarum valor maxime decreverit), non licet numerum Missarum imminuere sine obtenta reductione a S. Sede [5].

16° Si parochus celebranda accipiat tricenaria gregoriana, quae forte fideles, legitimas exsequias praetermittentes, cum quadam sollemnitate et hora fixa celebrari velint, non potest, si ea aliis committat, dare solum stipendium Missae horae fixae. Nullum enim titulum ad quidquam retinendum allegare potest. Non onus quaerendi alios; ad id enim tenetur quivis, qui onus acceptum adimplere non possit; aliunde satis hoc onus compensatur utilitate, quam sentit ecclesia ex frequentia divinorum officiorum; hunc autem splendorem ecclesiae suae procurare parochi munus est. Nec onus procurandi de suo

1 Verm.-Creus. n. 108, 1°. Cf. Ferreres in ephem. *Razón y Fe* XI, p. 100, n. 121-123.
2 Gén.-S. cas. 735.
3 Cf. dicta in n. 548; Gén.-S. cas. 736.
4 Gén.-S. cas. 734; Gasparri n. 583.
5 Cf. dicta in n. 549; Gén.-S. cas. 729.

novum tricenarium, si istud interrumpatur; non enim ipse hoc onus habet sed celebrans, cui tricenarium commissum est. Nec denique rationem funeris exsequialis praetermissi, quia id reapse celebratum non est; potius, si ita consuevit per sollemniora tricenaria substitui, praefigat Episcopus modicam taxam ex eleemosynis non desumendam in compensationem parochi, monitis oblatoribus [1].

n) **Traditio onerum Ordinario in fine anni facienda** [2]. Quicumque Missarum onera habet sive per se ipsum adimplenda sive aliis distribuenda, debet suo Ordinario tradere, sub finem cuiuslibet anni civilis, si agitur de Missis ad instar manualium [3]; expleto autem anno a die suscepti oneris, si agitur de manualibus, ea quibus non fuerit satisfactum, salva contraria offerentium voluntate (can. 841). **567**

Proinde exsecutores testamentorum tenentur Missas nondum adimpletas tradere Ordinario post annum a die susceptae administrationis testamenti; quodsi testator dixerit tot Missas celebrandas esse quotannis, onera non adimpleta tradenda sunt in fine anni civilis; voluntas enim testatoris est ut toto anno civili sint sub cura administratorum. Idem dic de administratore bonorum ecclesiae alicui relictorum cum onere, ut ex reditibus tot Missae celebrentur in tempus diuturnum vel perpetuum. Idem quoque de eo, cuius patrimonium gravatur onere celebrandi tot Missas quotannis.

Non videtur a canonis mente alienum, si sacerdos aliquas sibi reservet intra unam alteramve hebdomadam subsequentem celebrandas, ne per eos dies stipendiis careat.

Etsi in novo iure suscipiendae non sint Missae manuales aut ad instar manualium, quibus intra annum satisfieri non posse praevidetur, quamvis offerentes spatium anno maius concesserint; si tamen concesserunt, Ordinario Missae reliquae tradendae non erunt.

---

1 *A.A.S.* (1921) p. 532-534. Alias horum recentiorum annorum resolutiones *S.C.C.* vide, si lubet, ap. *A.S.S.* XXXVI, p. 207 (1918) p. 368 et 504 (1921) p. 501.

2 « § 1. Omnes et singuli administratores causarum piarum aut quoquo modo ad Missarum onera implenda obligati, sive ecclesiastici sive laici, sub exitum cuiuslibet anni, Missarum onera quibus nondum fuerit satisfactum, suis Ordinariis tradant secundum modum ab his definiendum. — § 2. Hoc autem tempus ita est accipiendum ut in Missis ad instar manualium obligatio eas deponendi decurrat a fine illius anni intra quem onera impleri debuissent; in manualibus vero, post annum a die suscepti oneris, salva diversa offerentium voluntate » (can. 841).

Cf. Blat op. cit. p. 3, pag. 167; Mach-Ferr. op. cit. I, n. 342 ad 343; Ferreres ap. ephem. *Razón y Fe* X, p. 240, n. 27-36.

3 Quod supponit provenire ex Missis fundatis.

Pro religiosis Ordinarius, cui Missae tradendae sunt, est Superior maior.

568 *o*) **Cura fidelis adimpletionis onerum.** Ordinarii locorum et Superiores religiosi invigilare debent, ut in suis respective ecclesiis onera Missarum adimpleantur (can. 842).

Rectores ecclesiarum aut piorum locorum, in quibus eleemosynae Missarum recipiuntur, librum habere debent, in quo accurate adnotent Missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem. Hos libros Ordinarii locorum vel respective Superiores maiores quotannis per se vel per alium recognoscant (can. 843).

Ordinarii locorum et Superiores religiosi qui suis subditis vel aliis Missas committunt, cito referant in librum Missas, quas acceperint, cum suis eleemosynis easque quamprimum celebrandas curent. Immo omnes sacerdotes sive saeculares sive religiosi debent accurate adnotare quas quisque Missarum intentiones acceperit quibusve satisfecerit (can. 844).

Caput 2. DE EUCHARISTIA UT SACRAMENTO

Art. 1. Custodia et cultus SS. Eucharistiae.

569 *a*) **Custodia**[1]. *Quibus in ecclesiis aut oratoriis custodienda.* Ex can. 1265 et 1267, SS. Eucharistia:

1° Custodiri d e b e t *a*) in ecclesia cathedrali; *b*) in ecclesia parochiali vel quasi-parochiali; *c*) in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum, etiam mulierum.

---

1 Propter rei momentum expedit integros exscribere canones, quos in compendium et e quibus praecipua tantum supra tradimus.

« § 1. Sanctissima Eucharistia, dummodo adsit qui eius curam habeat et regulariter sacerdos semel saltem in hebdomada Missam in sacro loco celebret: 1° Custodiri debet in ecclesia cathedrali, in ecclesia principe Abbatiae vel Praelaturae *nullius*, Vicariatus et Praefecturae Apostolicae, in qualibet ecclesia paroeciali vel quasi-paroeciali et in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum; 2° Custodiri potest, de licentia Ordinarii loci, in ecclesia collegiata et in oratorio principali sive publico sive semi-publico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur. — § 2. Ut in aliis ecclesiis seu oratoriis custodiri possit, necessarium est indultum apostolicum; loci Ordinarius hanc licentiam concedere potest tantummodo ecclesiae aut oratorio publico ex iusta causa et per modum actus. — § 3. Nemini licet sanctissimam Eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre » (can. 1265).

« Revocato quolibet contrario privilegio, in ipsa religiosa vel pia domo sanctissima Eucharistia custodiri nequit, nisi vel in

2° Custodiri potest de licentia Ordinarii loci, *a*) in ecclesia collegiata; *b*) in oratorio principali, publico vel semipublico domus piae aut religiosae, vel collegii ecclesiastici, quod a clericis regatur[1].

---

ecclesia vel in principali oratorio; nec apud moniales intra chorum vel septa monasterii » (can. 1267).

« § 1. Sanctissima Eucharistia continuo seu habitualiter custodiri nequit, nisi in uno tantum eiusdem ecclesiae altari. — § 2. Custodiatur in praecellentissimo ac nobilissimo ecclesiae loco ac proinde regulariter in altari maiore, nisi aliud venerationi et cultui tanti sacramenti commodius et decentius videatur, servato praescripto legum liturgicarum quod ad ultimos dies hebdomadae maioris attinet. — § 3. Sed in ecclesiis cathedralibus, collegiatis aut conventualibus in quibus ad altare maius chorales functiones persolvendae sunt, ne ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur, opportunum est ut sanctissima Eucharistia regulariter non custodiatur in altari maiore, sed in alio sacello seu altari. — § 4. Curent ecclesiarum rectores ut altare in quo sanctissimum Sacramentum asservatur sit prae omnibus aliis ornatum, ita ut suo ipso apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem » (can. 1268).

« § 1. Sanctissima Eucharistia servari debet in tabernaculo inamovibili in media parte altaris posito. — § 2. Tabernaculum sit affabre exstructum, undequaque solide clausum, decenter ornatum ad normam legum liturgicarum, ab omni alia re vacuum, ac tam sedulo custodiatur ut periculum cuiusvis sacrilegae profanationis arceatur. — § 3. Gravi aliqua suadente causa ab Ordinario loci probata, non est vetitum sanctissimam Eucharistiam nocturno tempore extra altare, super corporali tamen, in loco tutiore et decenti, asservari, servato praescripto can. 1271. — § 4. Clavis tabernaculi, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia sacerdotis qui ecclesiae vel oratorii curam habet » (can. 1269).

« Particulae consecratae, eo numero qui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit, perpetuo conserventur in pyxide ex solida decentique materia, eaque munda et suo operculo bene clausa, cooperta albo velo serico et, quantum res feret, ornato » (can. 1270).

« Coram tabernaculo, in quo sanctissimum Sacramentum asservatur, una saltem lampas diu noctuque continenter luceat, nutrienda oleo olivarum vel cera apum; ubi vero oleum olivarum haberi nequeat, Ordinarii loci prudentiae permittitur ut aliis oleis commutetur, quantum fieri potest, vegetabilibus » (can. 1271).

1 *Domus religiosa* est quaelibet domus religiosorum vel sororum (can. 488).

Domus pia est quae ad aliqua « pietatis et caritatis opera peragenda » (can. 1544) est destinata, cuiusmodi sunt orphanotrophia, hospitalia, ubi sacerdotes vel religiosi curam spiritualem exercent (cf. dicta n. 310 nota et n. 526 nota ultima; Schmalzgrueber p. 4, tit. 36, n. 2 3; Ferreres in *Razón y Fe* XIX, p. 231; Ojetti, *Synopsis* v. « Loca pia»), non vero collegia, in quibus adolescentes in studiis lycealibus, etsi a sacerdotibus, instituuntur, cum hoc opus, etsi ex motivo supernaturali fiat, non sit tamen in se opus misericordiae.

Collegium ecclesiasticum illud est, in quo adolescentes instituuntur ad clericalem vel religiosam vitam. Verm.-Creus. n. 589.

Alibi SS. Eucharistia custodiri non potest sine S. Sedis indulto. Attamen Ordinarius licentiam dare potest, sed tantum

---

Huiusmodi sunt seminaria, etiam minora (can. 1354); et nihil obstat, praesertim cum in favorabilibus versemur, quominus intelligantur quoque « collegia apostolica », seu in quibus adolescentes « in spem amplectendae vitae religiosae educantur » (*A.A.S.* [1910] p. 63-64).

Canon 1267 vetat, quominus in religiosis et piis domibus SS. Eucharistia custodiatur, nisi « vel in ecclesia vel in oratorio principali ». Sed « sensus canonis 1267 hic est: Si religiosa vel pia domus adnexam habeat publicam ecclesiam eaque utatur ad ordinaria et quotidiana pietatis exercitia explenda, SS. Sacramentum in ea tantum asservari potest; secus in oratorio principali eiusdem religiosae vel piae domus (sine praeiudicio iuris ecclesiae, si quod habet); in eoque tantum, nisi in eodem materiali aedificio sint distinctae ac separatae familiae, ita ut formaliter sint distinctae religiosae vel piae domus. » *Comm. I.C.* 23 iun. 1918 (*A.A.S.* [1918] p. 346, V.) Igitur:

Si communitas sua ecclesia utitur ad quotidiana exercitia, nequit SS. Sacramentum asservari in oratorio domestico (potest tamen licentia obtineri ab Ordinario loci, iuxta can. 1265, § 1, 2°; cf. VERM.-CREUS. n. 589, § « Requiritur »). Si utitur oratorio domestico, nequit asservari simul in ecclesia, nisi haec aliunde idem ius habeat, v. gr. quia parochialis vel quia domui religiosorum exemptorum adnexa est (ut constat ex eodem can. 1265, § 1, 1°).

Nequit asservari in oratorio alio praeter principale, v. gr. in oratorio valetudinarii vel in oratorio destinato ad peragentes exercitia spiritualia.

Si in eodem materiali aedificio duae communitates vivunt, quae eiusmodi sint, ut formaliter considerari possint duae domus, prouti accidit in quibusdam Galliae seminariis, ubi simul sorores vivunt ad suam operam praestandam, unaquaeque communitas SS. Eucharistiam asservare posset in suo oratorio, de consensu Ordinarii loci vel ex propriis privilegiis. Idem dic de asylo, orphanotrophio etc., ubi educandi diu noctuque degunt et separati vivunt a communitate religiosorum, a quibus reguntur.

Communitas novitiorum vel religiosorum scholasticorum etc., non constituit aliam formaliter domum a reliqua communitate diversam, cum in eodem aedificio habitent sub eodem eiusdem domus Superiore. Quodsi diversis domibus ad omnia uterentur, etsi sibi invicem vicinis et quamvis sub eodem Superiore, tunc formaliter diversae domus sunt diciturque Superior duas domos regere; quapropter posset unaquaeque SS. Sacramentum custodire de consensu Ordinarii (can. 1265, § 1, 2°) vel ex propriis privilegiis (non enim opponeretur can. 1267).

In collegiis religiosorum, ubi alumni ad lycealia studia informantur, etsi convictores ita a religiosis separati vivunt, ut domum formaliter diversam videantur constituere (VERMEERSCH, *Period.* IX, p. 155; VERM.-CREUS. n. 592), putamus tamen iuxta nuper dicta non inde efformari piam domum, ideoque ne Ordinarium quidem loci licentiam dare posse ad asservandam habitualiter pro iis separatim SS. Eucharistiam.

Privilegia ante Codicem concessa revocata sunt, quatenus canoni 1267 adversentur. Posset tamen indulta obtineri a *S.C. de Relig.* pro religiosis, a *S.C. de Sacram.* pro saecularibus.

ecclesiae aut oratorio publico, ex iusta causa et per modum actus[1].

Sive SS. Eucharistiae asservatio praecipiatur sive mere permittatur, condicio certe imponitur custodis[2], qui eius curam habeat, et sacerdotis, qui regulariter semel saltem celebret in hebdomada.

In uno tantum ecclesiae altari SS. Eucharistia habitualiter[3] custodiri debet, et quidem in praecellentissimo, ac proinde regulariter in altari maiore, nisi aliud altare venerationi ac cultui tanti Sacramenti commodius et decentius videatur. Hoc ultimum suadetur in ecclesiis cathedralibus aliisve propter servitium chorale ad altare maius peragendum.

In tabernaculo inamovibili servari debet, undequaque clauso, decenter ornato[4] atque ab omni alia re vacuo[5]. Non vetatur SS. Eucharistiam noctu in alio loco tutiore et decenti asservari, super corporali tamen et lampade collucente[6]. Tabernaculi clavis diligentissime custodienda est[7] (can. 1269).

In pyxide particulae conservandae sunt[8], cooperta albo velo serico (can. 1270).

Lampas coram tabernaculo diu noctuque collucere debet[9], nutrienda oleo olivarum vel cera apum[10] (can. 1271).

---

1 V. gr. durante hoc mense iunio, si quotidie illuc fideles concurrant ad communicandum in sollemnibus exercitiis religiosis; sed licentia singulis annis esset renovanda.

2 Custodem posse esse laicum, qui prope ecclesiam commoretur, facile eruitur ex *S.R.C. Decr. auth.* n. 3527.

3 Habitualiter, nam iustam ob causam accidentaliter occurrentem poterit etiam in alio custodiri, quoties causa recurrat.

4 Tabernaculum ornandum est, ait can. 1269, « ad normam legum liturgicarum » proindeque tegendum conopaeo albo vel coloris officii diei, numquam tamen nigro, sed huius loco violaceo; semper vero albus color adhiberi potest. *Rit. Rom.* tit. 4, c. 1, n. 6; *S.R.C. Decr. auth.* n. 3035 ad 10, 3150 3520 4137. *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 890 ait debere esse « ornatum conopaeo, vel saltem cortinula in exteriore parte ».

5 Nihil aliud in tabernaculo asservare licet, ne sacrum chrisma quidem aut oleum infirmorum. Supra illud nihil praeter crucem collocare licet; *S.R.C. Decr. auth.* n. 2067 2613 ad 6; 2740 ad 1; *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 890.

6 Ciborium et quodlibet aliud vas SS. Eucharistiam continens collocari semper debet super corporali aut palla benedicta.

7 Non exigitur ut ab ipso sacerdote custodiatur, eius tamen conscientia graviter oneratur.

8 Non in corporali. *S.R.C. Decr. auth.* n. 3527. Pyxis seu ciborium non consecratur, decet tamen ut benedicatur. S. Alph. n. 385.

9 Busenb. cum aliis ap. S. Alph. n. 248 ait mortale esse, si ex negligentia graviter culpabili lumen integro die aut aliquot integris noctibus non ardeat.

10 Cf. *S.R.C. Decr. auth.* n. 4205. Ubi oleum olivarum haberi nequeat, oleum aliud vegetabile de consensu Ordinarii loci permittit can. 1271.

570 *b*) **Cultus.** « Qui in religiosam fidelium institutionem incumbunt, nihil omittant, ut pietatem erga SS. Eucharistiam in eorum animis excitent, eosque praesertim hortentur ut, non modo diebus dominicis et festis de praecepto, sed etiam diebus ferialibus intra hebdomadam, frequenter, quantum fieri potest, Missae sacrificio assistant et sanctissimum Sacramentum visitent » (can. 1273).

Expositio privata, id est cum pyxide[1], in ecclesiis vel oratoriis quibus datum est asservare SS. Eucharistiam, fieri potest ex qualibet iusta causa sine Ordinarii licentia; expositio vero publica, id est cum ostensorio, nonnisi ex iusta et gravi causa praesertim publica et de Ordinarii loci licentia[2] (can. 1274, § 1).

Minister expositionis et repositionis est sacerdos vel diaconus; benedictionis vero cum SS. Eucharistia solus sacerdos[3] (can. 1274, § 2).

Supplicatio Quadraginta Horarum[4] in omnibus ecclesiis parochialibus aliisque, in quibus SS. Sacramentum habitualiter asservatur, statutis de consensu Ordinarii loci diebus, maiore qua fieri potest sollemnitate quotannis habeatur (can. 1275).

Art. 2. Renovatio SS. Eucharistiae.

571 Particulae consecratae eo numero conservandae sunt, qui infirmorum et aliorum fidelium communioni satis esse possit (can. 1270); sed sive propter fidelium communionem, sive prop-

---

1 Suo velamine obtecta; *S.R.C. Decr. auth.* n. 3394. Pyxis e tabernaculo non est extrahenda; *S.R.C. Decr. auth.* 3394 ad 1.

2 Licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat, addit can. 1274. Idem canon exceptionem facit pro die festo Corporis Christi et intra octavam; tunc enim facultatem dat, ut in praedictis ecclesiis et oratoriis expositio cum ostensorio habeatur inter Missarum sollemnia et ad Vesperas.

3 Benedictionem cum SS. Eucharistia impertire diaconus non potest, nisi, addit idem canon 1274, casu quo ob gravem causam tamquam minister extraordinarius Viaticum ad infirmum detulerit.

4 Expositio in forma Quadraginta Horarum fit iuxta « Instructionem Clementinam », quam copiosissimis adonotationibus illustratam exhibet Collectio « Decr. auth. Sacr. Rituum » IV, p. 9-138; eiusdem textum habet quoque Gasparri, *De Euch.* II, p. 448. Saepe tamen eius forma stricte non observatur, cum nocte SS. Sacramentum in tabernaculo recondatur. De his Solánis, *Man. liturg.* tom. 2, n. 647 seqq.; Mach-Ferr., *Tesoro del sac.* tom. 1, n. 642.

Non licet celebrare Missam de Requie in altaribus, licet lateralibus, ecclesiae, in cuius altari maiori praefata expositio perdurat. *Decr. auth.* n. 4235 ad 7.

Omnia altaria ecclesiae, in qua peragitur supplicatio Quadraginta Horarum, sunt privilegiata (can. 917, § 2).

ter expositionem SS. Sacramenti conserventur, hostiae consecratae « et recentes sint et frequenter renoventur, veteribus rite consumptis, ita ut nullum sit periculum corruptionis, sedulo servatis instructionibus quas Ordinarius loci hac de re dederit » (can. 1272). Idipsum praecepit *Rit. Rom.* tit. 4, c. 1, n. 7, particulas nempe renovandas esse « frequenter ».

Post quantum temporis SS. Eucharistia renovari debeat, expressius exhibet *Caeremoniale Episcop.* aiens: « Saltem semel in hebdomada mutetur et renovetur. » Idipsum servandum esse respondit *S.R.C.*[1] Saltem renovatio ultra quindecim dies tolerari non debet; immo calor et praesertim humiditas renovationem post dies una hebdomada breviores efficere potest necessariam.

572 *Renovatio ciborii facienda est in Missa.* Sacerdos post sumptionem SS. Sanguinis consumit veteres hostias[2] et particulas in ciborio remanentes digito coniicit in calicem easque cum vino calici infundendo sumet[3]; ad minimas particulas facilius colligendas praestat ablutiones in ciborium infundere, quae tamen non e ciborio erunt bibendae, sed in calicem refundendae.

Si sacerdos ex inadvertentia sumpsisset prius ablutionem, adhuc posset purificare ciborium et sumere reliquias[4], saltem si eae non possent reverenter asservari, eo quod pro sumptione moraliter una reputetur[5].

Si sacerdos reperiat fragmenta sui proprii sacrificii sive parva sive magna[6], ea sumat, etiam post ablutio-

---

1 *Caerem. Episcop.* I, c. 6, n. 6; *S.R.C.* 12 sept. 1884 (*Decr. auth.* n. 3621 ad 2); *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 370. Cf. Mach-Ferr., *Tesoro del sac.* tom. 2, n. 220.

2 Sacerdos ciborium renovaturus potest 20 aut 30 parvas hostias sumere iuxta Elbel (ap. Ferr. n. 415), « sexaginta aut plures » iuxta Lacroix l. 6, p. 1, n. 491 (al. 501). Si nimis multae sint, quae videantur non posse decenter consumi, distribuantur in plures Missas; id tamen raro eveniet.

3 Ab hac sumptione dispensatur sacerdos, qui communionem leprosis ministravit; purificationem pyxidis immittat in vasculum cum aqua et gossypio paratum eamque in sacrarium iniiciat. *S.R.C.* 19 febr. 1909 (*A.A.S.* [1909] p. 289).

4 Reliquias, id est fragmenta, quae in ciborio remanent. Nam, ut ait Lacroix l. 6, p. 1, n. 490 (al. 500) cum Gobat et Tamburini, *De methodo Commun.* n. 34-41, et Lehmk. n. 192, 4°, « post sumptam ablutionem non est licitum sumere integram hostiam vel ab alio vel a se consecratam, quia usus Ecclesiae extenditur solum ad fragmenta, quae unam moraliter communionem constituunt cum prius sumptis ».

5 Lacroix l. 6, p. 1, n. 492 (al. 502); Tambur. loc. cit.

6 Non tamen hostiam aut fragmentum hostiae aequivalens, id est quod decenter inservire posset ad dandam communionem.

nes[1], et quamvis iam esset in sacristia, adhuc tamen indutus vestibus sacris. Quod si sacras vestes iam exuerit, reponat ea in tabernaculo, vel reservet alteri sacerdoti eodem mane celebraturo; sed si neutrum fieri possit aut periculum sit irreverentiae, v. gr. quia particula minutissima est et facile deperdi potest, ipse sumat[2].

Si fragmenta reperta pertinent ad aliud sacrificium et iam sumptae sunt ablutiones, fieri de iis idem debet, quod nuper diximus de propriis fragmentis, quae sacerdos reperit post exutas sacras vestes.

573 *Si sacerdos reperiat integram hostiam*, quae certo sit consecrata, eam sumat ante ablutiones[3] vel reponat cum aliis in ciborio. Quod si iam ablutiones sumpserit nec reponere possit in tabernaculo, eam in altari supra corporale decenter opertam relinquat sequenti sacerdoti ibi celebraturo sumendam una cum altera, quam est consecraturus; vel si neque hoc fieri possit, eam in ipso calice seu patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculo reponatur vel ab altero sumatur. Quodsi non habeat quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere[4].

Si dubie est consecrata, vel si est immunda aut mucida, non reponat cum aliis, sed eam sumat ante ablutiones[5]; quodsi nimiam repugnantiam sentiat, reponat in tabernaculo seorsim in vase mundo donec corrumpatur, deinde proiiciat in sacrarium.

Si laicus fragmentum reperiat, moneat sacerdotem, qui illud reponet in ciborio vel, si desit tabernaculum, in loco decenti et tuto, ut in proxima Missa sumatur. Si sacerdos non habeatur, laicus colligat reverenter fragmentum in charta vel linteolo mundo, mediante spinula, et reponat inter corporale vel in vase mundo donec sacerdos adveniat[6].

Art. 3. Dispensatio SS. Eucharistiae.

574 De obligatione dispensandi SS. Eucharistiam diximus n. 474 seqq. agentes de sacramentis in genere; ibi quoque alia dedimus ad huius sacramenti administrationem spectantia, quae hic repetere non vacat.

---

1 *Rubr. Miss. de defect.* tit. 7, n. 2.
2 S. Alph. n. 251.
3 Nihil refert quod interea sacram communionem, etiam diutissime distribuerit; nam post eam potest quaslibet particulas, etiam integras hostias, si opus est, consumere. Lehmk. n. 192, 1°.
4 *Rubr. Miss. de defect.* tit. 7, n. 3.
5 Vide, sis, dicta in n. 515 nota.
6 Ferr. n. 412, resp. 3° ex Gury.

« § 1. *Minister* ordinarius sacrae communionis est solus sacerdos. — § 2. Extraordinarius est diaconus, de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur » (can. 845).

Ad pastores animarum pertinet sacramenta, proinde et Eucharistiam suis ovibus ministrare; ideo eorum licentia requiritur, saltem rationabiliter praesumpta, ut Eucharistia ab aliis ministretur. Ampla tamen facultas fit ab ipso Codice, ut apparet ex sequenti can. 846.

« § 1. *Quilibet sacerdos* intra Missam et, si privatim [1] celebrat, etiam proxime ante et statim post [2] sacram communionem ministrare potest, salvo praescripto can. 869 (id est, nisi Ordinarius eam prohibuerit ministrare in quodam oratorio privato) [3]. — § 2. Etiam extra Missam [4] quilibet sacerdos eadem facultate pollet ex licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae, si sit extraneus [5] » (can. 846).

Tempus et locus administrandae Eucharistiae his terminis **575** assignantur in novo iure:

« § 1. Omnibus diebus licet sanctissimam Eucharistiam distribuere. — § 2. Feria tamen VI maioris hebdomadae [6] solum licet sacrum Viaticum [7] ad infirmos deferre. — § 3. In Sabbato Sancto sacra communio nequit fidelibus ministrari nisi inter Missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis. — § 4. Sacra communio iis tantum horis distribuatur, quibus Missae sacrificium offerri potest [8], nisi aliud rationabilis causa

---

1 Id est, si nec celebrat cum ministris seu sollemniter, nec in cantu, nec Missam celebrat conventualem servitio chorali adnexam.

2 Nihil obstat quominus celebrans etiam in Missa defunctorum atque in ipsis paramentis nigris, omissa tamen benedictione, communionem ministret statim post Missam, et ex rationabili causa (pro qua sufficit fidelium petitio, ne cogantur exspectare) etiam proxime ante. *S.R.C. Decr. auth.* n. 3177.

3 Non licet sine necessitate vel gravi causa vel de speciali indulto Missas cantatas vel lectas coram SS. Sacramento sollemniter exposito in Altari celebrare, atque intra vel extra Missas in eodem altari, durante expositione, sanctam communionem christifidelibus administrare. *S.R.C.* 17 apr. 1919 (*A.A.S.* [1919] p. 246).

4 Nam intra Missam nulla indiget petita licentia.

5 Nam si ad ecclesiam pertinet, licentiam iam habere censetur.

6 Exceptio non fit pro fer. V in Coena Domini. Sed cum rubrica *Missalis* dicat curandum, ut ea die hostiae serventur ad infirmos, satis intelligitur post Missam non amplius distribuendam esse communionem.

7 Iure advertit Verm.-Creus. n. 136 intelligi debere Viaticum, quod ex obligatione sumatur, non quod licite durante periculo iteratur.

8 Distribui ergo potest in Missa, quae fit in nocte Nativitatis Domini.

suadeat[1]. — § 5. Sacrum tamen Viaticum quacumque diei aut noctis hora ministrari potest» (can. 867).

« Sacerdoti celebranti non licet Eucharistiam intra Missam distribuere fidelibus adeo distantibus ut ipse altare e conspectu amittat» (can. 868).

« Sacra communio distribui potest ubicumque Missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, nisi loci Ordinarius, iustis de causis in casibus particularibus id prohibuerit» (can. 869).

Ritus praescriptus[2] servandus est, qui si communio ministranda est intra Missam, habetur in *Missali Rom.* « Rit. serv. » tit. 10, n. 6; si extra Missam, in *Rit. Rom.* tit. 4, c. 2[3].

Grave est Eucharistiam ministrare sine ulla veste sacra; veniale, si sola stola vel superpelliceum omittatur; veniale quoque, si administratur sine lumine vel sine solita Confessione. Veniale est Eucharistiam de loco ad locum, v. gr. de altari ad aliud transferre sine vestibus sacris.

Distribuenda est sacra communio cum solo pollice et indice; sine causa aliis digitis uti esset probabiliter[4] solum veniale, dummodo sacerdos id decenter et sine irreverentia praestare posset.

Laicis non licet ad communicandum ingredi presbyterium[5].

---

1 Non ergo ante auroram nec tempore pomeridiano aut sub vesperum, nisi aliud causa rationabilis suadeat; facile tamen causa sufficiens adesse praesumitur, si aliquis tam tempestive aut tam sero adhuc ieiunus petat.

2 « § 1. Sacerdos sacram communionem distribuat azymo pane vel fermentato, secundum proprium ritum. — § 2. Ubi vero necessitas urgeat nec sacerdos diversi ritus adsit, licet sacerdoti orientali qui fermentato utitur, ministrare Eucharistiam in azymo, vicissim latino aut orientali, qui utitur azymo, ministrare in fermentato; at suum quisque ritum ministrandi servare debet» (can. 851).

« Sanctissima Eucharistia sub sola specie panis praebeatur» (can. 852).

3 Sacerdos, qui alium in communione distribuenda adiuvare vult, nihil aliud facere debet nisi, distributione ab altero iam coepta, ciborium sumere, alteri se associare, atque in fine ciborium reponere, omissa quavis oratione vel benedictione. Soláns, *Man. liturg.* tom. 1, n. 206.

4 Lacroix l. 6, p. 1, n. 480 (al. 490) cum Gobat, Gén.-S. n. 188, III; Ball.-P. n. 104.

5 *S.R.C. Decr. auth.* n. 1258 ad 2, 1838 ad 1, 3388 ad 3. Soláns, *Man. liturg.* tom. 1, n. 325; Ojetti, *Synops.* v. Presbyterium. Potest tamen communio dari in ora suppedanei altaris laico Missae inservienti, etsi habitu clericali non sit indutus, isque debet praeferri ceteris; nihilominus laico inservienti praeferri debent clerici, et clericis minoris ordinis alii in maiori ordine constituti aut personae, quae superiori polleant dignitate liturgice attendenda per se (uti regum) vel per accidens (uti sponsorum in Missa pro benedi-

Irrationale est dare communicanti particulas plures vel grandiores devotionis gratia; possunt tamen plures dari ex alia causa rationabili, v. gr. ut citius consumantur.

Si particulae deficiant et fideles non possent commode exspectare, licet illas dividere, sed summum in tres partes, quia secus vix posset reverenter communio dari.

Si deest minister, ipse sacerdos supplere potest dicendo « Confiteor » et respondendo ad cetera.

Si sacra hostia decidat in terram, locus aliqua re munda [1] tegatur et postea [2] abluatur et aliquantum abradatur, et pulvis seu abrasio huiusmodi in sacrarium mittatur; pariter si decidat in mappam aut in linteolum communicantium, locus signetur, dein abluatur. Huiusmodi tamen ablutio obligat tantum sub levi [3]; atque ad vitandam admirationem omittenda est, si bostia deciderit in vultum, barbam aut vestem communicantis. Si deciderit in sinum vel intra vestes mulieris, ipsa hostiam sacerdoti porrigat (sed si mulier nequeat facile hostiam extrahere, recedat in sacristiam vel in vicinam domum), digitos abluat et ablutio in sacrarium proiiciatur. Denique si intra clausuram religiosarum ceciderit, una earum particulam colligat et sacerdoti tradat [4].

De communione infirmorum [5]. Infirmis sacra communio, **576** sive per modum Viatici sive ex devotione sumenda sit, deferenda est publice, nisi aliud suadeat iusta et rationabilis causa,

---

cendis nuptiis). *S.R.C. Decr. auth.* n. 1074; *S.R.C.* 30 ian. 1915 (*A.A.S.* a. 1915, p. 71).

Sacerdos ad communionem accedens utitur stola eiusdem coloris ac sacerdos ministrans vel coloris albi, diaconus eandem defert transversam. *S.R.C. Decr. auth.* n. 3499.

Permittitur catinus seu patena specialis ad usum fidelium, dummodo omnino formae distinctae sit ab ea, qua sacerdotes utuntur in Missa. *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 899. Soláns, *Man. liturg.* tom. 1, n. 207, tom. 2, n. 890 ad 20. Catinum laicus communicantibus supponere non debet, sed quivis communicans vicino porrigere. *S.R.C. Decr. auth.* n. 1210; De Herdt tom. 1, n. 273 in fine. Si tamen timetur, ne catinus ab aliquibus imperite tractetur aut etiam vertatur et particulae excutiantur, poterit a ministrante supponi.

1 V. gr. purificatorio aliove panno mundo.

2 Id est, peracta fidelium communione vel finita Missa.

3 S. Alph. n. 250.

4 Soláns, *Man. liturg.* tom. 1, n. 205 nota.

5 « Ad infirmos publice sacra communio deferatur, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat » (can. 847).

« § 1. Ius et officium sacram communionem publice ad infirmos etiam non paroecianos extra ecclesiam deferendi, pertinet ad parochum intra suum territorium. — § 2. Ceteri sacerdotes id possunt in casu tantum necessitatis aut de licentia saltem praesumpta eiusdem parochi vel Ordinarii » (can. 848).

« § 1. Communionem privatim ad infirmos quilibet sacerdos deferre potest, de venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia

v. gr. timor irreverentiae in magnis praesertim urbibus, ubi tot sunt fide destituti, dissensus familiae incommoda timentis e publica delatione, difficultas deferendi publice ad plures vel frequenter ad eumdem, consuetudo regionis, oppositio parochi delationem publicam vetantis etc.

Viaticum publice vel privatim deferre pertinet ad parochum[1], qui iuxta can. 848 intra suum territorium ius habet illud deferendi etiam ad non paroecianos.

Exceptiones tamen fieri debent, nempe: 1° In casu necessitatis aut de licentia saltem praesumpta parochi vel Ordinarii potest Viaticum publice vel privatim deferri a quolibet sacerdote (can. 848, § 2). — 2° Episcopo Viaticum ministrare debent canonici secundum ordinem praecedentiae (can. 397, 3°). — 3° Aegrotis professis, novitiis aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis ministrandi Viaticum per se vel per alium ius habet in omni religione clericali Superior; in religione laicali virorum capellanus, quem Ordinarius loco parochi suffecerit, secus ipse parochus; in monialium (n. 423, 7°) domo confessarius vel qui eius vices gerit causa infirmitatis vel absentiae; in quavis alia religione mulierum capellanus, quem Ordinarius loco parochi suffecerit, secus ipse parochus.

Viaticum, cuius ministratio parocho aliive reservatur, illud est, quod ex obligatione suscipitur ab aegroto; non quod licite eidem non ieiuno et cum speciali etiam formula *Ritualis*, durante periculo, iterum ministratur; tunc enim simplici communioni aequiparandum est, de qua nunc dicemus.

577 Communionem publice deferre extra ecclesiam ad infirmos, etiam non paroecianos, pertinet ad parochum intra limites paroeciae. Ceteri sacerdotes id possunt tantum in casu necessitatis aut de licentia saltem praesumpta parochi (v. gr. in eius absentia) vel Ordinarii.

Ritum deferendi publice et ministrandi sacram communionem ad infirmos habes in *Rit. Rom.* tit. 4, c. 4.

---

sanctissimi Sacramenti commissa est. — § 2. Quando privatim sacra communio infirmis ministratur, reverentiae ac decentiae tanto sacramento debitae sedulo consulatur, servatis a Sede Apostolica praescriptis normis » (can. 849).

« Sacram communionem per modum Viatici sive publice sive privatim ad infirmos deferre, pertinet ad parochum ad normam can. 848, salvo praescripto can. 397, n. 3 et can. 514, §§ 1-3 » (can. 850). De his exceptionibus cf. supra in textu.

1 Strictissime in conscientia tenentur pastores animarum sacrum Viaticum aegrotis procurare, hancque obligationem gravissimis verbis inculcat *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 532-534, regulares simul exhortans, ut in re tanti momenti parochorum auxiliares alacres sint, ne ob paroeciae extensionem infirmi sine Viatico decedant.

Communionem privatim deferre potest ad infirmos quilibet sacerdos, nulla parochi licentia, sed tantum ex venia saltem praesumpta sacerdotis, cui custodia SS. Sacramenti commissa est.

Modum sacram Eucharistiam deferendi occulte ad infirmos sic refert *Rit. Rom.*[1]: « Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur. » Is, qui sacerdotem comitatur, deferat in sacculo superpelliceum et cereos, corporale super quod sacra pyxis deponenda est, purificatorium ad digitos sacerdotis abstergendos, et librum ipsum *Ritualis*, ut communio domi iuxta ritum consuetum ministretur[2]. Sacerdotem incedere debere capite cooperto, ex ipsa ratione occultae delationis deducitur; debet tamen incedere recitando apud se psalmum « Miserere » et alios psalmos et Cantica, ut ait *Rituale;* id enim cum adeo deceat, subintelligitur debere fieri, quantenus adiuncta non obstent.

Praemonendum est, ait *Rituale*[3], ut aegri cubiculum mundetur, et in eo paretur mensa linteo mundo cooperta, in quo SS. Sacramentum deponatur; parentur quoque luminaria et vasculum cum aqua[4]. Deposita sacra pyxide super corporali, sacerdos cetera servat in *Rituali* praescripta; ad finem digitos abluit et ablutionem dat infirmo[5] vel in ampulla asportat dein in sacrarium proiiciendam.

---

1 Edit. 1913 in Append. p. 11, ex const. Bened. XIV 2 febr. 1744 « Inter omnigenas » § 23 et ex *S.C. de Sacram.* 23 dec. 1912 (*A.A.S.* [1912] p. 725).

2 Cum in praedicta instructione *Ritualis* nulla fiat mentio superpellicei, putat Vermeersch (*Period.* VII, p. 69) cum Besson (ap. eumd.) et Sola (in ephem. *Sal Terrae* [1921] p. 700) illud stricte non requiri ad ministrandam domi communionem. Putamus tamen cum Mostaza (in ephem. *Sal Terrae* [1913], p. 361) et Soláns (*Man. liturg.* tom. 2, n. 673, 8° nota 4) illam instructionem ad solam Eucharistiae delationem per vias referri, non ad communionis administrationem, ad eam vero requiri vestes et lumen, ut de more, quotiescumque irreverentiae periculum aliave gravis causa non obstet; idque sat aperte videtur erui ex *S.R.C. Decr. auth.* n. 2650 ad II, 1, n. 3234 ad I, 1-4, n. 3438 ad 7, in quibus declaratur eadem illa praxis iamdudum praescripta a Bened. XIV, quae ad verbum refertur in praedicta instructione; horum *S.R.C.* resp. mentionem non fecere qui aliter senserunt.

3 *Rit. Rom.* tit. 4, c. 4, n. 7 et 8.

4 Duo vascula paranda sunt iuxta *Rituale*, unum cum vino, alterum cum aqua; consuetudo tamen est hanc tantum adhibendi. Soláns, *Man. liturg.* tom. 2, n. 673, 8° nota.

5 Ita *Rituale* loc. cit., etiamsi communio ministrata sit non pro Viatico, sed aegroto ex devotione communicanti. Cf. Lugonem d. 15, n. 80. Cf. etiam n. 592.

578 *Sanctum Viaticum*[1] periculose decumbentibus opportuno tempore ministrandum est, ut eo plene sui compotes reficiantur; neque ad illud ministrandum requiritur certitudo periculi mortis, sed sufficit dubium prudens seu probabilitas periculi[2]. Tenentur autem fideles in periculo mortis illud suscipere, ut dicemus paulo inferius; perdurante autem eo periculo vel eius periculi probabilitate, licet etiam quotidie aegroto sacram communionem per modum Viatici, proinde non servato ieiunio ministrare.

Viaticum quacumque diei et noctis hora ministrari potest. Urgente necessitate licet illud asportare currendo, et, si infirmus procul distet, licet quoque uti equo, modo caveatur periculum lapsus et irreverentiae.

Non potest sacrum Viaticum dari laico asportandum, etsi sacerdos fatigatus sit; si necesse est, pyxidem sacerdos collo suspensam gerat.

Quando Viaticum publice defertur, prohibetur sacerdos incedere capite cooperto. Quod si aliqua infirmitate laborat, cedat id muneris alii sacerdoti; ex causa tamen impraevisa, si nequeat adiri Episcopus, liceret uti epikeia.

In Viatico administrando liceret uti formula ordinaria loco verborum « Accipe, frater, Viaticum etc. », si opus esse iudicetur, ne infirmus magno maerore afficiatur[3].

579 Si infirmus vomitu laborat aut tussi vehementi, Eucharistiam ei dare non licet, quamdiu g r a v e periculum est ne sacras species reiiciat; at necesse non est sex horas post vomitum exspectare, ut vult *Bus.* ap. *S. Alph.* n. 292, siquidem fieri potest, ut etiam post tempus brevius prudenter censeatur abesse periculum (iuvabit medicum consulere), maxime si noscitur vomitus causa. Potest praemitti experimentum cum particula non consecrata, sive sola sive cum aqua vel vino.

---

[1] « § 1. In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenentur. — § 2. Etiamsi eadem die sacra communione fuerint refecti, valde tamen suadendum, ut in vitae discrimen adducti denuo communicent. — § 3. Perdurante mortis periculo, sanctum Viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet » (can. 864).

« Sanctum Viaticum infirmis ne nimium differatur; et qui animarum curam gerunt, sedulo advigilent ut eo infirmi plene sui compotes reficiantur » (can. 865).

« Sanctum Viaticum moribundis ritu proprio accipiendum est; sed, urgente necessitate, fas esto quolibet ritu illud accipere » (can. 866, § 3).

« Sacrum tamen Viaticum quacumque diei aut noctis hora ministrari potest » (can. 867, § 5).

[2] S. Alph., *Hom. apost.* n. 46; Ferr. n. 439.

[3] S. Alph. n. 285, dub. 4.

Ob tussim minus timendum est impedimentum, siquidem sputa non per oesophagum, quo traiiciuntur alimenta, sed per canalem respirationis expelluntur; quare sacra hostia semel deglutita non reiicietur. Si infirmus delirat, potest cum particula non consecrata experimentum fieri, an communicare possit sine periculo irreverentiae.

Si infirmus post Viaticum evomuerit et sacrae species appareant integrae, reverenter sumantur, nisi nausea fiat [1]; secus species consecratae caute separentur, ponantur in vase mundo, deferantur ad ecclesiam, in ea serventur donec corrumpantur et postea in sacrarium proiiciantur. Si sacrae species non appareant, vomitus stuppis colligatur, comburatur et cineres in sacrarium proiiciantur [2].

Sacerdos, qui ministraturus Viaticum infirmum absolutioni indispositum reperit nec eum ad meliorem frugem adducere potest, eum profecto absolvere non potest; inducat igitur eum, ut dicat coram aliis se nolle adhuc Viaticum suscipere; si tamen id declarare renuat, debet ei Viaticum seu communionem dare, ut servet sigillum [3].

Si infirmus confitetur se Viaticum suscepisse sacrilege et hortationi iterum illud suscipiendi non facile acquiescit, saepe de vera obligatione oportebit tacere, ne ille cum mala conscientia moriatur; hodie tamen ei subveniri potest per delationem occultam, cui in tam gravi casu, putamus, subiungi poterit administratio etiam omnino occulta, si res apud familiam celari non possit simulando iterationem communionis ex devotione.

Art. 4. Susceptio SS. Eucharistiae.

Egimus in tract. de sacram. in. gen. n. 477 478 de con- **580**
dicionibus ad valide et fructuose suscipiendam Eucharistiam. Nonnulla dicenda manent de subiecto huius sacramenti, de obligatione aut consilio illud suscipiendi, de statu gratiae ad ipsius susceptionem requisito et de ieiunio naturali servando.

Licet fidelibus cuiusvis ritus Eucharistiam suscipere quolibet ritu, etiam sola pietatis causa, suadendum tamen ut suo quisque ritu praecepto communionis paschalis satisfaciat; sed sanctum Viaticum ritu proprio accipiendum est, nisi urgens necessitas obstet (can. 866).

---

1 Non requiritur ut sumens sit ieiunus, sed tantum ut sit in statu gratiae; magis enim decet eas sumere quam sinere ut corrumpantur.

2 *Rubr. Miss. de defect.* tit. 10, n. 14.

3 Ferr. n. 405 quaer. 10.

a) **Subiectum suscipiendae Eucharistiae** est omnis homo baptizatus[1]. Ex iure tamen ecclesiastico vel divino naturali arcendi sunt ab ea:

581 1° *Pueri*, qui nempe nondum completum habent septimum aetatis annum[2]. Hos propter irreverentiae periculum a communione excludit ius canonicum[3], non tamen indistincte omnes aut absolute, nam: *a*) solum excludit eos pueros, « qui nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent »; proinde quamquam communiter rationis usu censeantur carere ante septennium completum, si tamen eius usum se adeptos maturius manifestent, bene poterit iis sacra communio ministrari, dummodo ceteras dispositiones habeant, quas mox dicemus in eis extra mortis periculum requiri. — *b*) In periculo mortis sacrum Viaticum eis ministrari potest et debet; urget enim obligatio ex iure divino, dummodo Corpus Christi a communi cibo discernant et reverenter adorare noverint; secus enim ne intentionem quidem requisitam haberent (n. 477).

Extra mortis periculum accuratior praeparatio in iisdem exigitur, ut mysteria scilicet de necessitate medii credenda pro suo captu percipiant et devote pro suo modulo ad Eucharistiam accedant. De huiusmodi dispositionibus pueri iudicare pertinet ad confessarium et parentes aut eos qui parentum locum habent. Parochus tamen advigilare debet in genere, tum ne

---

1 « Quilibet baptizatus qui iure non prohibetur, admitti potest et debet ad sacram communionem » (can. 853).

2 « Impubes ante plenum septennium dicitur infans seu *puer* vel parvulus et censetur non sui compos; expleto autem septennio usum rationis habere praesumitur. Infanti assimilantur quotquot usu rationis sunt habitu destituti » (can. 88, § 3).

3 « § 1. Pueris, qui propter aetatis imbecillitatem nondum huius sacramenti cognitionem et gustum habent, Eucharistia ne ministretur. — § 2. In periculo mortis, ut sanctissima Eucharistia pueris ministrari possit ac debeat, satis est ut sciant Corpus Christi a communi cibo discernere illudque reverenter adorare. — § 3. Extra mortis periculum plenior cognitio doctrinae christianae et accuratior praeparatio merito exigitur, ea scilicet, qua ipsi fidei saltem mysteria necessaria necessitate medii ad salutem pro suo captu percipiant, et devote pro suae aetatis modulo ad sanctissimam Eucharistiam accedant. — § 4. De sufficienti puerorum dispositione ad primam communionem iudicium esto sacerdoti a confessionibus eorumque parentibus aut iis qui loco parentum sunt. — § 5. Parocho autem est officium advigilandi etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit, ne pueri ad sacram Synaxim accedant ante adeptum usum rationis vel sine sufficienti dispositione; itemque curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quamprimum hoc divino cibo reficiantur » (can. 854).

pueri sine debita dispositione accedant, tum ut ad eam accedant, qui iam sunt dispositi, et si de cuius dispositione dubitat eum examinare potest[1].

2° *Amentes;* ii enim pueris assimilandi sunt ex can. 88, § 3. Proinde si rationis usum aliquando habuerunt, Viaticum eis in mortis periculo dari potest et debet, si aliunde credi possunt dispositi, v. gr. si antequam in amentiam inciderent, pie vixerant[2]; nam facile potuerunt ceteroquin, dum sui compotes erant, aliquam notitiam sacramenti acquirere, ideoque facile possunt nunc in ea intentione habituali esse, quae ad Eucharistiam valide suscipiendam sufficit (n. 477). Amentibus aequiparandi sunt infirmi delirantes aut sensibus destituti.

Nihil prohibet quominus detur communio amentibus lucida intervalla habentibus, dum sui compotes sunt[3]. Semifatuis (quibus iure accenset *Gén.-S.* n. 190 senes repuerascentes) communionem prudens sacerdos crebrius vel rarius concedet pro gradu discretionis.

3° *Publice indigni*, nisi de eorum emendatione publice constet, et peccatores occulti, si occulte petant. De his cf. n. 475[4]. **582**

4° *Quotquot sine irreverentiae periculo* Eucharistiam recipere non possunt; propterea danda non est communio infirmis vomitu laborantibus (cf. nuper dicta in n. 579) aut epilepticis in actu paroxysmi.

Non licet bis in die Eucharistiam recipere[5], nisi urgente mortis periculo post communionem ea die sumptam, vel in necessitate impediendi irreverentiam in sacramentum, v. gr. in necessitate illud tutandi ab incursu hostium.

Viaticum in mortis periculo suscipere tenetur homo[6] (etiam pueri usum rationis adepti, ut nuper diximus) ex praecepto divino graviter obligante, quavis ex causa periculum procedat; tenentur ergo v. gr. milites ante proelium, capite damnati, operationem chirurgicam subituri valde periculosam etc. Non tenentur qui eadem die communicaverint et post

---

1 Cf. VERM.-CREUS. n. 118, § « Quaeri demum ».

2 S. ALPH. n. 302.

3 Recte animadvertit GÉN.-S. n. 190 nota, ex LUGONE, *De Poen.* d. 15, n. 153, fieri posse, ut qui usu rationis careat in una materia, eodem gaudeat in alia; hinc posse fieri, ut sacramentorum non sit incapax, qui in multis aliis rebus delirat.

4 De iisdem optime VERM.-CREUS. n. 117.

5 « Nemini liceat sanctissimam Eucharistiam recipere, qui eam eadem die iam receperit, nisi in casibus, de quibus in can. 858, § 1 » (can. 857), id est, nisi in mortis periculo aut ad impediendam irreverentiam.

6 Canones 864 865 866, § 3 vide in n. 578 nota 1.

incidunt in periculum, suadeatur tamen eis ut suscipiant. Nec probabiliter tenentur quibus mors evenit naturaliter, si paucis (v. gr. octo) ante diebus ex devotione communicaverint; siquidem brevi illo tempore antecedenti iam periculum moraliter coeperat imminere, quamvis fuerit ignoratum [1].

Ut Viaticum non ieiuno ministrari possit, non requiritur certitudo periculi mortis, sed sufficit dubium prudens seu probabilitas periculi.

De praecepto ecclesiastico communionis diximus n. 362.

583 *Communio frequens*, etiam quotidiana, omnibus christifidelibus consulitur eamque vehementer optat Ecclesia [2], frequentandam tamen iuxta normas ab eadem datas. Porro normae ab Ecclesia traditae [3] sequentes sunt: — 1° Communio frequens et quotidiana omnibus cuiusvis ordinis et condicionis pateat, etiam hominibus temporalibus rebus implexis, ut mercatoribus et coniugatis; dummodo tamen in statu gratiae et recta mente accedant. — 2° Recta mens, quae postulatur, in eo est, ut qui ad sacram mensam accedunt non usu seu consuetudine, non vanitate aut humanis rationibus ducantur, sed desiderio placendi Deo, ei arctius se coniungendi, ac ope illius divini pharmaci suis infirmitatibus subveniendi. — 3° Maxime expedit, ut venialibus culpis, saltem plene deliberatis, eorumque affectu sint expertes, sufficit tamen ut vacent a mortalibus. Aliunde fieri non poterit quin ope quotidianae communionis a venialibus ab eorumque affectu sensim se expediant. — 4° Sedula ad communionem praeparatio antecedat et congrua gratiarum actio sequatur [4] iuxta uniuscuiusque vires, condicionem ac officia. — 5° Oportet, ut confessarii consilium intercedat; is autem caveat ne a quotidiana communione quemquam avertat, qui in statu gratiae et recta mente accedat.

---

1 S. Alph. n. 285, dub. 2.

2 « Excitentur fideles ut frequenter, etiam quotidie, pane Eucharistico reficiantur ad normas in decretis Apostolicae Sedis traditas; utque Missae adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam sanctissimae Eucharistiae perceptione, rite dispositi, communicent » (can. 863).

3 Cf. decr. *S.C.C.* « Sacra Tridentina Synodus » 20 dec. 1905 (*A.S.S.* XXXVIII, p. 400, vel ap. Ferreres, *La comunión frecuente* p. 13) et decr. *S.C.C.* « Cum ad aures » 12 febr. 1679 (ap. Lacroix l. 6, p. 1, n. 653, vel ap. Ferreres op. cit. p. 126).

4 Id enixe inculcandum est, quoniam profectus animae non debet totus reponi in sacra communione quam frequentissime sumenda, cum multum pendeat a sumenda quam fructuosissime. Si quis ob frequentiorem communionem paulatim negligeret praeparationem et gratiarum actionem, facile evenire posset, ut non accederet recta mente.

Edixerat iamdiu S. Sedes[1], in societatibus feminarum atque in institutis virorum omnino laicorum non licere Superioribus sese ingerere in ea, quae ad frequentem communionem subditorum spectant, nisi aliquis eorum post ultimam confessionem communitati scandalo fuerit aut gravem externam culpam patraverit, sed rem ad confessarium sive ordinarium sive extraordinarium pertinere. Idem nunc de quolibet religioso Instituto intellige; iam enim nunc praecepit eadem S. Sedes[2], ut in quolibet « sive votorum sollemnium sive simplicium » Instituto, « omnibus utriusque sexus religiosis », in posterum « quotidianus accessus ad eucharisticam mensam libere pateat semper », praescripti vero in iisdem Institutis communionis dies habeantur tantum ut quid minimum, quin frequentior accessus impediatur.

Sacrae communionis excellentissimos effectus apprime **584** recenset *Lehmk.*[3], praecipue sequentes: 1° Augmentum gratiae sanctificantis, quod sacramentis vivorum commune est; — 2° Ius ad abundantiores gratias actuales opportune recipiendas, quibus in spirituali vita crescamus, praecipue in exercitio caritatis; — 3° Ius item ad abundantiores gratias actuales, quibus vitam supernaturalem a tentationibus defendamus, faciliorem praesertim experiendo observantiam continentiae; — 4° Culparum venialium et poenarum remissionem, sive per actus ad quos sacramentum excitat, sive aliquatenus ex opere operato, si non desit voluntatis retractatio.

Hi porro effectus in hoc divino sacramento magis quam in ceteris sacramentis ab hominis cooperatione videntur pendere, quandoquidem praesertim ad id ordinati sunt, ut in anima excitent supernaturales affectus; hinc patet, quam facile in vacuum ob humanam frigiditatem et socordiam magna ex parte abire possint.

Denique admodum probabile est[4] sacramentum suos effectus producere non tantum in eo instante, quo in stomachum traiicitur (seu in momento, quo dicitur manducari), sed etiam toto tempore durante, quo Christus sub speciebus manet in corpore sumentis, si iste interea magis ac magis se disponat. Quod quidem nos ad pretiosissimum illud tempus in tam ingens animae lucrum vertendum efficacius movere debet.

---

1 *S.C. Episc. et Regular.* decr. 17 dec. 1890 et resp. 4 aug. 1888 (*A.S.S.* XXIII, p. 505 et XXI, p. 505).

2 Decr. *S.C.C.* 20 dec. 1905, § 8° « Si quae sint ».

3 Lehmk. n. 152-158.

4 Cf. Suárez, *De Euch.* d. 63, s. 7, n. 4; Lugonem d. 12, n. 46 seqq.; Bus. ap. S. Alph. n. 322; Gasparri, *De Euch.* n. 1193.

585 *Christus tamdiu manet sacramentaliter in communicante*, quamdiu sacramentales species possunt esse species panis et vini[1]; nam quando hae corrumpuntur et desinunt esse aptae ad substantiam panis et vini, tum desinit esse ibi Christus et miraculose subrogatur ea substantia, quae in iisdem adiunctis

---

1 Quaeres forsan, an praesentia Christi sacramentalis iam evanescat, dum hostia est in ore communicantis, siquidem per actionem salivae corrumpuntur species panis. — *Resp.*: Certum est quod saliva actionem exercet in amylum panis illudque convertit in glucosam, quae substantia diversa est. Sed sequentia consideranda sunt (in quibus commoditatis gratia loquimur de s u b s t a n t i a panis, etsi in hostia consecrata non exsistat, loco a c c i d e n t i u m quae sola remanent):

a) Imprimis quamquam parva substantiae portio, quae in hostia minore continetur, per superficiem adeo notabilem extendatur, ut facile possit tota in contactum venire salivae atque haec sat activa sit; tamen dubium est quod reapse omnes partes massae interioris penetrentur sufficienter et transformentur paucis illis momentis, quibus hostia in ore suscipitur et deglutitur, ideoque in nulla portione, ne parva quidem, supersit species panis.

b) Non omnia panis elementa salivâ destruit, sed unum tantum, quamvis certe praecipuum, amylum (continentur in farina triticea circiter: amylum 73 %, gluten 11 %, aqua 13 %, et alia). Igitur quamvis totum amylum in ore transformaretur ideoque posset forte dici panem periisse rigorose et chimice loquendo, id tamen nequit dici loquendo *physiologice*. Illiusmodi enim destructio per salivam, physiologice, seu ex intentione natuare, *praevia* quaedam operatio est ad manducationem *illius ipsius cibi*, qui in os fuerat admissus; propterea adhuc ipse ille cibus esse dicitur, « panis » nempe, qui statim manducatur post praeparationem ad id natura sua ordinatam.

Profecto homines eum, qui traiicit panem in os immissum et commixtum cum saliva, indubitanter dicunt « manducare *panem* »,

c) Quidquid de hoc sit, certe Christus Dominus nobis suum corpus dedit manducandum sub specie panis: « Panis, quem ego dabo etc. », atque divinum hoc sacramentum instituit sumendum eo modo, quo panis ab hominibus sumitur, voluitque ut gratiam causaret in eo instanti, sine dubio, quo communiter dicitur manducari. Quisquis ergo panem consecratum sumit modo ab hominibus solito, effectus sacramentales recipit, quando illum in stomachum traiicit, quidquid sit quod panis a saliva passus fuerit.

Non ergo destructio panis, quae cessationem importet praesentiae sacramentalis, ea corruptio esse potest, quae per salivam modo communi fit in ore, sed quae evenit deinde in stomacho per actionem succi gastrici.

Idipsum confirmatur ex modo, quo iuxta *rubricas Miss. de defect.* praecipiuntur tractari species hostiae, quae post vomitum appareant.

NB. — 1° Quae autem sub colore quodam difficultatis poterant proponi circa corruptionem parvae hostiae in ore communicantis, nullo modo obtendi possunt circa sacerdotem, qui celebravit. Is enim hostiam notabiliter maiorem sumit, quae certe tempore perbrevi, quo in ore retinetur ante traiectionem, saliva non intingitur quoad partes suae massae omnes. Praeterea celebrans sacram

substantiae panis et vini fuisset naturaliter subrogata. Porro quanto tempore maneant incorruptae species in stomacho communicantis, pendet a vi cuiusque digestiva. Etiam in stomacho normali tempus forsan non sit ita modicum; immo ex diversis considerationibus concludi potest tamquam sat verisimile [1]

---

communionem sumit sub specie etiam vini, quae integra prorsus atque inalterata, ideoque cum praesentia sacramentali Christi Domini, in stomachum pervenit.

2° Qui tamen hostiam tamdiu retineret in ore et adeo motibus linguae revolveret, donec tota quasi dissolveretur, is nescio an, cum residua sic dissoluta traiiceret, communi sermone dici posset « manducare panem »; non enim eam sumeret eo modo, quo communiter res huiusmodi ab hominibus sumuntur; effectus sacramentales proinde in dubium verti possent. Suadendum est ergo fidelibus, ut hostiam in ore diu non retineant, sed ubi eam madefactam senserint, conentur deglutire.

[1] Senserunt veteres auctores (Lugo, *De Euch.* d. 10, n. 54 testimonia referens peritissimorum medicorum; Lacroix l. 6, p. 1, n. 466, al. 476, qui sententias colligit aliorum auctorum; Tamburini, *De Methodo communic.* c. 3, § 4) hostiam parvam laicorum aut maiorem celebrantium sat certo non conservari amplius post horae quadrans in stomacho normali, exceptiones tamen admittendas esse pro debilibus; eorumque sententiam plus minus secuti sunt alii recentiores, ut S. Alph. n. 225; Lehmk. n. 151, 5°. Profecto haec veterum opinio, etsi forte tempus nimis breve assignaverit et rationes quasdam adduxerit valde dubias (medici apud Lugonem loc. cit. haec duo valde dubia supponebant: hostiae concoctionem incipere statim ac illa pervenit in stomachum, et durationem concoctionis cuiusvis cibi haberi proportionate ad pondus cibi), non adeo despicienda est ac quidam praecipitanter putarunt.

Non enim hodie durationem sacrarum specierum in stomacho magis aut firmius determinare sinunt progressus scientifici ab illorum tempore adepti. Dubia enim non pauca nec levia etiam hodie praesentem quaestionem undequaque circumdant. Etenim:

1° *Dubium est, an sacrae species incipiant corrumpi protinus ac in stomachum perveniunt.* Nam excitabilitas stomachi ad segregandas diastases ipsius proprias, quas vocamus succum gastricum, pendet non tantum a cibi immissi *natura*, sed etiam ab eius *volumine*, ab eius *consistentia* vel mollitie, tum quoque a tempore breviore vel diuturniore, *ex quo cibus nondum sumptus fuerit* (Sigaud ap. Le Gendre et Martinet, *Régimes usuels* [ed. 1910] c. 2, § 3). Iam vero, quamquam ex consistentia seu densitate difficultas non exsurgit, quia sub hoc respectu non multum differt hostia ab aliis cibis ordinariis, magnam tamen praebet consideratio sui voluminis et naturae, simul cum adiunctis ieiunii naturalis, quod praecessit. Haec enim si consideramus, in conclusiones plane contrarias distrahimur.

Nam ad *volumen* et *ieiunii adiuncta* quod attinet, videtur quidem ex una parte res tam parva, uti hostia laicorum, insufficiens esse ad excitandam activitatem stomachi; sed videtur ex parte alia non esse insufficiens, quia excitabilitas valde aucta est post plures horas ieiunii; immo nec ea excitabilitas esse necessaria, quia succus gastricus, interea dum perdurabat ieiunium, in stomacho accumulabatur (Hédon, *Précis de Physiol.*

sacras species conservari in stomacho, donec refectio maior in stomachum immittatur et cum eis simul digeratur. Res est valde

---

[ed. 1908] p. 98), proindeque eum iam segregatum reperit hostia, cum in stomachum pervenit. Has ob causas suspicari licet corruptionem hostiae iam ab initio suae introductionis in stomachum incipere. Quod autem saepe res valde exiguae pluribus post horis repertae fuerint in eodem, ut ait Gén.-S. n. 179 IV, id quidem vim suam habet, argumentum tamen concludens non est; facile enim in illis casibus agebatur de residuis comestionis forte sat copiosae, cuius concoctio per plures horas (in stomacho normali 1½-5 h. pro digestibilitate alimentorum: Pizon, *Précis d' Hist. nat.* [ed. 1915] p. 201; 5-7 h.: Landouzy, *Anat. y Fisiol. méd.* [ed. hisp. 1916] p. 15; 6-9 h.: Pawlow ap. *The Encycl. Britann.* v. *Nutrition* p. 922, col. 1) hucusque duraverat; stomacho post concoctionem evacuato manserunt parva quaedam residua, imperfecte aut vix digesta, quae cum tam parva sint, iam stomachum per tot horas hucusque defatigatum excitare non valent, eo vel magis quod et ipsa aliquantum alterata sint, non vero recenter immissa, sicut hostia in stomachum a pluribus horis ieiunum.

Deinde, quod ad panis *naturam* attinet, physiologi dicunt panem substantiam esse valde efficacem ad excitandam segregationem succi gastrici (Pawlow *ap. Enc. Brit.* loc. cit.; Hédon op. cit. p. 106; *Encicl. Univ. Espasa* XXXXI, v. *Pan* p. 628, col. 2), hac tamen condicione, quod praecedant actus psychici cupiditatis atque aviditatis, seu appetitus per visum, odorem etc., quorum influxus in stomachum exercetur per eum nervum, qui et vagus et pneumogastricus appellatur; si haec prima excitatio psychica stomachi deficiat, eum dicunt non excitari per simplicem contactum panis, huncque manere chimice inactivum (Pawlow loc. cit. p. 924, col. 1 et 2; Hédon p. 99-100; Pizon op. cit. p. 195-196). Quae quidem si vera sunt, vehementer suaderent hostiam manere inertem in stomacho communicantis, quandoquidem in huiusmodi eucharistica manducatione fames cibi materialis fere nulla aut penitus nulla praecedat ac videantur omnino deesse innervationes pneumogastricae per appetitum sensitivum excitandae. Si ita est, in eamdem conclusionem, etsi ob motiva aliquantum diversa, deveniremus, quam tradit Gén.-S. loc. cit., hostiam scilicet etiam in stomacho sano manere, donec is ampliore refectione excitetur. Immo, addimus, tunc primum hostia corrumpi inciperet et adhuc manere ibi deberet, donec tempus advenerit, ut corrupta simul cum portionibus aliarum similium substantiarum in intestinum gracile transveheretur.

2° *Dubium est quantum temporis perduret digestio sacrarum specierum, ubi semel inceperit.* Nam ubi agitur de refectione ordinaria, quae quantitatis est non modicae et alimentis constat diversi generis, quantum temporis perduret concoctio panis, res iam est valde dubia. Etenim scimus quidem in refectionis concoctione plures horas impendi, non tamen omnia refectionis sumptae alimenta toto tempore in stomacho retineri, sed primo ad intestinum gracile transvehi alimenta hydrocarburata, inter quae recensendus panis propter magnam portionem amyli, deinde albuminoidea, demum adiposa; non tamen singula simul, sed per partes diversis vicibus (Landouzy op. cit. p. 15; Pizon op. cit. p. 201, et alii communiter). Sed post quantum temporis incipit stomachum deserere panis? Pizon op. cit. p. 201 ait hydrocarburata incipere reiici ad intestinum post sextam horae partem; Prof. Diarmid Noel Paton ap. *Encycl. Brit.* v. *Nutrition* p. 922, col. 2 ait post quatuor horas tantum

incerta. Id tamen videtur certum: stomachum infirmum compluribus horis diutius quam sanum species incorruptas retinere posse.

---

remanere in stomacho ea, quae albuminoidea sunt et quae adiposa; Hédon op. cit. p. 105, post 4-5 horas etiam albuminoidea esse concocta.

Crescit dubium, quando agitur de refectione, quantitatis quidem non modicae, sed quae constet solo pane. Tunc ait Hédon op. cit. p. 106 diuturniorem esse concoctionem panis quam carnis; *Encicl. Univ. Espasa* XXXXI, v. *Pan* p. 628, col. 2, ait panis concoctionem fieri satis lente; Pawlow ap. *Encycl. Brit.* loc. cit. vel ap. Hédon p. 105 suis experimentis comperit 200 grammata panis nondum esse plene concocta post 10 horas; profecto physiologi cum succum gastricum ex stomacho colligere volunt, praebent 60 grammata panis cum thea et exspectant saltem duas horas, quod probat laborem concoctionis 60 grammatum panis ante duas horas, etiam addita stimulatione theae, nondum attigisse plenam activitatem.

Adhuc augetur dubium, si consideratur refectio constans tam parva quantitate solius panis, qualem importat hostia. Desunt experimenta et observationes directae, nec auderet quis ex experimentis citatis tuto conficere argumentum ullum, in quo arbitrarie supponatur lex proportionalitatis inter tempus concoctionis et quantitatem panis.

Res igitur in nostro casu videtur valde incerta.

3° *Dubium est quanto tempore amplius protrahatur digestio sacrarum specierum in stomacho infirmo;* pendet enim a multiplici infirmitatum varietate et a peculiari statu cuiusque stomachi. Id tantum possumus affirmare, alimenta generatim difficilius digeri ideoque longe diutius immorari in stomachis aegris, plurimos autem esse qui aliqua stomachi aegritudine laborent. Dr. Georges (ap. Gasparri, *De Euch.* II, n. 1194), qui digestionem parvae hostiae putat confici dimidia hora in stomacho sano, putat quidem celerius compleri in stomacho ulceroso, sed protrahi posse ad duas tresve horas in personis laborantibus cancere, gastritide, dilatione stomachi aut morbo quovis febrili, quae sane, addit ipse, saltem dimidia pars est hominum nostras regiones incolentium. Dr. Capellmann ait ap. Lehmk. n. 151 hostiam in stomacho infirmo posse manere incorruptam « per complures horas ».

Ex dictis concludere licet:

1° Incertum esse, an hostia corrumpi incipiat ante sumptam ampliorem refectionem et quanto tempore cum hac in stomacho perseveret. Incertum ergo esse, quanto tempore maneat Christus sacramentaliter in communicante.

Putarunt certe quidam medici parvam hostiam absumi intra semihoram circiter in stomacho normali (Dr. Georges ap. Gasparri loc. cit., circiter dimidium horae; Dr. Core ap. eumdem, saltem dimidium horae; Dr. Capellmann ap. Lehmk. n. 151 dimidium horae; Dr. quidam Lovaniensis ap. Gén.-S. n. 179, saepe hostiam manere posse usque ad maiorem refectionem); sed quam parum his determinationibus fidendum sit, patet ex dictis; propterea putamus medicos haec dixisse tantum meliore modo, quo dici possint secundum confusam notitiam, quam scientia hodiedum praebere potest.

2° Incertum esse, an ampliore tempore maneat Christus in celebrante quam in aliis. Nam ex una parte medicorum testimonia inclinant ad asserendum, quod paulo diutius manet in sacerdote;

Edere aut bibere statim post communionem praecepto quidem speciali prohibitum non est; patet tamen sat indecens esse statim post eam ad profanas epulas evolare, quasi unam men-

---

ex alia vero credendum est quod manet brevius, quia ratio sat fortior est ad suspicandum, quod digestio specierum sacrificii incipit iam a tempore, quo sumptae sunt; nam et hostiae quantitas non ita modica est ad excitandum stomachum et vinum non parum valet ad augendam ipsius excitabilitatem.

3° Forte praesentia Christi valde parum permanet in celebrante sub speciebus vini; *a*) quia vinum sat efficaciter excitat et sat cito absorbetur, quando sumitur extra refectionem, praesertim ab homine ieiuno (Pizon op. cit. p. 190-791; Landouzy loc. cit.); — *b*) quia secunda ablutio, ubi sacris vini speciebus in stomacho commiscetur, videtur eas corrumpere (cf. dicta in n. 515 nota).

Quae hucusque dedimus, alia consectaria habent praxim attingentia. Nimirum:

1° *De provocatione vomitus post communionem.* Utrum et quando id liceat, pendet tum a maiore aut minore *incertitudine* de remanentia sacrarum specierum in stomacho, tum a maiore aut minore *necessitate* illiusmodi actionem ponendi.

Nam si v. gr. sumptis sacris speciebus scires eas commixtas esse veneno, sine dubio posses vomitum provocare immediate; idem dic, si venenum fuerit immixtum in ablutione vel quocumque cibo post communionem sumpto (Tamburini, *De meth. commun.* c. 3, § 4, n. 5).

Hisce in casibus si grave sit malum, ita ut, ni statim quis evomat, iure timeatur mors vel gravissima infirmitas, eadem est ratio ac de veneno (cf. Tamburini loc. cit.).

Transacta tertia horae parte, iam non tam gravis et urgens videtur causa requiri, certe tamen adhuc gravis, si non effluxerit hora et amplius, quia in stomacho infirmo timendum est ne species integrae adhuc maneant.

Et generatim provocare vomitum, quamdiu homo stomacho infirmus post communionem perseverat adhuc ieiunus, non videtur faciendum per tres horas sine causa aliqua notabili, cuiusmodi essent nauseae notabiliter vexantes. Saepe sumptio vini generosi aliusve medicinae tempus debitum cum minore incommodo exspectare permittet.

2° *De lotione stomachi post communionem.* Idem circiter dicendum est ac de provocatione vomitus, agitur enim de homine stomachi infirmi (cf. Gasparri, *De Euch.* n. 1195; Gén.-*S.* n. 179).

Quare nullo modo lotio fiat, quamdiu homo ieiunus perseverat, antequam tres horae effluxerint a communione, sine urgente causa; immo exspectentur quatuor horae, etiam cum aliquo incommodo. At si quis ientaculum, ut fieri consuevit, iam sumpserit, potest stomachum lavare hora qua solet; experientia enim novit tunc iam esse vacuum. — Quod si cui aliam horam expediret ad id eligere et timeat ne species non sint absumptae, praemittat per tres quatuorve dies experimentum cum hostia non consecrata.

3° *De peccato contra castitatem patrato post communionem.* Communis sententia est (Lugo, *De Poenit.* d. 16, n. 254; S. Alph. l. 3, n. 463 et alii) specialem malitiam sacrilegii induere peccatum contra castitatem, si immediate patretur post communionem, ut si quis, ait Lugo, immediate pergeret ad concubinam (cf. dicta supra n. 128). S. Alph. illud « immediate » intelligit dimidium horae, quod prorsus recte videtur dictum. Gasparri n. 1196 id extendit ad horam

sam cum altera confundendo[1]. Non debet ergo excusari a veniali, si fiat sine rationabili causa. Sed peracta gratiarum actione non censetur irreverentia edere aut bibere post tertiam horae partem, etsi Christus probabiliter adhuc in stomacho manet.

Exspuere statim post communionem potest sat esse periculosum, si immediate fiat. Exspectetur ergo aliquantisper, donec certum videatur, quod omnes hostiae partes deglutitae sunt.

Sed cum iam nullum fragmentum in ore remanet, nullum in exspuendo est periculum reiiciendi sacras species, quia sputa non per oesophagum, quo hostia traiecta fuit, sed per canalem respirationis reiiciuntur.

b) **Status gratiae**[2] ex iure divino requiritur, ne sacra- **586**
mentum suo effectu seu gratia frustretur (n. 478). Non sufficit tamen ad suscipiendam Eucharistiam statum gratiae sibi comparare per contritionem, sed ex praecepto praemitti debet sacramentalis confessio. Sic enim praecipitur in can. 856: « Nemo quem conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque

---

saltem pro sacerdote sano; ad longius adhuc tempus pro iis, qui stomacho laborant.

Videtur tamen imprimis non haberi fundamentum sufficiens ad credendum, quod sacrae species diutius maneant in sacerdote quam in laico. Deinde putamus in praesenti quaestione non tam attendendum esse ad materialem Christi praesentiam in communicante quam ad communem aestimationem hominum; ab hac enim plurimum pendet ratio iniuriae, quae per aliquam actionem censetur alicui fieri vel non fieri. Quare transacta dimidia hora pro homine sano non videtur irrogari sacramento iniuria certo gravis. Nam sicut homines censerent iniuriam gravem inferri communioni, si quem viderent ante dimidiam horam violantem castitatem, ita e contra, si communio plus distaret, quamvis profecto scandalizarentur adhuc, quod tam cito fieret post eam; non tamen videtur fore, ut id verterent iniuriae gravi.

Potest quidem id tempus aliquantum protrahi pro sacerdote, eo quod facilius eius peccatum celebrationi iniuriosum habebitur; potest quidem et debet ad tria quadrantia protrahi pro infirmo independenter a communi aestimatione hominum, propter nimis vehementem suspicionem de permanentia sacrarum specierum.

Sed hoc tempore transacto, etsi forte liceat adhuc suspicari de praesentia Christi, peccatum non censetur iam sacramento iniuriosum saltem graviter, propter rei incertitudinem; nisi grave fiat propter ipsius peccantis malitiam, qui peccare velit credens se Christum facile adhuc habere secum.

Gasparri putat sacrilegii malitiam haberi in casu non solum propter peccatum contra castitatem, sed etiam propter furtum, homicidium etc.; id facile et ipsi credimus, saltem de homicidio; id enim videtur redundare in gravem irreverentiam Eucharistiae.

1 Lugo d. 15, n. 39.

2 De his optime Lugo d. 14, s. 1 et s. 4-7.

etiam se contritum existimet, sine praemissa sacramentali confessione ad sacram communionem accedat. »

Cum tamen hoc confessionis praeceptum probabiliter sit solum de iure ecclesiastico, *eo non tenebitur* iuxta doctrinam generalem de probabilismo et de legibus:

1° *Qui dubitans de reatu gravi iudicat probabiliter* se huius reum non esse. Is tamen *tenebitur elicere actum contritionis* [1], ne scilicet sacramentum exponatur frustrationi [2].

587 2° *Qui in necessitate versatur communicandi et caret copia confessarii.* In necessitate versatur, qui communionem omittere non potest sine gravi periculo notae et infamiae, maxime vero qui iam accedit ad altare communicantium ibique se esse in statu peccati mortalis recordatur [3]. Caret autem copia confessarii, qui eum adire non potest sine gravi incommodo [4], vel

---

1 Ait Verm.-Creus. n. 79 non posse in eo, qui ita dubitat, urgeri contritionis obligationem propter auctoritatem eorum, qui existimant probabilem dispositionem sufficere. Quam erronee horum auctoritas invocetur, satis diximus in n. 478 nota.

2 Persona timoratae conscientiae, quae non solet plene advertens consentire, potest in dubio omittere actum contritionis iuxta dicta n. 56.

3 Lugo d. 14, n. 112; S. Alph. n. 263.

4 Sunt qui excusent ob distantiam duarum horarum, est qui excuset ob distantiam quinque quadrantium. Sed hoc, ait S. Alph. n. 264 cum Lacroix et aliis, iudicari debet ex circumstantiis; nam ob infirmitatem aut temporis brevitatem excusare poterit etiam distantia 50 passuum. Immo qui ad scamnum communicantium peccati gravis nondum remissi recordatur, non debet ibi a sacerdote de peccatis audiri (Lugo loc. cit.; S. Alph. n. 263).

Quidam recentiores (Berardi, *Prax. conf.* III, n. 338; Gén.-S. n. 193 V et cas. 682; Noldin III, n. 141; Verm.-Creus. n. 79 vel Vermeersch, *Theol. mor.* tom. 3, n. 317, 2°) probabile censent, quod aequivalenter copia confessarii caret, qui alium non habet nisi eum, apud quem ob speciales rationes experitur *verecundiam extraordinarie magnam atque invincibilem.* Post Berardi exemplum ponunt, si patruus apud nepotem confiteri deberet rem valde probrosam; Gén.-S. in *Theol. mor.* et *Cas.* loc. cit.; Noldin et Verm.-Creus. excusant etiam parochum, si verecundiam extraordinarie magnam et invincibilem persentisceret rem probrosam aperiendi vicario suo iuveni; Vermeersch in *Theol. mor.* loc. cit. idem opinatur, si eadem extraordinaria adiuncta respiciant unum alterumve confessarium, quibuscum sacerdos sub eodem tecto vitam communem et familiarem agit; Gén.-S. loc. cit. idem admittit, si difficultas huiusmodi extraordinaria oriretur ex eo, quod quis hic et nunc alium confessarium non habet praeter hunc, quem iustas ob causas summopere horret, praesertim cum ab hac lege praemittendae confessionis, bene addit ipse, excusationes admittantur non ita graves, veluti iter unius alteriusve leucae. Admittimus quidem huius doctrinae probabilitatem. Sed illud praetermittendum non est, hanc doctrinam facile posse ansam dare praetereundae confessionis; non enim ea tantum adiuncta occurrunt, quae in exem-

solum habere potest sacerdotem iurisdictione carentem[1]; at non caret propterea quod non possit adire eum, cui confiteri solet. Qui tamen necessitate pressus communicat[2] in huius-

---

plis allata sunt; et in re valde onerosa facile sibi fucum facit homo extenditque paritates gradatim ad alios casus, qui denique alieni erunt a mente laudatorum theologorum. Vel ipsi theologi, qui initio de patruo sene et nepote loqui coeperant, ad alios tandem casus excurrerunt, probabiles quidem adhuc, sed in quibus ingens illa et extraordinaria difficultas aliquantum minoratur. Atque haec fortassis causa fuit, cur FERR. n. 429, 3° et cas. n. 288 huiusmodi doctrinam ab aliis traditam tantum referat, propriam vero videatur non ausus facere.

Laicum in necessitate positum communicandi posse in similibus adiunctis versari, patet in patre vel matre, quae confessarium adire deberet filium, vel in sorore, quae adire deberet fratrem.

Auctores, qui praedictam doctrinam tenent, rationem dant, quia censent extraordinariam illam atque invincibilem verecundiam esse extrinsecam legi praecipienti confessionem. Minus tamen recte id dicitur; verecundiam enim supponit lex, si praecipiat confiteri peccatum probrosum, et consequenter incommodum verecundiae subeundae est legi intrinsecum, sive agatur de lege praecipiente, ut praemittatur confessio ante communionem, sive de lege praecipiente integritatem in confessione. Potius putamus recurrendum esse ad epikeiam, et dubitari posse, an utraque haec lex, etsi certe gravissima, vere respexerit ad circumstantias adeo insolitas et reapse intenderit praecipere confessionem peccati probrosi in adiunctis tam extraordinariis, in quibus necessario est subeunda verecundia maxime ingens atque insuperabilis.

1 Idem dic, si nullus sacerdos adesset nisi idiomatis ignarus aut excommunicatus vitandus, aut a quo grave damnum sibi vel alii ex confessione timendum esset. Cf. etiam dicenda n. 618. De confessario iurisdictione quidem pollente, sed non in reservata non est hic mentio facienda; iam enim in iure novo confessarius huiusmodi directe absolvere posset reservata, etsi aliquando cum onere recurrendi, ut dicemus alibi.

2 Casus, in quibus necessitas communicandi sine necessaria confessione urgeat ad vitandam infamiam, facilius possunt occurrere in sacerdote celebraturo (n. 520), valde raro in laicis, si excipias casum eius, qui genuflexus ad scamnum communicantium peccati non deleti recordatur; nam laicus, qui copia caret confessarii, potest res praevenire et aliquem praetextum obtendere, et sic necessitatem communicandi eludere. — In necessitate communicandi reperiri potest, qui ecclesiam adivit cum familia et forte ob imperitiam confessarii aliamve inculpabilem causam non absolvitur; non autem excusatur, qui male dispositus ad absolutionem et suae indispositionis conscius in huiusmodi circumstantias se coniecit. — Difficillime excusari aliquando poterit, qui in aliqua communitate solitus quotidie communicare in peccatum incidit, quin confessarium obtinere potuerit; poterit enim aliquis praetextus quaeri, praeterea abstentio aliis causis, v. gr. scrupulis tribui poterit, aliunde vero non gravis infamia esset aliquam suspicionem subire. Saltem si casus non rarissimus est, communio in huiusmodi adiunctis permitti nullo modo potest; si enim id licere diceretur, ianua panderetur mille sacrilegiis, frenum tolleretur emendationis et peccati foveretur consuetudo. Cf. VERM.-CREUS. n. 120.

modi circumstantiis, obligatione tenetur *praemittendi actum contritionis;* adiungit enim can. 856: «Quod si urgeat necessitas ac copia confessarii illi desit, actum perfectae contritionis prius eliciat.» [1] Necesse non est animum vexari ad eliciendam contritionem; sufficit enim si quis bona fide putet se esse contritum, licet subdubitet [2].

Probabilius non tenetur praecepto praemittendi confessionem, etsi confiteri commode possit, qui recordatur peccati gravis in praeterita confessione inculpabiliter obliti; peccatum enim iam fuit remissum, etsi indirecte tantum [3].

Speciatim de sacerdote Missam celebraturo diximus in n. 520 521.

588 *c*) **Ieiunium naturale** a media nocte usque ad sumptionem Eucharistiae praecipitur iure ecclesiastico, nam ait can. 858, § 1: «Qui a media nocte ieiunium naturale non servaverit, nequit ad sanctissimam Eucharistiam admitti, nisi mortis urgeat periculum, aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum.» Porro ieiunium naturale consistit in abstinentia ab omni re per modum potus, cibi aut medicinae [4]. Instans mediae noctis est primus ictus horae duodecimae in horologio rite disposito ad normam temporis veri vel medii localis vel officialis [5].

Ieiunium naturale frangitur per sumptionem vel minimae quantitatis cibi vel potus; quae si facta fuit, communio sub gravi prohibetur. Nihilominus ad ieiunium naturale frangendum requiritur, ut id quod sumitur, sumatur:

1° *Ab extrinseco;* quod enim ab intrinseco provenit, non vere comeditur [6]; ideo manet ieiunus qui traiicit sanguinem fluentem e lingua aut gingivis, aut humorem ex capite ad os provenientem, non autem qui sorbet lacrymas.

«Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem», habent *Rubr. Miss. de defect.* tit. IX, n. 3; quod saltem verum erit si transglutiantur involuntarie. An impediant communionem, si transglutiantur voluntarie, controvertitur; probabilis est [7] sententia

---

1 Nisi tantae essent temporis angustiae, quae ne id quidem paterentur, v. gr. si genuflexus ad altare inter communicantes iamiam esset suscepturus communionem.

2 Bus. cum aliis ap. S. Alph. n. 262. Cf. dicta alibi, n. 478 in notis.

3 Propterea neque tenetur elicere actum contritionis, versatur enim in statu gratiae.

4 *Rubr. Miss. de defect.* tit. IX, n. 1.

5 Can. 33, § 1; cf. n. 33 nota 3.

6 S. Thom. in. 4°, dist. 8, q. 1, a. 4.

7 S. Alph. n. 279.

negans, quia hae reliquiae cum non veniant ab extrinseco, proprie non possunt dici hodie comedi, sed potius esse reliquiae comestionis pridie factae.

Si quis heri aliquid ori imposuit (v. gr. saccharum vel electuarium) et post mediam noctem sive integrum sive paulatim cum saliva liquefactum traiecit, non potest hodie communicare [1]; non enim est reliquia comestionis pridie factae, sed hodie continuatur comestio heri incepta, sicut si quis in coena reservasset in angulo oris buccellam hodie deglutiendam [2].

2° *Per modum cibi vel potus*, non per modum salivae vel respirationis [3]. Ecclesia scilicet non prohibuit, quominus deglutiamus salivam aut respiremus, ideoque si quid has functiones exercendo, non voluntarie quaesitum, sed per accidens simul traiiciatur, communionem non prohibet. **589**

Igitur ieiunus manet, qui praeter intentionem muscam, culicem aut pluviam respirando traiicit. Manet ieiunus, qui praeter intentionem guttulam cum saliva commixtam [4] deglutivit, postquam os lavit aut iusculum degustavit; item qui guttulam proprii sudoris vel sanguinis e naso defluentis vel minimam pelliculam e labiis avulsam, quae insensibiliter cum saliva permixta est, inadvertenter sorbuit [5].

Ieiunus manet qui folium tabaci aut aroma dentibus conterit, ut phlegmata exspuat, etsi praeter intentionem aliquid modicum succi cum saliva commixti traiiciatur [6].

Ieiunus manet qui pulverem tabaci sumit per nares [7], etsi forte aliquid in stomachum transmittatur; item qui tabaco

---

1 Est sententia communis. Lugo d. 15, n. 26 37; S. Alph. n. 279.

2 Cum Verm.-Creus. n. 122 communio permitti posset ei, qui electuarium ori imposuit cum animo illud consumendi evigilans, sed somno raptus praeter intentionem nescit deinde, qua hora illud traiecerit; vel si illud mane integrum reperit, ita ut nihil nisi fortasse quid minimum cum saliva mixtum absorptum sit.

3 Lugo d. 15, n. 33 36.

4 Intellige etiam de guttula non omnino salivae commixta; nam si salivae prorsus commixta esset, non prohiberetur homo salivam, etiam voluntarie deglutire, etsi sciret aut sentiret se non omnem aquam, postquam os lavit, aut non omne iusculum a se exspuisse. Hinc qui os lavit aut aliquid degustavit aut cui modicum sanguinis e naso defluentis in os intravit, non tenetur saepius scrupulose exspuere. Lehmk. n. 218; Gén.-S. n. 200. Similiter qui ante communionem gargarizationes vel gutturis pulverizationes peragit, sufficit ut curet diligenter aquas exspuere, ne nimium aquae deglutiat; nam quod censetur transire per modum salivae, minimum est. Many, *Prael. de Missa* n. 176, p. 335.

5 S. Alph. n. 280.

6 Hanc masticationem sine rationabili causa facere ante communionem S. Alph. non excusat a veniali.

7 Cf. Lugonem, *Resp. mor*, dub. 9.

fumat[1]; nulla enim est comestio aut potio, sicut nec comedit nec bibit qui odores ciborum in culina aspirat, etiam voluntarie.

3° *Ut res habeat rationem cibi, potus aut medicinae.* Ideo manet ieiunus qui transglutit monetam aut vitrum, quia haec in stomacho nullatenus alterantur[2]. At frangit ieiunium pulvis medicinalis, v. gr. pulvis bicarbonato-sodicus aut magnesicus.

---

1 Valde optandum est, ut a tabaco abstineat sacerdos ante celebrationem.

2 Difficultas est an possit communio permitti post sumptas quasdam res, quae forte aliquam alterationem in stomacho subire valent, sed generatim inter comestibilia non recensentur, ut capilli, ungues, filum ex serico aut lana, ossiculum fructus omnino depuratum, frustula ligni.

Lugo d. 15, n. 28-32 stricte amplectitur criterium alterabilitatis, tenetque frangi ieiunium naturale per quodlibet aliquo modo alterabile, sed dubius haeret, ubi in particulari aliquam e rebus in exemplum adductis considerat, ut papyrum.

Idem criterium sequuntur plurimi auctores ap. S. Alph. n. 281 idemque adoptat Lehmk. n. 219.

Opinamur tamen aliud criterium in hac re praevalere debere, nempe praedictas res non frangere ieiunium, quia in aestimatione hominum non sunt cibus, vel ut dixerunt quidam ap. S. Alph. n. 281, quia « usu non habentur ut comestibilia »; cum autem Ecclesia praecipit communicaturo ieiunium naturale, prohibet quidem illi sumere « cibum potumque quamlibet minimum » (ap. Lugonem d. 15, n. 30), sed non intelligit pro cibo et potu id quod homines pro cibo et potu non habent. Esto, sint quaedam earum rerum aliquantum alterabiles, sint quoque pro quibusdam animalibus comestibiles (ap. Lugonem d. 15, n. 32), at certe in usu humano comestibiles non sunt.

Accedit auctoritas quamplurimorum auctorum, qui huiusmodi res recensent inter eas, quae ieiunium naturale non frangunt; hos auctores vide ap. Lugonem d. 15, n. 29 vel apud Dianam p. 3, tr. 4, res. 38, quibus additur Renzi a S. Alph. n. 281 primam sententiam recensente, quamplures alii in tertia sententia, et quibus addimus Ball.-P. c. 2, n. 160 et Gén.-S. n. 200. Fatendum quidem est non omnes hos auctores niti criterio, quod adoptavimus, immo etiam quosdam niti rationibus falsis, puta quod huiusmodi res sunt omnino inalterabiles in stomacho (quod de quibusdam earum videtur falsum), aut quod, quamvis alterabiles sint, alterabilitas nihil refert, propter auctoritatem S. Thomae aientis « nihil referre quod nutriat vel non nutriat » (quam perperam adducatur hoc testimonium S. Thomae, ex eo patet, quod eodem utatur Ball.-P. c. 2, n. 160 ad confirmandum, quod huiusmodi res non frangunt ieiunium naturale, licet forte alterabiles, et e contra, eodem utuntur alii, quos citat Diana p. 2, tr. 14, res. 52 ad probandum, quod huiusmodi res frangunt illud ieiunium, licet inalterabiles. Profecto illa verba S. Thomas p. 3, q. 80, a. 8 ad 4 applicavit tantum ad ea, de quibus iam constat esse cibum, potum vel medicinam, significans id iam satis esse, ut constet per ea ieiunium eucharisticum frangi, nec ulterius tunc inquirendum esse an nutriant, ut bene explicat S. Alph. loc. cit.; propterea mica panis, quia cibus est, ieiunium frangit, etsi ob stomachi morbum fuerit

NB. — 1° *Licet communicare, nisi certus sis de violato ieiunio*, nec refert utrum de violato ieiunio dubites positive an negative; nam solutio ieiunii est quoddam factum, facta autem probari debent; quod si non probentur, possidet libertas **590**

---

inalterabilis, et e contra pulvis metallicus, si ab hominibus ut medicina adhibetur, ieiunium frangit, etsi aliter discus ex illo metallo cum inalterabilis sit, ieiunium non frangeret); sed certe mirum est quod tot auctores, rationibus sive veris sive erroneis, illiusmodi res a numero ciborum communionem impedientium seposuerint; quod non explicatur, si satis manifestum esset eas ab hominibus censeri ut cibos. Certe criterium illud nixum in communi aestimatione hominum probabile debuit videri S. Alphonso, quia illud adduxit tamquam fundamentum sententiae, quam primo loco recenset inter probabiles (etsi eas probabiles expresse non dicit, eas tamen eo modo citat, quo citare solet probabiles). Idem criterium aperte docet Gén.-S. n. 200.

Propter rationem allatam putamus praedictis rebus accensendam quoque esse paleam, ceram, ossa (non cartilagines) omnino depurata, filum ex lino, quae S. Alph. loc. cit. recenset inter prohibentia communionem. Pulverem medicinalem, de quo S. Alph., prohibere communionem certum est.

Quaeres forte quid putandum de eo, qui guttulam sanguinis sugit ex digito, vel qui ob pravam consuetudinem non rodit solum ungues, sed etiam pelliculas digiti? Rem speculative considerando valde inclinamur, ut id tamquam communionis impedimentum habeamus, non quidem propter rationem Lugonis d. 15, n. 32, qui stricte criterium alterabilitatis applicat; sed quia, cum agatur de re certo alterabili, per eam ieiunium eucharisticum laedi praesumendum est, nisi valde vehemens suspicio habeatur in contrarium; criterium autem aestimationis communis huiusmodi suspicionem praebere non videtur, quia homines, etsi forte id propter modum non dicant comestionem, videntur tamen huiusmodi res censere comestibiles.

Nihilominus practice communio videtur permittenda ei, qui id fecerit inadvertenter seu bona fide, cum qua, ut diximus, ius communionis possidet, et huiusmodi ius non videtur in eo satis certo amissum esse, siquidem auctores aliqui non defuerunt, quibus suctus sanguinis e digito (idem dic de pellicula) non videretur communioni obstaculum (vide ap. Diana p. 2, tr. 14, res. 52; ad eosdem alludit Lugo loc. cit.). Praeterea practice, qui inadvertenter digitum acu punctum sugit et guttulam cum saliva traiicit, tam parum sumit, ut comparandus sit ei, qui involuntarie guttulam liquidi traiicit salivae immixtam. Pariter qui pelliculam trahit e digito, is vel rem minimam atque insensibilem trahit et comparandus est sumenti involutarie pelliculam omnino insensibilem e labio cum saliva commixtam; vel si pellicula est linguae contactu sensibilis, comparari potest ei, qui inevitabiliter deglutiit muscam cum respiratione; nam in hoc casu magis sine dubio excusat inevitabilitas eventus, qui contigit omnino « per accidens » (ideoque ne id transferas ad casum, quo alius immittat aliquid in os alterius reluctantis), quam quod res eveniat per modum respirationis; distractio autem est inevitabilitas quaedam eaque videtur ad excusandum sufficere, quando res adeo est parva, ut proprie saliva dicatur traiici, non res, quam ea secum ad guttur rapit.

(n. 24, 6° et n. 25). Potes igitur communicare, etiamsi scias te aliquid comedisse aut bibisse, sed nescias utrum ante vel post mediam noctem[1].

2° *Communicare potest non ieiunus*:

a) Infirmus in periculo mortis, non solum semel, sed etiam pluribus diebus, etiam quotidie, quamdiu manet aut recurrit hoc periculum; sufficit autem probabilitas periculi[2].

b) Si secus hostia ab impiis supervenientibus profananda est, et generatim quando urgeat, ait can. 864, « necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum.

c) Si communio omitti non potest sine periculo proximo gravis infamiae (n. 43).

591 *d*) « Infirmi, qui iam a mense decumbunt[3] sine certa spe ut cito convalescant, de prudenti confessarii consilio sanctissimam Eucharistiam sumere possunt semel aut bis in hebdomada, etsi aliquam medicinam aut aliquid per modum potus antea sumpserint » (can. 858, § 2). Non videtur requiri vera impossibilitas servandi ieiunii, sed certe serium quoddam inconveniens.

De cetero servandae sunt ad amussim condiciones, sub quibus haec concessio fit; opus nempe est: 1° Ut infirmus decumbat iam a mense moraliter sumpto; 2° Ut prudenter censeri debeat non fore ut convalescat cito, puta intra hebdomadam; 3° Ut communionem non ieiunus sumat ad summum bis in hebdomada[4]; hac tamen concessione uti potest, etiamsi

---

1 S. Alph. l. 1, n. 38. Hinc tamen non sequitur fas esse, si noctu evigiles, aliquid bibere, quin investigare cures, an media nox transierit, et deinde communicare praetextans ignorantiam aut dubium ieiunii laesi. Etenim libertas tunc solum possidet, quando dubio antecesserat bona fides, non vero quando quis voluntarie se coniicit in statum dubii, et proinde nulla praecessit bona fides, qua niti possit libertatis possessio. Cf. Lugonem d. 15, n. 41-44.

2 Cf. dicta in n. 578 582, et can. 858, § 1, et can. 864, § 3 ibidem.

3 Hoc verbum non est stricte sumendum. Nam, ut declaraverat *S.C.C.* 6 mart. 1907 (*A.S.S.* XL, p. 344), « comprehenduntur quoque infirmi qui, quamvis gravi morbo correpti et ex medici iudicio naturale ieiunium servare non valentes, nihilominus in lecto decumbere non possunt aut ab eo aliquibus horis diei surgere queunt ». Nec necesse est, ut in speciali gravi morbo versentur, sed sufficit, ut adeo prae senectute aut magna debilitate virium fracti sint eamque vitam agant, ut moraliter dici possint decumbentes; Verm.-Creus. n. 124. Id tamen dici nequit de senibus, qui mane surgere queunt ad communionem suscipiendam et indigent prius alimento; hi enim non possuunt censeri moraliter infirmi decumbentes. Blat, *Comment. text. iur.* l. 3, p. 190.

4 Nulla iam fit distinctio, quam fecit Pius X in prima concessione 7 dec. 1906 inter eos, qui oratorium domi habent, et alios, quibus communio ex ecclesia deferenda est.

ceteris diebus ieiunium cum suo incommodo servet et communicet; 4° Ut id, quod sumit, sit medicina aut aliquid per modum potus. Quare medicina poterit sumi, etiamsi non sit potus sed quid solidum, v. gr. pastillae. Illa autem verba « per modum potus » ita declaraverat *S. Off.* [1], ut liceat sumere caphaeum, iusculum, admixta etiam aliqua « semmola » vel pane raso, dummodo mixtio rationem cibi liquidi non amittat; nihil obstat quominus sumatur ovum dilutum [2]. Certe saccharum nequit sumi nisi dilutum, ut sic induat rationem potus.

Quaedam specialia de ieiunio servando a sacerdote celebraturo dedimus in n. 522.

3° *Si hostia nequeat deglutiri*, v. gr. ob siccitatem lin- **592**
guae aliave de causa, sumi potest aliquid aquae vel vini, quo os abluatur; idque non obstat ieiunio, quamvis ablutio defluat prius quam transglutiatur hostia, quia lex vetat ne cibus aut potus praecedat Eucharistiae sumptionem, hic autem ablutio non censetur moraliter communionem praecessisse, quia totum illud ex ablutione et hostia sumitur sumptione unica [3].

Ob eamdem rationem ait rubrica [4]: « Si sumendo Sanguinem particula remanserit in calice, digito ad labium calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum et sumat », etsi fieri non possit quin aliqua pars vini prius deglutiatur, additque *Lugo* posse iterum vinum infundi donec particula sumatur [5].

Certe nullus scrupulus est faciendus circa laesum ieiunium propter observantiam rubricarum, v. gr. si sal a catechumeno communicaturo degustatur iuxta praescriptum *Ritualis* (n. 493), vel si, qui binaturus est, sumat in prima Missa parvas res quasdam, quae cum fragmentis consecratis e corporali colliguntur atque immittuntur in calicem, vel simul cum SS. Sanguine guttas non consecratas intus calici adhaerentes [6], vel si cum speciebus hostiae consecratae parva aliqua palea admixta apparet [7], vel si quis feria VI in Parasceve vinum calicis sumpserit ante hostiam, quae calici inhaesit.

---

1 *S. Off.* 7 sept. 1897 (*A.S.S.* XXX, p. 629).

2 Sumi posse ovum in statu naturali seu non decoctum, concedunt VERM.-CREUS. n. 124 et CAPPELLO apud ipsum.

3 LUGO d. 15, n. 83.

4 *Rubr. Miss. de defect.* tit. 10, n. 8.

5 LUGO d. 15, n. 82-85, d. 4, n. 47; S. ALPH. 288; LACROIX n. 573; BALL.-P. n. 177.

6 VERM.-CREUS. n. 123 NB.

7 LUGO d. 4, n. 47. Nec apparet ratio sufficiens reiiciendi huiusmodi hostiam, etiamsi sacerdos ante Missam hanc particulam materiae extraneae in ea inclusam observaverit.

TRACTATUS V.

DE POENITENTIA

Caput 1. MATERIA ET FORMA SACRAMENTI POENITENTIAE

Art. 1. Materia poenitentiae.

Materia sacramenti poenitentiae alia est proxima, alia **593** remota.

Materia proxima sunt tres actus: contritio, confessio, satisfactio. Hos tamen schola Scotistarum non materiam intrinsece constitutivam sacramenti appellare vult, sicut theologi plerique appellant, sed dispositiones tantum, etsi ita necessarias, ut condiciones sint, sine quibus sacramentum esse non possit[1]. Quoad satisfactionem certum est eam non pertinere ad essentiam sacramenti, sed ad eius integritatem dumtaxat, id est, sine satisfactione sacramentum iam esse essentialiter, sed nondum integre constitutum.

Materia remota sunt omnia peccata post baptismum[2] commissa. Ex his mortalia nondum vi absolutionis directe remissa sunt materia *necessaria;* cetera autem, id est mortalia

---

1 Cf. Ball.-P. n. 1-15, 405 seqq.; Pesch, *Prael. dogm.* t. VII, n. 70 seqq. Scotistarum alii volunt manifestationem harum dispositionum esse necessariam, alii negant. Cf. Tanquerey n. 164. Contritionem autem satis manifestari per ipsam accusationem, dicemus postea.

2 Quoniam peccata ante baptismum commissa non sunt materia sacramenti poenitentiae, quaeri solet hoc loco, quid sentiendum de peccatis commissis post baptismum dubium et ante baptismum condicionatum; aliis verbis, quaeritur an teneatur sua peccata gravia confiteri adultus, qui sub condicione rebaptizandus est.

Quoad peccata in praecedentibus confessionibus *iam accusata* extra controversiam est ea iterum non esse accusanda; nam per sacramentum poenitentiae iam remissa fuerunt, si baptismus prior

vi absolutionis iam alias directe remissa et venialia sunt materia, non quidem necessaria, sed *libera* et *sufficiens* [1].

---

fuit validus, vel nunc per baptismum condicionatum remittenda sunt, si fuit invalidus.

Quoad peccata mortalia commissa *ab ultima confessione* distinguendum est, utrum nullitas prioris baptismi nitatur probabilitate solida an secus.

Si prior baptismus *non possit iudicari invalidus cum probabilitate solida*, homo non potest excusari a confessione gravium peccatorum, quae ab ultima confessione commisit; nam etsi dubium tenue, quod habetur, sufficiat ad iterandum baptismum (n. 472), non tamen sufficit ad excusandum a lege confessionis, quae posito facto prioris baptismi est in possessione (n. 21 *NB.* 1° et 3°). Huiusmodi est casus, qui fere semper occurrit in neo-conversis ad catholicismum, praesertim quia fere semper dubitationes de eorum baptismate nituntur rationibus plus minus generalibus (n. 489); raro nituntur in facto particulari baptismatis collati.

Si prior baptismus *iudicatur invalidus cum probabilitate solida*, theoretice loquendo confessio non est obligatoria; nam iudicatur probabiliter illa peccata non esse materiam confessionis, sed per baptismum suscipiendum fore delenda (quod si baptismus prior fuit revera validus, remitterentur indirecte simul cum aliis peccatis in proximiore confessione). Sed acriter disputatum est, an saltem detur sive de iure ecclesiastico, sive de divino ab Ecclesia declarato obligatio peragendae huiusmodi confessionis; multosque ad id affirmandum movit responsum Praefecti *S. Congr. de Prop. Fide* 12 iul. 1869 declarantis universale esse decretum 17 dec. 1868 (*A.S.S.* IV, p. 320) de neo-conversis in Anglia. Non desunt tamen (Gén.-S. n. 259; Bucceр. ap. Ferr. n. 527) qui adhuc post illud responsum putant non dari probabiliter obligationem confessionis. Controversiam vide, si lubet, ap. Gén.-S. n. 259 vel Lehmk. n. 424 vel Ferr. n. 527. Nihilominus non tantam controversiam forte res ista merebatur; nam decretum anni 1868 agit de neo-conversis, de quorum baptismo dubitatur ob rationes plus minus generales, immo de regione, in qua quotidie crescit « numerus eorum, de quorum baptismatis infantilis valore non liceat dubitare ». Plane ergo videtur esse casus alter, in quo, ut dicebamus, non adest probabilitas sufficiens ad eludendam legem certam, ideoque putamus sustineri bene posse, non adesse confessionis obligationem, si quando ob rationes ex particulari facto petitas liceret cum solida probabilitate censere priorem baptismum fuisse invalidum. De cetero patet, quantum conveniat huiusmodi confessio ad iudicandum de dispositionibus neo-conversi ad suscipiendum baptismum, an scilicet velit restitutere famam vel bona, occasionem proximam deserere etc.

Conc. Plen. Am. Lat. n. 559 tamquam normam tradit, ut confessionem peragant « acatholici, ad sinum Matris Ecclesiae venientes, qui dubie baptizati reperiantur ».

De neo-conversis in sinum Ecclesiae recipiendis, agemus in n. 717.

[1] « Peccata post baptismum commissa, sive mortalia directe potestate clavium iam remissa, sive venialia, sunt materia sufficiens, sed non necessaria, sacramenti poenitentiae » (can. 902).

Materia absolutionis non sunt *imperfectiones*, quae peccati rationem non habent, v. gr. neglectus inspirationum, omissio devotionum piarum etc. Lugo, *De Poenit.* d. 16, n. 102 103; Lehmk. n. 360; Gén.-S. n. 260.

Materia debet esse certa et determinata. 1° *Debet esse certa*, id est, debet dari aliquod saltem peccatum certum et de eo doleri certo [1], ne sacramentum periculo nullitatis exponatur, ideoque non sufficit accusare tantummodo peccatum dubie commissum.

Hinc si poenitens sola venialia dubia accusavit, vel si sola venialia cum dolore dubio, confessarius aliam materiam certam exquirat [2] vel, si agitur de dolore dubio, eum ad dolorem melius disponat et absolvat.

Si agitur de mortalibus dubiis et alia materia certa facili negotio [3] obtineri non potest, absolutio (condicionata) omittenda non erit ob periculum poenitentis.

2° *Debet esse determinata*, et quidem, si agitur de materia **594** necessaria seu de mortalibus nondum accusatis, debet esse determinata usque ad declarationem speciei infimae, ut dicemus inferius agentes de integritate confessionis.

Illud nunc tantum inquirendum venit, num materia sit absolutionis accusatio omnino generica, cuiusmodi habetur per formulam « accuso me de peccatis omnibus vitae meae », vel « peccavi ».

In casu necessitatis, v. gr. in articulo mortis, in naufragio etc., certum est huiusmodi accusationem, verbo vel signo manifestatam, sufficere ad valide et licite absolvendum, si magis determinata non potuit esse [4].

Extra casum necessitatis (et supposito, quod integritas maiorem determinationem non exigat), haberi qui-

---

1 Quaenam peccata necessario accusanda sint et ad quaenam peccata dolor necessario extendi debeat, fusius dicetur postea.

2 Quia absolutio regulariter danda est absolute, ut asserunt omnes (cf. Sporer in part. 3, c. 5, q. 2, n. 619; Lacroix l. 6, p. 2, n. 1869, alias 1769). Si confessarius nullum peccatum vitae praeteritae obtinere possit, interroget poenitentem an umquam fuerit inobediens parentibus, negligens in orando, in iracundiam incensus fuerit, proximum offenderit etc. Petere tantummodo, num mendacia protulerit, ut quidam faciunt, aliquo periculo non caret, nisi persona bene instructa sit; saepe enim homines mendacia putant quae huiusmodi non sunt (n. 340).

3 Si facili, inquam, negotio; quia quando aliunde ratio habetur ad absolutionem non omittendam, et dubium versatur tantum circa sufficientiam materiae, uti accidit in casu proposito, non est necesse ut confessarius multum adlaboret, ut eam dare possit absolute et vitet dare condicionate. Vide dicenda inferius de absolutione condicionata, in n. 598 nota 2.

4 Cf. Suárez, *De Poenit.* d. 23, s. 1; Lugonem, *De Poenit.* d. 17, s. 1. Absolutio tunc cadit directe in attributum genericum peccati, indirecte in cetera realiter connexa; id est, ratio, sub qua materia expresse proponitur absolutioni, est, quia est peccatum. Cf. Suárez d. 23, s. 1, n. 4 et 11; Lugonem d. 17, n. 13 seqq.; Lacroix l. 6, p. 2, n. 620.

dem solet illa accusatio tamquam materia *valida*, ob hanc nempe rationem, quia essentialia sacramenti eadem sunt pro omni casu sive necessitatis sive extra eam [1]. Sed communius habetur ut *illicita*, id est tamquam insufficiens ad absolutionem licite impertiendam, utpote quae non sit sufficiens ad ferendum prudenter iudicium; id enim, si prudens esse debet,

---

1 Putamus tamen non improbabile illiusmodi accusationem omnino genericam extra necessitatis casum esse invalidam, quin tamen ideo statuamus necessario materiam diversam pro casu necessitatis et non-necessitatis. Nam dici potest materiam huius sacramenti eam semper esse, quae ex se et attentis adiunctis sufficiat ad ferendum iudicium prudens, iudicium autem imprudenter ferri in rem prorsus genericam, quando aliquatenus saltem determinari posset; prudenter e contra, quando in casu necessitatis impossibile est maiorem determinationem obtinere quam genericam. Similiter accidit quoad confessionem materialiter integram; haec est materia necessaria, quando omnia peccata in memoria retinentur, secus vero si non omnium memoria post diligentem praemeditationem potest haberi; nec ideo statuitur diversa materia sacramenti pro diversis casibus, siquidem in omni casu materia est eadem, integra nempe confessio quatenus fieri possit. Sicut igitur stare potest valor sacramenti non explicatis omnibus peccatis, quando ob impotentiam non explicantur, sic potest stare valor in casu, de quo agimus, quando ob impotentiam non explicatur peccatum in particulari.

Nec obiicias prudentiam pertinere ad liceitatem iudicialis sententiae, non ad eius valorem, ideoque non posse dici materiam huius sacramenti essentialem consistere in ea praecise, quae sufficiat ad iudicium prudens. Nam etsi prudentia sit requisitum ex parte iudicis, ut ferat sententiam licite, non ex parte materiae; bene tamen requiri potest, ut materia vel absolute in se vel attentis saltem circumstantiis sit capax recipiendi sententiam prudentem. Aliis verbis, etsi prudentia non requiratur forte ad valorem legalem sententiae, sed tantum ut iudex peccatum vitet in conscientia, bene tamen potest esse nullum atque inane etiam legaliter iudicium, in quo tam generica atque indeterminata materia proponatur, circa quam sententia prudens nec cadat nec ullo modo cadere possit.

Nec instes dicens quod, si huiusmodi iudicium est nullum atque inane, erit tale essentialiter ideoque pro omni casu. Nam etsi id verum esse possit in iudiciis forensibus, in quibus sententia circa accusationem valde vagam numquam evadere potest prudens ob necessitatem, sed si materia vaga est, a sententia ferenda est abstinendum; bene tamen potest id accidere in iudicio sacramentali, quando salutis proximi periculum omnino vetat abstinere et urgenter exigit sententiam aliquam ferri, prout possit.

Nec instes iterum quod, si ita est, materia dicitur capax vel incapax iudicii prudentis ex circumstantiis mere extrinsecis praesentis vel absentis necessitatis, ideoque inferas, quod « ex se » eamdem habet aptitudinem vel ineptitudinem ad iudicium prudens in utroque casu, ideoque in utroque dici debere validam vel invalidam. Nam haec instantia retorqueri potest quoad confessionem materialiter integram, quae etiam est vel non est necessaria ex circumstantiis confessioni mere extrinsecis, quia memoria nimirum firma sit vel labilis.

exigit cognitionem causae seu alicuius rei particularis [1]; praeterea alienum plane est a fidelium praxi, quod quis tantum dicat « accuso me de omnibus in vita commissis » et absolvatur [2]. Nihilominus quidam illiusmodi accusationem genericam

---

1 Hanc rationem insinuat Lacroix l. 6, p. 2, n. 622; Lehmk. n. 359 et Gén.-S. n. 262, eamdemque implicite approbat Suárez, cum in d. 23, s. 1, n. 11 tantum dicit hanc rationem non valere pro casu necessitatis. De cetero Suárez illicitudinem illius materiae extra necessitatis casum omnino tenet ibid. n. 10.

2 Utramque hanc rationem infirmare conatur Gén.-S. n. 262, aiens contra primam quod, qui se in genere tantum de peccatis suae vitae accusat, ea affert, quae sunt certo materia accusationis, explicare autem eorum naturam non probatur necessarium in materia libera. Sed primae affirmationi respondemus, quod qui ita generice se accusat, determinat quidem aliquam materiam absolutionis, siquidem petit absolvi a peccatis, non a solvendis debitis, non ab aliqua poena aut alio quovis onere, eamque affert sufficientem quidem in casu necessitatis; sed insufficientem extra hunc casum, ut probant rationes supra allatae, quae suum valorem servant, donec aliter solvantur quam per meram assertionem contrariam. Alteri vero affirmationi respondemus, quod explicare peccati naturam sufficienter saltem ad iudicium prudens probatur necessarium in materia etiam libera propter rationes supra allatas.

Contra rationem alteram opponit praedictus auctor, quod illa praxis pertinet ad fideles ex devotione confitentes, e qua non liquet utrum id fiat ex obligatione, an tantum quia melius sit; addit quod, fatente Suárez, qui confitetur verba otiosa, dat materiam sufficientem et tamen non plus declarat conscientiam suam quam qui dicit tantum se peccasse venialiter, nec magis variat iudicium confessarii. Sed primae affirmationi respondemus imprimis, quod non facile explicari potest illa praxis piorum fidelium, nisi fiat ex obligatione; nam cum plerique virtutum solidarum exercitium non admodum sectentur, mirum est quod tam commoda formula nolint uti, si liceret, et e contra eligant, quod semper valde molestum est, cuiusmodi est aliquod peccatum, etsi veniale, declarare in particulari. Deinde si praescindendo a facto praxeos res considerétur in se ipsa, cuinam non videatur mira esse petitio, si quis dicat: « materiam necessariam non habeo, absolve me ab omnibus, quae commisi »? Quae admiratio inde absque dubio provenit quod videatur peti absolutio imprudens. Alteri vero affirmationi respondemus, quod qui declarat verba otiosa, plus certe determinat quam qui mere dicit se peccasse venialiter; excludit enim omnia alia venialia ab otiositate verborum distincta, quae sunt innumera. Sed cum in verbis otiosis tam facile et passim homo labi possit, cumque tam facile sit, ut decipiatur putans otiosum esse quod non est, atque ob falsum conceptum de viclentia sibi inferenda ad vitandam in verbis otiositatem (n. 13, 3°), putet se venialiter peccasse cum non peccaverit, cum denique bene fieri possit, ut homo illud accuset ob mere generalem praesumptionem, quod omnes homines in hoc labuntur saepe: hinc qui illud dicit, tam parum dicit aut tam incertam materiam praebet, ut vix censeatur declarare aliquatenus conscientiam suam, et propterea moraliter non magis variat iudicium confessarii. Sed si de aliquo vere constaret, quod conscientiam habet de certis quibusdam verbis otiosis nec in iudicio de eorum peccato decipitur et rite dolet, nullum dubium, quin absolvi posset.

dicunt materiam esse non tantum validam, sed etiam licitam[1]; sed eorum sententia[2] valde attenuatur in ordine ad praxim, etiam ab ipsis qui speculative eam tenent[3]; hortantur enim confessarium, ne tam generica formula contentus sit, tum quia poenitentes saepissime putant peccata fuisse, quae talia non fuerunt, tum ne iidem perfunctorie et negligenter confiteri assuefiant.

An sufficiat dicere tantum «accuso me de mortalibus commissis», *Lehmk.*[4] subdubitat, nisi quaedam necessitas urgeat. Profecto dubitamus an sufficiat ad prudenter absolvendum tam vaga formula, ubi aliquanto magis determinari possit et necessitas non urgeat.

Sufficit iuxta omnes declarare in materia libera virtutem laesam vel praeceptum laesum, v. gr. «peccavi contra caritatem, castitatem, praeceptum colendi dies festos etc.», quin

---

1 Unicam rationem dant (Bucceroni, *Theol. mor.* n. 673; Gén.-S. n. 262; Ferr. n. 529), quod illiceitas non possit exoriri nisi ex praecepto, praeceptum autem nullum deduci ex *Conc. Trid.* sess. 14, c. 15. Ad id facile respondetur. Imprimis falsum est illiceitatem non posse exoriri nisi ex praecepto; exoriri enim potest et exoritur ex ipsa natura rei, seu ex condicionibus ex natura ipsa iudicii necessariis, ut istud possit esse prudens. Praeterea etsi exoriretur ex praecepto, non necessario debuit hoc praeceptum nobis innotescere per *Tridentinum;* potuit enim nobis manifestari in hoc puncto sicut in aliis per praxim fidelium. Denique nihil circa id deducitur ex *Conc. Trid.*, quia in loc. cit. exponit confessionem materiae necessariae. Et quamvis indirecte quaedam ex eo deduci possent pro confessione materiae liberae, v. gr. non esse necessariam declarationem speciei infimae et circumstantiarum, nihil tamen deduci potest circa declarationem minimam, quae in hoc casu sufficiat, quia nulla mentio, ne implicite quidem aut remote de hoc fit.

D'Annibale III n. 302 ratiocinatur ita: illa accusatio generica est vera accusatio, quod negari non potest, ergo salva est forma iudicii. Non negamus quidem aliquam esse accusationem, sed negamus esse sufficientem. Negamus etiam consequentiam; non enim accusatio quaelibet salvat formam iudicii, ut patet in forensibus, si quis Petrum sisteret coram iudice aiens solummodo: «accuso hunc de infractione legum.» Fatemur tamen aliquod esse discrimen cum iudicio forensi; in hoc enim non potest iudex solvere ipsum reatum infractionum contractum in conscientia, ab hoc autem solvere potest confessarius, et iste saltem reatus reapse declaratur in accusatione generica. Videtur tamen id non sufficere ad liceitatem, quando aliqua materiae determinatio praeberi potest, propter imprudentem et arbitrarium usum collatae potestatis.

2 Eorum sententiam non posse admitti variis aptisque argumentis ostendit Noldin III, n. 231 (ed. 1921).

3 Vide v. gr. Gén.-S. n. 262; Ferr. n. 529 nota.

4 Lehmk. n. 361.

opus sit descendere ulterius ad rationem scandali, odii, detractionis vel alius iniustitiae, luxuriae perfectae vel imperfectae, Sacri omissi vel laboris suscepti [1].

Hinc: 595

1° Si quis tantum recordaretur se ab ultima confessione commisisse aliquod peccatum grave, addat aliam culpam, saltem declarando virtutem laesam vel praeceptum laesum. Quodsi id difficulter obtineri possit, poenitens, quoniam ex una parte non est relinquendus in mortali et ex altera nonnullam determinationem iudicio sacramentali iam praebuit, absolvi debet, et, ut videtur, etiam absolute.

2° Si poenitens adeo rudis est, ut ab eo nullum peccatum in particulari extorqueri possit, petatur saltem accusatio in genere de omnibus vitae peccatis, maxime de iis, quae Deum magis offenderint, et, si a tempore satis diuturno absolutus non est, absolvatur condicionate [2] (n. 598, 5°).

3° Si confessarius iam aliunde novit peccata poenitentis, v. gr. ex alia recenti confessione, sufficit ut is dicat «accuso me de meis peccatis iam tibi notis», quae quidem verba virtualiter determinant omnino materiam.

4° Quando ad cautelam seu pro secura determinatione additur alia materia, de hac dolor haberi debet (n. 603), secus cautela frustranea esset.

5° Quoad devotulas aliosve, qui nonnisi confuse et valde levia confitentur, curandum ne id ex consuetudine agant; addant potius aliquam culpam vitae praeteritae, de qua ad dolorem facilius sese excitent.

Art. 2. Forma poenitentiae.

Forma est haec: «Misereatur tui etc. Indulgentiam etc. 596
Dominus noster Iesus Christus te absolvat et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, (suspensionis) et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde:

---

1 In accusatione, quae sic fiat de venialibus non determinando eorum numerum, remittuntur ex illa multitudine vel omnia vel aliqua, plura vel pauciora, secundum numerum, qui ex adiunctis poenitentis vel ex illo modo confitendi potest a confessario confuse intelligi. Cf. Lugonem d. 14, n. 142; Lacroix n. 620. Si ageretur de mortalibus nondum remissis, certe remitterentur omnia, siquidem gratia sanctificans, quae infunditur, nequit cum ullo mortali in anima consistere.

2 Condicionate, propter dubium aliquod de validitate huiusmodi accusationis (n. 594); nam quoad liceitatem nullum est dubium, cum urgeat quaedam necessitas, uti dicetur alibi (n. 598).

Ego *te absolvo a peccatis tuis* in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Iesu Christi, merita Beatae Mariae Virginis et omnium Sanctorum, et quidquid boni feceris et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae et praemium vitae aeternae. Amen.» — Vox «suspensionis» dicitur pro clericis, omittitur pro laicis.

Verba essentialia sunt «absolvo te a peccatis tuis»[1].

«Etsi preces ab Ecclesia formulae absolutoriae adiunctae ad ipsam absolutionem obtinendam non sint necessariae, nihilominus, nisi iusta de causa, ne omittantur» (can. 885). Iusta causa datur sane in frequentioribus confessionibus; quare incipi tunc poterit a verbis «Dominus noster». Elevatio manus ad «Indulgentiam» usque ad prolationem formae essentialis et formatio signi crucis, dum forma essentialis pronuntiatur, probabiliter est libera[2] certumque est illas ad validitatem non requiri.

Verba «Dominus noster... et tu indiges» continent absolutionem a censuris, quae absolutioni peccatorum praemittitur, saltem ad cautelam, ne qua censura l i c i t a e absolutionis sacramentalis susceptioni obstet. In casu necessitatis usurpari posset ex *Rit. Rom.* formula brevior «Ego te absolvo ab omnibus censuris et peccatis etc.»[3].

In casu necessitatis, v. gr. in naufragio, ante proelium etc. valide et licite usurpari potest erga multos forma pluralis «Ego vos absolvo etc.».

597 *Absolutio dari debet praesenti*, secus non determinatur sensus verborum formae. Ea autem praesentia requiritur, qua verba censeantur dirigi ad poenitentem, sicut fit etiam in iudicio forensi; sufficit igitur ea distantia, qua homines communi voce, quamvis altiore[4], loqui solent[5], nec requiritur ut poenitens aliquo sensu percipiatur, dummodo praesens esse

---

1 Controvertitur an valeret forma his tantum vocibus: «absolvo te» vel «absolvo a peccatis tuis».

2 Bus. ap. S. Alph. n. 245; Ferr. n. 535.

3 Si poenitens censura ligatus fuerit, mortale esset absolvere prius a peccatis quam a censura (v. gr. dicendo «a peccatis et censuris tuis»), quoniam absolutio a peccatis daretur (valide tamen, nisi obstaret mala fides poenitentis) censura nondum sublata.

4 Prudentia postulat ut confessarius, quando coram aliis adstantibus confessiones excipit, formam demissa voce proferre assuescat, ne adstantes advertant, quis absolutus, quis inabsolutus dimittatur; si quis absque absolutione dimittitur, ad maiorem dissimulationem recitari poterit demisse mera benedictio.

5 Valet igitur certo absolutio impertita in infirmum e ianua cubiculi, sed dubia esset, si daretur homini exsistenti in contiguo cubiculo, cum quo n u l l a sit communicatio.

sciatur[1]. Multi ap. *S. Alph.* distantiam extendunt ad 20 passus, praesertim ubi poenitens nondum est regressus ab aspectu confessarii.

Non potest certo invalida dici absolutio, si poenitens in maiori distantia sensu aliquo percipi possit, ideoque in casu necessitatis tentanda erit absolutio sub condicione, v. gr. si quem vides ruentem e tecto, in flumen etc.

Absolutio per telephonium multo probabilius videtur invalida, certe (nisi in extrema necessitate) graviter illicita.

Absolutio danda est sub condicione, quoties absolute prolata exponeret sacramentum periculo nullitatis et aliunde iusta ratio suadet ne omittatur. Tunc absolutio danda est *sub condicione*, quia, etsi semper aliquo modo subintelligatur dari sub hac condicione, quod exsistant eae circumstantiae (veracitas poenitentis, verus dolor etc.), quae ad validitatem requiruntur et certo cognosci non possunt; tamen quando occurrit specialis ratio dubitandi, reverentia sacramenti postulat, ut condicio apponatur explicite (sufficit eam mente concipere). Praeterea quamvis certum sit, quod absolutio propter appositam condicionem non frustrabitur, tamen ad eam in his adiunctis impertiendam, adesse debet iusta ratio; quia non est temere attentanda nomine Christi actio, quae timetur supervacanea. Cf. dicta n. 468.

Igitur *occurrente dubio absolutio condicionata dari potest* **598** *aut etiam debet*:

1° In periculo mortis, v. gr. si agitur de moribundo, vel si poenitens gravem operationem chirurgicam subiturus est, vel si proelium ingressurus, et aliunde sacerdos dubitat de validitate sacramenti.

2° In periculo ne profanetur aliud sacramentum, v. gr. si poenitens est dubie dispositus et est contracturus matrimonium, vel non potest sine infamiae periculo a communione abstinere.

3° Quando poenitens absque sua culpa relinqueretur in notabili periculo spirituali. Tunc non solum caritas, sed etiam *ius*, quod ex confessione acquisivit poenitens[2], obligat absolutionem non

---

1 Si poenitens se absolutum putans abiit, absolvatur si parum distans aspicitur vel intra paucos passus esse iudicatur, revocetur tamen, si commode fieri potest.

2 Quando hic loquimur de iure ex confessione acquisito, nomine confessionis non significamus totum id, quod ex parte poenitentis ponendum est, accusationem nempe et dolorem cum proposito, quibus certo et rite positis nullum dubium est, quin poenitens

omittere. Huiusmodi casus evenit *a*) quando poenitens accusavit aliquod mortale, certum vel dubium, et confessarius dubitat

---

ius strictum et plenum acquisierit ad absolutionem (cf. can. 866); sed accusationem peccatorum significamus, qua sola posita, nisi poenitens cetera nolit ponere, ius inchoate iam acquisivit ad absolutionem. Suárez d. 32, s. 3, n. 4; Sporer in part. 3, c. 5, q. 2, n. 619; Lacroix l. 6, p. 2, n. 1769 alias 1869; Castropalao, *De Sacram. Poenit.* tr. 23 punct. 18, § II, n. 12.

Hac occasione iuvat hoc punctum aliquatenus exponere.

Ius ad absolutionem, quod ex sola accusatione oritur, vocatur inchoatum. Ratio, cur exoriatur inde tale ius et cur dicatur inchoatum, est quia facta accusatione poenitens iam posuit unum ex elementis, quibus fundandum erit ius ad absolutionem, et quoniam illud non posuit nisi sub tacito contractu procurandae absolutionis (nonnisi enim sub hac tacita condicione gravissimum onus subiit declarandi sua peccata), ius iam habet ne respuatur a confessario et a ceteris requisitis procurandis impediatur, immo ut a confessario moraliter iuvetur, si ob incapacitatem naturalem, ignorantiam aliamve causam inculpabilem ea non ponat. Quamvis igitur ius nondum habeat ad absolutionem, habet tamen ius ad acquirendum istud ius; est ergo ius inchoatum in ordine ad absolutionem, sed in se est verum ius. Immo hoc ius iam enascitur ex accusatione tantum coepta, ut patet; revera enim valde onerosum esset poenitenti, ut ait Suárez loc. cit., si coepta confessione respueretur.

Haec quidem supponere videntur poenitentem afferentem materiam certam et cetera requisita certa; ius enim, obiiciet forte quis, sive inchoatum ad absolutionem sive plenum nequit acquiri nisi ex facto certo. Nihilominus valent quoque pro casu materiae incertae et dispositionis dubiae, si ex una parte incertitudo et dubietas est inculpabilis poenitenti et ex altera periculum iste subiturus est ex omissa absolutione. Etenim poenitens ex una parte absolutionem quaerit ut remedium sibi, ideoque contractum tacite init, ut confessarius eam sibi donet, quantum possibile sit eam sibi donari, ne maneat in periculo, atque ut ad id moraliter ab eodem iuvetur. Ex altera vero ad id acquisivit ius certum, posuit enim factum certum suae accusationis; neque enim istud ius fundatur in eo, quod peccatum accusatum sit certum, sed in eo quod peccatum, etsi dubium, certo accusatum sit; iam enim tunc poenitens certo subiit molestissimum onus declarandae suae conscientiae, quod exigebat quasi-contractus.

Ex praedictis sequentia inferri possunt:

1° Ius non habet ad absolutionem, qui *culpabiliter* non afferat dispositiones indubias aut renuat rationabiles confessarii instructiones, quibus ad eas procurandas iuvetur, v. gr. non vult ponere ullam attentionem ad verba confessarii vel semper relabitur in eadem peccata, etsi venialia, et non vult ostendere maiorem diligentiam ad comparandum dolorem.

Item qui cum mortale non habeat certum aut saltem dubium et proinde non versetur in periculo, nolit subministrare nisi materiam incerto sufficientem; regulariter enim confessarius absolvere debet absolute; aut si nolit dare nisi tam levem, de qua, attenta ipsius condicione, merito timeri possit ne dolorem non concipiat.

2° Posito facto accusationis praesumendum est ius illud inchoatum iam acquisitum esse poenitenti, ideoque iam deinceps dubia resolvi poterunt in favorem huius iuris. Si igitur poenitens

de eius usu rationis vel de morali praesentia vel de absolutione rite impertita; *b*) quando poenitens est dubie dispositus, sed

---

ceteras dispositiones affert *inculpabiliter* dubias, quae morali adhibita diligentia nequeunt reddi indubiae (v. gr. dubium suboritur de amentia, vel tam rudis ille est, ut in irritum videantur abire conatus confessarii), vel si materiam dat tantum dubiam nec potest aliam certam dare (v. gr. ob poenitentis ruditatem confessarius frustra conatur aliquid amplius extorquere), huiusmodi dubia in favorem illius iuris resolvenda erunt, ideoque etsi venialia tantum accusata sint et poenitens in periculo non versetur, absolutio sub condicione deneganda non erit; satis enim causae est obligatio satisfaciendi iuri, quod exortum fuisse praesumi debet. Nec obstat, quod illud nondum fuerit ius ad absolutionem, sed inchoatum ad istud acquirendum; nam posito facto principali seu confessione circumstantiae ceterae, si facta exploratione comperiri non possunt, in favorabilibus praesumuntur, iuxta regulam fori externi, quae valet etiam pro interno (n. 24, 3° et n. 25 quaer. 1), ideoque praesumitur ius completum. Neque ex hoc sequitur absolvi posse absolute, quia etsi consequentia forte teneret pro foro externo, non tamen pro interno, cum confessarius conscius sit contra dictam praesumptionem stare dubium non spernendum.

Excipe, si tam levia accusavit poenitens, ut attenta eius condicione non valde onerosa videatur huiusmodi accusatio; v. gr. puer accusat tantum iurgia et mendacia, herus impatientias cum famulis, persona pia negligentias in orando. Tunc si facile confessarius non possit certior fieri de necessario dolore, absolutio omittitur, quia nec poenitens reapse posuit factum accusationis onerosae, unde exsurgeret illud ius (certissime tamen exsurgit obligatio sigilli, si forte non ex iure aliquo poenitentis, ex iure saltem sacramenti; id enim iam fuerat inchoatum, et certissime ab eo retraherentur homines, si haec, etsi levissima, in confessione audita revelari possent), nec circumstantiae doloris et propositi tunc possunt praesumi, sed potius positive probandae sunt, cum in contrarium detur suspicio valde vehemens, quia facile homo, si non sit valde instructus, ista levia quotidiana perfunctorie aut quasi ex consuetudine accusat. Si tamen poenitens melius non potuit disponi et aliunde datur causa ad absolvendum, absolutio sub condicione dari potest, v. gr. si a diuturno tempore non est absolutus, vel dari debet, v. gr. si periculosam operationem subiturus est.

3° Posita confessione, si confessarius non possit sibi satisfacere circa dispositiones poenitentis dubitans an eas habeat, et nesciat utrum *culpabiliter* vel *inculpabiliter* (sunt enim quidam homines frigidi, e quibus vix verbum extorques, quin scias, quia ignoti sunt, an id naturali indoli vel defectui instructionis religiosae vel incuriae in rebus conscientiae vertendum sit), dubium solvat in favorem iuris ex confessione acquisiti et absolvat condicionate, multo magis si aliquod mortale certum vel dubium accusatum est.

4° Poenitenti, qui iam confessus est et signa doloris praebet, absolutio denegari non potest, habet enim plenum ius ad absolutionem. Ut denegaretur, opus essent positivae rationes, quae saltem cum certitudine morali lata probarent illa doloris signa esse falsa seu dolorem non adesse; praesumi enim debent esse vera, et donec contrarium constet, standum semper est pro eo, pro quo stat praesumptio (n. 24, 2°).

ob suam ruditatem melioris dispositionis videtur incapax; *c*) quando poenitens est dubie dispositus, sed certiorem dispositionem censet confessarius non esse postulandam; v. gr. confessarius dubitat de bona fide poenitentis circa aliquam obligationem, censet tamen monitionem esse omittendam.

4° Quando poenitens est dubie dispositus et eius quidem culpa esset, si in periculo relinqueretur, valde tamen timetur, ne melioris dispositionis exigentia notabiliter sit obfutura, v. gr. si post debitas diligentias ad melius disponendum poenitentem, qui ex naturali sua indole impatientes aures praebet confessario, is prudenter timet ne, si amplius insistat, confessio fiat odiosa vel ne, si absolutio differatur, poenitens ad sacrum tribunal, sicut multi, non redeat et diu in mortali perseveret.

5° Ob notabile bonum spirituale poenitentis. Propterea semifatuis, pueris etc., a quibus nulla confessio nisi omnino generica de omnibus vitae peccatis, certo vel dubie, verbo vel signis, extorqueri potuit, itemque poenitentibus piis, de quibus dubitatur an materiam sufficientem dederint aut circa leviora peccata iustum dolorem habeant et difficulter alia materia aut melior dispositio obtineri potest, iis omnibus absolutio sub condicione dari potest, quando a diuturno tempore (v. gr. a mense) absoluti non sunt[1], ne magno scilicet beneficio gratiae sacramentalis tamdiu careant et forte maneant in mortali, cuius nunc non recordantur[2].

599 *NB.* — 1° Quamvis grave peccatum non effugeret confessarius, qui statueret quoslibet poenitentes dubie dispositos, nihil circa id sollicitus, absolvere sub condicione (si enim tam facile absolutionem sub condicione dare liceret, parum cura-

[1] Accidit saepe, ut veniat ad confessarium ignotus poenitens obtusae mentis, pius tamen, qui materiam non praebet certo sufficientem, quin quidquam prosint conatus confessarii ad rem melius disponendam. Et cum dicat se solere singulis aut alternis hebdomadis confiteri, exoritur dubium: an a mense vel amplius non fuerit absolutus; nam si eum inabsolutum dimittat, idem forte fecerant alii confessarii, et sic potest homo per annum et per annos cum suo periculo absolutione carere. Interrogetur itaque, num soleat apud eumdem sacerdotem confiteri, et a quo tempore ad eum non accesserit. Si ad eumdem solet accedere et minus quam a mense apud eum confessus est, iudicari debet absolutus; hanc enim curam sine dubio gessit suus confessarius; si vero ad diversos solet pergere, aut si a mense ad suum confessarium non accessit, poterit hac vice condicionate abolvi, sed suadeatur omnino ei, ut stabilem aliquem confessarium eligat.

[2] Cf. de hac materia S. Alph. n. 432 et *Hom. apost.* tr. 16, n. 6; Lugo d. 17, n. 22; Lacroix l. 6, p. 2, n. 1868-1871 (alias 1768 ad 1771); Ball.-P. n. 26-28; Lehmk. n. 370 371 556; Ferr. 538-540; Gén.-S. n. 266 IV.

rent sive fideles sive confessarii de necessariis dispositionibus procurandis), tamen ex quadam irreflexione nimis propere absolvere sub condicione saepe veniale non excedet[1].

2° Si confessarius anceps haeret, num causa sufficiens adsit ad absolvendum condicionate an absolutio neganda sit, num absolvere debeat condicionate an absolute etc., vel si circa haec turbetur nesciatque quid facere debeat, sub condicione absolvat. Ratio, quia ex una parte non expedit in huiusmodi haesitationibus immorari, quae sacramenti dignitatem dedecent et facile illud redderent poenitentibus valde molestum, confessariis odiosissimum, ex altera tutius est resolvere dubium in favorem poenitentis; aliunde tunc reverentiae sacramenti per condicionem satis consulitur[2].

---

[1] Hic iterum venit in mentem illud de iusta ratione requisita ad absolvendum condicionate, quod paulo superius memoravimus. Quaeri nempe posset in dubio de validitate, quantum urgeat obligatio vitandi absolutionem condicionatam. Sic putamus respondendum:

Si non datur causa rationabilis absolvendi, absolutio omnis omittenda est; nam neque dari potest absolute, quia exponeretur nullitati, nec condicionate, quia non debet irrationabiliter poni actio sacramentalis, quando gratis exponeretur inutilitati, ut dicebamus supra in n. 597 sub finem.

Si datur causa rationabilis absolvendi (ea autem potest esse, ne poenitens per mensem careat receptione gratiae huius sacramenti; vel ius ab eo acquisitum ex confessione; multo magis periculum manendi in mortali dubio etc.), tunc dubium de validitate absolutionis vel provenit ex incertitudine de sufficientia materiae vel ex incertitudine doloris et propositi.

Si 1um, non adeo adlaborare debet confessarius, ut materiam certam extorqueat, sed post morales quasdam diligentias acquiescere potest et absolvere condicionate. Ratio est, quia tunc tantummodo agitur de vitanda condicione in absolutione, quam aliunde constat impertiri posse. Atqui non multum causae requiritur ad ponendam condicionem in absolutione, ut patet in neo-converso, de cuius baptismate habetur dubium ad solidam probabilitatem non pertingens et qui ante novum baptismum absolvitur condicionate; et vicissim non multum causae requiritur ad tollendam condicionem, nam cum de dispositione poenitentis habetur solida probabilitas, etsi certitudinem non attingens, is absolvitur absolute (cf. Sporer in part. 3, c. 5, q. 2, n. 619; Lacroix l. 6, p. 2, n. 1769, alias 1869).

Si 2um, accuratior diligentia requiritur (moralis tamen) ad tollendum dubium et meliores condiciones exigendas; etenim tunc non de tollenda aut ponenda condicione absolutionis dandae mere agitur, sed de ipsa absolutione danda vel neganda. Etenim si tunc absolutionem, quamvis sub condicione, dare liceret, omissis debitis diligentiis socordia foveretur et fidelium et confessariorum, qui de necessariis dispositionibus procurandis parum essent solliciti, cum magna sacramenti iniuria et sacrilegiorum multiplicatione.

[2] Sufficit condicionem in mente habere, nec nimis angi debet confessarius, ut eam expresse concipiat, nam quodammodo iam semper subintelligitur (n. 468) et ex ipsa sua haesitatione et anxietate satis ostendit se nolle actionem sacramentalem frustraneam attentare.

3° Poenitens sub condicione absolutus regulariter a communione abstinere debet, cum secus periculo materialis saltem sacrilegii se exponat. Hinc confessarius non potest positive tali poenitenti dicere, ut sacram communionem recipiat. Si vero a poenitente interrogetur, prudenter respondeat secundum circumstantias; v. gr. dicat: « tuae conscientiae dictamen sequere » [1].

4° Generatim non datur obligatio accusandi iterum peccata condicionate absoluta. Nam ex una parte confessarius plerumque rationem sufficientem habebit opinandi probabiliter ea fuisse remissa, vel saltem causam habebit relinquendi poenitentem in ignorantia absolutionis condicionate datae; ex altera poenitens, cum actum posuerit in bona fide, ut supponitur, eum validum iudicare semper poterit (n. 24 30), si quando in cognitionem absolutionis condicionatae venerit; quod si reapse actus validus non fuisset, peccata in sequenti confessione, perseverante bona fide, indirecte remitterentur [2].

Caput 2. CONTRITIO

Art. 1. Contritionis dotes.

600 **Contritio** quam necessaria sit ad iustificationem obtinendam, exponitur in tractatibus Theologiae dogmaticae. Hic tantum eas contritionis dotes recensebimus, quas haec habere debet ad sacramenti poenitentiae susceptionem. Nempe contritio debet esse:

1. SUPERNATURALIS, id est elicita per auxilium supernaturale et ex motivo, quod ad Deum referatur [3] et per fidem apprehendatur. Auxilium supernaturale dabit Deus, si debitam contritionem vere satagat habere homo, quoniam facienti, quod est in se, non denegat suam gratiam.

Porro apta motiva contritionis eliciendae ad tres classes reduci possunt, ad caritatem perfectam, turpitudinem peccati, poenas promeritas. Ex eorum primo si oriatur contritio, dici-

---

1 TANQUEREY n. 184.

2 Si quando tamen poenitens, v. gr. in necessitate positus communicandi, absolutionem cum conscientia eius dubii valoris accipit, sed non sacrilege, et in favorem validitatis solidam probabilitatem non habet, confessionem iterare debebit; non enim niti poterit in actu bona fide posito, siquidem illum non posuerat cum bona fide circa ipsius validitatem.

3 Nam dolor ex motivo mere humano seu temporali conceptus, v. gr. propter infamiam, nihil conferre potest ad iustificationem.

tur perfecta iustificatque ante sacramenti susceptionem, non tamen sine huius voto, quod in illa includitur; si ex duobus ultimis, dicitur imperfecta seu attritio, quae etsi per se solam non iustificet, ad iustificationem tamen vi sacramenti obtinendam disponit. Igitur:

a) **Contritio perfecta** ea est, quae oritur ex motivis caritatis perfectae.

Porro actus caritatis perfectae quinam dici debeat, explicatum habes in n. 83; explicationem ibi recole. Inde colliges contritionem, ut perfecta sit seu ex motivo orta caritatis perfectae, detestari debere peccatum super *omnia* mala, *quia* « opponitur bono *Dei*, *summi boni*, atque *amicitiam* cum eo, *summe dilecto*, dissolvit ». — Recte opinatur *Lehmk.*[1] amorem Christi crucifixi facillime esse amorem caritatis, et dolere de peccatis *eo quod* tantos cruciatus mortemque Salvatori intulerint[2] atque adeo tantum malum Dei incarnati sint, ad contritionem perfectam pertinere.

Motivum caritatis perfectae dolorem non solum de mortalibus, sed etiam de venialibus, si debite applicetur, excitabit.

b) **Contritio imperfecta** ea est, quae oritur vel « ex *turpitudinis peccati* consideratione vel ex *gehennae et poenarum metu* » (*Trid.* sess. 14, c. 4). 601

Turpitudo peccati intelligitur moralis foeditas, quam habet peccatum ob suam oppositionem ad rectitudinis ordinem. Haec tamen turpitudo debet apprehendi ex fide; si enim solo apprehenderetur rationis lumine, nec posset inde oriri conversio hominis ad Deum nec dolor esset actus supernaturalis.

Quare dolor apte elici poterit ob quodlibet ex sequentibus motivis, quae omnia e fide cognoscimus, et quorum quatuor priora turpitudinem cuiuslibet peccati desumunt ex parte Dei, quintum ex parte animae (non omnia tamen peccato veniali conveniunt, vel saltem eadem proportione ac mortali)[3]. Nam peccatum est: 1° *Rebellio* contra Deum, Creatorem ideoque supremum Dominum supremaque pollentem iurisdictione, ut fides docet. Hinc Deus ap. *Ierem.* II, 20 conqueritur: «... confregisti iugum meum (i. e. mandata mea), rupisti vincula mea et dixisti: Non serviam ». Et Apostolus in ep. ad *Rom.* IX, 20 ait: «O homo, tu quis es qui respondeas Deo?» — 2° *Irreligio*, quoniam dehonorat Deum, cui propter summam suam excel-

---

1 LEHMK. I, n. 446.

2 Ingens hoc peccati malum exprimit Apostolus ad HEBR. VI, 6: « ...rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei ». Similiter 1 PETR. II, 24: « ...peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum ».

3 Cf. etiam LEHMK. I, n. 323-333.

lentiam et maiestatem debetur omnis honor et gloria: «... per praevaricationem legis Deum inhonoras» (*Rom.* II, 23); immo ei omnipraesenti contumeliam infert: «Tibi soli peccavi et malum coram te feci» (*Ps.* 50, 6); — 3° *Ingratitudo* erga Deum, qui tot beneficiis, quae e fide novimus, nos cumulavit et cumulare vult (creatione, conservatione, providentia, redemptione, misericordia, sacramentorum gratiis, iustificatione, post mortem glorificatione). «Haeccine reddis Domino?» (*Deut.* XXXII, 6) «Ego plantavi te vineam electam; quomodo ergo conversa es mihi in pravum?» (*Ierem.* II, 21) — 4° *Contemptus Dei*, quoniam eum rei creatae, vilissimae atque infinities viliori, postponit. «Me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas, quae continere non valent aquas» (*Ierem.* II, 13). «Cui assimilastis me et comparastis me?» (*Is.* XLVI, 5) — 5° *Animae exspoliatio* miserrima, quia eam exspoliat omni supernaturali thesauro et pulchritudine, gratia nempe sanctificante ceterisque supernaturalibus donis manent tamen plerumque fides et spes); et cum in his supernaturalis vita animae consistat, ei mortem infert traditque diabolo in servitutem: «Qui faciunt pcecatum, hostes sunt animae suae» (*Tob.* XII, 10). «Qui facit peccatum, ex diabolo est» (I *Ioann.* III, 8). — 6° Potest etiam concipi dolor de quolibet peccato propter suam specialem foeditatem (cognitam per fidem); sed dolor ex hoc motivo, nisi quis pari modo circa cetera peccata procedat, vel nisi aliud motivum adiiciat, quod ad omnia extendatur, non erit universalis.

Metus poenarum dolorem de peccatis causat, quatenus ad effugiendas gehennae (vel purgatorii) poenas homo peccatum mortale (vel veniale) supra omnia mala detestatur[1] et firmiter dispositus est in nullo casu peccare, ut sic peccatum fugiendo vitet et gehennam[2] (vel poenas purgatorii). Idem dic de dolore concepto ob amissionem aeternae beatudinis.

---

1 Nec difficultatem facessit, quod forte poena purgatorii minima seu respondens peccato veniali minimo non exaequet maximam poenam huius vitae. Praeter enim quam, quod id forte verum esse posset de poena minima sensus, verum sane non est, si attendatur simul poena damni, si tamen comparatio locum tenere possit inter res prorsus dissimiles. De quo cf. Suárez, *De Poenit.* d. 46, s. 3, n. 1-7; Pesch, *Prael. dogm.* IX, n. 604.

De peccato veniali adibis perutiliter S. Thom. 1, 2, q. 88-89; Suárez tom. 4, tract. 5 *de vitiis et pecc.* disp. 1 et 2, tom. 2 *De Poenit.* disp. 11 et 12; Wirceb. tom. 7 *De Peccatis* disp. 2; Pesch. op. cit. IX, n. 516 seqq.

2 Iuvabit in mentem peccatoris revocare idonea Sacrae Scripturae loca: «Tunc dicet his, qui a sinistris erunt: Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum» (Matth. XXV, 41). «Bonum est.... quam mitti in gehennam ignis inexstinguibilis, ubi vermis eorum non moritur et ignis non exstinguitur» (Marc. IX, 45).

2. APPRETIATIVE SUMMA, id est, ut homo peccata **602**
prae omnibus malis detestetur atque paratus sit omnia potius mala perpeti quam peccatum patrare. Non tamen requiritur comparatio explicita cum aliis malis, sicut nec ad Deum super omnia bona diligendum requiritur comparatio explicita cum aliis bonis; immo, si talis comparatio menti occurrat, avertenda est, cogitando se paratum esse absolute (id est, non sub ulla condicione) peccatum vitare, sin autem aliquando malum aliquod ad peccatum vitandum perpetiendum fuerit, Deum gratiam tunc daturum [1].

Neque necesse est (immo haec imprudens cogitatio esset abigenda), ut homo *explicite* dicat se paratum ad ipsas gehennae poenas subeundas, *si* opus fuerit ad vitandum peccatum; tum quia qui *omnino* vult gehennam vitare, hunc animum *implicite* iam habet, quia hunc animum aliquo modo habere necessarium est ad gehennam vitandam, tum quia sufficit paratum esse ad subeundum *quodcumque* malum *de facto* possibile; de facto autem iuxta leges actualis providentiae non debent ad vitandum peccatum gehennae poenae subiri [2].

Non necesse est, ut dolor certum quemdam intensitatis seu vehementiae gradum habeat, dummodo appretiative summus sit.

3. UNIVERSALIS, id est concipiendus est dolor de omni- **603**
bus mortalibus commissis. Id autem iam accidit, si concipitur ex motivo universali seu ad omnia mortalia se extendente; non

---

[1] Cf. LUGONEM, *De Poenit.* d. 5, s. 3, d. 5, s. 9, n. 138, d. 14, s. 5 et *Resp. mor.* l. 1 dub. 29. Imprudens admodum esset confessarius, qui apud fragilem poenitentem sic insisteret: Esne revera paratus ad abstinendum ab his omnibus et singulis, et quidem non per aliquot dies, sed per totam vitam? Si talis vel talis tentatio occurrat, quid facies? Considera quantam violentiam tibi inferre debeas etc. Haec non ad excitandam, sed ad destruendam vel impediendam contritionem idonea sunt.

Idem habes apud LUGONEM, qui in d. 7, n. 238 monet generatim non debere proponi poenitenti distincte tentationes et pericula, quae illi possunt occurrere, quia prudenter timendum est, quod neque in confuso debitam dispositionem concipiat. Et SUÁREZ d. 32, s. 2: « Satis est, ut proposita in genere foeditate peccandi, Dei bonitate et periculo damnationis etc. poenitens concipiat generale propositum nunquam iterum peccandi mortaliter. »

[2] Cf. LUGONEM d. 14, s. 5. Similiter motivum poenarum, quibus Deus venialia punit in purgatorio, certe potest conducere ad debitam de iisdem contritionem et propositum, quin necesse sit *explicite* dicere se paratum ad subeundas potius ipsas purgatorii poenas quam illa committere; tum quia sufficit, prouti diximus, *implicite* esse paratum ad eas subendas, *si* opus fuerit, tum quia sufficit esse paratum ad omnes casus, qui de facto occurrere possunt, inter quos non recensetur necessitas illas subeundi ad vitandum peccatum.

enim necesse est de singulis seorsim dolere, ac proinde, si quis dolore universali sic elicito postea alicuius adhuc peccati recordatur, non opus est ut dolorem iterum excitet, quoniam dolor hoc etiam peccatum comprehendebat. Universalitas deest in dolore, quando is concipitur ob motivum particulare alicuius peccati; tunc vel pari modo de ceteris singulis mortalibus ob sua particularia motiva dolendum erit, vel, quod omnino suadendum est, ob motivum aliquod universale praeterea doleatur.

Si in confessione accusantur *venialia* tantum, sub gravi requiritur dolor de aliquo eorum, quae accusantur, ut sacramento scilicet detur materia sufficiens cum vero dolore. Non tamen requiritur, ut dolor de venialibus sit universalis (quamquam ceteras doloris dotes habere debet), quoniam unum veniale sine altero remitti potest, quod in mortalibus non accidit. Quare, in confessione venialium potest concipi dolor ob motivum particulare vel etiam concipi potest ob motivum quidem universale, v. gr. quod sit offensa Dei, vel mortem et dolores Christo causaverit, sed id restringendo ad venialia graviora, v. gr. quia in tali gradu Deum offendant vel mortem et dolores Christo causaverint, quo in casu dolor ad venialia inferioris gravitatis non extenditur[1].

Putant aliqui sub levi requiri dolorem de omnibus venialibus, quae accusantur, id est, esse leviter illicitum accusare scienter aliquod veniale sine dolore; probabiliter tamen iuxta alios nullatenus peccat saltem qui illud sic accusat ad maiorem humilitatem, aut intendens aliam spiritualem utilitatem, vel quia de dolore quorumdam leviorum dubitat et sperat sufficientem dolorem se habiturum, dummodo, ut diximus, aliunde dolor cum materia sufficienti non desit.

604 4. CUM SACRAMENTO MORALITER UNITA. Ad id autem duo requiruntur, saltem ne sacramentum evadat dubium, nempe, ut dolor *relationem habuerit ad sacramentum*, et ut *nimia distantia non intercedat* inter utrumque.

Dupliciter autem dolor habere potuit *relationem ad sacramentum;* si poenitens nimirum eum elicuit ex praevia intentione suscipiendi sacramentum (et hic casus frequentius occurrit; idem puta, si poenitens post accusationem ad dolorem excitatur v. gr. a confessario, dolorem enim elicit, *ut* absolutionem accipiat), vel si *ex* dolore concepto ad intentionem suscipiendi sacramentum permotus fuit (v. gr. si quis,

---

[1] Cf. LUGONEM, *Resp. mor.* l. 1, dub. 29.

dum contionem audit, dolorem concipit et postea ex desiderio veniae confiteri intendit) [1].

Quoad *temporis intervallum*, dicit *S. Alph.* [2] dolorem, si ex desiderio reconciliationis cum Deo ortus sit aut hominem interea ad fugiendas peccati occasiones etc. induxerit, perseverare posse saltem per unum aut alterum diem, quia confessio fit vi illius doloris; secus vero, si confessio fiat ex mera devotione, ad implendum votum etc.; non tamen tunc videtur esse necessitas illum renovandi, etiam post aliquot horas, dummodo non fuerit per novum peccatum retractatus.

Certe non sunt inquietandi, addit *Gén.S.* [3] qui cum pridie se ad confessionem praeparaverint, sequenti die confitentur nullo renovato doloris actu.

Quando poenitens statim aut paulo post absolutionem peccatum oblitum confitetur, non est necesse ut doloris renovatio petatur, sed absolutio iterum concedi potest [4].

Art. 2. Propositum.

Propositum praeter dolorem requiritur, et quidem de- **605**
bet esse:

1. UNIVERSALE, ita ut homo paratus sit non modo ea mortalia, quae accusavit, non committere, sed prorsus nullum mortale; secus enim ad Deum non convertitur.

---

1 Putamus et alium tertium modum relationis sufficere, si quis dolorem scilicet elicit absque ulla intentione confitendi, et paulo post in mentem veniat confiteri, idque velit facere sine renovatione doloris, eo quod se dolorem iam elicuisse recordatur; cum enim propter hanc causam nolit renovare dolorem, eo ipso hunc dolorem paulo antea elicitum et moraliter perseverantem iam refert ad sacramentum, ut sit eius pars. Satis aperte favere videtur Lugo d. 14, n. 39: obstat tamen aliorum doctrina.

Obstat enim acerrime Lacroix l. 6, p. 2, n. 687-701, et forte Suárez d. 20, s. 4, n. 28 et Lehmk. n. 379, quia modi huius non meminerunt, cum in loc. cit. modos referendi dolorem ad sacramentum recensuerunt. De hac re vide Lugonem d. 14, s. 4, d. 17, n. 27 seqq.; Lacroix loc. cit.; S. Alph. n. 447; Ball.-P. n. 120-123; Lehmk. n. 379; Gén.-S. n. 278; Tanquerey n. 225-227.

Attamen quoniam dolor, praedicto modo elicitus sine ulla confessionis intentione, parum videtur perseverare, si quis ad alia negotia se convertit, ideo practice parum temporis intercedere debuit, et consequenter facile intentio confitendi orta fuit *ex* dolore perseverante, ideoque practice hic casus facile recidit in supra recensitos.

Haec tamen dicta sunto, ut non cogatur iterare confessionem, qui ita egerit bona fide, potius quam ut haec agendi ratio in praxim deducatur.

2 S. Alph. n. 446 et *Hom. ap.* tr. 16, n. 20.

3 Gén.-S. n. 279.

4 Cf. Ball.-P. n. 130; Gén.-S. n. 279; Lehmk. 382.

Circa venialia haec universalitas, sicut de dolore diximus, non requiritur, sed sufficit ut homo paratus sit ad non committenda ea, ad quae motivum doloris sese extendit. Quare si dolor elicitus est de quodam veniali, sufficit proponere idem veniale non committere (dummodo non habeatur propositum committendi aliud, ad quod motivum doloris extendebatur; id enim, ut patet, esset contradictorium). Pariter si motiva doloris respiciebant tantum venialia graviora aut plene deliberata, propositum etiam ad ea restrictum esse potest, nec necesse est, ut ad minus levia aut ad semideliberata extendatur. Immo sufficit dolere de negligentia in vitanda multitudine et frequentia venialium et proponere emendationem huius negligentiae [1]; haec autem negligentia constituet materiam confessionis.

2. FIRMUM, id est, sicut homo de peccatis appretiative super omnia dolet, sic etiam omnino paratus esse debet peccata, nullius mali timore aut nullius boni cupidine, in posterum committere (seclusis comparationibus; sufficit enim ut poenitens in confuso firmam voluntatem concipiat nullatenus amplius peccandi [2]). Si quis igitur reapse hanc absolutam voluntatem habet, sine dubio animum quoque habet adhibendi media ad non peccandum necessaria, ideoque propositum habet, ut alii aiunt, *efficax*.

606 Si poenitens credit se certo relapsurum, non ideo statim firmo proposito carere et absolutioni indispositus dicendus est. Si enim saepe eius absolutionem censetur non impedire futurus relapsus, quem moraliter certo praevidet confessarius, cur statim censebitur impedire, si eumdem praevidet poenitens? Videndum est ergo fundamentum, in quo praevisio ista nitatur. Si enim relapsum poenitens futurum credit ideo tantum, quia praeterita experientia suae fragilitatis et inconstantiae praesumptionem generat de futura mala voluntate, id quidem praesenti voluntati contrariae non opponitur. Si vero ideo, quia desperat de sua emendatione, tunc neque praesentem voluntatem se emendandi habet, immo peccat contra virtutem spei; in hoc casu eius animus erigendus est, ut credat cum auxilio gratiae emendationem non esse impossibilem et auxilium ipsi non defuturum, ideoque in Dei gratia confidat. Si igitur dicit se vere dolere et in Dei auxilio confidere et firmiter nolle peccare, quantumvis adiiciat scire se relapsurum, absolvi potest.

---

1 Quia, ut ait S. Thom. p. 3, q. 87 a. 1 sufficit habere « propositum se praeparandi ad peccata venialia minuenda ».

2 Poenitenti non esse proponendas distincte tentationes et pericula, quae illi possunt occurrere, monuimus nuper. Cf. dicta in n. 602 nota 1.

Quandoque dicit poenitens se non habere firmum propositum, quia putat opus esse, ut praevideat quod revera relapsurus non sit, vel quia agitur de peccatis, v. gr. blasphemiis, in quae saepe e consuetudine indeliberate incidit. Tunc docendus est non agi nunc de eo, quod eveniet, sed de actuali seria voluntate, peccata autem, quae non plene advertenter committuntur, ad culpam saltem gravem non imputari.

Poenitens certe, qui statim post confessionem sine ulla fere resistentia relabitur, suspicionem contra suum propositum facile praebere potest.

NB. — Sufficere proposit*um virtuale*, quod in dolore in- **607**
cluditur, saltem si homo de vita in futurum instituenda non cogitat, moraliter certa sententia dici potest[1]; si vero de hoc cogitat, sunt qui propositum *formale* seu expressum requirant. Ceterum fere impossibile est ut, si homo de peccatis vere dolet et cogitatio subit de futuro, sponte propositum *formale* emendationis non eliciat (et elicit sine dubio, quamvis id non faciat reflexe); sed si tunc huiusmodi actum reprimeret, facile ideo esset quia non vere dolet.

Optime tamen aget confessarius propositum expressum excitando in poenitente, qui in eadem peccata iterato relabitur, ut voluntas emendationis magis obfirmetur.

Si dolor de peccatis mortalibus non fuit elicitus ex motivo aliquo universali, sed particulari, tunc propositum *formale* universale excitandum est; quod enim in dolore continebatur, non erat universale.

Caput 3. CONFESSIO

Ex necessitate sacramenti requiritur, ut confessio seu **608**
declaratio peccatorum fiat in p r a e s e n t i a confessarii, sive fiat voce sive litteris sive aliis signis. At iuxta communem morem, quem doctores dicunt graviter obligantem, requiritur ut fiat v o c e excepto casu, in quo obstet iusta causa, v. gr. si quis magna verecundia afficiatur. Ceterum, bene ait *Lugo*[2], haec exceptio evadit inutilis, eo quod tunc sufficeret dare confessario scripturam et, p o s t q u a m is eam legerit, addere tantum voce: «accuso me de his quae legisti»; ita enim tota

---

1 De his Ball.-P. n. 143-145; Gén.-S. n. 280.

2 Lugo d. 15, n. 77 seqq.

accusatio esset vocalis et fieret in praesentia, sicut quando confessarius peccata poenitentis iam noverat extra confessionem [1].

« Qui aliter confiteri non possunt, non prohibentur, si velint *per interpretem* confiteri [2], praecavendo abusus et scandala » (can. 903). Interpres ad sigillum sacramentale tenetur (can. 889).

Art. 1. Integritas confessionis.

609 Iure divino necessarium est confiteri omnia et singula peccata mortalia, etiam occulta, post baptismum commissa, nondum accusata in aliqua confessione valida et quorum accusatio moraliter est possibilis [3]. Atque per haec postrema verba distinguitur integritas formalis a materiali. Etenim saepe aut propter oblivionem aut propter aliam e causis inferius recensendis alicuius peccati declaratio moraliter non est possibilis, tuncque nequit confessio esse materialiter integra. Integritas igitur ex necessitate sacramenti requisita est integritas *formalis*, materialis vero necessaria est dumtaxat necessitate praecepti, cuius obligatio ex gravi causa (n. 43) suspendi potest.

Quando confessio est tantum formaliter integra, absolutio remittit *directe* peccata, quae accusantur. Cetera vero mortalia, quae animam gravant, *indirecte* etiam remittuntur, quoniam gratia sanctificans a sacramento infusa non potest cum ullo mortali consistere; haec tamen, ut satisfiat praecepto integritatis materialis, accusanda erunt in prima confessione, quae instituatur postquam disparuerit causa, quae ab iis declarandis excusavit.

610 1. EXTENSIO INTEGRITATIS. Ad integritatem materialem requiritur et sufficit accusatio peccatorum mortalium quoad suum numerum et speciem infimam.

---

1 Nihil igitur obstaret, quod scriptura legeretur in absentia, dummodo illa accusatio oralis fiat, quando scriptura iam lecta fuerit; non autem fiat accusatio ante quam scriptura lecta sit; secus enim accusatio non contineret declarationem sufficientem peccati, quoniam notitia adhuc complenda esset per lectionem. Cf. Lugo d. 15, n. 80-85.

2 Interpres commode vitari potest, si confessarius utatur libello optime concinnato a P. D'Herbigny, cuius titulus *Sexdecim linguarum confessarius* (edidit Beauchesne, Paris), qui maximae erit utilitatis in magnis praesertim urbibus, in quas hodie exteri tam multi confluunt.

3 « Qui post baptismum mortalia perpetravit, quae nondum per claves Ecclesiae directe remissa sunt, debet omnia quorum post diligentem sui discussionem conscientiam habeat, confiteri et circumstantias in confessione explicare, quae speciem peccati mutent » (can. 901).

a) **Quoad numerum**[1]. Qui de numero certo non recordatur, accusare debet probabiliorem addita particula « circiter »; quod si nec numerum verisimiliorem praebere possit, dicat num frequenter an raro peccaverit, quoties nimirum circiter in die, hebdomada aut mense et per quantum temporis haec consuetudo duraverit.

Communiter dicunt Theologi sub expressione « circiter 5 » intelligi excessus vel defectus unius; sub « circiter 10 » duorum; sub 20 trium vel quatuor; sub 40 quinque[2]. Proinde qui nesciens certo numerum dixit « circiter 10 », non tenetur accusare excessum, si dein deprehendat fuisse 12, ille enim excessus iam in accusatione continebatur. A fortiori nihil accusare tenebitur, si deprehendat solum fuisse 4, nam numerus maior minorem comprenhendit.

b) **Quoad speciem.** Qui non recordatur speciei infimae **611**
(v. gr. sacrilegii localis, fornicationis etc.) accusare debet speciem magis proximam (v. gr. sacrilegium, peccatum contra religionem, contra castitatem consummatum etc.), ita ut, si quis nihil recordetur nisi se peccasse graviter, id ita confiteri teneatur. Sequentia speciatim adnotare iuvabit[3]:

Poenitens tenetur accusare: 1° eas circumstantias (v. gr. conscientiam erroneam), quae peccatum de se veniale efficiunt mortale; eas quoque (v. gr. inadvertentiam), quae peccatum de se mortale efficiunt veniale vel nullum.

2° circumstantias, quae speciem peccato addunt graviter malam. Quomodo species distinguantur, habes in n. 58 59.

3° circumstantiam actus externi, ideoque non sufficit pravam peccandi voluntatem declarare, si peccatum reapse patratum fuit.

4° circumstantiam voti vel coniugii in peccatis contra castitatem, sitam tum in poenitente tum in complice (n. 65 126 203). Status religiosus vel sacerdotii probabiliter non est necessario declarandus, dummodo declaretur votum.

5° circumstantiam cognationis in peccatis contra castitatem; an autem exprimendus sit g r a d u s consanguinitatis vel affinitatis, cf. n. 204.

6° circumstantiam cognationis in peccatis odii; probabilius tamen haec circumstantia tunc solum est gravis, ideoque tunc tantum necessario manifestari debet, quando odium fertur in consanguineos in linea recta, sive ascendentes sive descendentes, vel in fratres vel in coniugem.

---

1 Cf. Suárez d. 22, s. 5; Lugonem d. 16, s. 14; Lacroix n. 921 ad 940; S. Alph. n. 466; Ball.-P. n. 351-353.

2 Lugo d. 16, n. 94-97; S. Alph. n. 466.

3 Cf. Suárez d. 22, s. 2-4; Lugonem d. 16, s. 3-12; Lacroix n. 941-1236; S. Alph. n. 467-470; Ball.-P. n. 354-364.

612 *Poenitens non tenetur accusare*: 1° circumstantias intra eamdem peccati speciem etsi notabiliter aggravantes vel minuentes; ita ex doctrina probabili plurimorum. Confessarius tamen ius habet de iis interrogandi, quando expedire iudicaverit, v. gr. ut aptiorem medicinam subministret vel magis proportionatam poenitentiam imponat, et tunc poenitens non potest eas negare[1].

2° circumstantiam dignitatis personae, v. gr. heri, magistratus etc., per se enim non est nisi circumstantia forte aggravans; mutat tamen speciem, quando secum fert laesionem pietatis, v. gr. in parentibus, aut officii, v. gr. in parocho, et tunc declarari debet. Circumstantia autem peccati commissi cum confessario, dummodo nullam relationem habeat cum ipsa confessione (n. 128), non mutat speciem.

3° circumstantiam temporis sacri, v. gr. quod quis contra castitatem peccaverit die dominica. Excipe, si quis comoedias aut ludos publicos exhiberet die Parasceves, id enim sacram diem profanare iure censeretur[2]; excipe quoque peccatum graviter indecens commissum paulo post sumptam sacram communionem, dum species sacrae nondum corruptae sunt (n. 128 585 nota sub finem).

4° circumstantiam loci, nisi inde sacrilegium sequatur (n. 127).

5° peccati effectum, qui subsecutus est, quando impediri iam non potest, v. gr. mors secuta post porrectum venenum, pollutio secuta in sommo ob cogitationes in vigilia habitas; reatus enim tunc contrahitur, cum ponitur causa cum praevisione effectus secuturi (n. 7). Sufficiet declarare v. gr. propinationem veneni, vel cogitationes fovisse cum praevisione pollutionis, nisi effectus secutus declarari debeat ob reservationem, censuram aut restitutionis obligationem.

6° consuetudinem peccati, occasionem proximam etc., nisi a confessario interrogetur; quodsi interrogetur, sincere declarari debet; confessarius enim i u s habet interrogandi, quae necessaria esse ducit ad rectius iudicandum de dispositione et obligationibus poenitentis[3].

7° denique integritas non exigit, ut declaretur utrum tres fornicationes cum eadem persona an cum tribus diversis patratae sint[4], nisi confessarius interroget ad detegendam occasionem proximam.

---

1 Lugo d. 16, n. 120-123, d. 14, n. 174; Gén.-S. n. 286 V.

2 Lugo d. 16, n. 524; S. Alph. n. 273.

3 Cf. Lugonem d. 14, n. 172 200-212, cf. etiam prop. 58 damn. ab Innoc. XI.

4 Lacroix n. 1040; Ferr. 592.

2. PECCATA DUBIA [1]. Duae hypotheses distinguendae sunt. 613

a) **Si dubium est an commissum fuerit peccatum grave** (sive dubitetur an peccatum reapse commissum fuerit, sive tantum dubitetur an obiective fuerit grave), obligatio illud confitendi est practice nulla, ob doctrinam de probabilismo alibi traditam (n. 19 20); iam tamen ibi (n. 21, *NB.* 4°) adnotavimus obligationem confessionis urgere, quando contra poenitentem exstat quaedam maior probabilitas, cui nulla ratio solida opponitur in contrarium.

Regula praecedens derivatur ex doctrina de probabilismo, ac proinde, *quando dubitatur an peccatum fuerit obiective grave*, praemittenda est (nisi quis malit peccatum confiteri) debita inquisitio veritatis (n. 19); propterea rudes peccatum, cuius materia sitne gravis an levis nesciunt, accusare debent.

Quando autem dubitatur an peccatum fuerit subiective grave (ob defectum advertentiae etc.), generatim dubium resolvi poterit praesumptione, quam fundat agendi ratio habitualis. Nam qui laxae est conscientiae seu peccatis consuevit consensum dare, in dubio praesumere debebit consensum; qui vero timoratae est conscientiae, praesumere poterit defuisse consensum saltem plenum [2]; qui conscientiam denique mediam tenet inter laxam et timoratam, in rigore iuxta dicta de probabilismo non obligatur.

b) **Si constat commissum fuisse peccatum grave, sed dubium est an fuerit accusatum,** obligatio illud confitendi subsistit iuxta dicta de probabilismo (n. 21, *NB.* 3° et n. 26), donec cum ratione saltem solide probabili iudicari possit illud iam esse accusatum. 614

NB. — 1° Ob paritatem cum peccato dubie accusato sub particula « circiter » (n. 610) recte concludunt quamplurimi [3] non esse obligationem denuo accusandi peccatum, quod bona fide accusatum fuerat ut dubium et nunc deprehenditur certum.

2° Quomodo se gerere debeat ante communionem, qui dubitat de statu gratiae, diximus n. 586.

3. PECCATA OBLITA [4]. Qui peccati gravis in confessione inculpabiliter obliviscitur, tenetur illud accusare in prima confessione, quam peccati memor instituat, omnis enim confessio debet esse formaliter integra (n. 609); non tamen obligatur accedere ad confessionem quamprimum (nisi ob aliam

---

1 Cf. Suárez d. 22, s. 9; Lugonem d. 16, s. 2; S. Alph. n. 472-478.

2 Lacroix l. 5, n. 226; S. Alph. n. 476; Lehmk. I, n. 136, 1°, n. 345, II, n. 421; Reuter, *Neo-confessarius* n. 265.

3 Cf. Ball.-P. n. 380-387.

4 Lehmk. n. 427-430; Ferr. n. 595-598.

causam obligatio urgeat), potestque interim communicare (n. 587), est enim in statu gratiae, quoniam peccatum fuit indirecte remissum (n. 609).

615 4. MENDACIUM IN CONFESSIONE. *Regula generalis. Mendacium in confessione tunc est grave sacrilegium*[1], quando versatur circa materiam necessariam, quando scilicet poenitens accusat peccatum grave, quod non commisit, aut negat vel tacet, quod commisit et accusare debebat, aut denique negat consuetudinem aliudve, de quo respondere tenebatur. Negare vero aliquod veniale vel peccata iam alias confessa vel mentiri circa res ad confessionem non pertinentes non est per se grave.

De mendacio circa tempus peccati. Sitne peccatum recens aut antiquum, certe dici debet, quando opus est ad declarandam speciem peccati (v. gr. si secus intelligeretur peccatum fuisse commissum ante votum recens emissum) vel ad reservationem, vel si a confessario interrogetur.

Extra hos casus licebit reticere tempus (v. gr. si dicas te confessionem generalem instituere velle et recentia cum antiquis permisceas), etsi confessarius forte peccatum recens existimet antiquum; nam cum antiquum esse non dicas, illud ipsum peccatum, quod recens commissum est, accusas.

Immo positive mentiri circa tempus validitati confessionis non obstare putant recentiores, quorum sententia speculative quidem est probabilis, si nullus scilicet inde effectus aliis poenitentis obligationibus oppositus sequeretur, sed putamus eam vix esse practicam, quia raro videtur fieri posse, quin per hoc medium impediatur iniuste confessarius ab interrogandis aliis circumstantiis (consuetudinis, occasionis proximae, vel ad taxandam poenitentiam pro peccato nondum remisso), de quibus ius habet interrogandi[2].

De mendacio circa alias circumstantias accidentales. Si huiusmodi circumstantiae sunt extrinsecae actui, v. gr. quod odium habueris in agro vel in lecto, quod occideris carmelitam vel capuccinum, idem dicendum est ac de circum-

---

1 S. Alph. n. 496, et *Hom. ap.* tr. 16, n. 28; Lacroix n. 1276 ad 1287 alias 1176-1187; Lehmk. n. 417; Noldin III, n. 269.

2 Quare non potest poenitens ad celandum tempus peccati hac industria uti, ut post dicta alia peccata addat: « Accuso me de peccatis vitae praeteritae, praesertim de tali peccato »; nam haec formula ex usu significat peccata iam alias declarata (Lehmk. n. 418); ac proinde, qui sic confiteretur peccatum recens, falso diceret iam fuisse remissum; id autem invalidaret confessionem, quia etsi circumstantia haec per se reticeri possit, sacrilegum tamen est mendacium, per quod obtruditur confessario falsa notitia de conscientiae statu, circa quem ius habebat interrogandi. Cf. etiam Tamburini, *De methodo confess.* l. 2, c. 1, n. 6.

stantia temporis; licet nempe huiusmodi circumstantias reticere (si specialis ratio eas declarare non cogit), mentiri autem circa easdem non invalidat confessionem.

Si vero sunt intrinsecae ipsi actioni peccati, v. gr. fornicari cum Caia vel cum Petra, occidere Sergium vel Paulum, possunt etiam reticeri (nisi aliunde sit necessaria declaratio), sed mentiri circa eas esset sacrilegum et confessionem invalidaret; sic enim non accusaretur peccatum, quod fuit commissum, sed aliud non commissum [1].

---

[1] Liceat hic paulo fusius tractare quaestionem de mendacio quoad circumstantias accidentales peccati; quam videntur non parum obtenebrasse recentiores, nimis forte confisi Ballerinio, ut dicemus.

Atque imprimis certum est quod *reticeri non possunt*, si a confessario interrogantur; nam quaedam earum sunt, quales sunt circumstantiae notabiliter aggravantes, sed praesertim circumstantia temporis recentis vel antiqui, quae plurimum confessarii interesse possunt ad emendationem poenitenti melius procurandam vel ad poenitentiam taxandam, saepe etiam ut detegatur reservatio vel censura, aut forte ne celetur smul circumstantia alia necessario declaranda, v. gr. si coniugatus, ab anno non confessus, accusaret peccatum et reticeret illud esse recens, forte non intelligeretur adulterium, si adeo recenter esset coniugatus.

Sed manifestum est etiam, quod nulla datur obligatio eas declarandi, ideoque quod celari seu *reticeri possunt*, si non interrogentur a confessario, tum quia peccatum idem est substantialiter cum vel sine illis, tum quia sine iisdem iam peccatum declaratur secundum numerum et species, tum quia, etsi taceantur, adhuc dicitur id, quod verum est, et significatur ipsum peccatum, quod commissum est, non aliud diversum, quod commissum non est. Lugo d. 16, n. 46-55. Nec refert, quod interrogatus poenitens id celare non posset, non enim tenetur omnia sponte dicere, quae dicere teneretur interrogatus a iudice; nam quamvis Suárez d. 22, s. 3, n. 10 contrariam assertionem per transennam protulerit, certum tamen est quod non tenetur sponte dicere omnia, quae interrogatus, uti habes ap. Lugonem d. 14, n. 171-173, d. 16, n. 47 50 120 121 123; Lehmk. n. 416 417; Gén.-S. n. 286, V.

Sed veniendum nunc ad quaestionem de *mendacio*.

Hanc, innuebamus nuper, non parum offuscarunt recentiores, qui circumstantiam temporis cum aliis commiscuerunt, et Ballerinio forte nimis confisi, qui se nimis propere protexit auctoritate Lugonis d. 16, n. 53, hunc eumdem citarunt Lugonis locum, quasi ibi praeclarus theologus de qualibet circumstantia fuerit locutus, quod non est verum.

Etenim Lugo de sola circumstantia temporis loquitur in d. 16, sect. 2, § 1 « Dubium incidens », ibique hanc quaestionem versat, an liceat illam reticere, non autem, an liceat circa eam positive mentiri. Cum vero in n. 52 difficultatem quamdam sibi proposuisset, in eius responsione attingit obiter mendacium circa eamdem, et an sufficienter declaretur tunc peccatum, non decernit, sed (in n. 52 53) dubitanter loquitur, quia non videt clare quod tempus sit circumstantia peccato extrinseca; nam ceteroquin mendacium circa circumstantias « omnino extrinsecas », v. gr. si quis odium habuerit vestitus vel in lecto, significat ibidem (n. 52) nihil referre ad confessionem. E contra vero omnino tenet ipse, quod non suffi-

Accusare venialia confessario ordinario, gravia alteri mendacium nullum est nec est prohibitum, dummodo confessio gravium praecedat confessioni venialium.

---

cienter confitetur qui dicat se occidisse Ioannem, cum occiderit Petrum, aut se furatum esse decem, cum furatus sit viginti, ut patet ex n. 53 et adhuc magis expresse ex n. 100 656 657.

Erravit ergo prorsus Ballerini, dum in t. 5, n. 21, 2° dixit Lugonem circumstantiam falsam temporis pro eodem habuisse ac circumstantiam personae in homicidio, et citavit locum d. 16, n. 53. Omnino quoque erravit, dum in nota ad Gury II, n. 488, scripsit (fere ad verbum) « animadvertisse Tamburinium, *De meth. confess.* l. 2, c. 1, n. 6, quod illa inordinatio accusandi peccatum numquam commissum et tacendi commissum, aeque contingit, fatentibus etiam adversariis, ex aliis quoque circumstantiis, quae falso addantur, v. gr. occidere hunc vel illum, furari ab hoc vel ab illo, detrahere domi vel alibi, legere librum huius vel illius haeresiarchae, occidere capuccinum vel carmelitam ». Nam imprimis haec circumstantiarum tam diversarum confusio et exemplorum permixtio debetur tota Ballerinio; nam, si unum excipias Arriaga (qui certe adversarius Ballerinii non est), nullam huiusmodi commixtionem reperies apud Tamburini aut alios veteres. Deinde Tamburini (qui Ballerinio non favet, ut ex huius dictis quis colligeret, sed omnino adversatur) non dixit, quod illa ratio aeque contingat pro circumstantia temporis ac pro aliis, sed tantum dixit, quod si illa ratio, prout vult Arriaga, non valeret pro circumstantia hominis occisi, tunc neque valeret pro circumstantia temporis, id autem verissimum est. Praeterea cum Ballerinius loquitur hic de adversariis, sine dubio alludit ad Lugonem, ut apparet ex ipsius citationibus, prorsus autem falsum est Lugonem fassum esse, quod is Ballerinio visus fuit fateri. Denique erravit quoque, quando aliquo modo significavit Lugonem illud argumentum « de peccato, quod fecisti et de alio peccato, quod non fecisti » in loc. cit. n. 53 censuisse mere probabile, cum Lugo ibidem tantum dixerit probabile, illud applicari posse ad circumstantiam temporis, dubitabat enim an tempus determinet individuationem actus. Haec explicari tantum possunt ex praepropera lectione auctorum.

Post Ballerini falsus est D' Annibale III, n. 309 nota 60, qui circumstantiam temporis cum circumstantia personae in homicidio indifferenter commiscuit, et allegavit illius notam ad Gury II, n. 488. Eamdem circumstantiarum commixtionem fecit Gén.-S. n. 288 citans erronee Lugonem quasi indistincte de iisdem omnibus dubitantem, atque allegans fallacem notam Ballerini ad Gury. Similem perturbationem reperies in aliis.

Age vero, ut iam huiusmodi recentiorum lapsum relinquamus, et directe quaestionem de mendacio circumstantiarum accidentalium perpendamus, facienda omnino est earum distinctio, quam insinuavit Lugo d. 16, n. 52, in extrinsecas et intrinsecas peccato.

Extrinsecae nihil referunt ad declarationem peccati, etsi circa illa poenitens mentiatur dicatque se detraxisse in agro, cum detraxerit in via, vel odium habuisse vestitum, cum habuerit in lecto; quia huiusmodi circumstantiae actum in suo esse individuo non mutant, idemque numero actus est detractio facta in agro vel in via, idemque actus odii potest accidere vestito vel decumbenti. (Lugo ibid. n. 52). An tempus pertineat ad numerum extrinsecarum, quae in eodem individuali actu adesse vel abesse possunt, dubitavit Lugo; probabile tamen est, quod mendacium circa illud sicut circa cir-

Simulare aliam vocem, ne quis dignoscatur, per se non obstat validitati confessionis, quia confessarius non alium intendit absolvere, nisi quem habet praesentem.

---

cumstantiam quamlibet extrinsecam, « per se » nihil refert ad confessionem, ut tenent fere omnes.

Dicimus « per se », nam per accidens circumstantia extrinseca connecti potest cum aliis speciem mutantibus, ita ut mentiri circa illam possit esse implicita denegatio alicuius earum. Potest etiam connecti cum iis, de quibus confessarius ius habet interrogandi; idque evenit maxime in circumstantia temporis, e cuius mendosa declaratione pendere potest, quod confessarius inferat consequenter peccatum iam esse confessum et non esse imponendam pro eo specialem poenitentiam, vel non adesse occasionem proximam, vel nihil esse inquirendum circa consuetudinem.

Quare ad decernendum, num sacrilege confiteatur qui circa circumstantias extrinsecas positive mentitur, distinguendum est.

1° Si mendacium est causa, cur celetur aliqua circumstantia connexa speciem mutans, patet confessionem esse sacrilegam, siquidem poenitens scienter negat aliquid necessarium; si tamen ignorabat hoc sui mendacii consectarium, sufficiet alia vice id supplere, quod bona fide fuerat celatum.

2° Si mendacium connectitur cum iis, circa quae confessarius ex suo officio interrogare potest (idque accidit plerumque in circumstantia temporis), tunc patet quod sacrilege confitetur, quia confessarium etiam decipit graviter circa statum suae conscientiae (Lugo d. 16, n. 98, d. 14, n. 174 175). Nec refert quod confessarium praeveniat et falsam circumstantiam obtrudat, antequam ab eo interrogetur; sic enim mediis iniustis, quale est mendacium, eripit ab eo ius, quod habet, interrogandi; praeterea si interrogatus id sine sacrilegio negare non potest, patet quod etiam non potest id negare, antequam interrogetur. Si tamen poenitens id fecit bona fide (v. gr. mendacium excidit ex inconsiderantia et post absolutionem id advertit), confessio valet, sicut valida fuisset, si nihil circa id confessarius interrogasset (simile exemplum habes: si quis bona fide peccatum confitetur ut dubium, confessio valet; si mala fide, cum certus esset, confitetur sacrilege, quia decipit graviter confessarium circa iudicium efformandum de suo statu conscientiae). Immo si poenitens omnino certus est, quod ad nihil conferret declaratio (v. gr. peccatum fuit alias remissum ideoque nec poenitentia particulari indiget, nec datur reservatio aut censura, praeterea consuetudo non adest etc.), videtur non invalidare confessionem, etsi mentiatur scienter dicatque peccatum commissum fuisse a viginti annis cum fuerit a decem; etsi enim confessarius ius habeat interrogandi ad providendum poenitenti, tunc tamen is, cum certo sciat nihil esse providendum et interrogationem fore inutilem, nullum ius eripit obiective exsistens; ius enim erat mere existimatum, siquidem erat obiective ius ad rem inutilem.

3° Si denique mendacium cum huiusmodi necessariis non connectitur, mendacium non officit confessioni.

Nunc de circumstantiis *intrinsecis*, seu de iis, quae faciunt actum entitative diversum. Huiusmodi sunt, quae respiciunt personam aut rem, quae vel est agens vel terminus est actionis, v. gr. occidisse Ioannem vel Petrum, fornicatum esse cum Sempronia vel cum Caia; revera enim occisio Petri non est occisio Ioannis. Ad earum numerum non pertinet occidisse carmelitam vel capuccinum, prouti quidam erronee confuderunt, nihil enim id mutat

616 *In eadem confessione accusare seorsim circumstantias specificas eiusdem peccati* saepissme non poterit fieri, quia una

---

in actione ipsa, quae eadem est, sive carmelita sive capuccinus fuerit homo occisus; actio enim occisionis terminatur in individuum istud, v. gr. Ioannem, non in eius carmelitatem, ut ita dicam, vel capuccinitatem. Sunt tamen circumstantiae, de quibus non facile decernitur an sint intrinsecae; videtur quidem ad has pertinere legere opus Lutheri vel alius haeresiarchae, furari librum vel crumenam, damnificare incendendo domum vel occidendo equum; videtur etiam pertinere ad easdem odisse Petrum vel odisse Paulum; de hoc tamen postremo casu nobis non satis liquet.

Quod mendacium circa huiusmodi circumstantias deturpet essentialiter confessionem, constanter aut asserit aut saltem supponit Lugo d. 16, n. 53 100 123 656 657 660, d. 14, n. 174 175, hac semper ratione utens, quam dederat Vázquez et alii theologi tenebant « communiter » (ut ait Arriaga VIII, *De Sacram. Poenit.* d. 34, s. 3, n. 13), quia qui circa eas mentitur, « non accusat peccatum, quod fecit, sed e contra accusat aliud diversum, quod non fecit »; unde patet quod, etsi nomen circumstantiarum « intrinsecarum » Lugo non usurpet, ratio tamen, ob quam eas iudicet non posse falso mutari est, quia actum mutant in suo esse, id est, quia sunt actui intrinsecae, nec alia fuerat ratio, cur anceps haeserat circa circumstantiam temporis in d. 16, n. 52 53. Quod in earum circumstantiarum numero indubitanter computasset circumstantiam individui in peccato homicidii, patet ex d. 16, n. 53 123. Inter easdem etiam computavit circumstantiam mere aggravantem quantitatis furti, v. gr. furari viginti vel tringinta; etsi enim ex d. 14, n. 174 potuisset quis suspicari, quod eius mendacium iudicaverit sacrilegum ea tantum ratione, quia confessarius ius habet interrogandi circa aggravantes, patet tamen ex d. 16, n. 123 650, quod sacrilegum habet ea quoque ratione, quia actum mutat in alium diversum (Potius tamen putamus quod mendacium circa circumstantiam mere aggravantem non invalidat confessionem eo quod peccatum individuum mutet in alium, sed quia decipitur graviter confessarius in iudicio efformando de statu conscientiae).

Ad stabiliendam doctrinam contrariam possent forte congeri rationes sequentes: 1. Si quis mendacia huiusmodi inadvertenter protulerit, nemo eum coget ad errorem emendandum in sequenti confessione. Ita Ballerini in nota ad Gury n. 488. — 2. Negatur tantum circumstantia, quae peccati speciem non mutat. Ita D'Annib. n. 309 nota 60. — 3. Peccatum etsi idem non sit in individuo, est tamen idem « in ordine ad confessionem », quia exprimitur numerus et species, idque sufficit, etsi adiungatur alia circumstantia impertinens. — 4. Argumenta ex Arriaga (*De Poenit.* d. 34, s. 3): *a*) tum quia distinctio peccati mere numerica nullius est momenti (ibid. n. 14), *b*) tum quia individuatio actus non est materia necessaria ideoque non obstat error (ibid n. 15), *c*) tum quia ex Suárez d. 22, s. 2, n. 2 nulla est obligatio declarandi speciem pure physicam peccatorum, *d*) tum denique quia confessio valet, si poenitens addat circumstantiam, veram tamen, ex qua confessarius non intelligat peccasse illum cum ipsius sorore, sed cum alia; ergo idem est, si clare mentiatur et dicat se peccasse cum alia, quia confessarius eumdem conceptum format in ordine ad absolutionem (ibid. n. 16). — 5. Ex institutione sacramenti sufficit dicere species et numerum, quamvis poenitens *ea referat ad alia individua peccata*, quae sic in individuo non sunt commissa. — 6. Auctoritas auctorum

non poterit usque ad speciem infimam declarari sine altera, nam v. gr. pietas erga parentes aliter laeditur per odium, aliter

---

praesertim recentiorum; nam etsi in afferendis suis rationibus decepti sint, durum tamen videtur credere quod, si ex benigna sua sententia serium aliquod inconveniens revera sequeretur, illis, qui pauci sane non sunt, non apparuisset.

Respondetur: Ad 1. Cum revera aliud peccatum loco peccati commissi datum fuerit, etsi inadvertenter, agendum erit sicut de quolibet peccato oblito aut bona fide reticito. — Ad 2. Negando illam circumstantiam negatur ipsum peccatum commissum. — Ad 3. Exprimere species et numerum certe sufficit, si nihil aliud adiungatur, quo ipse actus patratus negetur. Circumstantia autem adiecta est impertinens in hoc sensu, quod poterat reticeri; si tamen declaretur, non potest esse eiusmodi, ut per eam simul ipsa actio patrata negetur. — Ad 4. *a*) Distinctio numerica non est magni momenti in hoc sensu, quod nihil obligat eam facere; nam potest reticeri declarando tantum necessaria; sed si fit, magni est momenti, ut rite fiat; secus substituitur actus non commissus pro actu commisso. *b*) Individuatio non est necessaria et potest reticeri; sed necessario, si datur, dari debet quae sit vera. Aliis verbis, nihil cogit addere praedicata mere individualia peccati, sed non possunt ea addi, quae determinent fuisse commissum actum individuum *B*, qui non exstitit, et negent positum fuisse *A*, qui fuit positus. Si dicis tantum « occidi », verum dicis et declaras in specie, etsi non in individuo, ipsum actum *A* seu occisionem Petri, quam posuisti; actus enim *A* fuit vera « occisio »; sed si dicis « occidi Paulum », nec in individuo nec in specie declaras actum *A*, quem posuisti, quia tunc loqueris de actu *B*, quem non commisisti. De cetero decipitur Arriaga, cum instat exemplo adducto dicentis furatum fuisse pallium Petri, dum vellet dicere Pauli, et dicentis se violasse feminam ignotam confessario ad tegendum, quod violaverit eius sororem. Etenim, quod pallium ad Petrum vel Paulum pertineat, est circumstantia extrinseca actui furti; actio enim in se est eadem, ad quemcumque pallium pertineat; intrinseca vero esset, si diceret nummos loco pallii. Similiter extrinsecum est peccato, quod confessarius noverit vel non noverit feminam, cum qua illud commissum fuit, intrinsecum vero nominari aliam diversam, v. gr. Paulam, quae non fuit violata, vel simpliciter negare personam dicendo « violavi feminam, sed non tuam sororem ». *c*) Species physica non est declaranda, sed nec est una pro alia substituenda. *d*) Satis responsio eruitur ex praecedentibus. — Ad 5. Gratis id asseritur; potius enim dici debet, quod ex institutione sacramenti necessarium est confiteri *ea peccata, quae commissa sunt*, non alia, quae commissa non sunt. — Ad 6. Forte recentiores rem non sufficienter perpenderunt. Sed quidquid de hoc sit, putamus eorum opinionem esse intrinsece improbabilem. Quis enim dicat, quod poenitens, qui furatus est a Petro ducentos nummos, valide confiteatur, etsi omnino scienter mentiatur et dicat « occidi equum Pauli », eo quod sit damnificatio aequivalens et omnes damnificationes in bonis fortunae sint eiusdem speciei infimae? Cum tamen agatur de quaestione aliquantum subtili, nolimus prorsus eorum auctoritati refragari, qui serium inconveniens in huiusmodi mendaciis non compererunt, et propterea, si quis in circumstantia, etsi intrinseca, erraret *bona fide*, putamus quod iudicare posset factum suae confessionis esse tunc in possessione, et consequenter se eam habere posse validam, donec auctores in maiorem concordiam reducantur.

per percussionem, aliter per dehonorationem verbalem, et sic non poterit satis declarari laesio pietatis sine addita alia circumstantia. Quod si aliquando sufficienter explicari possent seorsim, v. gr. sacrilegium locale et fornicatio, probabiliter possent sic accusari [1].

5. EXAMEN CONSCIENTIAE. Quoniam integritas procuranda est, ideo medium ad eam obtinendam necessarium, examen, praecedere debet, graviterque peccat et invalide confitetur, qui illud graviter negligit praevidens periculum omittendi aliquod peccatum grave; potest tamen negligentia esse venialis ob inadvertentiam, vel propter confidentiam in interrogationibus confessarii. Igitur:

---

1 An liceat in eadem confessione accusare seorsim diversas species eiusdem peccati, v. gr. duas fornicationes et deinde seorsim duas violationes alicuius voti, admittit SUÁREZ d. 22, s. 2, n. 9 (et S. ALPH. obiter in l. 3, n. 224; LEHMK. I, n. 604), negat vero LUGO d. 16, n. 644 seqq. (cum LACROIX 1234-1235, quaest. 152), sed praesertim n. 652 seqq., quia sic videntur intelligi plura numero peccata. In hoc autem videntur ambo consentire, quod saepe non poterit una circumstantia specifica declarari seorsim ab alia, eo quod sine ista non poterit illa exprimi usque ad suam speciem infimam; v. gr. si quis percussit patrem suum, non sufficeret dicere se laesisse quintum decalogi praeceptum percutiendo et seorsim deinde se laesisse pietatem, quia laesio pietatis non declaratur usque ad speciem infimam; aliter enim laeditur pietas per dehonorationem verbalem, aliter per odium, aliter per percussionem etc.

Difficile intelligitur, quomodo SUÁREZ in loc. cit. non praeviderit rationem LUGONIS et non viderit, quod haec contra eum urgeri potest, eodem modo ac ipse urget in d. 22, s. 3, n. 10 obligationem declarandi circumstantiam notabiliter aggravantem. Si enim SUÁREZ putat, quod datur obligatio eam sponte declarandi eo quod, eam tacendo, intelligatur poenitens peccasse ordinario modo seu absque illa circumstantia, pariter putare debuisset, quod datur obligatio significandi duas malitiae species in eodem actu fuisse contractas, eo quod per separatam declarationem, ut ait LUGO, intelligantur contractae separatim. Verum est quod in d. 22, s. 2, n. 8 9 loquitur explicite de duabus declarationibus factis propter oblivionem in diversis confessionibus, pro iis enim ratio LUGONIS non currit; sed verum quoque est ea, quae ipse dicit ibid. in n. 9, valere etiam pro declarationibus factis in eadem confessione.

Sed vicissim contra rationem LUGONIS forte posset dubitari, in quo sensu intelligenda sit imposita ex institutione sacramenti obligatio confitendi peccata « quoad numerum »; forte enim haec obligatio in hoc sensu intelligi potest, quod necessario accusandum sit, quoties eadem peccati species patrata est, sed non necessario, utrum diversae species patratae fuerint per diversos actus an in eodem actu. Huic sensui latiori favet sententia eorum quos dicit SUÁREZ ibid. n. 9 existimasse malitias plures in eodem actu revera esse plura peccata; horum sententiam explicatam vide ap. S. ALPH. l. 5, n. 45 seqq.

a) **Requiritur examen diligens** (can. 901), scilicet ea humana diligentia, qua serio tractari solent res gravis momenti, ideoque non tanta, quae confessionem reddat gravem et odiosam. Post illam adhibitam non teneris ulterius insistere, etsi putes te maiore diligentia plura reperturum; et si, facto hoc diligenti examine, occurrat post confessionem peccatum, praesumere poteris, nisi aliud constet, illud cum ceteris accusatum fuisse[1].

Non est obligatio peccata scribendi, ne memoria labantur[2]. Generatim satisfacit qui peccata recogitat percurrendo praecepta Decalogi et Ecclesiae, obligationesque status particulares, nec necesse est ut, eadem vestigia relegens, eadem iterum iterumque rimetur.

Si quis imparatus accedat et homo instructus sit, benigne dimittatur, ut se examinet, praesertim si agatur de longa confessione; si tamen praevidetur non esse reversurus, examinetur meliori quo possit modo. Si agatur de homine rudi, qui iam aliquod examen praemisit, confessarius suis interrogationibus reliquum supplebit; de cetero hi saepe dimissionem ut magnam iniuriam haberent et a confessione arcerentur.

b) **Non requiritur aequalis diligentia ab omnibus,** nam minore examine indigent, qui frequenter confitentur aut qui privatam vitam agunt, quam qui negotiis implicantur; minore timorati quam laxi, illis enim conscientia non sileret, si peccatum mortale admisissent; immo scrupulosis aliquando examen est interdicendum. Minus examen facere possunt aegrotantes, immo quandoque nullum ob capitis debilitatem, nec facile iis mos gerendus est, dum confessionem in dies differunt ad se parandos, sed examinari debent prout eorum status patitur. Ad nullum denique tenetur qui moraliter certus est peccatum mortale non habere, suadetur tamen aliquod facere de venialibus ad ea melius exstirpanda.

Art. 2. Causae excusantes ab integritate.

Non excusat a confessione integra incommodum ipsi con- **617**
fessioni intrinsecum, etsi magnum (n. 43), v. gr. magna verecundia vel diffamatio apud solum confessarium. Excusat vero omnium sententia magnum incommodum extrinsecum, quod reduci possit ad impossibilitatem physicam vel moralem. Sequentes ab integritate excusantes causae recenseri solent:

---

1 Bus. ap. S. Alph. n. 471; Lehmk. 446.

2 Bus. ap. S. Alph. ibid.

a) **Infirmitas extrema,** cum moribundus non potest sine gravi defatigatione sua peccata exprimere; tunc uno alterove peccato audito, magis quam in integritate confessionis insistendum est in dolore eliciendo.

b) **Defectus loquelae,** si v. gr. moribundus loquendi impotens absolutionem aliquo signo petit, is excitato dolore absolvi debet. Quod si sensibus destitutus sit, curandum, data absolutione sub condicione, ut protinus detur extrema unctio, quae in his adiunctis est securior. De moribundis iterum mox in n. 710.

Muti, si instructi sint et eorum signa confessarius intelligat, tenentur signis confiteri; si minus instructi sint aut si difficulter intelligantur, sufficit ut unum alterumve peccatum accusent, aut, si id non possunt, saltem manifestent in genere se esse peccatores deque peccatis dolere. Obligatio confitendi scripto imponi non potest, cum sit medium ex se extraordinarium et minus consentaneum eorum iuri ad secretum; saltem multi hanc obligationem negant[1]. Suadendum tamen, ut scripto peccata distincte confiteantur, ne peccandi libertatem sentiant; a fortiori confessio ex scripto admittenda, si eam mutus ad suae conscientiae solatium hoc modo velit facere.

Si muti solam accusationem peccati in genere dare possunt, absolvantur aliquoties tantum et condicionate (cf. n. 595, 2°); at si manifestant se teneri aliquo peccato gravi, etsi in genere, absolvendi sunt, quamvis a brevi tempore absoluti fuissent (n. 598, 3°).

Surdi tenentur ex sua parte integre confiteri, sed confessarius non tenetur eos interrogare ob difficultatem; audita igitur confessione levis poenitentia ipsis imponatur, ne circumstantes gravem imponi audiant.

Surdi igitur si statim ab initio tales esse deprehenduntur, in locum sacristiae ipsis reservatum abducantur (nisi repugnantiam ipsi experiantur, aut honestas aliquando cum muliere secedere prohibeat), ubi ope instrumenti, quo forte utuntur, aut elatiore voce possit res commodius peragi. Secus vero dicendum, si surditas deprehendatur in decursu confessionis, ne, si abducantur, alii de audito aliquo gravi peccato suspicentur[2].

618 *Ignari idiomatis*, si confessarium suae linguae gnarum non habent, apud quem integre confiteri possint, tunc signis si possunt, confiteantur ut muti. Obligatio adhibendi inter-

---

1 Multi ap. Suárez d. 36, s. 5 vel ap. Lugo d. 15, n. 87; Ball.-P. n. 391; Lehmk. n. 433; Gén.-S. n. 292; Tanquerey n. 299; cf. etiam S. Alph. n. 479.

2 S. Alph. n. 644; Lehmk. n. 433; Gén.-S. n. 297.

pretem imponi non potest; de confessione per interpretem, vide dicta in n. 608. Quod si solam accusationem peccati in genere dare possunt, eadem ratione absolvendi sunt, quam nuper dictum est de mutis.

c) **Defectus temporis,** v. gr. cum milites mox pugnam adituri sunt[1], vel in naufragio etc. Non est sufficiens ratio multitudo poenitentium, ut contingit diebus magnae festivitatis[2].

d) **Impossibilitas moralis,** quando nempe ex declaratione peccati aliquod damnum grave confessioni extrinsecum obveniet poenitenti vel alii, v. gr. si ex diuturna confessione periculum oriretur contagionis vel periculum infamiae apud alios quam ipsum confessarium[3].

Ut autem liceat instituere confessionem, quando integra fieri impeditur, requiritur, ut non possit sine notabili incommodo differi donec impedimentum cesset, v. gr. si secus homini grave fieret manere uno die in mortali (*S. Alph.*), vel si dilatio fiat ei ita gravis, sicut sacerdoti solito quotidie celebrare grave fieret per triduum abstinere (*Lugo*)[4].

---

1 Declaravit *S. Poenit.* 6 febr. 1915 (*A.A.S.* [1915] p. 72) licere milites ad proelium vocatos absolvere generali formula sine praecedente confessione, quando tantus est eorum numerus, ut singuli audiri nequeant, doloris actu debite emisso, eosque sic absolutos ad sacram Eucharistiam admittere, monendos tamen de obligatione integre suo tempore confitendi, si periculum evaserint. Cf. etiam *A.A.S.* ibid., p. 57 et 282.

2 Si haec ratio admitteretur, multi ex industria accederent tempore magni concursus; aliunde poenitentes reliqui ad aliam diem remitti possunt. Tanquerey n. 297. Cf. prop. 59 damn. ab Innoc. XI.

3 Exempla huiusmodi periculi infamiae sunt: Si sacerdos iamiam celebraturus confessionem generalem necessariam facere debet, vel si infirmus, Viaticum suscepturus, quod in domum iam detulit sacerdos, praemittit confessionem et in ea detegitur necessitas reparandi plures confessiones sacrilegas, vel si idem facere deberet puer ad primam communionem accessurus fidelibus iam congregatis. In huiusmodi adiunctis confessio prolixa suspicionem ingereret, ideoque paucis peccatis declaratis sufficit cetera ad proximam confessionem remittere. At in ordinariis adiunctis suspicio ex diuturna confessione immerito timeretur, quoniam colloquium de rebus conscientiae prolixum multis de causis haberi potest.

4 Nonnulla difficultas est ad pressius decernendum, quantum incommodi requiratur, ut non teneatur homo differre confessionem ad confitendum integre. Auctores istud quidem tractant, sed plerique id tractant ubi agunt de casu particulari, quo integritati satisfieri nequeat, quin reveletur peccati complex. Quare ad respondendum praesenti quaestioni attendendi sunt ii qui in illo casu putant non cessare ius proximi ad famam et opinantur reticendum esse peccatum, potius quam ii qui putant ius famae cessare in conflictu cum servanda integritate; illi enim causam assignabunt excusan-

619 DE CONFESSIONE MORIBUNDI SENSIBUS DESTITUTI[1]. Specialis difficultas est in eo absolvendo; nam cum desit omnis confessio, videtur tunc deesse pars sacramenti essentialis (n. 593).

Attamen cum ex una parte sufficiat *in casu necessitatis* verbo vel signo accusatio generica « peccavi » (n. 594) et ex alia id iam sciat confessarius sine manifestatione poenitentis, videtur neque ex conceptu iudicii, neque ex institutione Christi posse probari *tam certo* absoluta necessitas illius manifestatio-

---

tem ab integritate tantum, hi vero assignabunt potius causam sufficientem, ut cesset ius proximi ad famam.

Suárez d. 34, s. 2, n. 13, supponens impedimentum integritatis provenire ex sola caritate in proximum, non ex iustitia, dicit exspectandum quidem esse « uno alterove die, non si necessaria esset dilatio longi temporis aut intermissio utilis frequentiae consuetae ». Mitius in d. 23, s. 2, n. 7: « Si post breve tempus speratur commoditas confitendi, melius erit differre confessionem; immo si cessaret omnis causa rationabilis, esset praeceptum. »

Lugo d. 16, n. 416 supponens obstare etiam iustitiam (cf. ibid. n. 415) dicit, si manere deberet « per triduum in statu peccati», vel si cui fieret ita grave, « ut sacerdoti solito celebrare gravis esse solet interruptio per triduum ». Sed, ubi *De Euch.* d. 14, n. 94, supponens solum agi de lege integritatis, ait eumdem esse casum ac cum quis « sentit se ob capitis debilitatem non posse nunc satis attendere ad recogitanda omnia sua peccata, debet quidem exspectare per aliquod breve tempus, ut resumptis viribus possit examinare suam conscientiam, non tamen debet ea de causa diu differre confessionem ». Et *De Poenit.* d. 16, n. 527 530, debere confessionem differri, « quantum commode possit ».

S. Alphonsus n. 490, supponens (ibid. 489) non obstare motivum iustitiae, dicit « durum esse ei, qui est in mortali, manere sine absolutione etiam per diem». Obiter advertamus S. Doctorem ibidem non exacte referre praeter alia, quod Suárez dixerit sufficere, si quis exspectare deberet ultra biduum; praecise quia id non dixit, carpitur a Lugone d. 16, n. 416. Item, quod Lugo dixerit sufficere, si alicui solito quotidie celebrare grave esset omittere celebrationem; significatur enim omissio unius diei, quam Lugo non retulit. Nec dicas posse id sustineri saltem ex auctoritate S. Alphonsi, cui id non visum est absonum; non enim eius auctoritas invocari potest circa id, quod non affert ex propria consideratione, sed tantum refert per transennam, immo forte fisus in verbis Lugonis, quae nimis properanter transcripsit.

Cf. etiam Ball.-P. n. 429 et Lehmk. n. 439 seqq.

Ex his eruitur exspectandum esse per breve, ut impedimentum cesset, si quis absque notabili incommodo potest; nam lex integritatis urget etiam nunc, quando adest impedimentum integre confitendi; semper enim praecipit ut « quandocumque confessio fiat, fiat integre ». Per breve, inquam, nam in exspectatione diuturna facile immiscetur incommodum notabile, v. gr. carentia solitae celebrationis per triduum, vel potest homini statum suum debite perpendenti intolerabile fieri in peccato manere per diem.

[1] De his cf. Suárez d. 23, s. 1; Lugonem d. 17 per tot.; Lacroix l. 6, p. 2, n. 1256-1264 alibi 1156-1164; S. Alph. n. 480-483; Lehmk. n. 645-651; Gén.-S. n. 300.

nis *etiam pro casu extremae urgentiae*, ut non liceat in his adiunctis tentare absolutionem sub condicione.

Accedit in quibusdam moribundis ingens alia difficultas orta ex defectu doloris; videtur enim is deesse, v. gr. in peccatore, qui usque ad extremum sacramenta repulerat. Homo tamen sensibus destitutus forte interne compos sui est, idque saepe contigisse experientia docuit. Atqui si rationis compos est, facile potuit in suum statum reflectere et cum Dei gratia poenitere. Saltem igitur haec spes tenuis sufficere debet, ut possit absolutio condicionata administrari in casu adeo extremo.

Sacerdos igitur hominem reperiens sensibus destitutum eum condicionate absolvat, etsi homo in peccatis vixerit, immo etsi in ipso actu peccati sensibus correptus sit vel sacramenta usque ad extremum repulerit, immo, quamvis agatur de haeretico, in quo tamen bona fides aliquo modo praesumi possit [1]. Si tamen homo, qui in actu peccati corruit vel qui sacramenta respuerat, iam ab initio, cum sensibus correptus est, in delirium incidit, eum absolvere non licet; nulla enim coniectura rationabilis habetur de retractata mala voluntate. Sed si deinde sensibus destitutus perseverat et delirii signa disparent, redit tenuis illa spes et sub condicione absolvi potest.

Post datam condicionate absolutionem procuretur quamprimum extrema unctio, cuius efficacia in huiusmodi adiunctis erit minus incerta.

Si homo antequam sensibus destitueretur, confessarium petierat, haec ipsa petitio est quaedam confessio, quae per alium manifestatur; absolvendus est ergo absolute [2], nisi aliunde exsurgat specialis ratio dubitandi.

Denique homo, qui nuper decessisse fertur, tractari potest sicut qui sensibus destitutus iacet, iuxta dicenda alibi de iis, qui recenter creduntur obiisse.

DE MANIFESTATIONE COMPLICIS. Quaeritur an sit **620** obligatio manifestandi in confessione peccatum vel circumstantiam peccati, quae explicari nequit sine manifestatione complicis, ut evenire potest in peccatis commissis inter coniuges, cognatos etc. Alii auctores tenent debere reticeri, ut fama proximi servetur; alii debere nihilominus accusari, quia ius proximi ad famam cessaverit; quando aliunde non possit satisfieri integritati. Utraque sententia est probabilis [3].

---

1 In his casibus absolutio detur secreto; secus moneantur circumstantes, ne scandalum patiantur, cum putent sacramenta inconsiderate dari peccatoribus obstinatis et haereticis.

2 Cf. S. ALPH. n. 481.

3 Cf. circa haec LUGONEM d. 16 sect. 7; S. ALPH. n. 489-490; BALL.-P. n. 439-447; LEHMK. n. 439-444; GÉN.-S. n. 295.

Utraque tamen id supponit, poenitentem in his adiunctis versari, ut non possit simul et famam proximi servare et integre confiteri. Propterea omnes in hoc conveniunt, debere imprimis poenitentem sese ab huiusmodi alternativa eripere, si possit, quaerendo alium confessarium, cui complex ignotus sit, vel exspectando ut habeat, nisi confessio aliquo modo urgeat.

Quantum autem incommodi requiratur, ut excuseris ab alio quaerendo aut exspectando, pendet a sententia, quam eligas. Si priorem, et eligas complice reticito confessionem facere non integram, criterium sume ex n. 618, ubi de causis ab integritate excusantibus. Sin alteram, et eligas manifestato complice integre confiteri, incommodum satis benigne iudicatur ab auctoribus; dicunt enim sufficere, si difficulter alteri confessario quam consueto conscientiam aperires, vel (attenta sententia quorumdam de manifestatione criminis alieni uni viro prudenti n. 345, 9°) si propter solatium, quod sentis ab amico vel docto confessario, nolles alium quaerere [1].

621 DE NON INQUIRENDO COMPLICE [2]. Graviter peccant confessarii, qui causa complicis corrigendi aliove procurandi alicuius boni specioso praetextu exquirunt nomen complicis, maxime si ad id comminantur denegare absolutionem. Hanc praxim, quae odiosissimum redderet sacramentum, gravissimis verbis reprobavit *Bened. XIV*. Et quamvis poenae, quas hic summus Pontifex ferendas decrevit, in novo Codice non subsistant, eius tamen prohibitionem in memoriam confessario revocat canon 888, § 2, dum ait: « Caveat omnino ne complicis nomen inquirat. »

Attamen non prohibetur confessarius interrogationes facere, quae necessariae sunt ad integritatem procurandam vel ad exsistentiam occasionis proximae detegendam, licet venturus sit in cognitionem complicis, v. gr. quaerere num complex sit cognatus vel affinis, an in eadem domo maneat etc.

Nullum dubium quin aliquando ob bonum commune teneatur poenitens manifestare nomen complicis (n. 91) hancque obligationem confessarius urgere possit; numquam tamen ei licet exigere, ut manifestatio fiat sibi, sed ut poenitens ipse eam faciat Superiori aliisve, qui remedium apponere possunt.

---

1 Saepe excusantur matres et uxores manifestantes peccata filiorum vel mariti confessario, qui eos novit; id enim faciunt ad consilium petendum vel dolorem leniendum et nimis durum eis foret alium adire. S. Alph. n. 490.

2 Cf. Lugonem d. 16 sect. 8; Lacroix l. 6, p. 2, n. 1244-1245 al. 1144-1145; S. Alph. n. 491-492; Lehmk. n. 444-445; Gén.-S. n. 364; Verm.-Creus. n. 166.

Nec oportet, ut se offerat ad eam Superiori faciendam, quia id confessionem odiosam reddit apud alios; si tamen necessarium putat adiuvare poenitentem, petat ut is notitiam sibi dare velit iterum extra confessionem.

Quid autem, si poenitenti obligatio in conscientia incumbat manifestandi Superiori isque sit ipse confessarius? Plures probabiliter tradunt posse confessarium exigere, ut manifestatio fiat sibi; renuit tamen *S. Alph.* n. 402 propter odiositatem, quam id generat sacramento.

Art. 3. Iteratio confessionis.

Sequentia principia prae oculis habe: 622

a) **Confessio non est ex obligatione repetenda, nisi de eius invaliditate moraliter certo constet.** Hoc principium docet *S. Alph.* n. 505 cum sententia communi; profecto quando actus certo positus est, standum est pro eius valore (n. 24, 3°), donec invaliditas moraliter certo probetur.

Confessiones igitur non sunt necessario repetendae ob quodcumque ortum dubium v. gr. de dolore, nisi tam laxae conscientiae soleret esse poenitens tamque negligens, ut gravis inde praesumptio exsurgat, quae moralem certitudinem attingat. Nec moralis certitudo de invaliditate confessionum habetur ex eo solum, quod poenitens recidivus saepe fuerit; secus vero, si frequenter, prima data occasione post confessionem, sine ulla resistentia solebat relabi.

b) **Confessio gravium peccatorum invalida repetenda est.** Si tamen poenitens est in bona fide (quod facile occurrit, quando non fuit commissum sacrilegium) [1] ac simul praevidetur forsan non obtemperaturus mandato repetendi, praestabit nihil monere. De modo autem confessionem repetendi haec adverte:

Si adeatur novus confessarius, confessio ex integro repetenda est insuperque, si sacrilega fuit, accusari debet sacrilegium [2].

---

[1] Sacrilegae confessiones proveniunt haud raro ex verecundia accusandi peccatum turpe, praesertim si sacerdos est poenitenti notus, maxime si in pago est unicus; proveniunt etiam haud raro ex confessarii festinatione in audiendis confessionibus; proveniunt quoque ex duritia et rigore confessarii, vel e contra ex eius consuetudine excusandi poenitentes, dicendo v. gr. fecisti inadvertenter. Cf. Tanquerey n. 320 nota.

[2] Superfluum est monere, repetendas etiam esse confessiones subsequentes, quae ob sacrilegium antecedens invalidae fuerunt (forsan tamen poenitens aliquo tempore valide confessus fuit, quia prorsus immemor prioris sacrilegii), et accusandas susceptiones aliorum sacramentorum cum conscientia peccati mortalis.

Si adeatur idem confessarius, non est necessario repetenda, sed sufficiet dicere « accuso me de peccatis tibi in tali confessione accusatis », etsi confessarius peccatorum iam sit prorsus immemor, dummodo recordetur se de illis peccatis iudicasse et poenitentem absolutione dignum censuisse[1]. Attamen si poenitentia imposita non fuerat, haec licite praetermitti non poterit, et tunc necessarium erit, ut habeat memoriam peccatorum saltem confusam[2]; nam sine ea poenitentiam con-

---

[1] Ratio, cur haec recordatio requiratur, haec est, ut opinamur: 1° Ut semper iudicium sacramentale convenienter determinate feratur (n. 594 cum notis). Nec dicas quod in casu iudicium determinatum circa materiam iam praeteriit; nam illud ipsum iudicium est, quod perseverat per hanc memoriam de ipso et per hanc influit in praesentem absolutionem. — 2° Quia secus confessarius nesciret, utrum aliqua monitio necessaria adhuc facienda esset vel alia maneret obligatio adimplenda.

[2] Haec solutio consequitur ex solutione duarum quaestionum magis generalium, nimirum, 1° quaenam notitia peccatorum semel data sufficiat ad absolutionem, et 2° quaenam peccatorum memoria requiratur in confessario. Ex iis, quae optime disserit Lugo d. 16, s. 15, § 3 post Suárez d. 22, s. 6, n. 6-8, eruuntur sequentes solutiones:

Ad 1um. Ex praecepto divino notitia peccatorum dari debet sacramentaliter, id est sacerdoti ut iudici; huic tamen praecepto satisfactum fuit, etsi sacramentum fuerit nullum ob defectum doloris vel ob sacrilegam alicuius peccati reticentiam.

Quodsi notitia data fuit sacerdoti ut amico, aut aliter confessarius extra sacramentum notitiam distinctam hausit (v. gr. quia peccantem vidit), sufficiet in sacramento dicere « accuso me de peccatis, quae tibi narravi, vel quae vidisti », sese remittendo ad distinctam notitiam olim habitam; requiritur tamen, ut illa notitia olim fuerit distincta, et ut illa nunc adhuc perseveret saltem in memoria confusa, tum ut peccata ita aliquo modo maneant determinate iudicata intra sacramentum et non extra, tum ad poenitentiam convenienter taxandam.

Ad 2um. Nulla memoria de peccatis requiritur ad absolvendum, sed sufficit recordari, quod de illis iam iudicatum fuit. Ad taxandam tamen convenienter poenitentiam, cuius impositio licite praetermitti non potest, sufficit ut notitia peccatorum aliquando distincta fuerit et nunc perseveret in confuso.

Igitur si notitia iam aliquando data fuit sacramentaliter et confessarius recordatur se de illis peccatis iam iudicasse, si praeterea poenitentiam iam imposuit aliisque suis obligationibus satisfecit, nec novum aliquod peccatum accusandum est, nihil restat nisi ut ponatur absolutio. Ut autem partes sacramenti essentiales adsint moraliter unitae, debebit renovari dolor et iterari confessio modo saltem generali per verba: « accuso me de peccatis tibi in tali confessione accusatis. »

Ex hucusque dictis fortasse inferet aliquis contra dicta in n. 594, saltem validam esse confessionem genericam « accuso me de peccatis vitae meae », quia ex nuper dictis sequitur nullam praeviam notitiam requiri de aliquo determinato peccato ad valorem absolutionis. Etenim ex dictis valet confessio « accuso me de peccatis, quorum notitiam tibi dedi in tali occasione sacramentaliter », etsi nullam praeteritae notitiae memoriam

venienter taxare non posset; quod si memoriam nullam servat, poterit illi refricari memoria confusa notitiae olim acceptae, ut ab ea sufficienter possit dirigi; quod si memoria illi refricari non potest, quia omnino oblitus est, non sufficeret dare nunc notitiam confusam, ut ab hac sola confessarius dirigatur[1], sed iterum ei notitia peccatorum distincta danda erit.

b) **Confessio valida non est repetenda, sed, si integra non fuit, sufficit defectum supplere.** 623

NB. — Haec denique de praesenti argumento manent addenda:

1° Confessarius absolvere potest, etsi in fine confessionis peccatorum oblitus sit, modo sciat nullam monitionem manere faciendam. Ad taxandam tamen convenienter poenitentiam de statu poenitentis meminisse debet saltem in confuso.

2° Si poenitens advertat confessarium aliqua peccata ob somnum vel distractionem non percepisse et nesciat qualia, confessio repetenda est, si fuit brevis, quia prudenter dubitari potest de singulis peccatis. Si vero confessio prolixa fuit et dubitatur de paucis, si dubium est de paucis in communi, sufficiet ea sub hac ratione generica peccati confiteri, quia dubium de nullo in particulari prudenter haberi potest, singula enim praesumi possunt audita, sed tantum dubitatur prudenter de peccato in genere[2], si vero de aliquo in particulari, istud repetendum erit.

---

retineat confessarius; atqui notitia, quae in memoria non est, confessarium non dirigit, notitia autem, quae actu non dirigit confessarium, est quasi numquam data fuerit, ut ait Lugo d. 16, n. 641; ergo non requiritur, quod ulla praevia notitia de aliquo determinato peccato data fuerit. — *Resp.*: 1° Imprimis disparitas utriusque casus est, quod in priore nulla umquam fuit data confessario sacramentalis et particularis notitia de peccatis, quae sub formula generica in confuso accusantur, secus vero in casu altero. Quodsi particularis notitia praevie fuisset data sacramentaliter, v. gr. si pius poenitens confitetur semper eidem sacerdoti et diceret generaliter « accuso me de peccatis vitae meae tibi accusatis in praeteritis confessionibus », valeret sine dubio absolutio, quamvis confessarius non recordaretur ullius peccati, sufficeret enim recordari se illum poenitentem audisse et absolvisse. — 2° Disparitas item est, quia in priore casu confessarius numquam iudicaverat de illis peccatis, in altero autem iudicium conveniens non deest. Nam etsi iudicium illud non *fit* quidem *nunc*, quia factum fuit *antea*: illud tamen ipsum *adest* certe *nunc* in memoria confessarii, quia iste illud in memoriam revocat, quatenus recordatur se de illis peccatis iam iudicasse. Etsi igitur distincte nunc illud iudicium non adsit, sed tantum hoc modo adeo confuso, falsum tamen est, quod actu in confessarium non influat.

1 Lugo d. 16, n. 641-642.

2 Lugo d. 16, n. 610.

3° Rudis, qui multis annis male confessus est, sed uniformem vitae rationem duxit, sufficit ut de ultimo anno interrogetur, et de aliis annis generaliter se accuset.

4° Etsi confessarius species peccatorum aut gravia a venialibus, etiam in casibus obviis, nesciat discernere, confessio iteranda non est, dummodo poenitens factum recte et fideliter exposuerit et confessarius illud intellexerit; nisi poenitens confessarium adeo suo muneri ineptum ex professo quaesiverit; cum enim in hoc graviter peccet, sacrilege confitetur.

624 CONFESSIO GENERALIS est repetitio plurium confessionum vel totius vel alicuius temporis.

Necessaria est, quando moraliter certo constat aliquam confessionem fuisse invalidam.

Suadenda, quando prudenter iudicatur fructum spiritualem allatura, v. gr. ad tollendum rationabile dubium vel tantum anxietates quasdam de praeteritis confessionibus, vel in quibusdam vitae sollemnioribus aut opportunioribus temporibus (ante primam communionem vel professionem religiosam vel matrimonium, in spiritualibus exercitiis, in morbo periculoso etc.), quando nimirum maior de peccatis horror habetur et firmius propositum concipitur, quando novus impetus ad vitam perfectiorem speratur etc. Laudabiliter et fructuose statis temporibus confessio generalis instituitur ab ultima peracta.

Prohibenda est in ceteris casibus, saltem quia inutilis, aut etiam quia nociva. Prohiberi debet speciatim scrupulosis, ne eis maiorem conscientiae perturbationem generet; item iis qui vivida imaginatione sunt et multa contra castitatem perpetrarunt, praesertim si pravae inclinationes nondum satis subiectae sunt; distincta enim peccatorum recordatio periculosa esset.

Perperam agunt confessarii, qui a novo poenitente sine speciali motivo confessionem generalem petunt sub praetextu melioris directionis, id enim odiosum est.

De modo confessionem generalem excipiendi. Imprimis interrogari potest poenitens *a*) an confessio generalis necessaria sit ob alicuius confessionis invaliditatem, tunc enim confessio accuratior esse deberet; *b*) an necessaria fidei sciat, si de eius ruditate prudenter dubitatur; *c*) quinam sit eius vitae status, ut melius a confessario iuvari possit; *d*) an et quot confessiones et communiones sacrilegas fecerit; *e*) an poenitentias impleverit. — Deinde dicat poenitens quae patraverit; quod si ipse mavult, interrogari poterit ordine, quem in tractatione praeceptorum tenuimus, nempe (in singulis speciebus numerum quoque perquirendo):

a) *De praeceptis Decalogi.* 1° Superstitio. — 2° Blasphemia, iuramentum, votum. — 3° Missa, labor. — 4° Ratio agendi erga parentes, filios (praesertim circa instructionem religiosam, invigilationem, educationem), maritum, herum, famulos etc. — 5° Odium, desiderium vindictae, imprecatio, verbera etc. — 6° Cogitationes, desideria, quam actionem desideraverit, erga quales personas. Turpes sermones dicti vel libenter auditi, libri obsceni, cantus, ioci. Turpes aspectus, tactus, pollutio, secum, cum aliis et qualibus, peccata consummata cum qualibus, an ipse in culpa fuerit, si praegnatio subsecuta non fuit. Occasio proxima. Ebrietas. Spectacula, choreae. Post matrimonium an desideria in aliam habuerit, aut alicui matrimonii obligationi non satisfecerit. — 7° Res illegitime acquisitae, defraudatio, damnificatio. — 8° Mendacia perniciosa, detractio.

b) *De praeceptis Ecclesiae.* Confessio annua, communio paschalis, ieiunium, abstinentia.

c) *De virtutibus.* An fidem negaverit aut dubitaverit, an contra religionem locutus sit. Lectio librorum et ephemeridum pravarum. An proximo in gravi necessitate non subvenerit. An alicuius peccatum suaserit vel laudaverit.

d) De obligationibus sui status, et tandem petatur, ut si quid aliud habeat, sincere et fiducialiter addat.

Caput 4. SATISFACTIO

Can. 887: « Pro qualitate et numero peccatorum et con- **625**
dicione poenitentis salutares et convenientes satisfactiones confessarius iniungat; quas poenitens volenti animo excipere atque ipse per se debet implere. » Aliud est ergo confessari munus rite imponendi poenitentiam, aliud poenitentis eam acceptandi et adimplendi. De iis nunc agendum distinctis numeris [1].

Art. 1. Impositio poenitentiae.

Impositio poenitentiae est obligatoria, secus mutilum etsi validum esset sacramentum (n. 593). Per se igitur graviter peccaret confessarius, qui sacramentum hoc complemento privaret; pro venialibus tamen aut pro mortalibus iam remissis, quoniam poenitentia levis sufficit, obligatio eam imponendi est solum levis.

---

1 De hac materia cf. *Rit. Rom.* tit. 3, c. 1, n. 18-21; LUGONEM, *De Poenit.* d. 25; LACROIX n. 1329-1400 al. 1229-1300; S. ALPH. n. 506-530; LEHMK. n. 458-478; REUTER, *Neo-confessarius* n. 14-20; GÉN.-S. n. 311-316; FERR. n. 624-639.

Poenitentiam imponat confessarius ante absolutionem, vel si oblitus fuerit, post absolutionem; moraliter enim iudicium adhuc perdurat. Poenitentiam tamen imponere immediate post absolutionem, quando poenitens praevidetur eam non recusaturus, peccatum nullum esset.

a) **Poenitentiae imponendae sunt proportionatae** tum peccatis tum viribus poenitentis, seu, ut ait can. 887, « pro qualitate et numero peccatorum et condicione poenitentis », ne sacerdos, ut ait *Conc. Trid.* sess. 14, c. 8, levissima quaedam opera pro gravissimis delictis iniungendo, videatur peccatis connivere. Debent igitur poenitentiae esse:

1° *Proportionatae peccatis*, ita ut pro peccatis certo gravibus gravis poenitentia imponenda sit, eaque maior pro maiore criminum gravitate et numero; unde pro magnis criminibus non sufficeret minimum materiae gravis imponere. Non tamen debent poenitentiae pro peccatorum numero multiplicari, v. gr. pro decem peccatis poenitentiam decies maiorem iniungendo.

Porro gravis poenitentia censetur ea materia, quae ab Ecclesia imposita obligat sub gravi, v. gr. Missa, ieiunium; item rosarium quinque decadum, litaniae Sanctorum cum precibus etc.; non autem grave est psalmus « Miserere » aut unus e psalmis consuetis, aut litaniae lauretanae B. Mariae V. aut quinquies *Pater* et *Ave*[1].

2° *Proportionatae viribus poenitentis* sive spiritualibus sive corporalibus. Ita aegrotis utpote debilibus levis poenitentia iniungatur[2], eosque laudabiliter confessarius adiuvabit ad statim eam adimplendam; aliquando nihil amplius oportebit eis imponere nisi invocationem nominis Iesu, aliquando poenitentiam nullam, utpote moraliter impossibilem, ut in articulo mortis. Pariter pueris, operariis, personis debilibus non sunt imponenda ieiunia nec pauperibus eleemosynae etc.

Non sunt imponendae poenitentiae publicae pro peccatis occultis, v. gr. uxori aut filiis ieiunium, suspicionem enim peccati gravis praeberent aliis; nec imponendae sunt poenitentiae nimis repugnantes, v. gr. signare terram lingua, pueris veniam petere a parentibus pro furtulis; aut nimis intricatae, v. gr. plura opera et orationes diversae; aut nimis diuturnae, v. gr. ad annum vel ad quinque menses; facile enim anxietati vel oblivioni locus esset, praeterquam quod poenitens, si interea similia reciperet ab aliis confessariis, intolerabili poenitentiarum onere premeretur.

---

1 Quinquies *Pater* et *Ave* non est poenitentia gravis; Lehmk., Noldin, Tanquerey, Gén.-S.

Si *Pater* et *Ave* multoties recitandum imponatur, expedit poenitentem monere, ut in aliquot paucos dies dividat, ne taedio afficiatur.

2 Si spes est, ut infirmus convalescat, imponatur ea poenitentia, quam postea peragere poterit. *Rit. Rom.* tit. 3, c. 1, n. 25.

Praeterea spirituali poenitentis infirmitati consulendum est; hac de causa, si maior poenitentia praevidetur ei potius obfutura, quia eam adimplere nollet, vel quia a sacramento averteretur, imponatur levior. Et generatim expedit mitem se habere in poenitentiis imponendis[1].

b) **Poenitentiae imponendae sunt medicinales,** quae relapsum scilicet praecaveant; confessarius enim non iudex solum, sed etiam medicus est. **626**

Hinc operae pretium erit imprimis praecipuas poenitentias recensere, quae imponi possunt, nimirum: assistentia Missae, concioni, per aliquot dies mensi mariali; ieiunium (si sine aliorum nota servari potest), abstinentia a parte coenae vel ientaculi; renovatio actuum fidei, spei, caritatis, gratitudinis erga Deum, doloris pro peccatis etc.; orationes vocales (v. gr. quinquies *Pater* et *Ave* ad quinque vulnera Domini crucifixi, litaniae lauretanae, rosarium, Officium parvum B. Mariae V. aut Defunctorum vel aliquot eorum Horae, aliquot psalmi); opera misericordiae (per aliquot dies catechismum docere, pauperes invisere); pia meditatio coram imagine Crucifixi per breve spatium et per aliquot dies (de novissimis, de Passione Christi etc., ad quod iuvabit considerationes in pio libello praelegere); visitationes SS.mi in templis; exercitium Viae Crucis; ad pulsum horologii piam aliquam iaculatoriam ad Deum fundere, vel piam aliquam considerationem per instans brevissimum in mentem revocare, veluti poenas inferni, Passionem Domini etc., vel illud « Quid prodest homini etc. », aut « Ducunt in bonis dies suos et in puncto ad inferna descendunt » etc. — De operibus certae occasioni vel diei affixis plerumque oportebit monere poenitentem, quod si quando non faciat, possit postea simul toties recitare aut facere, quoties omiserit, ne angoribus scilicet detur locus.

Deinde, ut poenitentiae medicinam afferant morbo, iuvabit saepe eas imponere, quae peccatis directe oppositae sint, quatenus non sint poenitenti aliunde moraliter impossibiles. Itaque ebriosis, obnoxiis vitiis carnis, gulae deditis recte imponuntur macerationes corporis per ieiunia, cilicia, subtractionem commoditatum in lecto, diuturnioris somni, delicatioris victus. Superbis, vanitati deditis, proderunt opera caritatis et misericordiae. Blasphemis iaculatoriae, quibus exprimantur Dei vel sanctorum laudes, vel gratitudo ad Deum pro magnis acceptis beneficiis etc. Luxuriosis im- **627**

---

1 De hac re optime S. Alph. n. 509 510.

poni potest, ut per aliquot dies semel coram imagine Crucifixi cruciatus inferni, aeternitatem, mortem aut Passionem Domini meditentur breviter (v. gr. si rudes sint, tantum per spatium, quo *Pater* vel *Credo* recitarentur), addita statim renovatione propositi emendationis et aliquot *Pater* vel *Credo;* vel loco orationum vocalium iniuncta corporali aliqua mortificatione, v. gr. ut aliquoties brachium aut crus vellicent in odium sui corporis, a quo in aeternam perniciem trahuntur; vel eorum loco imposito aliquo humili opere misericordiae, quod in proximos exerceant.

Et generatim advertendum est, quod humilis et frequens oratio ad Deum, creber recursus ad B. Virginem et angelum custodem, praesertim instante tentatione, pia novissimorum et Passionis Christi meditatio, renovatio propositi mane et aliquoties per diem cum examine vespertino, pia lectio, voluntaria aliqua poenitentia assumpta post relapsum, sacramentorum frequentia, remedia sunt praecipua atque aptissima ad quoslibet spirituales morbos.

628 *Animadversiones.* 1° Imponi possunt poenitentiae sub condicione relapsus, non tamen hae solae, ne forte nulla adimpleri debeat.

2° Imponi potest opus alias ex praecepto debitum, v. gr. assistentia Missae ex praecepto audiendae (sed non censetur confessarius permittere, ut poenitentiae satisfiat per opus ab Ecclesia praeceptum, nisi id expresse declaret; cf. n. 40). Id tamen non expedit; potius quam opus ex Ecclesiae praecepto adimplendum imponatur opus, quod poenitens alias etiam facturus esset, v. gr. rosarium, quod in collegio vel cum familia recitare solet, Missa, quam mox in templo audire poterit vel intenderat etc.

3° Poenitentia gravis potest quidem imponi sub levi, sed non expedit; sed levis non potest imponi sub gravi (n. 42). Haec potius ad id inservire poterunt, ait *S. Alph.* [1], ut confessarius, postquam aliquam poenitentiam gravem imposuerit, aliam graviorem iniungat sub levi, ut si poenitens eam impleat, sacramentaliter satisfaciat, si eam negligat, non gravetur culpa gravi.

4° Minor poenitentia imponi potest non solum, si poenitens praevidetur a sacramento avertendus, sed etiam, si fundata sit spes, quod minore poenitentia peccator ad frequentiorem usum sacramentorum adducetur; item minor imponi potest, si indulgentia plenaria lucranda iniungatur; non debet tamen haec sola iniungi, sed alia simul addatur [2].

---

1 S. Alph. n. 518.
2 S. Alph. n. 519, *Homo apost.* n. 49.

5° Nimis uniformiter confessarii ad quamdam precum recitationem poenitentiam redigunt; qui mos prudenti, sed constanti conatu corrigendus videtur[1]; maxime enim oportet, ut poenitentiae eligantur ad medendum peccatis magis opportunae.

c) **Commutatio poenitentiae** fieri nequit ab ipso poeni- **629**
tente, sed facienda est ab eodem confessario vel ex iusta causa a confessario alio; iusta autem causa erit, si poenitentia videatur difficilis, vel si praevidetur poenitens non esse ei satisfacturus ob repugnantiam, fragilitatem, oblivionem etc.

Ad commutationem faciendam aliqua cognitio confusa de statu poenitentis necessaria est, quae proinde confessario praeberi debebit, nisi idem adeatur peccatorum adhuc aliquatenus memor. Probabiliter tamen sufficit ea notitia confusa, quam suppeditat ipsa notitia poenitentiae impositae, idque teneri potest, etsi non ipse confessarius, qui eam imposuerat, sed alius adeatur. Satis igitur erit cognitio poenitentiae et fragilitatis aut difficultatis ad eam adimplendam.

Poenitentia commutari potest ab eodem confessario sive intra confessionem, sive extra eam, probabiliter etiam post longum tempus; a confessario diverso nonnisi intra confessionem.

Art. 2. Adimpletio poenitentiae.

Adimpletio *poenitentiae gravis urget sub gravi*, nisi im- **630**
posita fuerit sub levi. Poenitentia iniuncta pro venialibus vel pro mortalibus iam remissis, quamvis eius materia sit gravis, probabiliter tamen obligat tantum sub levi. Non obligat poenitentia, si confessio fuit invalida, aut si absolutio non fuit data, nisi agatur de poenitente, qui ad confessionem perficiendam accedit pluries et interim ei poenitentia adimplenda imponitur, ut minor in fine imponenda maneat.

Etsi poenitentia acceptari debeat atque impleri, plerumque tamen videtur non esse grave recedere ante absolutionem ex metu ipsius[2]; quodsi poenitentia spectata hodierna praxi esset manifeste irrationabilis aut nimia, id culpa etiam vacare posset.

Qui immemor poenitentiae iniunctae praestat opus debitum, satisfacit; quisque enim censetur prius velle satisfacere suis obligationibus[3].

---

1 Ita bene animadvertit VERMEERSCH in *Theol. Mor.* tom. 3, n. 547.

2 SUÁREZ d. 38, s. 7, n. 4; LUGO d. 25, n. 77; GÉN.-S. n. 317.

3 S. ALPH. l. 3, n. 224.

Implens poenitentiam in mortali satisfacit (nisi indulgentiam obligatus fuerit lucrari), et probabiliter[1] ne venialiter quidem in hoc adimplendi modo peccat.

Qui poenitentiae oblitus est, interrogare debet confessarium, si eum commode adire potest ipsumque praesumit adhuc memorem; secus ad nihil tenetur, quia adimpletio, etsi per oblivionem culpabilem, impossibilis effecta est, nec tenetur ob hanc causam confessionem iterare[2].

631 *Omissio* alicuis partis, quae in se materia gravis sit, gravis est, si poenitentia pro gravibus fuit imposita. Quoad omissionem autem alicuius circumstantiae diiudicandum est, an haec iudicio prudentum videatur in se vel relate ad poenitentem esse mortificatio gravis; sic facile obligare potest sub gravi circumstantia orandi expansis brachiis (id nonnisi cum magna circumspectione imponi debet), sub levi vero circumstantia adeundi templum, ut in eo recitatio fiat.

Dilationem adimpletionis, etiam per aliquot menses, non constat esse gravem, nisi dilatio afferat periculum tradendi oblivioni poenitentiam aut periculum, quod eius adimpletio quomodocumque impossibilis reddatur.

Aliquando quidem confessarius tempus determinat, sed etiam tunc non est mortale v. gr. ieiunium impositum pro feria VI transferre ad diem sequentem, vel communionem singulis mensibus impositam differre ad sex vel octo dies[3].

632 *Animadversiones*. 1° Poenitentia adimplenda est per ipsum poenitentem, qui nequit ad id sibi alium substituere (can. 887)[4], nisi confessarius expresse id concesserit. Quod si concedat, non constat adimpletionem per alium operari effectum sacramentaliter[5]. Certe, ait *Suárez*, non expedit, ut confessarius id concedat, multoque minus ut pro poenitentia tota concedat.

2° Preces, quae ecclesiastico more alternatim dicuntur. ut rosarium, litaniae, psalmi etc., etiam cum pro poenitentia recitandae sunt, alternatim cum socio recitari possunt.

3° « Qui praestat opus sibi in sacramentalem poenitentiam iniunctum et indulgentiis forte ditatum, potest simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari » (can. 932).

---

1 Lugo d. 25, n. 32.

2 S. Alph. n. 520.

3 S. Alph. n. 521.

4 Et cf. prop. 15 damn. ab Alex. VII.

5 Operari effectum sacramentalem affirmat probabiliter Suárez d. 38, s. 9 cum aliis, negat vero Lugo d. 25, n. 82 cum aliis.

Caput 5. IURISDICTIO AD CONFESSIONES

Ad sacramentum poenitentiae valide ministrandum requiritur potestas *ordinis*, et quidem sacerdotalis[1]. Quae tamen non sufficit. Cum enim hoc sacramentum ad modum iudicii dispensandum sit, natura autem et ratio iudicii illud exposcat, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, necessarium est, ut praeterea sacerdos in eum, cui absolutionem est impertiturus, ordinariam aut delegatam habeat *iurisdictionem*[2]. 633

---

1 « Minister huius sacramenti est solus sacerdos » (can. 871).

2 « Praeter potestatem ordinis, ad validam peccatorum absolutionem requiritur in ministro potestas iurisdictionis, sive ordinaria sive delegata, in poenitentem » (can. 872).

Ad valide absolvendos saeculares praeter iurisdictionem inducta fuit a *Conc. Trid.* necessitas *approbationis* datae ab Ordinario loci pro iis, qui parochiale beneficium non obtinuerint. Erat autem approbatio iudicium Ordinarii authenticum de idoneitate confessarii ad confessiones audiendas, cuius effectus erat sacerdotem capacem reddere iurisdictionis exercendae (Lugo d. 21, n. 1). Vi igitur praedictae dispositionis inutilis fere evadebat delegatio iurisdictionis ordinariae facta ab alio praeterquam a loci Ordinario in ordine ad audiendas saecularium confessiones; triplex ergo requisitum a tempore *Tridentini* usque ad novum Codicem exigebatur ad hunc finem: et ordo et iurisdictio et approbatio. Hodie ipsa approbatio inutilis evasit; cum enim Codex ad audiendos saeculares non permittat cuipiam praeterquam Ordinario loci delegare valide suam iurisdictionem ordinariam, idem finem obtinet exigendo solummodo pro sacerdote iurisdictionem.

« Sacerdos approbatus ad confessiones » audiebat antea sacerdos donatus approbatione ab Ordinario loci; et quoniam is cum approbatione simul suam iurisdictionem delegare consueverat, iam illiusmodi appellatio idem sonabat ac sacerdos « rite facultate praeditus ad audiendas confessiones ». Ius novum eamdem appellationem adhuc usurpat, v. gr. in can. 519 522 523 525 881 882 905; sed quoniam de approbatione distincta a collatione iurisdictionis iam nequit amplius esse sermo, « sacerdos approbatus » in novo iure accipiendus est in eodem postremo sensu, quo accipi solebat, id est pro eodem ac « rite facultate praeditus »; ad id autem sufficit debita iurisdictio.

Diximus supra solam potestatem ordinis non sufficere ad absolvendum, sed requiri praeterea iurisdictionem. Attamen putarunt olim multi sacerdotem quemlibet a venialibus absolvere posse valide. Porro qui id fieri posset, cum certum sit absolutionem sacramentalem esse natura sua actum iudicialem et consequenter vi iurisdictionis necessario debere proferri, explicabant illi admittendo, quod iurisdictio ad venialia omnibus ab Ecclesia conferebatur in ordinatione sacerdotali. Cf. de hac quaestione v. gr. Suárez d. 26, sect. 5; Lugonem d. 18, sect. 3.

Nolimus quidem absolute affirmare illam opinionem prorsus nullum locum reperire posse in hodierno iure ab eiusque verbis excludi, si quis forte proterve contenderet Codicis statuta de necessitate iurisdictionis a certis Superioribus obtinenda posse

Art. 1. Iurisdictio in genere.

Iurisdictio est potestas publica regendi personas; publica, inquam, non enim iurisdictionis nomine donatur, sed potestatis dominativae, potestas quae immediate in ipsa societatis privatae (v. gr. familiae) natura vel in pacto privato fundatur, ad privatum personae regimen, cuiusmodi est patris potestas in filium, heri in famulum, tutoris in pupillum.

---

intelligi eodem modo ac veteres illi intelligere debebant statuta *Tridentini* exigentis approbationem a certis Superioribus obtinendam, in ordine nempe ad absolvenda mortalia nondum confessa seu de confessione necessaria, proinde non impediri per novum Codicem, quominus iurisdictio ad venialia adhuc praesumi possit dari omnibus a Papa.

Sed certe adeo absolute loquuntur novi canones, adeoque illa interpretatio esset arbitraria et violenta, ut nisi alia ratio quaeratur aliunde ad illam opinionem fulciendam, haec non videatur posse ex solis canonum verbis sustineri; nihil enim in eis reperitur, unde positivum argumentum depromi possit.

Et profecto veteres suam illam opinionem de iurisdictione ad venialia collata a Papa non e verbis *Tridentini* eruebant aut positivo ullo iuris argumento fulcire nitebantur (si unum alterumve excipias, v. gr. Castropalao tr. 23, punct. 13, n. 5), sed aliunde illam confingere debuerunt ob necessitatem explicandi consuetudinem fidelium, quam aiebant tum vigentem, confitendi venialia cuivis, etiam simplici sacerdoti. Verum hoc fundamentum iam hodie evanuit, nec ulla iam adest necessitas explicationis, siquidem illa consuetudo a tempore saltem S. Alphonsi iam disparuit; non enim confessionem illam venialium, si illius adhuc vigeret praxis apud pios fideles sui temporis, dixisset S. Doctor « certo illicitam », siquidem generali piorum consuetudine cohonestaretur; eamque nostris diebus non exsistere vel ipsa hodiernorum auctorum taciturnitas sufficienter indicat, qui de validitate vel invaliditate huiusmodi absolutionis ne verbum quidem faciunt, nec de hac quaestione, tamquam de re inexsistenti, quidquam curant. Nulla ergo iam ratio nunc allegari posset ad praesumendam illiusmodi iurisdictionem generalem.

Nec dicas, aliud esse abolitam fuisse consuetudinem confitendi venialia cuivis, aliud generalem ad haec iurisdictionem a Papa iam non dari, pergeret enim Ecclesia iurisdictionem illam sicut antea largiendo, etsi fideles ad eam non iam recurrerent. Ne, inquam, id dicas. Nam quidquid sit, utrum Ecclesia illam iurisdictionem olim largiretur necne, certe hodie eam iam non dat. Inverisimile enim est, ut notat S. Alphonsus n. 543, quod Ecclesia concedat adhuc nemine petente iurisdictionem, cuius usum prohibuit. Etenim eius prohibitio clare infertur ex interdicto Episcopis aliisque facto ab Innoc. XI « ne permittant (fidelibus), ut venialium confessio fiat simplici sacerdoti non approbato » (sane non dixit ne ipsi sacerdotes absolvant, ut male S. Alphonsum intellexisse contendit Ball.-P. n. 555, sed non erat necesse id dicere, ut intelligeretur prohibitio), cuius decretum (quod integrum cf. apud Lacroix l. 6, p. 1, n. 653) hanc venialium confessionem apud simplicem sacerdotem enumerat cum aliis circa communionem invectis quorumdam praxibus, quas tamquam abusus enititur Pontifex de medio tollere. Atque haec Innoc. XI prohibitio sine dubio causa

Est autem iurisdictio alia fori *externi*, alia *interni* seu conscientiae (can. 196). Illa bonum publicum et commune respicit primario, exercetur publice producitque effectus iuridicos et sociales; haec primario bonum respicit privatum personae seu huius iura et obligationes, quatenus suae conscientiae intersunt, exercetur in occulto producitque effectus solum coram Deo. Non tamen ambae se mutuo excludunt; nam actus iurisdictionis, sive ordinariae sive delegatae, positus pro foro externo, valet quoque pro interno, non tamen e converso (can. 202, § 1).

Iurisdictio fori interni alia est *sacramentalis*, seu quae intra sacrum poenitentiae tribunal exercetur, proinde sub sigillo sacramentali, alia *extra-sacramentalis* seu quae extra sacramentum, cum effectu tamen valido pro conscientia.

Patet nos hic de iurisdictione acturos fori interni, et sacramentali tantum. Eamque nunc, prouti (ratione tituli quo fuit acquisita) *ordinaria* sit vel *delegata*, distincte tractabimus; consideranda etiam nobis erit seorsim ea, quae extraordinarie delegatur ab Ecclesia in adiunctis quibusdam ad supplendum ordinariae vel delegatae defectum, quae secus requireretur.

---

fuit, cur praxis, quam ante ipsum testantur auctores viguisse, iam videatur disparuisse tempore saltem, quo suum opus conscripsit S. Alphonsus, forte etiam multo antea.

Quare, ait Roncaglia, *De Poenit.* tr. 19, q. 5, c. 1, q. 3, r. 2, posita prohibitione Ecclesiae iam eo ipso peccaret, qui conscius prohibitionis id faceret, et consequenter invalide confiteretur. Cf. Roncaglia ibid., ubi gravia motiva exponuntur, quae eiusmodi prohibitionem necessariam reddiderunt.

Sed iam ipsa prohibitio probat huiusmodi absolutionem hodie, etiam si poenitens prohibitionem ignoraverit, non modo illicitam fore ex parte saltem confessarii, sed etiam in se ipsa invalidam. Illa enim prohibitione posita non potest Papa praesumi, uti nuper dicebamus, iurisdictionem dare, cuius usum simul prohibet. Quod argumentum, plane obvium atque a S. Alph. adductum, etsi illationem non contineat rigorosam, et propterea illud carpit Ball.-P. loc. cit., certe tamen praesumptionem fundat validam; nam concessio iurisdictionis, quae simul in praxim deduci prohibeatur, posset quidem alias explicari, si aliquando posset eius usus ad gravi cuidam necessitati occurrendum esse utilis; pro remissione vero venialium, quae non urget et aliis modis obtinetur et sacramentaliter a pluribus approbatis peti potest, esset inexplicabilis. Perperam ergo argumentum carpit Ballerinius. Ipse potius carpendus est, qui putat in suum favorem argumentum hocce super ipsis S. Alphonsi verbis posse exstrui, videlicet, quod S. Alphonso fatente sententia communissima sit, *etiam post* Innoc. XI *decretum*, illam absolutionem (etsi illicitam) esse validam. Nequaquam id potuit intendere S. Alphonsus, qui de sententia loquens communissima quindecim auctores nominat, quorum unus tantum, Lacroix, vixit post illud decretum latum anno 1679.

634 *a*) **Iurisdictio ordinaria.** Ordinaria dicitur, quae ipso iure adnexa est officio.

Hanc habent in ordine ad confessiones excipiendas[1]: 1° Romanus Pontifex, qui plenam potestatem iurisdictionis habet in universam Ecclesiam atque immediate in omnes et singulos fideles, a quavis humana auctoritate independentem (can. 218); 2° Cardinales pro universa Ecclesia; 3° Ordinarius loci[2] pro suo territorio; 4° Parochus[3] aliique qui loco parochi sunt[4] pro territorio suo; 5° Canonicus poenitentiarius ecclesiae cathedralis vel collegiatae pro territorio dioeceseos; 6° Superiores religiosi exempti[5], etiam locales, pro suis subditis, ad normam constitutionum[6].

Absolvere possunt valide et licite praedicti omnes, *in suae iurisdictionis territorio*, etiam vagos et peregrinos aliunde

---

1 « § 1. Ordinaria iurisdictione ad confessiones excipiendas pro universa Ecclesia, praeter Romanum Pontificem, potiuntur S. R. E. Cardinales; pro suo quisque territorio Ordinarius loci, et parochus aliique qui loco parochi sunt. — § 2. Hac eadem iurisdictione gaudent etiam canonicus poenitentiarius ecclesiae quoque collegiatae, ad normam can. 401, § 1, et Superiores religiosi exempti pro suis subditis, ad normam constitutionum » (can. 873, §§ 1 et 2). — Iuxta canonem autem 401, § 1, « poenitentiarius canonicus tum ecclesiae cathedralis tum ecclesiae collegialis obtinet a iure potestatem ordinariam, quam tamen aliis delegare non potest, absolvendi etiam a peccatis et a censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis ».

2 Quinam veniant in iure nomine *Ordinarii loci*, declarat can. 198, quem recole in n. 52 nota. Praesertim retinendum est, eorum nomine intelligi Episcopos residentiales, Vicarios sive Generales sive Capitulares, non vero Superiores religiosos.

3 Parochi nomine veniunt quoque quasi-parochi (can. 451. § 2, 1°). Cf. n. 420.

4 «Loco parochi» dicuntur esse: 1° vicarius personae moralis; 2° vicarius oeconomus, qui vacantem paroeciam regit; 3° vicarius cooperator, qui paroeciae regimen assumit ad normam canonis 472 ante oeconomi constitutionem; 4° vicarius substitutus parochi absentis, legitime constitutus ad normam canonis 465, §§ 4 et 5 vel can. 1923, § 2; is expresse in can. 474 dicitur « locum parochi tenere »; 5° vicarius adiutor parochi impediti, isque dicitur etiam expresse in can. 475 « supplere parochi vicem ». Hi omnes, si ad normam iuris constituuntur, vicarius autem adiutor, si in omnibus suppleat parochi vicem, eadem iura habent ac parochi, ut constat ex can. 451, § 2, 2°, can. 471, § 4, can. 472-475.

5 Etsi religionis laicalis, dummodo Superior ipse sit sacerdos.

6 Ad normam constitutionum, nempe « quoad iurisdictionem obtinendam, quoad exercendam forsitan erga religiosos hospites eiusdem religionis ad aliam domum pertinentes, aut cum reservatione casuum, quae in religione vigeat, et demum quoad eam amittendam » (Blat., *Comment. text. Iur.* l. 3, p. 216).

ad se accedentes, itemque catholicos orientales, *suos autem subditos* etiam extra suum territorium [1].

Cessat iurisdictio ordinaria ad excipiendas confessiones cum amissione officii [2] (can. 873, § 3), officium autem amittitur renuntiatione, privatione, amotione, translatione, lapsu temporis praefiniti (can. 183, § 1) [3].

b) **Iurisdictio delegata.** Delegata dicitur ea, quae commissa est personae (can. 197, § 1). **635**

Possunt delegare suam iurisdictionem vel ex toto vel ex parte, ait can. 199, § 1, ii qui eam habent ordinariam, nisi aliud expresse iure caveatur. Expresse autem cavetur, prouti dicetur paulo inferius, ut suam iurisdictionem ordinariam « ad audiendas confessiones » non possit delegare quilibet, sed ii tantum qui expresse nominantur in iure, diversique sunt secundum certam diversitatem personarum, saecularium, monialium, navigantium etc., ut paulo inferius dicetur.

Delegatus ad confessiones suam iurisdictionem subdelegare non potest; id enim valide non fieret, nisi ex concessione delegantis expressa, ut constat ex can. 199; qui enim alteri hanc facultatem dat, vult tantum ut ipse ea utatur, nisi aliud constet; aliunde vero, si valide haec iurisdictio subdelegari posset, iam fere inutiliter ius canonicum exigeret, ut ad iurisdictionem obtinendam pro confessionibus audiendis recurrendum esset ad certos et determinatos Superiores [4].

---

1 « § 1. Omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones approbati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam vagos ac peregrinos ex alia dioecesi vel paroecia ad sese accedentes, itemque catholicos cuiusque ritus orientalis, valide et licite absolvere. — § 2. Qui ordinariam habent absolvendi potestatem, possunt subditos absolvere ubique terrarum » (can. 881).

2 Non exstinguitur iurisdictio ordinaria, ait can. 208, resoluto iure concedentis officium, cui adnexa est (id est si moriatur aut aliter suo ipsius officio excidat is, qui officium alteri contulerat), sed exstinguitur solummodo per amissionem officii. Quare resolutio iuris in eo, qui concesserat officium, non potest esse causa exstinctionis iurisdictionis, nisi causa sit amissionis officii, v. gr. si officium concesserat « ad beneplacitum nostrum », ut habes ex can. 183, § 2.

3 Amittitur quoque iurisdictio ordinaria ad excipiendas confessiones post latam sententiam condemnatoriam vel declaratoriam de excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto (can. 873, § 3).

4 Nec dicas, quod confessarius est delegatus ad universitatem causarum, ergo subdelegare potest ad aliquam particularem confessionem. — *Resp.*: Confessarii nequeunt censeri officium ordinarium exercere, ut bene probat Pirhing l. 1, tit. 29, sect. 14, n. 25 ex eo, quod saepe audiunt etiam eos, in quos delegans non habet

636 Cum Superior concedit, ut aliquis possit alios habilitare ad audiendas confessiones, generaliter non intendit, ut iurisdictionem, quam iam habet, aliis subdeleget; siquidem is saepe iurisdictionem, quam habet, transmittere non potest aut forte nullam habet, sed agitur tantum de designatione facienda personarum; qua facta, Superior ipse censetur tertio iurisdictionem conferre. Huiusmodi accidit, cum Episcopus concedit, ut vicarii foranei sacerdotibus benevisis licentias conferant, aut parochi in finibus dioeceseos vicinae dioeceseos parochos ad se adiuvandos advocent[1]; non enim vicarii foranei aut parochi propriam iurisdictionem ad confessiones, quam habent ordinariam, delegare possunt[2]. Sic etiam potest monialis, etsi ipsa iurisdictionis incapax, de consensu Ordinarii loci sacerdotem quemlibet advocare, apud quem instituat confessionem.

---

potestatem ordinariam; ipsi etiam vicarii coadiutores, ait, a parocho facultati ad confessiones (adverte tamen, quod nunc non possunt a parocho ad hunc finem facultari), non possunt subdelegare, quia tantum opera sua locant parocho. Eadem ait Ferraris, *Prompta bibl.*, v. *Delegatus* n. 24. Valent praeterea rationes supra allatae, quibus concluditur hanc potestatem non esse subdelegabilem, saltem sine expresso consensu delegantis.

Denique *Comm. I.C.* 16 oct. 1919 (*A.A.S.* [1919] p. 477 ad 3) respondit: « Parochi, vicarii parochorum, aliive sacerdotes ad universitatem causarum delegati non possunt sacerdotibus sive saecularibus sive religiosis delegare iurisdictionem ad confessiones recipiendas, nec iisdem iam approbatis iurisdictionem extendere ultra fines loci vel personarum, intra quos ad normam can. 878, § 1 fuerit circumscripta; sed ad id egent speciali facultate seu mandato Ordinarii loci. »

1 Si Ordinarius omnes vicarios foraneos vel parochos, aliquo dato statuto, ad id facultaverit, vel si haec sit dioeceseos legitima consuetudo, possunt praedicti in usu eiusdem facultatis mortuo Ordinario perseverare; eius enim voluntas per statutum declarata vel consuetudo post eius mortem perseverat.

Sed si Ordinarius similem facultatem alicui concesserit privatim, v. gr. Episcopus dixerit Superiori religioso, ut subditos ad confessiones monialium mittat, quoties censeat opportunum, non potest Superior valide aliquem mittere mortuo Episcopo; nam Superior iurisdictionem dat nomine Episcopi, non proprio, id est ipse est merus personarum designator, ut diximus, et Episcopus censetur ipse singulos delegare, id autem falsum redditur post eius mortem aut cessationem ab officio.

Similiter si Ordinarius alicui, v. gr. suo secretario dicat, ut facultates det, quibus ipsi videatur, ad confessiones audiendas, secretarius non poterit facultates dare post cessationem Ordinarii a suo munere; non cessabunt tamen facultates, quae iam a secretario acceptae fuerint ad tempus illimitatum vel ad certum tempus, cuius terminus nondum effluxit.

2 Vide dicta in nota proxime ante praecedentem.

Iurisdictio iis tantum concedi debet, qui idonei per examen reperti fuerint[1], nisi aliunde sacerdotis idoneitas comperta sit. Certo igitur potest et debet Ordinarius loci ad examen vocare etiam regulares, si aliunde alicuius doctrinam compertam non habet. Generatim tamen de horum doctrina sufficienter ipsi constare potest ex Superiorum praesentatione; regularem enim debet suus Superior praesentare (can. 874, § 2), Superior autem monetur, ne praesentet nisi idoneum; licentiam enim ad utendum iurisdictione Ordinarii loci dare non debet, nisi illis suis religiosis, de quorum doctrina vicissim per examen aut aliunde ipsi constet (can. 874, § 1 et 877, § 1).

Ius ad examen vocandi eum, de cuius idoneitate non constat, competit non Ordinariis loci tantum, sed cuivis, qui iurisdictionem collaturus sit, v. gr. Superiori regulari, aut qui licentiam suo subdito daturus sit utendi iurisdictione ab Ordinario loci accepta.

Si is qui iurisdictionem contulit aut licentiam dedit iurisdictione utendi, prudenter dubitat deinde de sacerdotis idoneitate, potest eum ad examen iterum vocare, immo adigere, sub poena revocandae iurisdictionis vel licentiae.

Iurisdictio concedi potest cum certis limitibus[2] temporis, **637**
personarum, locorum, v. gr. ad annum, pro viris tantum. Idem dic de licentia religioso danda a suo Superiore.

Iurisdictio concedenda est expresse[3], scripto vel verbis, nec sufficit *tacita*, quae ex quibusdam Superioris actibus aut circumstantiis coniiciatur, etsi evidenter; a fortiori non sufficit interpretativa[4] (n. 11 et 12). Valet tamen, quae in scripto aut verbis continetur *implicite;* quod enim sic continetur, certe

---

1 « § 1. Tum locorum Ordinarii iurisdictionem, tum Superiores religiosi iurisdictionem aut licentiam audiendarum confessionum ne concedant, nisi iis qui idonei per examen reperti fuerint, nisi agatur de sacerdote cuius theologicam doctrinam aliunde compertam habeant. — § 2. Si post concessam iurisdictionem aut licentiam prudenter dubitent num probatus a se antea sacerdos pergat adhuc idoneus esse, eum ad novum doctrinae periculum adigant, etsi agatur de parocho aut canonico poenitentiario » (can. 877).

2 « § 1. Iurisdictio delegata aut licentia audiendarum confessionum concedi potest certis quibusdam circumscripta finibus — § 2. Caveant tamen locorum Ordinarii ac religiosi Superiores, ne iurisdictionem aut licentiam sine rationabili causa nimis coarctent » (can. 878).

3 « § 1. Ad confessiones valide audiendas opus est iurisdictione scripto vel verbis expresse concessa. — § 2. Pro concessione iurisdictionis nihil exigi potest » (can. 879).

4 Interpretativa vocatur etiam « praesumpta de futuro »; est enim ea, quae praesumitur quod a Superiore ratihabebitur deinde, cum certior fiet, seu, quod idem est, quae exsisteret, si peteretur.

exprimitur[1]. Sic v. gr. ipse Codex, cum in can. 474 declaret, quod sacerdos nominatus a parocho[2] repentina et gravi causa ultra hebdomadam abituro « locum parochi tenet in omnibus », eo ipso dicit implicite[3], quod ipsi facultas a iure confertur ad confessiones pro eo tempore, nam « in omnibus » formaliter implicite continet confessiones. Similiter si vicarius foraneus tibi dicat « libere age in mea ecclesia, nam habilitare possum ad confessiones », eas praemissas verbis expresse profert, quae virtualiter implicite hanc conclusionem continent: « habilito te ad confessiones in mea ecclesia. »

Si Episcopus te advocat, ut in sua dioecesi concioneris, non ideo facultatem dat ad confessiones. Si te invitat vel advocat, ut missiones exerceas per suae dioeceseos pagos, non potes illico missionarium agere et iurisdictione uti, quia haec non colligitur nisi ad summum tacita. Si te iam mittit scribens aut dicens ut eas, iurisdictio valet, nam mittere ad exercenda omnia opera missionarii propria, est mittere ad audiendas quoque confessiones, cum id sit unum ex iis operibus, et praeterea illud litteris aut verbis manifesto protulerit.

Si consuetudo est, vel ex statutis dioecesanis constat, ut quicumque diploma idoneitatis accipiat post examen, eo ipso intelligatur habilitatus ad confessiones ad triennium, tunc qui illud accipit, iurisdictionem simul ad triennium accipit; consuetudo enim vel statuta satis manifestant quid significare voluerit ille, qui illiusmodi formulam scripto vel verbis expresse usurpavit.

638 *Iurisdictio incipit*, quando de eius concessione notitia accipitur[4].

Iurisdictio exercenda est cum consensu eius, qui praeest loco, in quo confessiones sunt audiendae. Debitus enim ordo

---

1 Nam « expressum », ait Sánchez, *De Matrim.* l. 3, d. 35, n. 2, non solum id dicitur, quod in specie exprimitur, sed etiam quod sub generali verborum significatione continetur.

2 A parocho tamen nominatus cum onere Ordinarium quamprimum commonefaciendi.

3 Explicite quidem id dicit Codex in can. 873, § 1, sed implicite iam id dixerat in can. 474.

4 Putavit Arregui, *Summarium Theol. mor.* n. 599 nota, post latum Codicem valorem iurisdictionis ad absolutionem incipere ab instanti concessionis, ante quamlibet eius notitiam; nam, etsi dicat laudatus auctor non requiri « authenticam » notitiam, ea tamen argumenta promit, e quibus conficeretur non requiri ullam notitiam. Haec enim duo argumenta affert: quod ex can. 37 rescriptum valet ante eius acceptationem, nisi aliud constet, et quod ex can. 38 rescripta, quibus gratia conceditur sine interiecto exsecutore, effectum habent a momento quo datae sunt litterae. Quibus argumentis consensit Gén.-S. n. 327.

Nullatenus tamen iis assentimur. Hae enim canonum declarationes intelligendae sunt iuxta capacitatem materiae, id est

postulat, ut in aliena ecclesia, capella vel sacello confessiones non audiantur sine venia, saltem rationabiliter praesumpta, eius, cui loci cura concredita est. Hanc porro veniam ad validitatem non requiri manifestum est.

---

rescriptum valet a momento concessionis, *nisi gratia requirat natura sua acceptationem.*

Quando igitur opus non est exsecutore, valent a momento concessionis, ante quamlibet notitiam, gratiae *quibus mere aufertur legis prohibitio vel impedimentum*, v. gr. si tertius pro alio impetraret, eo nesciente, ut eius matrimonium sanaretur in radice, vel ut alius praeceptum Missae adimplere posset in oratorio privato, quod frequentat, putans se adimplere, vel si quis impetrat ut convalidentur admissiones, quas ipse perperam fecit hucusque in aliquam confraternitatem. At non valet ante notitiam gratia, *qua positive aliquod ius transmittitur*, est enim quaedam donatio, donatio autem natura sua non valet ante eius acceptationem (cf. etiam Suárez, *De Censuris* d. 2, s. 3, n. 17); nec prodesset obiicere legata, nam haec ideo valent ab instanti mortis testatoris, quia a donatore revocari iam non possunt. Et quamvis in Papa forte absolute sit potestas, ut illiusmodi iurium transmissiones validas faciat ante acceptationem, tamen id nec facit, nec expedit ut faciat, ut probat Suárez, *De Legib.* l. 8, c. 25, et propterea id facere dicendus non est, ait ipse Suárez ibid. n. 15, « nisi verba ita omnino cogant, ut alium sensum habere non possint ».

Praeterea, exercitium potestatis necessario requirit, ut quis velit actum vi illius potestatis ponere; ita, si quis vellet absolvere, sed cum intentione praedominante non utendi iurisdictione accepta, nihil ageret, sicut si sacerdos vult verba consecrationis proferre, sed cum voluntate non proferendi vi potestatis ordinis, non consecrat. Requiritur ergo notitia potestatis eiusque acceptatio.

Si quis igitur, sciens sacerdotem confessiones excipere in quodam pago, quem bona fide putat pertinere ad suam dioecesim, licentias necessarias impetrat pro eo, confessiones ante licentiarum notitiam exceptae absque errore communi, non valent. Similiter, si Ordinarius licentias mittit ad sacerdotem advenam, qui illas non petiit, isque interea aliquem poenitentem admittit (ignoranter credens suae dioeceseos documenta sufficere, secus, sine bona fide, ne intentionem quidem haberet absolvendi), confessio non valet.

Quare, illorum canonum sensus, quatenus *de collatione iurium* accipiantur, iste est, ut quamvis concessiones generatim fiant sub condicione tacita « si alter acceptet » (n. 297), gratiae tamen in forma gratiosa non censeantur sub hac condicione dari, *quantum est ex parte concedentis.*

Nec ideo tamen concessiones iurium dicendae sunt invalidae ante acceptationem. Valent enim, posita declaratione canonum 37-38, quantum est ex parte ipsarum, possuntque inde reales effectus oriri; v. gr. si cui inscio concederetur pensio super beneficium vacans, aut ius ad distributiones chorales in absentia, non posset id ante notitiam in usum valide deduci et quivis exactionis actus sic positus, esset quovis tempore impugnabilis ut invalidus, posset tamen tempus ad pensionem aut distributiones exigendas computari a die concessionis.

Iurisdictio ergo ad confessiones, si tibi inscio datur ab Ordinario motu proprio aut ad petitionem alterius, non influit in absolutiones, quas impertieris, donec tibi notitia detur. Immo, nec videtur sufficere si concessio tibi nota fieret per alium, quam per

Peregrinos ac vagos absolvere etiam potest valide et licite qui in aliquo loco iurisdictionem, etsi delegatam, habet ad audiendas confessiones, itemque absolvere potest catholicos cuiusvis orientalis ritus (can. 881, § 1).

Ordinarium, aut per ipsum impetrantem, aut per nuntium ab utrolibet missum (v. gr. si id tibi dicat aliquis, qui casu id sciverit), ut habet SÁNCHEZ, *De Matrim.* l. 3, d. 36, n. 7.

Dicta sunto quae praecedunt, pro casu quo facultas absolvendi tibi datur, *te prorsus ingnorante* (de hoc puncto conferri potest SUÁREZ, *De Legib.* l. 8, c. 25; SÁNCHEZ, *De Matrim.* l. 3, d. 35 et 36; LUGO, *De Poenit.* d. 19, s. 2, n. 17 seqq.; cf. etiam can. 53).

Nam alia prorsus esset quaestio, *si tu per nuntium aut litteras facultatem petieris.* Et fortasse hunc tantum casum respiciebant ARREGUI et GÉN.-S.; sed revera iis argumentis usi sunt, quae ab hac hypothesi abstraherent.

Quaeritur ergo nunc, si tu per nuntium aut litteras facultatem petieris, utrum ad validitatem absolutionis necessario exspectandus tibi sit nuntii reditus aut litterarum adventus, an vero iurisdictio effectum habeat ad absolvendum valide a momento concessionis.

Nullum est dubium, quod ante Codicem non requirebatur haec nuntii aut litterarum manifestatio. Etenim qui petitionem mittit per nuntium vel litteras, simul censetur mittere suam acceptationem futurae concessionis, unde iam nihil deest, nisi ut concessio revera fiat, quin eius ulteriore notitia opus sit, notitia enim non requiritur nisi ut poni possit acceptatio.

Nec ambigendum est, quin id ipsum tenendum sit post Codicem. Nam, ex una parte, rei natura inspecta, facultas iam ab eo momento valide exerceri potest, quia et data est et acceptata; ex alia parte, nihil aliud a Codice exigitur, nam illa facultas supponitur data nuntio per verba expressa vel per litteras transmissa. Exsistit ergo facultas concessa expresse, nec aliud requisitum Codex introducit de iure positivo.

Itaque verum habemus quod ait VERM.-CREUS. n. 149, vel VERMEERSCH, *Theol. mor.* n. 453: qui moraliter certus esset de responso affirmativo iam dato procuratori vel de rescriptione favorabili iam facta litteris, quas misit, valide iam absolveret, supposito quod tale responsum reipsa datum sit.

Sed contra validum usum huius facultatis, cuius concessio in casu facta praesumitur, obiiciet fortasse quis, quod can. 879 ad validitatem requirit iurisdictionem *expressam*, utique ad excludendam *tacitam*, uti admittunt omnes quotquot post Codicem scripserunt, atque ipse etiam VERM.-CREUS. loc. cit. Atqui « tacita » et « *praesumpta* de praesenti » nihil pro nostro scopo differunt; nam utraque in eo convenit, quod consensus aliunde, id est, ex indiciis colligitur exsistere de praesenti, et in hoc tantum differunt, quod tacita dicitur, si consensus exsistere colligitur ex actibus sensibilibus, praesumpta vero, si ex praesumptionibus; et propterea SÁNCHEZ, *De Matrim.* l. 3, d. 35, n. 3 iure ait licentiam expressam distingui contra tacitam et praesumptam etiam de praesenti. Cum igitur canon 879 expressam expresse exigit, excludit praesumptam etiam de praesenti.

Difficultas aequivocatione laborat. Etenim auctores attente consideranti planum fit, hos, nomine facultatis praesumptae de praesenti, eam intelligere, cuius praesumitur de praesenti positus consensus mere internus, non vero cuius praesumitur posita exter-

Cessat iurisdictio delegata: 1° *revocatione*[1] delegantis (eiusve successoris) delegato directe intimata[2] (can. 207); **639**

na et expressa manifestatio. Tunc enim (atque is est casus, qui nunc consideratur) non tantum consensus concedentis praesumitur exsistere de praesenti, sed etiam eius manifestatio expressa. Huius ergo praesumptio de praesenti adeo non potest concessioni expressae contraponi, ut potius hanc supponat. Concedens videlicet posuit consensum expressum, prout requirit Codex, et tu illum posuisse et expresse posuisse colligis ex praesumptionibus.

Bene advertit VERM.-CREUS. loc. cit., illiusmodi praesumptione factae concessionis uti non licere nisi in casu urgenti; semper enim haec praesumptio plus minus habet incertitudinis, quae absolutionem nullitati exponeret (v. gr. potuit Superior ex causa ignorata impraevisa facultatem negare, potuit esse absens, vel infirmus etc.); porro absolutionem dare cum periculo nullitatis non licet sine causa urgente, ut mox dicemus.

Liceat his casibus practicis concludere.

Si quis fidedignus videatur et dicat se accepisse licentiam ut confiteatur tecum, acquiescere potes (SÁNCHEZ loc. cit. d. 37, n. 1) et iurisdictio valet; nam ille est tibi nuntius ipso facto a concedente creatus, ut tibi concessionem factam manifestaret, nihilque requiritur nisi tua acceptatio.

Si Superior mittat te ad excipiendas confessiones monialium aiens se id posse facere ex facultate ab Episcopo accepta pro subditis quos mittere prudenter iudicaverit, iurisdictio ad moniales valet; facta enim iam est expresse ab Episcopo et Superior nuntius ab eo constitutus est, per quem concessionem agnoscas et acceptes.

Idem dic, si Superior pro religiosis, qui recens advenerint, facultatem ab Episcopo acceperit eos mittendi ad audiendas confessiones in templo. Sed non valeret, si sacristanus diceret, « audi istius confessionem, quia Superior facultates iam habet pro advenientibus »; ipse enim non est nuntius a concedente constitutus, nisi forte ab ipso Superiore vicissim nuntius constitutus fuerit, qui te faceret certiorem, et illi possis credere.

Sed si Superior dicat tantum « perge ad audiendas confessiones talium monialium », non valet; non est enim licentia sat expressa, cum idem dicere posset supponendo te habere aliunde facultatem ad moniales, vel explorando an tu respondeas non habere, ut deinde tibi det. Sed valet, si aliunde iam ipse semel pro semper declaraverat pro largitione facultatis esse intelligendum, quoties id dixerit, nec timeri prudenter possit suae declarationis esse iam oblitus.

[1] Attamen, non quaelibet prohibitio est iurisdictionis revocatio; quod ex circumstantiis et praesertim ex causis prohibitionis colligi poterit. Id iam aliqui expresse adverterant, occasione loquendi de facultatibus seu privilegiis religionis, quas Superior aliquando communicaverit suis subditis ab Ordinario loci approbatis. Generatim enim, aiebant, si Superior confessiones audire prohibeat ob timorem indebitae sacramenti administrationis, vel in poenam alicuius delicti, tunc videtur facultates auferre; secus vero, si id prohibeat, ut religiosus in aliis officiis occupetur. SUÁREZ, *De Relig.* l. 9, c. 2, n. 7; CASTROPALAO tr. 23, punct. 14, n. 9.

[2] Potest tamen intimari per alium ad hoc destinatum. BLAT, *Comm text. Cod.* l. 2, p. 178.

Attamen, loci Ordinarius vel Superior religiosus iurisdictionem vel licentiam ad audiendas confessiones non debent revocare aut suspendere nisi gravem ob causam; potest Ordinarius etiam

2° *renuntiatione* delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata (can. 207); 3° *elapso tempore* pro quo concessa fuit (can. 207).

Non cessat, *resoluto iure delegantis* [1], nisi aliud ex clausulis appareat (can. 207 et can. 61).

Proinde, mortuo delegante, non cessat iurisdictio, si *concessio generalis* data fuit [2], vel si *usque ad revocationem*, vel si *ad certum tempus*, quod tunc nondum exspiravit.

Sed, si data fuit cum clausula « quamdiu vixero » vel « durante meo munere », patet quod exspirat cum ipsius obitu vel cum eius cessatione ab illo munere [3].

---

parocho vel poenitentiario confessarii munus interdicere, tuncque licet his ad S. Sedem appellare, non tamen interea prohibitio suspenditur; non licet Episcopo iurisdictionem omnibus alicuius domus formatae religiosis simul adimere (can. 880).

[1] Id est eo iurisdictionem amittente per mortem aut cessationem ab officio.

[2] Sánchez, *De Matrim.* l. 8, d. 28, n. 72; Salmant. tr. 6, c. 11, n. 80; S. Alph. n. 559.

[3] Iurisdictio data cum clausula « ad beneplacitum nostrum » vel alia aequipollenti, v. gr. « ad arbitrium nostrae voluntatis », vel « donec voluero », cessat morte concedentis, quia eo ipso cessat eius beneplacitum seu voluntas. Ita communiter. Cf. can. 73 et can. 183. Suárez, *De Poenit.* d. 27, s. 4, n. 9; Salmant. tr. 6, c. 11, n. 85; S. Alph. n. 559; et post Codicem Noldin III, n. 342; Gén.-S. n. 327.

Nequit tamen vocari in dubium, quod clausulae eo tandem sensu intelligendae sunt, etsi a litterali diverso, quo constat eas a concedente fuisse usurpatas, potestque per consuetudinem aut per aliquam declarationem constare de sensu, quo eas usurpare libuerit concedenti.

Cum igitur ante Codicem probabile esset multis in regionibus clausulam his verbis conceptam « ad beneplacitum nostrum », vel « por el tiempo de nuestra voluntad », ad licentias confessariis concedendas, pro eodem usurpari solere ac « usque ad revocationem », poterunt confessarii, qui *ante Codicem* licentias sub illa clausula iis in regionibus receperunt, iisdem uti donec vel revocentur, vel per legitimam declarationem statuatur eas suo litterali sensui esse subiiciendas; quod autem ille sensus fuerit mere probabilis, nihil refert, ut patet ex can. 209, de quo inferius. Porro, multis in regionibus habuisse probabiliter illum sensum, testabantur in suis editionibus ante Codicem Lehmk., *Cas. consc.* II, n. 434; Noldin n. 348; Génicot n. 327; Gury-Ferreres n. 546 V; Buccer. n. 768; et luculento praesertim testimonio est responsum *S. Congr. Episc. et Reg.* datum 19 iun. 1866 (quod vide integrum ap. Ball.-P., *De Poenit.* n. 577), in quo manifeste supponitur facultas ad confessiones data sub clausula « ad beneplacitum nostrum » non exspirare defuncto Episcopo. Idem probabile habuerunt etiam Castropalao, *De Privil.* tr. 3, disp. 4, punct. 16, § 5, n. 5; Salmant., *De Privil.* tr. 18, c. 1, punct. 9, n. 149; Ferraris, v. Approbatio art. 1, n. 10; S. Alph. *De Privil.* append. II, n. 13.

Nec difficultas est, ut in iisdem regionibus pergant confessarii in eodem praedicto sensu accipere licentias, quae ipsis sub clausula « ad beneplacitum nostrum » concedantur *post Codicem*,

Etsi iurisdictio ad vitam concedentis data sit, vel ad certum tempus, ita tamen videtur accipienda, ut perfici possit confessio, quae iam incepta sit in instanti, quo illius mors eveniat, vel tempus elapsum sit; certo videtur ergo concessionem debere semper subintelligi cum his limitibus: « si res integra sit » [1]. Profecto, Codex, can. 207 et 61, id subintelligendum dicit, quando facultas datur ad confessionem particularis personae.

Qui facultatem ad confessiones illimitatam accepit, non eam amittit per translationem domicilii in aliam dioecesim, nisi aliud de voluntate concedentis constet; sed ea semper uti

---

nisi aliud Ordinarius declaraverit. Ita sentit ephem. *Sal Terrae* (1919) p. 796 et probabile dicit ARREGUI n. 600 nota. Et iure merito. Nusquam enim statuit Codex, ut in nullo alio sensu, quam litterali, usurpari possit haec clausula si apponatur in licentiis ad confessiones. Immo diserte ait canon 207, § 1 potestatem ab Ordinario delegatam non cessare resoluto eius iure, nisi in duobus casibus, scilicet, si aliud ex clausulis appareat, vel si data sit ad casum particularem et res adhuc integra sit; iam vero, nullo modo apparet aliud ex clausula « ad beneplacitum » in iis regionibus, ubi ex consuetudine haec clausula significat tempus usque ad revocationem.

Nec quidquam obsunt canones 73 et 183. Etenim, imprimis hi canones sensum litteralem illius clausulae potius supponunt quam decernunt. Deinde sermo ibi est de cessatione privilegii et de amissione officiorum (stricto sensu acceptorum [can. 145, § 2]), non de cessatione facultatis ad confessiones. Immo adhuc privilegii concessio, si a Superiore fieret sub clausula « ad nostrum beneplacitum », et constaret, quod ex conventione vel consuetudine eumdem sensum facit ac « donec revocetur », in hoc sensu accipienda esset, non obstantibus praedictis canonibus; nam tandem tantum accipitur facultatis, quantum alter vult dare; quare, etiam in can. 73 et 183 id necessario debet subintelligi, nempe, « nisi constet ex conventione aut aliunde hanc clausulam a concedente in alio sensu fuisse usurpatam ».

Denique, etsi Codex statuisset, ut haec clausula non posset alium sensum quam litteralem habere in licentiis ad confessiones, adhuc non sustulisset consuetudinem aliter agendi (can. 30), nam in illis regionibus consuetudo certe est plusquam centenaria, ut patet ex auctoribus allegatis.

Nullus ergo scrupulus, quin idem ibi teneri possit circa licentias post Codicem concessas. Nec dicas, quod forte mens Ordinarii est post Codicem, ut clausula sensum habeat, quem habet in Codice. Gratis omnino id dicitur, siquidem nusquam dicit Codex, ut talis sensus, et non alius, illi tribui debeat, praesertim in licentiis ad confessiones. Et si Ordinarius, in regionibus ubi talis consuetudo hucusque viguit, mentem mutaverit, id declarare debet.

Optandum tamen esset, ut ad tollendos scrupulos, quos praedicti canones possent creare in aliquibus, usurparetur deinceps formula « usque ad revocationem », vel « donec revocetur », vel « ad beneplacitum Sedis », ad designandam facultatem cum iure concedentis non exstinguendam, potius quam illa « ad beneplacitum nostrum ».

[1] LUGO d. 19, n. 24 cum permultis ab eo allegatis. ARREGUI, *Summar. Theol. mor.* n. 600.

poterit, si ad dioecesim priorem revertatur, sive denuo ibi domicilium figat, sive ut hospes commoretur, dummodo interim licentiae non fuissent revocatae[1]. Idem dic, si concessa fuit ad tempus, quo durante sacerdos alio se transtulit, facultas enim perdurat pro ea dioecesi usque ad terminum temporis praefiniti.

640 *c*) **Iurisdictio extraordinaria.** Aliquando ob bonum animarum vel ad conscientiae confessarii tranquillitatem, supplet Ecclesia iurisdictionem, quae vel certo vel forte non habebatur; sed id facit transeunter tantum, seu pro casibus dumtaxat, in quibus ob iurisdictionis defectum absolutio invalidaretur, dummodo ceteroquin adsit error communis vel faveat probabilitas vel non advertatur tempus esse elapsum[2].

1° *Error communis circa confessarium* tunc adest, quando plane multi sunt, qui hunc legitimum esse confessarium putent, cum non sit[3]. Casus accidit: si quis communiter creditur

---

1 Lugo d. 21, n. 44; Salmant., *De Privil.* tr. 18, c. 4, punct. 2, n. 73; Lacroix n. 1641, alibi 1541; Gury-Ferreres cas. n. 568 569; Lehmk., *Cas. consc.* II, n. 436.

2 « § 1. Potestas delegata exstinguitur, expleto mandato; elapso tempore aut exhausto numero casuum pro quo concessa fuit; cessante causa finali delegationis; revocatione delegantis delegato directe intimata aut renuntiatione delegati deleganti directe intimata et ab eodem acceptata; non autem resoluto iure delegantis, nisi in duobus casibus de quibus in can. 61. — § 2. Sed potestate pro foro interno concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est » (can. 207).

« In errore communi aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti, iurisdictionem supplet Ecclesia pro foro tum externo tum interno » (can. 209).

3 Distinguebatur olim error communis cum titulo colorato coniunctus vel secus, et tantummodo in primo casu certum erat iurisdictionem ab Ecclesia suppleri. Nam si titulus deerat, suppletio erat solum probabilis (cf. S. Alph. n. 572, qui tamen plures auctores perperam citat, qui non de quaestione circa errorem communem sine titulo loquebantur, sed de alia circa iurisdictionem probabilem. Cf. potius Lacroix l. 6, p. 1, n. 112-120). Nec suppletio poterat, deficiente titulo, certa reddi ex eo, quod certum erat iurisdictionem probabilem suppleri; nam propositae quaestionis probabilitas versabatur circa suppletionem Ecclesiae consequenter ad susceptam confessionem, quae quaestio prorsus diversa est ab alia, quae tenet Ecclesiam supplere iurisdictionem, quae probabiliter iam habetur antecedenter ad confessionem; atque adeo non posset solutio prioris quaestionis niti in solutione secundae, ut potius multi, v. gr. Sánchez, *De Matrim.* l. 3, d. 22, n. 65 quaestionem secundam de iurisdictione probabili solverent ex priore de errore communi, illam ad hanc reducentes, quasi casum particularem ad quaestionem magis generalem.

Nunc autem omne dubium sublatum est, et certum est Ecclesiam supplere in errore communi etiam sine titulo.

vere parochus, cum tamen non sit, quia beneficium obtinuit per occultam simoniam; si quis in oppido publice notus est ut confessarius, quia habitualiter audit confessiones, sed nunc suspensionem occultam incurrit[1]; si missionarius, in locis, ubi missionem praedicat, confessiones sine iurisdictione excipit; si sacerdos extraneus, iurisdictione destitutus (v. gr. quia ignorat hunc locum iam esse extra fines suae dioeceseos), confessionale ingreditur magna in templo adstante et vidente[2] fidelium multitudine. In his casibus Ecclesia iurisdictionem supplet, iuxta can. 209[3].

Error tamen debet esse communis, ut diximus; nam si est privatus, seu paucorum, certum est Ecclesiam non supplere, ipsa enim agit ad instar provisoris generalis, qui solummodo bono generali providet.

---

[1] Etiamsi a paucis horis inceperit suspensio et nunc confessionem alicuius privatim exciperet, iurisdictio suppletur; persuasio enim communis in oppido habitualiter exsistit et adhuc perseverat.

[2] Quid, si in templo magna quidem adstaret multitudo, sed pauci omnino adverterent sacerdotem in confessionali adesse? Verm.-Creus. I, n. 232 quaestionem ponit, utrum ad errorem communem *factum* erroris multorum requiratur, an satis sit poni *fundamentum* huiusmodi erroris ita, ut multis *necessario errandum* sit. Rem egregius auctor relinquit incertam, et revera difficulter solvitur.

Videtur tamen dstingui posse inter fundamentum *proximum* et *remotum;* proximum intelligendo id, ex quo error, hic et nunc, consideratis omnibus circumstantiis iam exsistentibus, necessario per se sequi debet; quod si non sequatur, id sit prorsus per accidens.

Quare, in exemplo allato, adstante magna fidelium turba in templo, et adstante sacerdote in confessionali in loco non plane occulto nec modo occulto, per accidens omnino est quod pauci ad id attendant; per se enim et necessario, moraliter loquendo, error sequi debet, nulla alia exspectata circumstantia, ideoque supplетur iam ab initio iurisdictio.

Aliud forte dici deberet de exemplo a praeclaro auctore adducto, scilicet de religioso, qui mox ex alia dioecesi veniens, in templo novi domicilii confessiones audit, in confessionali cui eius nomen appositum est, oblitus tamen petendae iurisdictionis ab Ordinario huius loci. Nam quae hic narrantur fundamentum quidem sunt erroris, sed *remotum*, ita ut non sufficiat unus alterve fidelis in templo ad supplendam iurisdictionem; ut fundamentum proximum sit, exspectanda est adhuc aliqua essentialis circumstantia, nempe ingressus plurium personarum, quae id *possint* advertere.

[3] « Quia error communis », ait Verm.-Creus. n. 154, « ab errore privato distinguitur, et communitatis religiosae domus est coetus privatus, error communitatis religiosae nondum est per se error communis. Communis autem fuerit error provinciae religiosae, vel etiam nostra sententia, collegii aut domus, quae ultra centum incolas numerarit. » Supponuntur, ut planum est, omnes in errore esse, non autem si pars eorum ignoraverit, v. gr. aliquem novum sacerdotem, qui iurisdictione caret, in collegium advenisse et confessiones in sacello excipere.

Ceterum, manifestum est graviter peccare sacerdotem qui, sciens se iurisdictione carere, fretus errore communi confessiones accipit[1] et Ecclesiam ad supplendum cogit. Haec enim non supplet nisi consequenter ad grave crimen sacerdotis, ob bonum commune animarum. Praeterea, absurdum esset putare, quod Ecclesia hanc ansam velit dare sacerdotibus, ut sibi licite licentias procurent, quas non habeant; propterea, elapso iurisdictionis tempore, ut dicetur paulo inferius, iurisdictionem sacerdoti non tribuit, nisi agat « inadvertenter ».

Immo, sacerdos qui in casu sacramentales confessiones audire praesumeret, suspensionem a divinis ipso facto incurreret, iuxta can. 2366[2] (cf. n. 937).

641 2° *Iurisdictio probabilis* ea dicitur, cuius exsistentia nititur ratione aliqua solide probabili. Porro, haec probabilitas alia est *iuris*, cum probabilis est sensus legis concedentis iurisdictionem, alia *facti*, cum probabile est iurisdictionem fuisse a Superiore obtentam, vel non cessasse.

Iurisdictionem solide probabilem probabilitate sive iuris sive facti suppleri ab Ecclesia certum est ex can. 209[3].

---

1 Quidquid dicat NOLDIN tom. 3, n. 346 (si tamen contrarium sentit); nam, si liceret confessiones excipere propter iurisdictionis obtentionem ex errore communi, non obstante conscientia carentiae iurisdictionis, iam possent omnes licite eius petitionem praetermittere et confessiones in ecclesiis audire. Si tamen, inquam, contrarium sentit; non enim dicit quod, qui recordaretur tempus iurisdictionis elapsum esse, potest nihilominus ad audiendas confessiones pergere, sed quod « si id confessiones audiens recordaretur, ab audiendis confessionibus cessare non deberet », quod facilius admitti posset, si a confessionibus sine gravi rubore quamprimum discedere non valeret, cum aliunde certo cum iurisdictione suppleta absolvere possit; improbari tamen debet, quod clarus auctor gravis causae necessitatem non meminerit.

2 Ita cum CERATO (ap. VERM.-CREUS. n. 157); GÉN.-S. n. 331; SOLE, *De delictis et poenis* n. 420, atque, ut videtur, FERR. n. 1307; CAPPELLO, *De censuris* n. 177. Nec ullo modo assentimus benignae insinuationi, quam facit VERM.-CREUS. loc. cit., aiens quod ille sacerdos, cum Ecclesia suppleat, dici possit necessaria iurisdictione non carere; nam « necessaria iurisdictio » ea est, quam sacerdos, ordinaria carens, debuisset sibi procurare aliunde, et quae necessario procuranda praescribitur ad normam canonum 874 seqq; praeterea, si secus accipitur praedictus can. 2366, iam eius poenam effugerent crimina huius generis atrociora.

3 Iampridem usus invaluerat apud confessarios ut, in probabilitate iuris, absolverent, eamque consuetudinem sciebat et tacite ratam habebat Ecclesia, proindeque iurisdictionem supplebat, uti tenebat sententia communis, quae propterea iam ante Codicem moraliter certa erat, certitudine tamen lata. Cf. S. ALPH. n. 573. Requirebat utique S. ALPH. cum quibusdam causam rationabilem, ut licite haec doctrina deduceretur in praxim, sed id merito reiciebant alii plures, tum quia gratis causa exigebatur,

Advertendum tamen est, quod probabilitas, de qua hic agitur, debet esse p u b l i c a, tum quia iam sic ante Codicem res intelligebatur a theologis[1], tum quia Ecclesia, tamquam

---

tum ob silentium tot auctorum, qui causae necessitatem non meminerant; immo, causam non exigi aperte significaverat Lugo d. 19, n. 30 seqq. Cf. Ball.-P. n. 632. Nunc iam quaevis circa haec controversia obsolevit.

[1] Profecto theologi hanc quaestionem semper ponebant de dubio « doctrinali », seu quando inter auctores utrimque probabiliter disputatur de interpretatione iuris; et saepe hanc rationem adducebant ad asserendam suppletionem ex parte Ecclesiae, quia ex illa publica opinione oritur error communis, ideoque idem motivum habetur ad supplendum, nempe bonum commune. Supponebant igitur dubium probabile p u b l i c u m. Suárez d. 26, s. 6, n. 7; Sánchez, *In Decal.* l. 1, c. 9, n. 35 et *De Matrim.* l. 3, d. 22, n. 65; Lugo d. 19, n. 29 et d. 22, n. 44; Sporer p. 3, c. 6, s. 1, q. 5, n. 715; Salmant., *De Poenit.* tr. 6, c. 11, punct. 5, n. 74; Lacroix l. 6, p. 1, n. 118, 3°; Lehmk. n. 505.

Et non posse id quidem intelligi de privatis existimationibus sive circa ius sive circa factum particulare expressis verbis monent Suárez loc. cit.; Lugo d. 22, n. 44; Lacroix loc. cit. alios citans, et satis quoque videtur id monere Sporer loc. cit. n. 717, IV ad finem.

Forte tamen quis contrarium contenderet probare sequentibus rationibus:

1° Contrarium sentit Tamburini, *De Poenit.* l. 5, c. 4, § 8, n. 8-10, pro se citans Vericelli. Ita quoque Bonacina, Turicelli et Cárdenas ap. Lacroix loc. cit.

2° Rationes, quae iurisdictionem suppleri probant in casu opinionis probabilis, id probant sine limitatione, ait Tamburini loc. cit.

3° Cum probabilitates facti versentur circa facta particularia cuilibet exsurgentia, dispositio canonis 209, nisi pro his casibus intelligatur, utilitatem habere non posset.

4° Auctores sustinent quod licet absolvere a reservato in dubio privato facti, nimirum, si dubium est an fuerit mortale; ergo datur iurisdictio in dubio privato facti.

5° Adest adhuc ratio boni communis, nempe poenitentium bona fide accedentium ad huiusmodi confessarium privata opinione iudicantis se habere iurisdictionem.

6° Impedimentum ad matrimonium dispensari potest in dubio privato facti.

Arbitramur nihilominus non suppleri iurisdictionem ad confessiones in opinione privata facti. Nam 1°, ut ait Suárez d. 26, s. 6, n. 7: « Non pertinet ad bonam gubernationem, ut (in particularibus ignorantiis et erroribus circa facta particularia occurrentibus) iis omnibus provideatur, quod fieri non posset sine aliis maioribus incommodis ». Et Lugo d. 22, n. 44: « Alioquin omnes fere qui absolvunt putantes falso se habere iurisdictionem, illam acciperent ab Ecclesia, quia fere omnes existimant, quantum ex se est, probabiliter, immo et aliquando firmiter credunt se habere iurisdictionem. » — 2° Reapse ad provisorem boni communis non pertinet attendere ad errorem privatum; aliunde vero, si in huiusmodi casibus suppleret, cum occurrant passim huiusmodi ignorantiae et errores privatorum, lex de obtinenda iurisdictione nimis enervaretur. — 3° Omnes auctores, cum de errore communi agunt,

provisor generalis, non attendit ad opinionem privatam alicuius personae particularis, tum quia si iurisdictionem se sup-

---

errorem exigunt vere communem, nec admittunt privatum; et certe tunc agunt de errore circa factum, nempe an iste sacerdos vere habeat iurisdictionem; omnes igitur tenent iurisdictionem non suppleri, etsi eam adesse probabiliter opinentur privatim aliqui tantum. — 4° Si parochus duos coniungit, eo quod ipse erronee sed probabiliter opinatur mensem commorationis moraliter esse computandum (error vel probabilitas privata circa ius), vel putat esse probabile quod sunt vagi, cum non sint (error vel probabilitas privata circa factum), nihil agit, nec iurisdictionem suppleret canon 209.

Quare ad rationes allatas sic respondendum:

Ad 1am. Errat TAMBURINI, cuius ratio infirma est, ut statim dicetur; nec magnae auctoritatis socium quaesivit, nam opus VERICELLI in Indicem fuit relatum, idque ob laxas eius opiniones circa usum opinionum probabilium (cf. HURTER, *Nomencl. litter.* tom. 3, col 1175). Sed nec apparet sufficienter VERICELLI illud affirmasse in duobus locis a TAMBURINI transcriptis; supponit enim ille quod populus accedit bona fide ad confessarium et quod error non potest a populo caveri; potius ergo agitur de errore communi coniuncto cum errore privato confesarii.

Perperam quoque LACROIX citat BONACINAM. Is enim *De Poenit.* tom. 1, disp. 5, quaest. 7, punct. 5, § 4 duas statuit propositiones, in quarum prima affirmat licere absolvere in dubio facti cadentis sub reservationem, v. gr. si sacerdos dubitat, adhibita sufficienti diligentia, an lata sit lex reservans, quia possessio stat pro iurisdictione accepta; aut si dubitat num peccatum fuerit mortale, quia reservationis lex est odiosa (de quo vide mox ad 4). In secunda autem propositione statuit quod sacerdos, qui negative dubitat se iurisdictionem habere circa reservata, non potest absolvere, quia exponit se periculo absolvendi invalide; si vero opinionem habet probabilem, potest. Sed hoc ultimum intelligit BONACINA de eo qui tenet aliquam opinionem probabilem p u b l i c a m, nam ita sequitur BONACINA:... « etiamsi forte adsit opinio probabilis in contrarium, nam interveniente probabili opinione Ecclesia supplet iurisdictionem, sicut eandem supplet quando aliquis titulo colorato et errore communi vulgi... »; citatque hic BONACINA in suum favorem plures auctores, qui aperte loquuntur de opinione doctrinali, non privata, v. gr. SUÁREZ d. 26, (erronee BONACINA scripsit d. 76) s. 6; deinde sequitur ipse: « Ex quo infertur eum qui sequitur opinionem probabilem doctorum etc. ».

Duos alios a LACROIX citatos prae manibus non habuimus.

Ad 2am. Sufficit rationes legisse quibus contrarium affirmamus; ratio enim boni communis non potest allegari illimitate.

Ad 3am. Dispositio canonis 209 circa probabilitatem facti particularis utilitatem habet pro casibus opinionis publicae circa factum.

Ad 4am. Imprimis, si opinio tantum esset quod « licet », nihil suppleret Ecclesia; Ecclesia enim nihil supplet in opinionibus mere versantibus circa aliquam liceitatem, sed in versantibus circa exsistentiam iurisdictionis. Atqui non mere circa liceitatem absolutionis, sed circa iurisdictionis exsistentiam versatur sententia auctorum, quam refert adversarius; opinantur enim quod v a l i d a est et licita absolutio in illo dubio privato facti. Qua sententia auctorum posita, iam Ecclesia certo supplet, non quidem quia

plere ediceret in privatis etiam opinionibus, iam sexcentis privatim opinandi abusibus ansam daret et fere quisque in quolibet casu iurisdictionem haberet[1].

Supplet igitur Ecclesia in publica probabilitate *iuris*, nempe quando inter auctores disputatur de interpretatione iuris, ita ut probabilis sit sententia affirmans exsistere iurisdictionem, vel casum non esse reservatum, vel Ecclesiam in his vel illis circumstantiis supplere etc. Supplet etiam in publica probabilitate *facti*, v. gr. si publice dubitatur an verum sit nuntium affirmans mortem Episcopi absentis, e cuius vita pro

---

exsistat dubium privatum facti, sed quia exsistit dubium auctorum doctrinale seu dubium publicum iuris. Non ergo stat difficultas, haec enim solummodo stare posset, si Ecclesia supplevisset directe propter motivum dubii privati.

Petes forsan, cum quo fundamento potuerunt ergo auctores opinari quod Ecclesia iurisdictionem dat in dubio privato circa gravitatem peccati. — *Resp.*: Fundamentum est: quod ex una parte reservatio est de se odiosa, ideoque stricte interpretanda; ex alia vero censenda est Ecclesia noluisse eam facere adhuc magis odiosam, ideoque voluisse ut stricte sumatur. Ergo ita debet sumi, ut requirat peccatum certo, non dubie, grave. Iam vero, ex ipsa natura rei, agitur hic de certitudine vel dubio exsistente in solo confessario. Ergo concludere debebant quod Ecclesia dat iurisdictionem exsistente hoc dubio in confessario.

Neque hinc concludere liceret quod Ecclesia dat iurisdictionem in dubiis privatis facti. Dat enim in hoc tantum casu particulari; profecto, non quia generatim suppleat in huiusmodi dubiis privatis, sed quia debuit id facere in hoc casu ob aliud motivum, nempe, ne reservationem redderet nimis odiosam.

Ad 5am. Si poenitentes sunt permulti, ex parte eorum habetur error communis et nulla est difficultas. Si vero error communis non habetur, difficultas frustranea est, secus enim probaret, ad bonum poenitentis bona fide accedentis, semper iurisdictionem esse supplendam, etsi confessarius ea careret, immo etsi ageret conscius se ea carere.

Ad 6am. Non dispensaretur valide, v. gr. a parocho, quantumcumque putaret se probabiliter opinari quod possit dispensare. Quod si dispensari potest ab Ordinario, id habetur non vi canonis 209, sed can. 15. Ecclesia in his casibus providere quidem voluit errori privato Ordinarii et supplere, atque id quidem fecit ob bonum commune; sed haec ratio non videtur militare pro occurrendo errori privato, quando versatur circa iurisdictionem ad confessiones. Magna enim est disparitas, cum error in hoc altero casu poenitenti tantum noceat et damnum sat facile possit reparari, in priori autem casu damnum in plures redundet et vix sit unquam reparabile.

[1] Hinc intelligitur cur nihilominus Ecclesia ob bonum commune supplere statuerit in casibus *inadvertentiae* personae privatae, ut in can. 207, § 2; id enim nimiis abusibus ansam non praebet, quia nemo abusive agere praesumet circa rem, de qua non cogitat; et quamvis lex aliquatenus negligentiae favere possit, id tamen mali abunde compensatur per bona obtinenda ex convalidatione generali huiusmodi actuum.

pluribus licentiae pendent. At non supplet, si cui privato occurrat existimare quod ipse iurisdictionem habet[1].

Iurisdictione probabili uti omnino licet, quia certo suppletur ab Ecclesia, quae ceteroquin id non facit supponens ullum confessarii abusum, sed consequenter ad ignorantiam iuris, posita auctorum disceptatione, invincibilem.

642 3° *Iurisdictio dubia*, id est negative dubia, seu cuius incertitudo pendet a facto; v. gr. non recordaris an talis casus includatur in elencho reservatorum, an tempus facultatum elapsum sit, etc. Idem dic, ut patet ex praedictis, si iurisdictio est quidem probabilis, sed probabilitas residet tantum in opinione alicuius privata.

In huiusmodi dubio iurisdictio non suppletur. Non licet igitur tunc absolvere extra casum necessitatis, quia sacramentum exponeretur nullitati. Occurrente autem necessitate (cuiusmodi esset v. gr. si secus poenitens in mortali diu manere deberet), absolutio danda esset sub condicione et poenitens monendus de periculo, in quo relinquitur; immo, si dubium erat mere negativum, poenitens quantum regulae monitionis patiantur, monendus est de confessione mortalium iteranda, obligationem enim fuisse adimpletam manet negative dubium[2].

---

1 Aliquam difficultatem creat exemplum iurisdictionis probabilis allatum a Verm.-Creus. n. 154: si non habens occasionem legendi diploma mihi concessum, et dubitans de eius extensione, ex usu curiae opinor ad talem diem concessum fuisse. Videtur enim error mere privatus. Forte dices motivum, cui haec opinio privata innititur, esse publicum, quia omnibus notum, supposita curiae consuetudine, ideoque dici posse probabilitas publica. Non refragamur, potius assentimur; sed animadvertendum est, quod hac probabilitate non posset niti sacerdos in circumstantiis allatis, nisi urgeret saltem gravis necessitas, est enim regula generalis ad usum probabilitatum, quod morales diligentiae factae esse debent ad veritatem comperiendam et quod fundata iam spes non adsit ad illam perveniendi.

2 Docet Tanquerey n. 405 confessionem in casu non esse iterandam, lectorem remittens ad alium locum, ubi dixerat « confessionem non esse iterandam, nisi de invaliditate moraliter certo constet ». Haec tamen ratio nequit praesenti casui applicari. Nam, ideo « confessio non est repetenda, nisi de invaliditate moraliter certo constet », quia actus communiter poni solent validi, ideoque, si actus positus est, iam dici debet moraliter certo validus, quia praesumendus est validus, donec contrarium probetur. At vero, si ab initio actus ponitur cum dubio negativo an sit validus, nequit dici quod eo ipso exsurgit moralis certitudo de eius valore; nam si actus ita ponitur et nulla alia ratio accedit, undenam posset exsurgere moralis certitudo? Contradictorium esset quod, cum nulla aliunde ratione inniti possis, certus sis esse validum actum, quem ponis nesciens an sit validus; si ita est, iam liceret actus ponere cum dubio negativo, et eo ipso essent validi, quin opus esset validitatem aliunde suppleri. Itaque ratio a priori, cur

4° *Elapso tempore iurisdictionis*, absolutiones, quae cum inadvertentia huius defectus impertiantur, valent, etiamsi non sit locus errori communi; suppletur enim ab Ecclesia iurisdictio, ut constat ex can. 207, § 2. Idem dic, si facultas tibi data esset ad absolvendum a reservatis pro certo numero casuum, et exhausto numero pergeres absolvendo ex inadvertentia; constat ex eodem can. 207, § 2.

Art. 2. Iurisdictio in specie.

Agendum nunc de diversis personis, ad quas absolvendas **643** facultas a certo quodam Ordinario obtinenda est, vel omnino specialis etiam ab eodem requiritur, nisi iam forte iurisdictio a iure immediate obtenta sit, ut accidit pro moribundis.

a) **Iurisdictio data ab Ordinario loci**[1]. Facultas ad absolvendos generatim quoslibet fideles obtinenda est ab Ordinario

---

nequit in casu applicari regula « de confessione non iteranda, nisi etc. », haec est, quia axioma « actus solent poni validi », in quo regula illa nititur, non tenet circa actus positos cum dubio negativo, nemo enim asseret certum esse quod communiter validi esse soleant actus, qui cum hac mala fide ponuntur. Requiritur ergo, ut actus ponatur bona fide.

Dices forsan: totum id repeti posset circa actus positos cum dubio positivo probabili. — *Resp.*: Profecto, etiam hi actus, si vere invalidi sunt in se, non evadunt validi propter opinionem probabilem agentis. Sed certum erit quod tunc non teneberis confessionem iterare; cum enim probabile sit obligationi iam fuisse satisfactum, accedit aliunde ratio probabilismi, vi cuius certum est stante hac probabilitate actum non esse iterandum. Pariter certum est quod bona fides nihil ad validitatem supplendam confert; sed favet tunc possessio, et praeterea certum est quod « actus cum bona fide poni solent validi », atque hinc iam certitudo aliunde accedit, quod non tenearis actum iterare.

Atque hinc eruitur quod nec obligatio erit iterandae confessionis, si absolutione cum bona fide data et accepta, superveniat deinde dubium negativum, v. gr. an data fuerit post tempus iurisdictionis iam elapsum, dummodo diligentiae fiant, quae moraliter fieri possint, ad veritatem detegendam; si enim his non obstantibus detegi non potest, iam licet recurrere ad probabilismum et niti illo axiomate.

1 « § 1. Iurisdictionem delegatam ad recipiendas confessiones quorumlibet sive saecularium sive religiosorum confert sacerdotibus tum saecularibus tum religiosis etiam exemptis Ordinarius loci in quo confessiones excipiuntur; sacerdotes autem religiosi eadem ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris, firmo tamen praescripto can. 519. — § 2. Locorum Ordinarii iurisdictionem ad audiendas confessiones habitualiter ne concedant religiosis qui a proprio Superiore non praesentantur; iis vero qui a proprio Superiore praesentantur, sine gravi causa eam ne denegent, firmo tamen praescripto can. 877 » (can. 874); praescriptum autem canonis 519 relatum habes inferius in n. 646 nota asterisco (*) distincta, canonis autem 877, habes supra in n. 636 nota.

loci, in quo confessiones excipiendae sunt; valetque (nisi eam Ordinarius limitet) pro absolvendis quibuslibet personis saecularibus utriusque sexus, tam clericis quam laicis, etiam peregrinis aut vagis, et pro religiosis viris, etiam exemptis. Pro religiosis feminis eam quidem dare potest Ordinarius loci, sed eam non censetur concedere, nisi id diserte exprimat, peculiaris enim facultas requiritur.

Personae saeculares et religiosae, nisi ad religionem pertineant clericalem exemptam, non possunt absolvi valide ab ullo sacerdote[1], nisi in eos habeat vel iurisdictionem ordinariam[2] vel ab Ordinario loci confessionis delegatam. Religiosi autem religionis clericalis exemptae absolvi etiam possunt a sacerdote a Superioribus Ordinis delegato.

644 Est igitur haec Ordinarii loci iurisdictio omnibus necessaria ad absolvendos saeculares, etiam religiosis exemptis[3], qui proinde eam ab illo exquirere debebunt.

---

1 Praeter Papam et Cardinales.

2 Cuiusmodi est v. gr. eorum parochus.

3 Per haec verba « etiam religiosis exemptis », canon 874 aufert privilegium Mendicantibus et aliis cum eis communicantibus concessum, sicut et aliud privilegium magis amplum (quia praesentationem Episcopo non requirebat) Societati Iesu concessum a Paulo III constit. *Cum inter* 3 iun. 1545 (*Comp. priv. Soc. Iesu* n. 1) atque ad ceteros Ordines cum ea communicantes derivatum, vi cuius iurisdictio concedebatur a Papa ad audiendos quoslibet fideles. Cf. etiam Blat, *Comment. text. Iur.* l. 3, p. 219; Prümmer, *Man. Iur. can.* q. 245. Neque vero aliis verbis usus fuerat *Tridentinum*, cum in sess. 23 de ref. c. 15 necessitatem approbationis constituit, nisi his « nullum (sacerdotem), etiam regularem», quae verbis canonis 874 sunt similia, et iam omnes auctores indubitatum habuerunt illud privilegium necessitati approbationis obtinendae deinceps manere alligatum.

Quae quidem illud etiam probare videntur, quod etiamsi canon 874 incisum illud « etiam religiosis exemptis » non apposuisset, non idcirco iurisdictio illa papalis regularium, sublata per novum ius approbatione, expedita revixisset. Nam per novum ius non proprie approbatio aboletur, sed tantum modificatur, et propterea Codex nomen approbationis adhuc usurpat passim, v. gr. in can. 519 522 523 525 881 882 905; antea enim approbatio consistebat in iudicio idoneitatis, quod dabatur, vel poterat dari, seorsim a largitione iurisdictionis; hodie autem est iudicium idoneitatis, quod ipso iure necessario censetur tacite dari cum conceditur iurisdictio. Unde, sicut privilegium illud antea fuerat alligatum necessitati obtinendae approbationis Ordinarii loci, ita nunc, etsi canon 874 illa verba non apposuisset, ipso facto alligatum mansisset necessitati obtinendae eius iurisdictionis.

Quidquid tamen sit, num privilegium illud per ea verba canonis 874 exstinctum sit, an vero redactum tantum ad silentium, id est, eius usus impeditus (nam forte quis haec amabit controvertere); certum est prorsus inutile saltem evasisse, quippe quod

Monetur Ordinarius loci, ne habitualem facultatem tribuat religiosis, qui a proprio Superiore non praesentantur; praesentatis autem, ne facultatem deneget, sine gravi causa, salvo iure eos vocandi ad examen.

Vicissim, facultate ab Ordinario loci obtenta, monentur religiosi ne ea utantur (ad liceitatem tantum, non ad validitatem) sine consensu saltem praesumpto sui Superioris; salvo iure, quod religiosi habent ex can. 519, eos adeundi, ad suae conscientiae tranquillitatem; possunt enim quemlibet ab Ordinario loci approbatum adire, etiam absque consensu Superiorum poenitentis et confessarii.

Qui licentias ab Ordinario loci cum certa limitatione **645**
accepit (v. gr. ut non possit absolvere a reservatis dioecesanis), eadem limitatione tenetur, etiamsi illis utatur erga religiosos exemptos, eos enim absolvit vi iurisdictionis ab illo acceptae.

Parochi non possunt aliis delegare suam iurisdictionem ordinariam, quam habent ad audiendas suorum paroecianorum confessiones, tum quia ad audiendos saeculares canon 874 exigit pro aliis facultatem obtentam *ab Ordinario loci* taxative, et non ab alio, tum quia ita expresse praedictum canonem declaravit *Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos* **1**.

« *etiam exempti* » iurisdictione Ordinarii loci « ad validitatem » indigent, et proinde, hac deficiente, privilegium illud non sufficit, et hac obtenta, privilegium illud superest.

De cetero, iam illius privilegii usum, non solum *Concilium Tridentinum*, sed etiam, posteriore tempore, aliae S. Sedis dispositiones, praesertim const. Clem. X *Superna*, et privilegia aliis religionibus concessa, ut nemo suos sodales audire posset sine licentia proprii Superioris, multis limitibus circumsaepserant. De eo cf., sis, Suárez, *De Relig.* tr. 10, l. 9, c. 2; Castropalao tr. 21, n. 51; Ferraris, v. Approbatio a. 1, n, 42; Salmant., *De Privil.* tr. 18, c. 4, punct. 2, n. 42; Lacroix l. 6, p. 2, n. 1675, alibi 1575, § 3; Tamburini, *De Poenit.* l. 5, c. 5, § 2, n. 27; Ramiére, *De Instit. S. I.* n. 392 408-410; Villada, *De conf. nostr.* p. 2; Lehmk. n. 491 494 495.

De eodem privilegio vide dicta alibi (in n. 464 nota 2).

1 En eius responsum datum die 16 oct. 1919: « Utrum ad normam canonum 199, § 1, et 874, § 1, Parochi, Vicarii parochorum, aliive sacerdotes ad universitatem causarum delegati, possint sacerdotibus sive saecularibus sive religiosis delegare iurisdictionem ad confessiones recipiendas, aut saltem iisdem iam approbatis iurisdictionem extendere ultra fines loci vel personarum, intra quos ad normam can. 878, § 1, fuerit circumscripta; an ad id egeant speciali facultate seu mandato Ordinarii loci?

Resp.: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam » (*A.A.S.* [1919] p. 477).

Quare iam nequeunt parochi parochos eiusdem dioeceseos advocare ad confessiones audiendas in sua paroecia, nisi hi facultatem expressam acceperint ab Ordinario, sicut alii quivis sacer-

646 *b*) **Iurisdictio ad audiendas confessiones virorum religiosorum *.** Ab Ordinario loci obtinetur iurisdictio ad eos absolvendos pari modo ac personas saeculares, ut nuper diximus.

---

dotes; parochus enim, sicut alius quilibet, ea indiget, ut confessiones excipiat extra suam paroeciam, siquidem iurisdictionem ordinariam habet in ea tantum.

Attamen, adhuc post Codicem reperimus FERR. n. 652, q. 14, resp. 1° (quem citat et approbat ARREGUI n. 597 nota) et VERMEERSCH, *Theol. mor.* n. 455, haec asserentes: 1° usum fere universalem esse, ut parochus confessiones audire possit in tota dioecesi; 2° eumque usum adhuc posse retineri, nisi contrarium expresse statuatur; 3° idque haberi vi iurisdictionis, quae ab Episcopo censetur delegata.

Haec apud eosdem leguntur fere iisdem transcriptis verbis; tertium autem a FERRERES affirmatur implicite, eo ipso quod ibid. in resp. 2 agnoscit parochum non absolvere vi iurisdictionis acceptae a parocho ipsum advocante, quia propriam iurisdictionem ad confessiones delegare non potest. Iam vero:

Quoad 1um assertum. Ni fallimur, invocatur a laudatis auctoribus, tamquam adhuc vigens, ille ipse usus qui, iuxta testimonia auctorum post *Tridentinum* videtur fere ubique ab aliquibus saeculis viguisse, ut parochus nempe pro tota dioecesi approbatus censeretur.

Sed videndum est, utrum eiusmodi fuerit ille usus, ut parochus sine ulla alia delegatione posset pro suo arbitrio confessiones audire ubique in dioecesi, an vero indigeret iurisdictione delegata saltem a respectivis eiusdem dioeceseos parochis. Nam si usus erat in priore sensu, adhuc sustineri posset post Codicem, ut mox dicetur; si vero in altero, non potest, quia parochi iam non possunt hanc iurisdictionem valide delegare.

Atqui pristina illa consuetudo, de qua testantur auctores, erat in hoc altero sensu.

Et re quidem vera, veteres illi auctores, 1°, cum dicebant parochum approbatum censeri pro tota dioecesi, id probabant ex verbis *Tridentini*, eo quod Concilium approbationem pro confessariis necessariam in futurum decernens, parochos exceperat (propterea alii eos censebant exceptos pro universali Ecclesia, alii tantum pro dioecesi, quia, aiebant, *Tridentinum* parochiale beneficium aequiparavit approbationi pro aliis necessariae); ergo parocho tribuebant eam approbationem qualis a *Tridentino* fuit creata, id est, absque coniuncta iurisdictione. — 2°, quia quaerebant an parochi parochos eiusdem dioeceseos advocare possent ad confessiones, et affirmabant, quia, aiebant, parochus censetur approbatus. Atqui non quaerebant, nec illis in mentem venit unquam quaerere, an parochos advocare posset quilibet. Ergo supponebant parochum advocatum iurisdictionem delegatam accipere a parocho advocante. Ergo cum aiebant parochum censeri ex usu approbatum pro dioecesi, intelligebant de sola approbatione absque iurisdictione. — 3°, quia quaerebant, an tempore iubilaei, cum confessio permittitur apud quemlibet approbatum, eligi posset quivis parochus dioeceseos. Ergo cum hunc dicebant approbatum censeri pro dioecesi, intelligebant de approbatione sola absque iurisdictione; nam

* Vide, sis, notam asterisco (*) distinctam in pag. 237.

Attamen, quoad sodales *religionis clericalis exemptae*, potest ad eorum confessiones iurisdictionem conferre ipse eo-

---

si cum iurisdictione pro tota dioecesi, potuisset eligi etiam extra tempus iubilaei.

Cf. Suárez d. 28, s. 4, n. 16 seqq.; Lugo d. 21, n. 11-14, 20-23; Castropalao, tr. 23, punct. 17, § 2, n. 7; Tamburini, *De Poenit.* l. 5, c. 5, § 3, n. 4; Lacroix l. 6, p. 2, n. 1636, alibi 1536.

Ergo ea erat antiqua consuetudo apud parochos, ut parochus advocans eo ipso censeretur iurisdictionem suam delegare.

Nec praetereundum est illam consuetudinem respexisse eos tantum, qui actu habebant « parochiale beneficium » stricte sumptum in sensu *Tridentini*. Cf. Suárez d. 28, s. 4, n. 15 et 21.

Quoad 2um assertum. Non poterit illa consuetudo nunc sustineri, quia iurisdictio parochi non est nunc delegabilis. Nec dicas, consuetudinem, quod parochus deleget parocho suam iuridictionem, sustineri posse vi canonis 5. Nam 1° natura ipsa huius iurisdictionis parochialis ad confessiones videtur fuisse immutata, siquidem nunc facta est natura sua non delegabilis; 2° contrarium constare videtur ex responso *C.I.C.* 16 oct. 1919 nuper allato.

Quoad 3um assertum. Non ea erat antiqua consuetudo, ut iurisdictio censeretur ab Episcopo delegari, sed a parocho. Quare, quod nunc post Codicem censenda sit delegari ab Episcopo, id nec vi pristinae illius consuetudinis asseri potest, nec vi alicuius dispositionis novi iuris.

Forte consuetudo, quae immediate ante Codicem dicitur pluribus in locis viguisse, vigebat in aliquo sensu a pristina illa consuetudine diverso, ita videlicet, ut vel 1° parochus posset in tota dioecesi confessiones audire, sicut alius quilibet sacerdos, parochi iurisdictione non requisita, vel 2° posset tantum id facere, si a parocho eiusdem dioeceseos advocaretur, quia eo ipso censeretur ex consuetudine iurisdictionem accipere ab Ordinario loci, vel 3° denique, in eodem sensu ac pridem.

Imprimis valde dubitamus de exsistentia huiusmodi consuetudinum nostris temporibus, nam vix est parochus qui aliunde communem pagellam approbationis acceptam non habeat a suo Episcopo, et propterea tuto potest invitationibus aliorum parochorum obsecundare. Deinde, etsi illa consuetudo vigeret, vehementer dubitari potest, an quis affirmare auderet in quonam ex praedictis sensibus vigebat; quod si aliquis sensus affirmandus esset, verisimillimus est tertius. Atqui in tertio sensu sustineri amplius iam non posset.

Si tamen vigebat in 1° vel 2° (quod non admodum verisimile videtur), sustineri adhuc posset in iis regionibus ubi exsistebat et dummodo centenaria saltem esset. Nam, etsi iis modis iurisdictio ab Ordinario non daretur expresse, sed *tacite* ipso facto traditionis paroeciae, ut est evidens (cf. Sporer, *Theol. sacram.* p. 3, n. 671), ideoque videretur a can. 878, § 1, invalidari, attamen can. 5 admittit consuetudines contra canones centenarias expresse non reprobatas.

* Canones, quae confessiones religiosorum respiciunt, praeter can. 874 iam exscriptum, sunt:

« § 1. In religione clericali exempta ad recipiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumve de quibus in can. 514, § 1, iurisdictionem delegatam confert quoque proprius eorundem Superior, ad normam constitutionum; cui fas est eam concedere etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis. — § 2. In

rum Superior religiosus, ad normam constitutionum[1], isque potest eamdem iurisdictionem conferre cuicumque sacerdoti, sive religioso eiusdem vel alius religionis, sive saeculari (can. 875, § 1).

---

religione laicali exempta, Superior proponit confessarium, qui tamen iurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci, in quo religiosa domus reperitur » (can. 875). Canon autem 514, § 1, qui hic citatur, sic habet: « In omni religione clericali ius et officium Superioribus est per se vel per alium aegrotis professis, novitiis, aliisve in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis, Eucharisticum Viaticum et extremam unctionem ministrandi. »

« § 1. In singulis religionis clericalis domibus deputentur plures pro sodalium numero confessarii legitime approbati, cum potestate, si agatur de religione exempta, absolvendi etiam a casibus in religione reservatis. — § 2. Superiores religiosi, potestatem audiendi confessiones habentes, possunt, servatis de iure servandis, confessiones audire subditorum, qui ab illis sponte sua ac motu proprio id petant, at sine gravi causa id per modum habitus ne agant. — § 3. Caveant Superiores ne quem subditum aut ipsi per se aut per alium vi, metu, importunis suasionibus aliave ratione inducant ut peccata apud se confiteatur » (can. 518). Deputandi sunt idonei, iuxta can. 877.

« Firmis constitutionibus quae confessionem statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, si religiosus, etiam exemptus, ad suae conscientiae quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est; et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis » (can. 519).

« Etiam in laicalibus virorum religionibus deputetur, ad normam can. 874, § 1, 875, § 2, confessarius ordinarius et extraordinarius; et si religiosus aliquem specialem confessarium expostulet, illum Superior concedat, nullo modo petitionis rationem inquirens neque id aegre se ferre demonstrans » (can. 528).

« In religionibus virorum, salvo praescripto can. 519: 1° Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii, salvo praescripto can. 891; — 2° Confessarii ordinarii, si agatur de religione clericali, in ipsa novitiatus domo commorentur; si de laicali, saltem frequenter ad domum novitiatus accedant, novitiorum confessiones audituri; — 3° Praeter confessarios ordinarios, designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister aegre id se ferre demonstret; — 4° Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi » (can. 566, § 2).

« Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant » (can. 891).

[1] Canon 875 ait tantum, quod iurisdictionem ad confessiones conferre potest « Superior »; num vero iste Superior sit etiam localis, et an esse possint omnes locales, an tantum Superior

Hanc iurisdictionem delegare potest non solum ad audiendos quoslibet subditos suos religiosos, clericos vel laicos, professos vel novitios, sed etiam ad audiendos saeculares in domo sua religiosa diu noctuque degentes causa famulatus aut educationis aut hospitii aut morbi (can. 875, § 1 et can. 514, § 1).

In singulis domibus *religionis clericalis* deputari debent **647** plures confessarii (saltem duo, sed plures etiam, pro sodalium numero) ad confessiones communitatis excipiendas (can. 518, § 1). Hi vocantur « confessarii ordinarii domus » [1].

In *religionibus laicalibus* deputari debet confessarius, a Superiore proponendus Ordinario loci, ut eum approbet; quo non obstante, si quis religiosus aliquem specialem confessarium pro se expostulet, Superior illum concedere debet, quin rationem inquirat, aut id aegre se ferre demonstret. Deputari etiam debet extraordinarius, cui tamen religiosi, exceptis novitiis, se sistere non tenentur (can. 528).

Novitiis designari debet, in quibuslibet religionibus, con- **648** fessarius ordinarius, unus vel plures pro eorum numero, et praeter eos, aliqui, quos in casibus particularibus libere adire possint. Dari quoque debet extraordinarius quater saltem in anno, ad quem accedere debent, saltem ut benedictionem recipiant (can. 566).

Superiores non possunt subditos inducere ut secum confiteantur, immo nec debent sine gravi causa eos audire habitualiter, etiamsi ipsi sponte id petant (can. 518, §§ 2 et 3). Quae prudentissima praescriptio severior adhuc fertur quoad Magistrum eiusque socium respectu novitiorum, sicut et quoad Superiorem Seminarii vel collegii respectu suorum alumnorum; prohibentur enim eos audire etiam in casu particulari, nisi subditus id petat ex gravi et urgenti causa (can. 891) [2].

Cum quonam confiteri possint aut debeant religiosi. **649** Responsio eruitur ex praedictis. Nempe:

---

maior, aut aliter, id non determinat, sed addit id intelligendum esse « ad normam constitutionum », ad quas pertinebit non solum personas determinare, quae iurisdictionem conferre poterunt, sed etiam limites vel condiciones huic facultati apponere. Cf. Blat, *Comment. text. Cod.* l. 3, p. 220; Prümmer, *Man. iur. can.* q. 189. « Quare », addit Prümmer, « si sacerdos Dominicanus praedicet exercitia spiritualia in monasterio Benedictionorum, Abbas huius monasterii potest illi iurisdictionem concedere ad audiendas confessiones monachorum monasterii. Eamdem iurisdictionem concedere quoque potest Episcopus loci, in quo monasterium situm est. »

1 Confessariorum ordinariorum deputatio non solet committi Superioribus localibus, sed reservari Superiori maiori.

2 De confessariis Seminarii, cf. sis, can. 1361.

Omnes religiosi, etiam novitii, *valide* confitentur apud quemlibet sacerdotem approbatum ab Ordinario loci[1]; et si ad religionem clericalem exemptam pertineant, etiam apud quemlibet sacerdotem pro ipsis a Superiore delegatum; immo, in hoc postremo casu, etiam *licite*, ob licentiam tacite a suo Superiore concessam.

Confiteri *debent* cum ordinario domus, vel cum aliquo ex ordinariis, vel cum speciali sibi obtento. Novitii autem confiteri debent cum suo ordinario, id tamen non prohibet in casibus particularibus liberum recursum ad aliquem ex designatis.

Nihilominus, si quis religiosus ad suae conscientiae quietem, aliquem adeat ab Ordinario loci approbatum, confessio non valida solum, sed etiam licita erit. Circa quod sequentia animadverti debent[2]: 1° Id sine rationabili causa fieri non

---

1 Nisi Ordinarius approbationem dedisset limitatam, v. gr. pro pueris tantum.

Quid vero, si Ordinarius eam pro fidelibus vel tantum pro viris daret, sed exclusis religiosis? Imprimis haec exclusio, quando generatim pro fidelibus datur iurisdictio vel etiam pro viris tantum, subintelligi numquam debet, nisi expresse apponatur.

Si tamen apponatur, valet, quia Ordinarius iuridictionem valide limitare potest, iuxta can. 878, § 1; generatim tamen ageret illicite, ut patet tum ex re ipsa tum ex can. 878, § 2.

Ait Gén.-S. n. 337 quod tunc iurisdictio ad religiosos haberetur a iure, vi canonis 519. Non id putamus. Etenim confessarius religiosum absolvit iurisdictione accepta ab Ordinario loci, proindeque cum eius limitationibus, et gratis videtur affirmari in casu illiusmodi limitationis suppletio a iure. Non enim ad id invocare iuverit decretum *S. Congr. de Relig.* 5 aug. 1913 (*A.A.S.* [1913] p. 431) quasi ius novum iuxta illud intelligi deberet; nam etsi illud decretum canoni 519 occasionem dederit, facile utriusque discrimen assignari posset; praeterquam quod, etiam vi illius decreti, absolutio non dabatur religiosis vi iurisdictionis directae concessae a Papa, uti recte iam tunc interpretabatur Vermeersch, *Periodica* VII, p. (27) (quamvis minor fuisset in illo decreto ad contrarium opinandum difficultas, quia tunc confessariis ab Ordinario loci approbatis dabatur una simul omnibus facultas absolvendi religiosos, quam ab eo nondum acceperant), et nunc post Codicem firmius affirmat in sua *Theol. mor.* tom. 3, n. 456, vel Verm.-Creus. n. 145. Nec iuvaret dicere quod canon 519 requirit tantum ut confessarius sit ab Ordinario loci approbatus; quasi quaelibet approbatio, etsi limitata, sufficeret. Non enim sufficeret v. gr. limitatio facta pro pueris tantum aut pro rusticis vel oppidanis. Praeterea, confessarius ab Ordinario loci approbatus, de quo can. 519, ille est qui iurisdictionem ab eo obtinuit ad normam canonis 874, § 1, ideoque vi huius iurisdictionis absolvit, prout eam obtinuerit, nec vestigium apparet, quo significetur hanc iurisdictionem Ordinarii a iure extendi, vel aliquam directe a iure superaddi, si in ea excipiantur religiosi. Cf. etiam Vermeersch, *Periodica* VII, p. (32), n. 5.

2 Cf. epistolam A.R.P. Ledóchowsky, Praep. Gen. S. I. datam 19 mart. 1918; Vermeersch, *Periodica* VII, p. 174, p. (31)-(32) et p. (36); Verm.-Creus. I, n. 4 490-492; Goyeneche in *Comment. pro relig.* (mart. 1922) p. 78-82.

debet, tum quia frustra secus assignarentur ordinarii, tum quia ipse canon 519 aliquam causam ad conscientiam attingentem expresse postulat[1]. Ceterum, ad causam sufficit aliqua melior directio, maior aliquis in virtute progressus, qui speratur, aliquod conscientiae solatium, consultatio peritioris, vel confessio die consueto impedita; defectus tamen cuiusvis causae validitati confessionis non obstaret et numquam veniale excederet. — 2° Omnino facile admitti potest causa ad ordinarios raro praetereundos, sed non facile ad sic agendum quasi habitualiter; propterea, si quis non designatus videat se habitualiter ab aliquo religioso adiri, causam inquirat, et nisi haec vere attendibilis sit, eum monere debet de obligatione adeundi designatos. — 3° Religiosus non habet idcirco ius ad exeundum sine Superioris licentia, ne ius quidem ad eam exigendam.

Religiosi (religionis clericalis exemptae) *hospites* in ali- **650**
qua suae religionis domo, non possunt adire illius domus confessarios a Superiore religioso tantum approbatos (nisi in religione sit aliter statutum), non enim sunt ibi subditi; potest nihilominus eis Superior dare licentiam confitendi, dummodo saltem unum diem et noctem ibi degere debeant. Posse vero illos adire, si ab Ordinario loci sint approbati, patet.

Religiosi *itinerantes* possunt cuilibet ab Ordinario loci approbato confessario confiteri, iuxta can. 519, sed possunt etiam (nisi contrarium eruatur ex Ordinis statutis) confiteri cuilibet socio itineris idoneo[2], quem a suo Superiore acceperint. Iampridem enim universalis consuetudo tulit ut, cum Superior socium dat, censeatur illum, si idoneus sit, ad confessionem etiam concedere[3]. Consulantur praeterea cuiusque religionis decreta.

---

[1] Nimis benigne videtur de hac re locutus FANFANI, *De iure relig.* n. 102, § « Dubium », qui nullam requirit causam ab ipsa confessione distinctam, siquidem ait quod quaelibet confessio natura sua ordinatur ad conscientiae tranquillitatem. Si ita iudicandum, redundant prorsus haec postrema verba in can. 519.

[2] Idoneus censetur socius, si in Ordine examen ad audiendas confessiones bene evasit, vel si a Superiore ad confessiones apud aliquem Ordinarium fuit praesentatus.

[3] SUÁREZ, *De Relig.* tr. 8, l. 2, c. 17, n. 2; S. ALPH. n. 575; FERRARIS v. *Approbatio* a. 2, n. 9 10.

Consuetudo universalis erat haec, ut, si Superior daret socium itineris idoneum, apud eum confiteri alter deberet; si vero non daret et nihil de eligendo confessario diceret, intelligeretur quod poterat itinerans confiteri apud quemlibet idoneum, regularem vel saecularem, etiam probabiliter, iuxta S. ALPH. n. 575, non approbatum. Hodie tamen confessio apud non approbatum ab aliquo, id est, qui nec ab Ordinario loci nec ab Ordine iurisdictionem habeat, esset invalida.

651 *c*) **Iurisdictio ad excipiendas confessiones religiosarum** [1]. Ut sequentia rite intelligantur, praemittendum est imprimis, nomine « religiosarum », venire in Codice quascumque feminas, quae vota, sive perpetua sive temporaria, nuncupaverint in aliqua societate ab auctoritate ecclesiastica approbata (can. 488, 1° et 7°). Eius ergo sensus est valde latus comprehen-

---

1 Canones, quae confessiones religiosarum respiciunt, sunt sequentes:

« § 1. Revocata qualibet contraria particulari lege seu privilegio, sacerdotes tum saeculares tum religiosi, cuiusvis gradus aut officii, ad confessiones quarumcunque religiosarum ac novitiarum valide et licite recipiendas peculiari iurisdictione indigent, salvo praescripto can. 239, § 1, n. 1 (nempe Cardinales possunt audire ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus), 522 523 (qui mox transcribentur). — § 2. Hanc iurisdictionem confert loci Ordinarius, ubi religiosarum domus sita est, ad normam can. 525 (quem vide infra) » (can. 876).

« § 1. Singulis religiosarum domibus unus dumtaxat detur confessarius ordinarius, qui sacramentales confessiones universae communitatis excipiat, nisi propter magnum ipsarum numerum vel aliam iustam causam sit opus altero vel pluribus. — § 2. Si qua religiosa, ad animi sui quietem, et ad maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, eum facile Ordinarius concedat; qui tamen invigilet ne ex hac concessione abusus irrepant; quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva conscientiae libertate » (can. 520).

« § 1. Unicuique religiosarum communitati detur confessarius extraordinarius qui quater saltem in anno ad domum religiosam accedat et cui omnes religiosae se sistere debent, saltem benedictionem recepturae. — § 2. Ordinarii locorum, in quibus religiosarum communitates exsistunt, aliquot sacerdotes pro singulis domibus designent, ad quos pro sacramento poenitentiae in casibus particularibus recurrere eae facile possint, quin necessarium sit ipsum Ordinarium toties quoties adire. — § 3. Si qua religiosa aliquem ex iis confessariis expetat, nulli Antistitae liceat nec per se nec per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis aut factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre » (can. 521).

« Si, non obstante praescripto can. 520 521, aliqua religiosa, ad suae conscientiae tranquillitatem, confessarium adeat ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, confessio in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semipublico peracta, valida et licita est, revocato quolibet contrario privilegio; neque Antistita id prohibere potest aut de ea re inquirere, ne indirecte quidem; et religiosae nihil Antistitae referre tenentur » (can. 522).

« Religiosae omnes, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet sacerdotem ad mulierum confessiones excipiendas approbatum, etsi non destinatum religiosis, arcessere possunt eique, perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri, nec Antistita potest eas sive directe sive indirecte prohibere » (can. 523).

« § 1. In munus confessarii religiosarum et ordinarii et extraordinarii deputentur sacerdotes, sive e clero saeculari, sive religiosi de Superiorum licentia, morum integritate ac prudentia

ditque etiam eas, quae vota simplicia temporaria emiserunt in quavis Congregatione religiosa. Immo, in materia de confessariis nunc tractanda, nomine religiosarum veniunt etiam novitiae (can. 566, § 1).

Nullus sacerdos, quantumvis facultatem generalem acceperit ad confessiones fidelium audiendas, potest confessiones

---

praestantes; sint insuper annos nati quadraginta, nisi iusta causa, iudicio Ordinarii, aliud exigat, nullam potestatem in easdem religiosas in foro externo habentes. — § 2. Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius nec, praeter casus in can. 526 recensitos, rursus deputari ordinarius in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere; extraordinarius vero immediate ut ordinarius renuntiari potest. — § 3. Confessarii religiosarum tum ordinarii tum extraordinarii interno vel externo communitatis regimini nullo modo sese immisceant » (can. 524).

« Si religiosarum domus Sedi Apostolicae immediate subiecta sit vel Ordinario loci, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios; si Superiori regulari, hic confessarios Ordinario praesentat, cuius est eosdem pro audiendis illarum monialium confessionibus approbare et Superioris negligentiam, si opus sit, supplere » (can. 525).

« Religiosarum confessarius ordinarius suum munus ne exerceat ultra triennium; Ordinarius tamen eum ad secundum, immo etiam ad tertium triennium confirmare potest, si vel ob sacerdotum ad hoc officium indoneorum penuriam aliter providere nequeat, vel maior religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum est » (can. 526).

« Loci Ordinarius, ad normam can. 880, potest, gravem ob causam, religiosarum confessarium tam ordinarium quam extraordinarium amovere, etiamsi monasterium regularibus subdatur et ipse sacerdos a confessionibus sit regularis, nec tenetur causam amotionis cuiquam significare, excepta Apostolica Sede, si ab ea requiratur; de amotione autem debet Superiorem regularem monere, si moniales regularibus subdantur » (can. 527).

« Circa sacerdotem a confessionibus in mulierum novitiatibus serventur praescripta can. 520-527 » (can. 566, § 1).

De disciplina, quae paulo ante Codicem vigebat circa audiendas confessiones religiosarum (nam postremis hisce temporibus successivas modificationes subierat, praesertim per decr. *S. Congr. Ep. et Reg.* « *Quemadmodum* » 17 dec. 1890; const. Leonis XIII « *Conditae a Christo* » 8 dec. 1900; decr. *S. Congr. de Relig.* « *Cum de sacramentalibus* » 3 febr. 1913), consuli potest Vermeersch, *Periodica* V, p. (1)-(12), VII, p. (49)-(52) 86-96; *De relig. Instit, et pers.* p. 472 ad 479; Ferreres, *Las religiosas* (ed. 1914); Lehmk. n. 515 ad 519; Gurry-Ferr. n. 565-569.

De disciplina post Codicem vigente cf. Ferreres, *Las religiosas* ed. 1920; Verm., *Periodica* IX, p. (12)-(16); X, p. (14); XI, p. (1)-(8); Verm.-Creus. I., n. 493-500; Ferr. n. 661-666; Mach-Ferr., *Tesoro del sac.* II, n. 560-599; Prümmer, *Man. iur. can.* q. 190; Goyeneche in ephem. *Comm. pro rel.* II, p. 13-24 34-38; IV, p. 336 337; in ephem. *La Ciencia Tom.* (1923) p. 417; Castillo in ephem. *Sal Terrae* (1921) p. 286-297; Gén.-S. n. 339-341; Fanfani, *De iure rel.* n. 108-116.

excipere religiosarum, etiam novitiarum, nisi facultatem acceperit *a*) specialem, *b*) ab Ordinario loci, ubi domus religiosarum sita est (can. 875) [1].

652 Nihilominus, si quae religiosa ad suae conscientiae quietem, aliquem adeat ab Ordinario loci approbatum pro mulieribus, quamvis non specialiter pro religiosis feminis, confessio valida et licita est, quin possit Superiorissa de hac re inquirere aut id impedire, ne indirecte quidem (can. 522). Circa quod sequentia animadverti debent: 1° Religiosa non potest huiusmodi confessarium consulto ad hunc finem advocare ad domum religiosam, invalida enim esset confessio [2], sed debet eum « adire » [3], quod intellige, ut vel eum adeat extra domum, vel occasionem arripiat eum habendi domi, si ad alium finem [4] advenerit [5]. — 2° Ut confessio cum approbato,

---

1 Ne ipse quidem Praelatus regularis potest sine hac speciali approbatione valide audire confessiones monialium, quae sibi subiectae sint. Nec confessarius, cui Episcopus unum monasterium assignavit, potest valide absolvere in alio, nisi aliunde ampliores facultates habuerit pro religiosis feminis generatim.

2 Nisi, contra ac nunc supponimus, specialem approbationem pro religiosis haberet.

3 Hunc confessarium simpliciter tantum ab Episcopo approbatum debet religiosa « adire », modo saltem supra explicato, id est, non potest eum consulto advocare domum; idque ad validitatem pertinet, nisi velimus canonem 876 omni sensu exuere. Ita omnes, v. gr. Verm.-Creus. n. 498; Goyeneche in ephem. *Comment. pro rel.* (1921) p. 18-19; Castillo in ephem. *Sal Terrae* (1921) p. 287 seqq. passim.

4 V. gr. ad visitationem, vel ad celebrandum.

5 Ex iis, quae hic in 1° et statim in 2° animadvertimus. eruitur quod religiosa adire potest quemvis pro mulieribus approbatum et cum eo confiteri in quovis loco propriae domus ad mulierum confessiones destinato, valide et licite; in alio loco, etiam propriae domus, probabilius valide. Haec sine dubio irritum omnino redderent canonem 876, nisi rite intelligeretur illa condicio « si adeat ».

Itaque haec condicio ita interpretanda est, ut cum ea citatus canon stare possit.

Imprimis, nulla est difficultas cum confessio peragitur *extra domum;* semper enim in hoc casu vere dici potest quod religiosa « adit confessarium ».

Sed si agatur de confessione *in propria domo*, ita procedendum est, ut adhuc vere « religiosa adeat confessarium », non autem « confessarius adeat religiosam ».

Quare: 1° Religiosa non poterit advocare confessarium ad hunc finem, ut cum eo confiteatur, tunc enim adit potius confessarius religiosam. Profecto, si id permitteretur, pessum iret praedictus canon. Nec religiosae prodesset aliquem praetextum excogitare, ut cum eo confessionem peragere simul posset; arcesseretur enim confessarius ad finem principalem confitendi. — 2° Confessa-

etsi non specialiter ad religiosas, valida et licita sit, peragi debet in ecclesia, in oratorio publico vel semi-publico[1], vel in aliquo loco ad confessiones mulierum saecularium legitime

---

rius non potest adire, non rogatus, domum religiosam et sedere in confessionali oratorii, ut religiosae accedant; id iam monuit BIEDERLACK-FÜHRICH cit. in ephem. *Comm. pro rel.* (1921) p. 28. Adhuc enim sic confessarius adit religiosas.

Nisi haec admittantur, in irritum cedit can. 876.

Sed: 1° Religiosa potest arcessere ad confessionem sacerdotem pro mulieribus approbatum, si is domum venerat unice vel saltem principaliter ad alium finem. — 2° Hic sacerdos potest adire, etsi non rogatus, domum religiosarum et confessionale ingredi oratorii cum intentione, unica vel saltem principali, audiendi mulieres saeculares, etsi aliquas religiosas forte accessuras praevideat aut sciat, debet tamen ad liceitatem praesumere Superiorissae consensum, cf. n. 638).

Quamvis haec admittantur, bene videntur mutuo consistere condicio canonis 522 et canon 876.

Ex his eruimus: sacerdos, qui arcessitus fuit ad celebrandum in aliquam religiosarum domum et approbationem habet pro mulieribus, potest ante vel post Missam confessionale oratorii petere, si ab aliqua vel aliquibus religiosis rogetur. Immo, potest etiam id facere non rogatus, si (cum licentia Superiorissae) principaliter intendit confessiones audire fidelium ibi adstantium. Quin etiam potest id facere non rogatus et cum intentione principali, etiam unica, ut religiosae accedant; quia non venerat ad finem principalem earum confessiones excipiendi, nec cum ea intentione principali fuerat invitatus (ut supponimus), sed cum fine principali Sacrum celebrandi.

Idem dici potest de capellano, qui ibi quotidie celebrat (capellanus, qui sacras functiones peragit et conciones habet, non necessario debet esse religiosarum confessarius; cf. can. 529), quamquam, si is id quasi habitualiter agat non rogatus, cito videbitur utrumque finem, et Missam et confessiones, intendere aeque principaliter, id autem admitti iam non posset.

[1] Estne *valida et licita* confessio in ecclesiae vel oratorii sacristia? — *Resp.*: Sacristiae, etsi templo vel oratorio contiguae sunt et cum eo materialiter parietibus continuentur, saepe tamen sunt secessus adeo moraliter distincti, ut qui « in sacristia » confitetur, nequeat simpliciter dici « confiteri in templo » (vel oratorio), quod sonant verba canonis 522. Nihilominus, VERM.-CREUS., *Summa novi iuris* n. 190 ait « non est cur quisquam dubitet », idemque probabile habet GÉN.-S. n. .339. Revera, dubitandum non videtur, generatim loquendo; etenim canon 522 valde latam patitur interpretationem, ut ex ipsius fine et verbis patet, ideoque sub templi vel oratorii nomine eorum quoque sacristia comprehendi debet. Generatim loquendo, diximus; quia si, clausis ianuis (quae non sint vitreae), communicatio interciperetur cum ecclesia, res evaderet incertior; aliunde vero, ianuis clausis, confessio illicita esset ex can. 909 in iis templorum sacristiis, quae a quibusvis desertae maneant.

Cf. tamen mox dicenda, quod probabilius locus non afficeret confessionis validitatem.

destinato[1]; idque valet, etsi peragatur confessio in ecclesia, oratorio, vel legitimo loco eiusdem domus, ad quam pertinet religiosa poenitens[2]. Probabilius tamen circumstantia loci non afficit validitatem confessionis[3]. — 3° Requiritur (ad liceitatem tantum) aliqua causa ad conscientiam pertinens, uti nuper de

---

1 Etsi can. 522 mentionem faciat tantum de « qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semi-publico », valida tamen et licita est confessio in quovis « loco ad audiendas confessiones mulierum legitime destinato », ut declaravit *Comm. I.C.* 24 nov. 1920 (*A.A.S.* [1920] p. 575 ad III), puta in aula interiore Collegii religiosarum, si forte ibi soleant excipi confessiones alumnarum.

Requirit praeterea FANFANI op. cit. n. 110, ut « id fiat ad modum saecularium mulierum, tempore quo ipsae saeculares possent, si velint, ad tale confessarium accedere ». Possunt quidem aliquando rationes decentiae id poscere; sed canon. 822 nullum fundamentum praebet huiusmodi limitationem apponendi, quam, ceteroquin, vix alius meminit.

Quod autem in praedicta declaratione nomine « mulierum » veniant saeculares, non moniales aliaeve religiosae, patet; praeterea, quia nullum sensum faceret idem can. 522, si in eo substituas « pro religiosis » loco verborum « pro mulieribus ».

Non ergo erit licita huiusmodi confessio in loco, quo mulieres ad confessionem admitti non solent, v. gr. in locutorio.

2 Nullo modo id ambigi potest. Verba enim canonis 522 sunt generalia et aperba: « *in qualibet* ecclesia etc. »; proinde sublata est in hodierno Codice exceptio, non ita pridem facta in decr. *Cum de sacramentalibus* 3 febr. 1913, quae excluserat confessionem peractam in propria domo. Ita etiam FERR. n. 662; GÉN.-S. n. 339; LEHMK. in opusc. *Quaest. mor. novo iuri etc.* p. 8 nota; ARREGUI n. 605; ephem. *Sal Terrae* (1921) p. 287; VERM.-CREUS. n. 498; PRÜMMER op. cit. q. 190 nota; FANFANI op. cit. n. 110.

3 Verum est quod canon 522 agens de confessione valida et licita in huiusmodi casu peragenda, locum assignat aiens « in ecclesia vel oratorio etiam semi-publico »; sed prorsus putamus hanc assignationem seu additionem, quae non reperitur in canone 519 omnino simili pro viris, ideo factam esse, quia mulierum confessio non est licita, sicut confessio virorum, in quovis decenti loco, sed « generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico » tantum, iuxta can. 909. Non poterat can. 522 pro religiosis feminis simpliciter dicere « si confessarium adeat etc., confessio valida et licita est », sicut dixit pro viris; falsum enim esset id sufficere pro feminis ad liceitatem, siquidem canon 909 locum specialem requirit.

Nullum aliud ergo fundamentum habet illa additio, nisi praedictum canonem 909.

Et confirmatur: quia, etsi canon. 522 exprimat tantum « ecclesiam et oratorium semi-publicum », nihilominus *Comm. I.C.* 24 nov. 1920 declaravit comprehendi etiam « quemvis locum confessionibus mulierum legitime destinatum ». Ratio autem huius declarationis, quae prima fronte videretur esse quaedam canonis 522 extensio, optime expicatur eo quod illa verba canonis 522 sunt quaedam admonitio de observando canone 909, porro hic canon

viris religiosis diximus. — 4° Non debet inde ansa sumi ad praetermittendum ordinarium quasi habitualiter; itaque, si alius confessarius videt se ab aliqua religiosa quasi habitualiter adiri, nec causam reperit proportionatam, debet eam monere de adeundo ordinario. — 5° Religiosa non potest ad confitendum domo egredi sine licentia; non tenetur tamen, in ea petenda, declarare propositum confitendi. — 6° Superiorissa non potest de his rebus inquirere, secus monenda aut plectenda iuxta can. 2414.

Praeterea, religiosa, cum *graviter aegrotat*[1], licet mortis periculum absit, arcessere potest quemlibet pro mulieribus approbatum[2], quin Superiorissa id ne indirecte quidem prohibere possit, sub poenis canonis 2414, eique potest, durante gravi infirmitate, quoties voluerit, confiteri (can. 523). Quod si mortis periculum adsit, licet ei quemlibet advocare, etsi ad confessiones non approbatum, iuxta can. 882.

De confessario ordinario. Singulis religiosarum domibus **653** assignari debet confessarius ordinarius unus, nisi pro magno religiosarum numero duo aut plures opus sint. Si qua tamen religiosa, ad animi sui quietem et maiorem spiritualem progressum aliquem specialem confessarium ordinarium sibi postulet, Ordinarius debet facile ei concedere (can. 520).

Confessarius ordinarius, quantum fieri possit, quadraginta annos natus sit, et non ultra triennium duret, potest tamen, post annum, eiusdem communitatis ordinarius rursus deputari; regimini communitatis sive interno sive externo nullo modo se immiscere debet (can. 524, § 3).

De confessario extraordinario. Quater saltem in anno cuique religiosarum communitati confessarius extraordinarius

---

dicit « generatim », quia aliquando non potest, aut non potest commode, ad mulierum confessiones aliqua ecclesia vel oratorium destinari; v. gr. in hospitali nonnumquam ad confessiones convalescentium mulierum excipiendas aliquis locus seorsim destinatur.

Circumstantia ergo loci non officit in casu confessionis validitati.

Ita videtur saltem probabilius cum Verm.-Creus. n. 498; Prümmer op. cit. q. 190; Lehmk. in opusc. *Quaest. mor. novo iuri etc.* p. 8 nota; Goyeneche in ephem. *Comment. pro rel.* (1921) p. 37-38; Castillo in ephem. *Sal Terrae* (1921) *p.* 293-297.

Sunt qui contrarium teneant, v. gr. Blat, *Comm. text. Cod.* l 2, p. 574; Ojetti et alii in ephem. *Sal Terrae* loc. cit.

Practice ergo de validitate omnino constabit propter dicta de iurisdictione probabili, n. 641.

[1] Gravis morbus dicitur, qui facile periculosus evadere potest. Verm.-Creus. n. 499.

[2] Qui proinde eo ipso clausuram ingredi permittitur.

(ex designatione vel approbatione Ordinarii, can. 525) dandus est, qui, ut canon 521, § 1 insinuat, idem per totum annum sit, si fieri possit, et quadraginta annos natus.

Ut earum religiosarum libertati prospiciatur, quae forte confessarii extraordinarii opera indigeant, praecipit can. 521, § 1, ut ei se sistant omnes religiosae, saltem ut benedictionem (vel salutaria monita) accipiant.

Quot diebus duret eius deputatio, e consuetudine pendet dioeceseos.

Confessarius communitatis regimini nullo modo se immisceat (can. 524, § 3).

De confessario « ad casum » seu ad occurendum casibus particularibus. Ubi religiosarum communitates exsistunt, debent Ordinarii aliquos sacerdotes pro singulis domibus designare, quos religiosae quoties particularis casus occurrat advocare queant, quin possit Superiorissa ne indirecte quidem obsistere aut ostendere se id aegre ferre (can. 521, §§ 2 et 3), secus moneri aut plecti debet iuxta can. 2414. Quod si religiosa advocaret aliquem ex habentibus in pagella facultatem generalem ad confessiones religiosarum, sed pro illa domo non assignatum, confessio etiam valida et licita erit, nisi Episcopus expresse prohibuisset adire aliquem praeter designatos pro illa domo.

Nec quidquam obest, quominus aliquis ex praedictis advocetur pro confessionibus communitatis, si confessarius ordinarius absit.

654 *Cum quonam confiteri possint aut debeant religiosae.* Responsio eruitur ex praedictis. Nempe:

Valide confitentur cum quovis ex approbatis pro mulieribus, et quovis loco; excipe tantum, si hunc pro religiosis non approbatum advocaverint ad propriam domum ex intentione confessionis.

Debent confiteri cum ordinario communitatis, vel cum ordinario speciali de consensu Ordinarii sibi obtento; et temporibus consuetis ad extraordinarium debent saltem accedere.

Possunt, occurrente ratione aliqua conscientiam attingente, valide et licite advocare quemlibet ex designatis « ad casum » pro sua domo, vel adire quemlibet ex approbatis pro mulieribus et cum eo confiteri in qualibet ecclesia vel oratorio, publico vel semi-publico, etiam propriae domus (nisi illum in ecclesiam vel oratorium propriae domus consulto advocaverint); si fiat sine ulla ratione, confessio valida est, sed non

licet. Cum graviter aegrotant, advocare possunt quemlibet ex approbatis pro mulieribus; in periculo mortis, quemlibet etiam non approbatum [1].

---

[1] *Nonnullas applicationes* ad finem addidisse iuvabit ad hanc materiam plenius pro praxi intelligendam. Eas per modum casuum proponemus.

In sequentibus casibus confessarius supponitur *approbatus pro mulieribus*, non tamen pro religiosis feminis.

1° Quidam sacerdos, dum confessiones fidelium excipit, si aliquam religiosam accedentem videt, eius confessionem audit quidem eamque absolvit, praevie tamen petit, qua ratione speciali accedat.

2° Quondam, celebrata Missa in oratorio publico religiosarum, assedit in confessionali auditque duas sorores extraneas, quae eo venerant; quin etiam unam eiusdem domus, quae hanc nacta occasionem ad eum accessit.

3° Alias, idem ei accidit, cum nesciens occupasset e quatuor confessionalibus id, quod erat sororibus illius domus reservatum.

4° Cum celebrata Missa a sorore aliqua audiri rogaretur et confessionale in oratorio unicum ab alio sacerdote occupatum videret, tabulam crate munitam ad sacristiam afferri iussit, ibique eam audit.

5° Cum quodam sabbato domum religiosam adiret ad quoddam negotium, rogavit Superiorissam una e sororibus, ut eum oratorium adire rogaret ad confessionem audiendam. Superiorissa, hanc nacta occasionem, petit, ut communitatis totius confessiones audire velit, quia ordinarius praecedenti die abierat, nec illa die exspectabatur.

6° Alia die cum casu eodem adire iterum debuisset, rursum ab una sororum rogatur, ut eius confessionem exciperet. Sed, cum capella a pictoribus occuparetur, eam audit in locutorio.

7° Alias, cum in monasterium ingredi debuisset, obiter audivit intra clausuram confessionem unius monialis.

8° Cum ad domum religiosam advocaretur ab una religiosarum, quae cum eo confiteri cupiebat, cum ea convenit, ut postero die ad quoddam sacellum publicum se conferret, quo ille vicissim ad hunc finem erit aditurus.

9° Quondam advocatur ad oratorium hospitalis, ut confessionem audiat cuiusdam e sororibus ibi inservientibus.

10° Cum ad oratorium privatum viri cuiusdam nobilis celebraturus venisset, confessiones, in confessionali ibidem posito, excepit non solum familiae, sed etiam duarum religiosarum, quae noctem transegerant in cura unius e filiis domini graviter infirmi, et nunc in Missa communicare cupiebant.

11° Alias, in missionibus ruralibus, sorores audit in agro aperto, ubi crates provisoriae constituuntur ad confessiones populi postremo die excipiendas.

12° Denique, cum iter faceret cum quibusdam sororibus in via ferrea, dissimulanter absolvi petiit earum una a quadam noxa, ob quam vehementer angebatur.

Responsiones:

Ad 1. Non est cur de interroganda causa confessionis sit sollicitus, nisi videat se pluries ab eadem sorore adiri et suspicetur id fieri ad arbitrium. Rationes enim extraneum confessarium

655 *d*) **Iurisdictio ad excipiendas confessiones navigantium *.** In maritimo itinere ** sacerdos, dummodo approbationem ha-

adeundi possunt esse plures et occultae, quae ex mera auditione confessionis non semper deprehenduntur.

Ad 2. De sororibus extraneis nulla est difficultas, possunt enim, extra suam domum, in qualibet ecclesia vel oratorio valide et licite confiteri. Atqui idem dici debet de sorore, quae id peregit in oratorio propriae domus, occasionem nacta adventus sacerdotis.

Ad 3. Quod confessiones exceptae fuerint in confessionali sororibus habitualiter reservato, solutionem non mutat, exceptae enim fuerunt « in ecclesia vel oratorio ». (Non ignoramus unum alterumve auctorem esse: Ferr. n. 662, q. 1.; Fanfani, *De iure rel.* n. 110, qui sentiant religiosas, ut confiteri valeant, cum approbato pro mulieribus tantum, debere id peragere non solum in loco mulieribus saecularibus destinato, sed etiam « more mulierum saecularium ». Non negamus hanc istius postremi requisiti ideam aliquatenus posse alicui suggeri ex lectione canonis 522; reapse tamen non reperit in eius verbis fundamentum, cum canon simpliciter dicat valere et licere confessionem « in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semi-publico », quin verbulum addat ullum, quo aliquid praeterea ultra circumstantiam loci exigatur. Ideo magis mirum est, quod illa condicio non tantum ad liceitatem, verum etiam ad validitatem a laudatis auctoribus requiri videatur. Ceteri aut id non meminerunt aut id requiri negant.)

Ad 4. Valida et licita est generatim confessio in sacristia.

Ad 5. Illius sororis rogatui obsecundare poterat.

An etiam Superiorissae petitioni? Negandum est. Etenim canon 522 permittit, ut hunc confessarium casu advenientem, si aliqua religiosa adire velit, adeat. Requiritur ergo (ad validitatem), ut petitio fiat a sorore particulari (possunt etiam aliae seorsim petere), quod nullo modo verificatur, cum petitio fit a communitate, aut pro communitate ut tali.

Ad 6. Valida est confessio in locutorio. Ad liceitatem vero quod attinet, videndum est an canones 909 et 910 permisissent in casu confessionem peragere extra oratorium. Affirmandum, si religiosa non posset tunc aut aliquanto postea commode adire eumdem aut alium confessarium extra domum, et secus in notabili intranquillitate deseri debuisset, dummodo tamen exciperetur confessio in loco conspicuo et crate interposita.

Ad 7. Remitti debuisset monialis ad locum pro communitate habitualiter destinatum. Confessio tamen valida fuit, sed illicita extra locum debitum et modo indebito, praeterquam quod intra clausuram ad extranea negotia citra necessitatem diverti non debet.

Ad 8. Omnino licite.

Ad 9. Non poterat illo adire. Si enim hospitale est simul domus religiosarum, patet. Sed quamvis ibi religiosae degant quasi in aliena domo ad inserviendum, et quamvis ibi non degant sed pertineant ad domum religiosam alibi sitam, adire non poterat. Nec prodesset dicere quod tunc soror confiteretur « extra domum »; non enim id sufficit, quoniam in casu religiosa non « adit » confessarium, sed eum ad se advocat, id autem validitati obstat.

Ad 10. Etsi oratorium privatum non sit locus in can. 522 aut 909 comprehensus, cum tamen oratorium sit e ceteris locis

* Vide, sis, notam asterisco (*) distinctam in pag. 251.

** Vide, sis, notam duobus asteriscis (**) distinctam in pag. 251.

beat[1] ab Ordinario[2] proprio[3], vel portus in quo navim conscendit, vel cuiusvis portus per quem in itinere transit, potest, toto itinere, audire *in navi* confessiones quorumvis[4] fidelium secum navigantium, etiam religiosarum, et *dum in aliquo portu in itinere* (proinde non in ultimo portu, ad quem, neque in primo, a quo *navis* iter facit) navis consistit, confessiones quo-

---

potissimus, cum apto confessionali ad id parato, ibique cetera familiae membra saepe confiteantur, aliunde vero non parum incommodi esset religiosis a communione abstinere, earum confessio excipi poterat.

Ad 11. In huiusmodi circumstantiis confessiones mulierum ibi legitime excipiuntur; non est ergo, cur religiosae excludantur.

Ad 12. Ratione loci est illicita confessio, ultra veram necessitatem; et ratione modi, nisi ita breviter et decenter potuisset fieri, ut vel ceteris res dissimularetur vel saltem nullius scandali occasioni esset. Valida tamen est, dummodo sacerdos non tantum versetur in dioecesi approbationis dum absolvit, sed etiam ab initio confessionis (nam potest dioecesis, ubi incipit confessio, ab alia, in qua finitur, esse diversa), quia peccata accusanda sunt, non simplici sacerdoti, sed iudici (nisi accusatio ante absolutionem resumeretur per verba « accuso me de iis que audisti »).

* « § 1. Sacerdotes omnes maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario, vel ab Ordinario portus in quo navim conscendunt, vel etiam ab Ordinario cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem rite acceperint confessiones audiendi, possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere, quamvis navis in itinere transeat vel etiam aliquandiu consistat variis in locis diversorum Ordinariorum iurisdictioni subiectis. — § 2. Quoties vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere tum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis » (can. 883).

Disciplina proxime ante Codicem vigens, praesenti erat sat similis, eamque optime commentati fuerunt Ferreres in ephem. *Razón y Fe* XVII, p. 512-523, XVIII, p. 98-107; Vermeersch, *Periodica* III, p. 40-43.

** Iter maritimum non est quaevis navigatio, qua recreationis causa solvit quis a portu, post aliquot horas reversurus vel recreationis aut negotii causa mox in alio portu descensurus. Cf. Verm.-Creus. n. 153.

1 Non agitur de obtinenda aliqua approbatione in ordine ad navigationem, sed de approbatione communi, quam quis forte iam habet in dioecesi; haec sufficit.

2 Intellige « Ordinarium loci », non Superiorem maiorem regularem, agitur enim de absolvendis fidelibus indistincte; praeterea aperte indicatur per verba «Ordinario portus etc. ».

3 Ratione domicilii, quasi-domicilii vel incardinationis adhuc perdurantis. Blat op. cit. p. 236.

4 Dummodo approbationem non habeat limitatam ad viros tantum.

rumlibet (etiam religiosarum) ad navim accedentium[1] vel ab ipso ad terram obiter[2] appellente confessionem petentium. Cf. etiam infra, n. 659.

e) **Iurisdictio ad excipiendas confessiones militum.** Capellani militum quibusdam in nationibus specialem delegationem habent ab aliquo Episcopo pro militibus constituto vel a capellano maiori pro iisdem a S. Sede approbato; ubi ita rem S. Sedes constituerit, eius praescriptis standum est, ait can. 451, § 3.

Ceterum, milites absolvi etiam possunt a quovis confessario ab Ordinario loci approbato, ut manifestum est.

Miles, in statu bellicae convocationis, seu ut aiunt, mobilisationis, ipso facto aequiparatur versanti in periculo mortis, ita ut a quovis sacerdote possit absolvi[3].

---

[1] Si tamen navis capellam fixam habet, in ea audiendae sunt mulieres.

[2] Adverbium « obiter » ita intelligendum est, respondit interrogata *Comm. I.C.* 13 dec. 1923 (*A.A.S.* [1924] p. 114 ad IV), ut sacerdos rite praeditus facultate, iuxta can. 883, 1, audiendi confessiones, possit, quoties navis in portu maneat, terram adire ibique in ecclesia vel sacello confessiones excipere eorum, qui confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere, etiam a casibus Ordinario loci reservatis, per integrum diem, vel per duos vel tres dies, si tamdiu navis in portu maneat, vel si per integrum diem, vel per duos vel tres dies dictus sacerdos ad idem iter prosequendum unam navem relinquere debeat ut alteram conscendat, si in portu hanc navem tamdiu exspectare debeat; sed in neutro casu idem potest dictus sacerdos ultra triduum, si loci Ordinarius facile adiri possit.

Igitur dictus sacerdos, facultate munitus alicuius ex Ordinariis, de quibus in can. 883, § 1, potest id facere per triduum, etiamsi loci Ordinarius facile possit adiri. Transacto triduo, id non potest, ex quo iam prima occasio sese obtulit, qua facile recurrere possit (v. gr. per epistolam) ad Ordinarium loci (forte in alia urbe degentem); sed quamdiu nondum potuit facile adire Ordinarium et navis adhuc in portu consistit vel ipse aliam navim exspectat, interea idem potest, etiamsi plures praetereant dies.

Ex dictis eruitur quod dictus sacerdos, si initio moraliter certus sit praefatas condiciones ultra triduum esse duraturas, debet iam ante triduum opportune recurrere, si deinde opportunitatem se non habiturum praevidet, v. gr. debet mature ad Ordinarium alibi degentem scribere licentiasque petere; quod si conscius id neglexerit, nequit, transacto triduo, confessiones excipere, etiamsi statuat tunc recurrere; bene tamen posset eas excipere, si recursu opportune habito, responsum post triduum nondum ad se pervenit.

An facile vel difficulter possit fieri recursus, id relinquitur, ut patet, prudenti sacerdotis iudicio, perpensis adiunctis.

[3] *Resp. S. Poenit.* 18 mart. 1912. Cf. Ferreres in ephem. *Razón y Fe* XXXIII, p. 520; Vermeersch, *Periodica* VI, p. 227.

f) **Iurisdictio ad excipiendas confessiones in periculo mortis**[1]. Omnes sacerdotes[2], etiam non approbati, omnimoda iurisdictione donantur erga quoslibet versantes in periculo mortis[3], eosque valide et licite absolvent, etiamsi praesens sit alius approbatus[4]. Cf. etiam infra, n. 659 903.

Art. 3. Absolutio a reservatis.

a) **Quid reservatio**[5]. Reservatio est avocatio peccati ad Superioris tribunal per limitationem iurisdictionis ab eodem factam inferioribus (can. 893, §§ 1 et 2). 656

---

1 « In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884 2252 » (can. 882). Refertur ad praescripta de absolutione complicis et de absolutione in periculo mortis a quibusdam censuris; de his, suis in locis.

2 Non excluduntur qualibet censura irretiti, immo nec haeretici aut schismatici.

Sacerdotes catholici excommunicati, etiam vitandi, non prohibentur sua censura, quominus valide et licite absolvant, ut constat ex can. 2261, § 3.

A sacerdote haeretico aut schismatico non liceret absolutionem petere, si ab alio catholico obtineri posset; supposita tamen bona fide, absolutio valida esset.

3 Proprie loquendo aliud est periculum mortis, aliud mortis articulus. In mortis articulo versatur is, cui mors iam proxime instat; in mortis periculo, quando prudens timor habetur mortis brevi secuturae, cuiusmodi evenit, ait S. Alph. n. 561, in proelio, in difficili partu, in morbo periculoso et similibus. Sed quoniam periculosum est exspectare articulum mortis, ideo solent periculum et articulus pro eodem sumi. Ball.-P. n. 590.

4 Canon 882 veterem controversiam sustulit, in qua putabant multi verba *Tridentini* sess. 14, c. 7 aientis « omnes sacerdotes quoslibet poenitentes (in articulo mortis) a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt » ita intelligenda esse, ut moribundum absolvere non posset sacerdos non approbatus, si facile adesse posset alius approbatus. Cf., si lubet, Lugo d. 18, s. 2; S. Alph. n. 560-563; Ball.-P. n. 590-598. Sententiae tamen contrariae probabilitas accreverat ex resp. *S. Off.* 29 iul. 1891 (*A.S.S.* XXIX, p. 574).

5 Canones ad praesentem materiam pertinentes sunt:

« § 1. Qui ordinario iure possunt audiendi confessiones potestatem concedere aut ferre censuras, possunt quoque, excepto Vicario Capitulari et Vicario Generali sine mandato speciali, nonnullos casus ad suum avocare iudicium, inferioribus absolvendi potestatem limitantes. — § 2. Haec avocatio dicitur *reservatio* casuum. — § 3. Quod attinet ad reservationem censurarum, servetur praescriptum can. 2246 2247 » (can. 893).

« Unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos » (can. 894).

« Locorum Ordinarii peccata ne reservent, nisi, re in Synodo

Nomine « casuum reservatorum » comprehenduntur saepe omnia peccata et censurae, quarum absolutio Superiori reser-

---

dioecesana discussa, vel extra Synodum auditis Capitulo cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus suae dioeceseos animarum curatoribus, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit » (can. 895).

« Inter Superiores religionis clericalis exemptae unus Superior Generalis, et in monasteriis sui iuris Abbas, cum proprio cuiusque Consilio peccata, ut supra, subditorum reservare possunt, firmo praescripto can. 518, § 1 519 » (can. 896).

« Casus reservandi sint pauci omnino, tres scilicet vel, ad summum, quatuor ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus externis specifice determinatis; ipsa vero reservatio ne ultra in vigore maneat, quam necesse sit ad publicum aliquod inolitum vitium exstirpandum et collapsam forte christianam disciplinam instaurandam » (can. 897).

« Prorsus ab iis peccatis sibi reservandis omnes abstineant quae iam sint Sedi Apostolicae etiam ratione censurae reservata, et regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit » (can. 898).

« § 1. Statutis semel reservationibus quas vere necessarias aut utiles iudicaverint, curent locorum Ordinarii ut ad subditorum notitiam, quo meliore eis videatur modo, eaedem deducantur, nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant. — § 2. At huiusmodi absolvendi facultas ipso iure competit canonico poenitentiario ad normam can. 401, § 1, et habitualiter saltem vicariis foraneis, addita, praesertim in locis dioeceseos a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi toties quoties confessarios sui districtus, si et quando pro urgentiore aliquo determinato casu ad eos recurrant. — § 3. Ipso iure a casibus, quos quoquo modo sibi Ordinarii reservaverint, absolvere possunt tum parochi, aliive qui parochorum nomine in iure censentur, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili, tum singuli missionarii quo tempore missiones ad populum haberi contingat » (can. 899).

« Quaevis reservatio omni vi caret: 1° Cum confessionem peragunt sive aegroti qui domo egredi non valent, sive sponsi matrimonii ineundi causa; — 2° Quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis; — 3° Extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit » (can. 900).

Praesentem disciplinam praeparaverat instructio *S. Off.* 13 iul. 1916, quam commentati fuerunt Ferreres in ephem. *Razón y Fe* XLVI, p. 356-370; Mostaza in ephem. *Sal Terrae* (1916) p. 1015 ad 1027; Vermeersch, *Periodica* VIII, p. 179-190.

Praesentem disciplinam commentatus est Fuster in ephem. *Razón y Fe* LII, p. 510-518; LIII, p. 103-114 216-227, additis in vols. LIII-LVIII fusis adnotationibus circa particularia reservata diversarum dioeceseon Hispaniae.

De reservatione cf. Suárez, *De Poenit.* disp. 29-31; Lugo, *De Poenit.* disp. 20; Castropalao d. 23, punct. 15; Salmant. tr. 6, c. 13; Lacroix n. 1699-1798 (alibi 1599-1698); S. Alph. n. 578-602; Ball.-P. n. 657-793; Lehmk. n. 520-540; Bucceroni, *Commentarius I* de reservatis; Gén.-S. n. 342-350; Ferr. n. 667-684; Verm.-Creus. n. 172-181; Prümmer q. 305-306.

vatur. Bene tamen distinguendum est. Nam e peccatis, a quibus inferior, sive ex Summi Pontificis dispositione sive Ordinarii, absolvere non potest, alia censuram adnexam habent, alia ea carent.

Hinc quatuor casuum genera distinguenda:

1° *Casus a S. Sede reservati ratione sui.* Casus unicus est, nempe falsa denuntiatio sacerdotis de sollicitatione apud ecclesiasticos iudices[1]. Hic casus adnexam quidem habet censuram (can. 2363), sed reservatur « *ratione sui* », id est, si censura incursa non fuerit (id autem accideret propter eius ignorantiam), adhuc absolutio peccati maneret reservata.

2° *Casus cum censura a S. Sede reservati.* Hi casus, simul cum praecedenti, vocantur « casus *papales* », quoniam ab ipso Papa reservati sunt. Ut de iis loquamur, quorum reservatio facta declaratur in ipso Codice, quique proinde vocantur « casus a iure reservati », eos Papa partim sibi reservatos voluit (« a iure S. Sedi reservati »), partim Ordinariis (« a iure Ordinario reservati »). Eos porro reservavit *ratione censurae* tantummodo (si unum id excipias, quod diximus reservatum ratione sui); ita proinde, ut, si censura in foro externo soluta fuerit aut forte propter ignorantiam non fuerit incursa, peccatum a quovis approbato confessario iam absolvi possit, quia ratione sui non est reservatum, nec iam vinculum censurae obstat illius absolutioni.

3° *Casus sine censura ab Ordinario reservati.* Vocari etiam solent « *episcopales* », quia in diversis vigent dioecesibus, reservatione facta ab Episcopo; reapse tamen reservatio a quibus-

---

[1] « Unicum peccatum ratione sui reservatum Sanctae Sedi est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos » (can. 894). Eius explicationem vide in n. 679.

Alius casus pro *Amer. Lat.*

S. Sedes Ordinariis loci Americae Latinae reservatum voluit eorum crimen, qui « Indos in servitutem redigere, vendere, emere, commutare vel donare, ab uxoribus et filiis separare, rebus et bonis suis spoliare, ad alia loca deducere et transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitutem retinere; necnon praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem et operam quocumque praetextu et quaesito colore praestare, aut id licitum praedicare seu docere, atque alias quomodolibet praemissis cooperari audeant seu praesumant ». Pius X litt. *Lacrimabili statu* 7 iun. 1912 (*A.A.S.* [1912] p. 521). Haec reservatio, cum speciem praeseferat dispositionis transitoriae, videtur, non obstante can. 6, 6°, etiamnum vigere. Attamen, quamvis lata sub veteri iure, subiacet cessationi in omnibus adiunctis, de quibus can. 900; non tamen absolvere possunt ii, de quibus can. 899, §§ 2 et 3, quoniam non est casus, quem ipsi Ordinarii sibi reservaverint, sed est casus papalis; possunt tamen Ordinarii facultatem absolvendi delegare habitualiter, vi canonis 199.

dam aliis Ordinariis fieri quoque potest, ut mox dicemus. Vocari etiam solent « *synodales* », quia regulariter reservantur in Synodo, vel « *dioecesani* » quia non vigent nisi in respectiva dioecesi.

4° *Casus cum censura ab Ordinario reservati.* Sat rari sunt, quia generatim Ordinarii eos sibi reservant, quin censuram addiderint. Quando autem addunt, reservare solent censuram tantum [1].

Animadvertendum. De censuris et de earum absolutione seorsim agendum erit ad finem Theologiae Moralis in tractatu peculiari. Id enim claritati non parum proderit.

Quocirca, hic tantum agendum nobis erit de iis peccatis, quae censuram adnexam non habent, quorum tamen absolutio reservatur. Agemus igitur de iis casibus solummodo, qui nuper sub 1° et 3° recensiti sunt (qui proinde fere non sunt nisi « episcopales », siquidem papalis unus est), et ultimo loco aliqua specialia addemus circa reservata in Ordinibus religiosis.

657 *b*) **Quinam casus reservare possint.** Reservare casus possunt omnes qui ordinario iure possunt audiendi confessiones potestatem concedere (can. 893, § 1), id est, praeter Summum Pontificem, Ordinarii loci pro saecularibus et religiosis utriusque sexus non exemptis [2], et Ordinarii religiosi pro suis subditis (can. 874 et 875). Excipiuntur tamen 1° Vicarius Capitularis et Vicarius Generalis, qui reservare non poterunt (can. 393, § 1). 2° In religionibus clericalibus exemptis unus Superior Generalis et in monasteriis sui iuris Abbas, reservare peccata poterunt, audito tamen suo Consilio (can. 896 et 105).

Eos autem monet Codex, 1° ut reservationem non faciant nisi audito Synodo, Capitulo, vel Consilio (can. 895 et 896);

---

1 Cf. Noldin n. 360, 2° b.

2 Si Ordinarius loci approbationem daret casus quosdam excipiendo pro regularibus exemptis et pro eis tantum, haec non esset proprie reservatio, cum lege constituta non esset, siquidem leges ferre non potest pro exemptis. Esset tantum quaedam approbationis limitatio, quam valide quidem facere potest, sed illicite, siquidem reservationi in praxi aequivaleret, reservationes autem facere pro exemptis ad suum Superiorem Generalem attinet, non ad Ordinarium loci. Immo, canon 519 et ultimum incisum canonis 896 supponunt ab Ordinario loci non esse reservata ea, quae tamen in Ordine religioso possunt esse reservata.

Idem dic de Vicario Capitulari et Generali necnon de Superioribus religiosis, qui « ad normam constitutionum » (can. 875) potestatem delegare possunt ad confessiones. Possunt quidem, cum iurisdictionem delegant, eam limitare quoad tempus et personas (can. 878), non tamen excipere quosdam casus, id enim reservationi aequipolleret, cuius faciendae potestatem illis denegant canon 893 et canon 895 respective.

2° reservent tres, ad summum quatuor casus ex atrocioribus criminibus externis, et pro tempore tantum, quo necesse sit (can. 897); 3° ne reservent casus ratione censurae a iure, etsi nemini, reservatos (can. 898); 4° reservationis factae notitiam ad subditos pervenire curent (can. 899, § 1).

c) **Condiciones reservationis.** Iuxta Ecclesiae consuetu- **658**
dinem, quam testatur communis theologorum sententia, reservatio intelligitur fieri sub sequentibus condicionibus, quae peccatum etiam Papae reservatum afficiunt; nimirum, peccatum debuit esse:

1° *Mortale* tum obiective tum subiective. Obiective, id est, materia debuit in se esse gravis et non tantum apprehendi ut gravis. Subiective, id est, cum sufficienti advertentia et consensu.

Immo, peccatum debuit esse *certo* mortale; communis enim auctorum sententia est quod, in dubio an fuerit mortale, sive obiective (v. gr. reservatur percussio, et dubium est an fuerit in se gravis), sive subiective[1] (v. gr. dubium est de sufficienti advertentia), peccatum censeri debeat non reservatum[2]. Rationem dant, quia reservatio est odiosa, ideoque censenda est non fieri ab Ecclesia nisi circa peccata certo gravia[3].

---

[1] Videtur quidem Sánchez, *In Decal.* l. 1, c. 10, n. 73 id tantum intellexisse de dubio circa gravitatem obiectivam; sed, ut bene notat Lugo d. 20, n. 18, ipse sibi contradixit *In Decal.* l. 4, c. 44, n. 3 et c. 40, n. 26 cum dixit non reservari votum, si dubium est de sufficienti intentione. De cetero, communis sententia absolute loquitur; plures auctores citatos reperies ap. Lugonem ibid.

[2] Lugo d. 20, n. 16-19; S. Alph. n. 600.

Attamen perperam inde inferes reservationem cessare statim ac cuipiam lubeat in dubium vocare num fuerit mortale. Nam constans regula est morales diligentias esse adhibendas, antequam quis agat, ut dubia depellantur, nec procedendum donec dubium prudenter iudicetur insolubile. Porro, in casu de quo agimus, insolubilitas supponit morales diligentias factas apud poenitentem. Debet ergo is rationabiliter interrogari et ferri iudicium prudens. Id tamen nullam requirit poenitentis vexationem (quam, aliunde, Ecclesia non vult), facile enim, paucis prolatis verbis apparet moraliter certo fuisse mortale, vel, e contra, id moraliter non posse comperiri.

[3] Dicunt « censenda est etc. »; absolute enim potest Ecclesia reservationem sustinere, non obstante dubio de gravitate peccati, si reapse fuit grave. Dicunt tamen quod censere debemus, Ecclesiam non id fecisse. Quid autem, si revera fecit? manetne inabsolutus poenitens ab eo peccato? — *Resp.*: Dicere quod Ecclesia illud non vult reservatum, idem est ac dicere quod confessarius habet in illud iurisdictionem. Posita ergo hac auctorum doctrina affirmante exsistentiam iurisdictionis, hanc certo supplet Ecclesia vi can. 209, si forte obiective non esset vera. Cf. dicta n. 641 de iurisdictione probabili. Certo ergo peccatum absolutum est directe,

2° *Externum;* unde, merum propositum internum patrandi actionem peccaminosam reservatam non est reservatum. Et debet esse *externe mortale*, id est, habere debet malitiam externam gravem; proinde non sufficit actio in se levis, quae mortalis evaserit ratione tantum conscientiae erroneae vel intentionis graviter peccaminosae.

3° *Consummatum*, id est, non mere attentatum aut frustratum. Proinde, si reservatur « homicidium », non sufficeret homicidii attentatio, v. gr. porrectio veneni, sed opus esset, ut mors secuta fuisset; si vero reservaretur « homicidii attentatio », non sufficeret sola armorum emptio ad occidendum, sed opus esset, ut secuta esset aggressio, sufficeret tamen aggressio, etsi mors secuta non fuisset.

4° *Patratum in sensu stricto verborum reservationis*. Proinde, si reservatur « lectio libri pravi », non ideo reservatur libri retentio vel lectionis auditio (nisi haec quoque expresse reserventur), vel lectio ephemeridis.

Haec si verificantur omnia, confessarius sine speciali facultate a peccato absolvere non potest, etsi poenitens, dum illud patravit, ignoraverit esse reservatum[1], sed debet eum

---

ideoque non debebit iterum accusari, etsi dein certo deprehendatur fuisse grave.

Ante Codicem, aliquando, ad tollendum omnem scrupulum, declarabatur quod « cum confessarius bona fide dubitat, an mortale sit, ab eo potest absolvere, licet huiusmodi dubitatio ex ignorantia procedat » (cf. *Instit. Soc. Iesu*, Ordinat. Praepp. Generalium c. 6, n. 8). Nunc nulli scrupulo locus esse potest, cum aperte id constet in can. 209, ut nuper diximus, nisi confessarius crassa et manifesta levitate egisset.

[1] Magna exardescebat ante Codicem controversia, « utrum reservationem incurrerent ignorantes », uti dici solebat, id est, utrum reservatio censenda esset facta sub condicione notitiae reservationis. Haec quaestio ad hanc aliam reducebatur, utrum reservatio intenderet principaliter poenam delinquentis vindicativam vel medicinalem, ideoque supponeret sui notitiam, cum reservatio censeatur poena extraordinaria, an potius esset mera iurisdictionis restrictio et avocatio absolutionis ad altius aliquod tribunal, ut atrocioribus delictis per magis competentes iudices congruentius et efficacius remedium apponatur.

Nunc iam litibus locus fere non relinquitur in Codice, qui tamen potuisset eas praecidere verbis magis expressis, idque fuisset optabilius. Reservationes, nimirum, de quibus Codex, fiunt absque condicione notitiae reservationis, ideoque afficiunt ignorantes. Ita quoque Verm.-Creus. n. 174; Gén.-S. n. 345; Noldin n. 597. Attamen Ferreres n. 672 contrarium dicit probabile (etsi optima quidem argumenta congerat ad probandum ignorantes *nunc* comprehendi, nullum vero afferat pro parte adversa, nisi benignam interpretationem, si forte intrinsece probabilis erat, antiqui iuris).

Rationes sunt: 1° Reservatio definitur in can. 893 avocatio causae ad iudicium Superioris. Sane, non additur quemnam ad finem decernatur huiusmodi avocatio; sed, cum definiatur simpli-

remittere ad Superiorem aut habentem facultatem, vel ipse ex caritate facultatem ad illum saltem casum procurare; nisi forte reservatio tunc cesset ob aliquod ex adiunctis mox recensendis.

---

citer avocatio causae, nec verbum ullum addatur, quo finis poenae significetur, dicenda est avocatio per se principaliter esse intenta, non poena. — 2° Reservatio non recensetur inter poenas, sed de illa et de istis in diversis Codicis libris reponitur tractatio. — 3° Casus falsae de sollicitatione denuntiationis plectitur censura in can. 2362, in cuius fine additur « firmo praescripto can. 894 », qui illum declaraverat reservatum ratione sui. Haec autem admonitio nihil aliud significare potest nisi quod, cessante reservatione censurae propter ignorantiam, adhuc tamen reservatum manet peccatum. Ergo ignorantia non adimit vim reservationi (nisi dixeris per illa verba admoneri quod reservationem huius casus impuberes non effugiunt, qui aliunde censuras non incurrunt; sed haec responsio nimis videretur conquisita, ut enim posset cuiquam in mentem venire iste sensus, debuisset Codex alibi monuisse expresse, quod reservatione afficiuntur etiam impuberes). Cf. tamen mox dicenda in fine huius notae. — 4° Confirmatur ex resp. *Comm. I.C.* 24 nov. 1920 (*A.A.S.* [1920] p. 575). Ad quaestionem, nempe « Utrum ad normam canonis 893, §§ 1 et 2 peregrinus teneatur reservationibus loci, in quo degit », responsum est « affirmative », cum tamen, quoniam peregrini de se praesumi possint ignorare leges territorii non proprii, debuisset potius Commissio aut respondisse negative, aut mentionem fecisse de requisita notitia reservationis, si vere reservatio erga ignorantes vi careret. Praeterea (quod validam confirmationem dat argumento 1°) non tantum quaesitum fuit, utrum peregrini tenerentur reservationibus loci, sed etiam an, si tenerentur, tenerentur vi definitionis reservationis. Responsio ergo implicite affirmat, rationem cur non cesset reservatio, esse limitationem iurisdictionis, eamque rationem esse sufficientem. — 5° Nec contemni debet hoc indicium, quod ignorantia non recensetur in can. 900 inter adiuncta, in quibus reservatio vi caret; non tamen in hoc insistimus, quia nec recensetur dubitatio de gravitate peccati; potuit enim Codex, quoad condiciones reservationis adeo generales, relinquere ut reservatio intelligeretur prout in pristino iure.

Adhuc tamen anno 1918 contenderat Fuster in ephem. *Razón y Fe* LIII, p. 105, atque ante eum Arregui, *Theol. mor.* n. 607 nota, aliquam probabilitatem creare pro opinione contraria. Rationes adducuntur: reservationem fieri ad inolitum vitium exstirpandum (can. 897) ideoque remedium esse praeventivum, quod agit per eius cognitionem; propterea eius notitiae diffusionem commendari in can. 899, § 1; insuper reservationes debere esse utiles (can. 895), utiles autem non esse si ignorentur. Ad argumentum vero depromptum e casu calumniosae denuntiationis opponitur, eius reservationem sumendam esse ut in iure pristino, in quo fiebat ad poenam; aliunde incisum ultimum canonis 2363 hunc sensum habere posse: eum qui cum conscientia poenae ecclesiasticae delinquerit et a censura in foro externo absolutus fuerit, adhuc reservationi subiacere ut absolvatur a peccato.

Sed 1ª ratio, si admittenda esset, probaret reservationes non afficere delinquentes etsi reservationem non ignoraverint, cum primum delinquunt, nec cum secundo aut tertio, sed donec vitium contraxerint idque iam fuerit inolitum. Nec 2ª ratio admitti potest,

Diximus reservationem intelligendam esse sub recensitis condicionibus ex Ecclesiae consuetudine, non ex ipsius reservationis natura; quia in rigore posset quidem Ecclesia reservare peccata venialia vel mere interna, non tamen id facit, ut omnes tenent. Similiter possent Ordinarii, si opportunum videretur, alias condiciones in suis reservationibus imponere, ita v. gr. ut ab iis excluderentur impuberes, vel reservationem ignorantes.

659 *d*) **Quinam a reservatis absolvere possint.** Potestate *ordinaria* is tantummodo a reservatis potest absolvere, qui casum reservavit, vel eius successor, vel Superior illius, si simul iuris-

---

semper enim curandum est ut leges in notitiam veniant subditorum, praesertim si notabile incommodum secumferre possunt; sed, nisi ratio urgens id requirat, *exigi* non potest, ut leges insuper exceptionem faciant pro iis, qui inculpabiliter permanserint in ignorantia iuris. Nec 3ª, quoniam leges utiles per se sunt, si finem sibi proponunt vere utilem re universaliter inspecta, cuiusmodi est radicitus exstirpare atrox aliquod delictum; ad id autem conducit quoque, si reservatio vigeat etiam pro iis, qui eam ignoraverint, dummodo vere illud cum plena rei atrocitatis conscientia patraverint; efficacius enim continebuntur per reservationis applicationem quam per meram comminationem. Praedicta ratio probaret praeterea leges non debere applicari furibus, homicidis aliisque criminosis, eosque cum mera comminatione esse dimittendos, si forte plene probari posset in foro externo eos codicis poenalis notitiam habere non potuisse, praesertim facta hypothesi quod leges emendationem delicti intenderent, non punitionem; iam vero, si absurdum id apparet, ratio est, quia huiusmodi leges non emendationem singularum personarum in particulari intenderent, sed generaliter exstirpationem criminum in societate; atqui idem de lege reservationis atrocium criminum putari debet.

Iam ad responsionem circa argumentum, quod 3° loco dedimus, de casu calumniosae denuntiationis. Admittimus interpretationem aliter opinantis esse probabilem, minus tamen probabilem quam aliam supra allatam; nam mirum esset, quod Ecclesia omnia rigoris et severitatis media adversus hoc crimen in novo iure voluerit adhibere (adeo ut unice pro eo necessitatem duplicis absolutionis ex speciali facultate impertiendae statuerit, quam pro aliis atrocissimis criminibus specialissime reservatis non statuerat), et nihilominus benigne adhuc sustinere voluisset exceptionem iuris veteris (si tamen hanc exceptionem Bened. XIV reapse intenderat) in favorem eorum, qui effronti audacia illud patraverint, si reservationem ignoraverint; si dixeris id deduci ex fine medicinali, a reservatione prout fit intento, principium petis.

Et quamvis responsio, quam diximus probabilem, pro casu tantum militet calumniosae denuntiationis, adhuc tamen non admittimus pro hoc speciali casu exceptionem a lege generali. Verum est ius novum iuxta vetus esse intelligendum: dummodo tamen aliter non constet. Iam vero, quidquid sit num ante Codicem ille casus ignorantes non voluerit comprehensos, Codex sane eos comprehendit; idque constat ex eo praesertim, quod iste casus ponatur statim post can. 893, in quo accurata ponitur reservationis definitio, quam non effugiunt ignorantes.

dictionem ordinariam habet in illius subditos saltem pro foro interno. Potestate autem *delegata* omnes qui *specialem* facultatem acceperint a quolibet ex praedictis.

Proinde, si quis a S. Sede facultatem obtinuerit absolvendi a reservatis, poterit quidem absolvere ab iis, qui ipso iure reservati sunt Episcopo (cf. supra, n. 656, 2°), siquidem a S. Sede eorum reservatio facta est; non poterit vero, sine *speciali* facultate, ab iis quos Episcopus sibi reservaverit (de quibus ibid. in 3° et 4°).

Ipso iure (cf. can. 899, § 2 et can. 401, § 1) datur facultas, non tamen delegabilis, *canonico poenitentiario*, sive cathedralis ecclesiae sive collegialis, absolvendi in dioecesi a casibus dioecesanis, etiam extraneos.

Vult can. 899, § 2 ut eadem facultas habitualiter impertiatur saltem *vicariis foraneis*, addita, praesertim in locis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi confessariis sui districtus, quoties recurrant pro casu urgentiore particulari.

Parochi aliique *qui parochorum nomine* veniunt (n. 420), item *missionarii* dum missionem habent, facultatem ab ipso iure accipiunt absolvendi a dioecesanis, etsi cum censura [1], reservatis, toto *tempore paschali* (can. 899, § 3) in regione vigenti [2].

Iter maritimum facientes sacerdotes possunt, si aliunde approbati sunt ab aliquo ex Ordinariis loci supra, in n. 655 *d*, recensitis, absolvere a reservatis dioecesanis quoslibet in portubus intermediis ad navem accedentes, vel in terra, dum obiter versantur, confessionem petentes (can. 883, § 2). Quoad secum navigantes nihil dicendum est, cum omnis reservatio cesset extra territorium reservantis [3].

---

[1] Ait enim can. 899, § 3 « quos *quoquo modo* sibi Ordinarii reservaverint ».

[2] Eo ipso quod facultas tribuitur tantum durante tempore paschali cessatque eo transacto, sufficienter indicatur eam non adnecti *officio parochi*, cum non sit facultas stabiliter data, sed munus parochiale esse meram condicionem eius obtinendae. Non est ergo facultas *ordinaria*, ideoque non potest parochus eam delegare, ne durante quidem tempore, quo eam actu habet.

[3] Sacerdos *secum navigantes* absolvere poterit in navi a synodalibus propter rationem dictam, quia vel in alto navigant, ideoque versantur extra quamlibet dioecesim, vel in portu intermedio sacerdos eos absolvit vi approbationis acceptae ab Ordinario diversi loci, cuius reservationes extra suae dioeceseos territorium sese non protendunt.

Attamen non omnes hypotheses comprehenduntur inter dictas. Etenim evenire potest, ut sacerdos navim conscendat in portu aliquo intermedio cum approbatione tantum Ordinarii illius portus; vel ut, dum transit in itinere, approbationem, qua carebat, ab eo petat et obtineat, limitatam proinde quoad reservata illius

In mortis periculo omnes sacerdotes a reservatis quibuslibet, sive papalibus sive dioecesanis absolvere possunt (can. 882).

660 *e*) **Quando cesset reservatio.** Reservatio, imprimis, locum non habet, si aliqua deficit ex condicionibus recensitis in n. 658. Sed praeterea reservatio quaevis omni vi caret, ait canon 900, in quinque adiunctis nunc recensendis. Et cum canon dicat quod tunc cessat reservatio *quaevis*, cessare intelligenda est reservatio sive facta ab Ordinario loci sive ab Ordine religioso, sive censuram adnexam habeat sive secus; immo, etiam reservatio casus unici S. Sedi reservati [1], quoniam de hoc mentionem fecerat Codex paulo antea sub eadem capitis inscriptione. Non tamen canon 900 extenditur ad censuras papales, quia de his et de earumdem absolutione seorsim agit Codex in alio tractatu; agitur proinde hic tantum de reservatione peccatorum.

Igitur peccati reservatio omni vi caret [2]:

1° Cum confessionem peragunt *aegroti*, *qui domo egredi non valent*, medici vel prudentum iudicio, etiamsi non sint decumbentes.

---

loci. Diebus, quibus navis in illo portu intermedio detinetur, potest sacerdos iste absolvere a reservatis illius loci eos qui ad navim accedunt, vel ab eo obiter ad terram appellente confessionem petunt; quia, etsi absolvat vi approbationis limitatae acceptae, tamen hanc limitationem sustulit canon 883, § 2 iurisdictionem extendens ad reservata loci. At poteritne *secum navigantes* ab his in navi absolvere in illo portu? Quoad eos quidem silet can. 883, § 1; res tamen facile componetur vel descendendo obiter ad terram ibique excipiendo confessionem vi eiusdem can. § 2, vel exspectando ut navis in altum solvat et a territorio discedat.

1 Ita sentit etiam Verm.-Creus. n. 179. Contrarium insinuat Blat op. cit. p. 268. Reapse aliqua dubitandi ratio occurrit, quia ex quinque casibus, in quibus dicimus reservationem vi carere iuxta can. 900, tertius et quintus illi casui papali applicari non possunt. Nihilominus, possunt adhuc applicari ceteri; aliunde vero illa verba « reservatio *quaevis* » valde generalia sunt, praeterquam quod eadem difficultas moveri posset adversus reservata in Ordine religioso, quibus fere non aptatur exceptio, de qua in casu 5°, et tamen reservata in religionibus certe in can. 900 comprenhenduntur. Nec attendi iam debet quod decretum *S. Off.* 13 iul. 1916 de reservatis ab « Ordinariis locorum » egerit tantum, et ex eo transcriptus sit canon 900. Non enim illud decretum attendi debet quoad id, in quo deprehendatur immutatum; secus, nec de reservatis in Ordine religioso ille canon intelligendus esset, quod falsum est, cum aperte dicat « reservatio *quaevis* », sub quo clare comprehenduntur reservationes Ordinum, de quibus paulo antea dixerat in can. 896 sub eodem capite; pari iure ergo comprehendi debet casus papalis de quo paulo antea can. 894.

2 « Omni vi caret », sunt verba canonis 900, et consequenter absolutio datur directe, et nulla manet in poenitente obligatio se sistendi postea Superiori.

2° Cum confessionem peragunt sponsi *matrimonii ineundi causa.*

3° Quoties Superior, sive religiosus sit sive saecularis, v. gr. vicarius foraneus, facultatem *denegaverit petitam pro casu particulari*, etiamsi ille sibi videatur iuste denegare[1]; sufficit enim facultatem petiisse[2] et exspectasse responsionem[3], etsi dein ferat negativam.

4° Quoties, prudenti confessarii iudicio[4], facultas peti nequit *a*) sine *gravi poenitentis incommodo*, aut *b*) sine *periculo violationis sigilli.*

Grave incommodum poenitentis erit, si grave impedimentum habet denuo accedendi, si necessitas urget celebrandi, si communio omitti non potest sine gravi nota, si valde durum illi fit in mortali remanere plusquam uno die usque ad facul-

---

1 Superior facultatem *concedere debet*, quoties ex eius denegatione prudenter timeri potest grave damnum poenitentis, v. gr. quod nimium differet confessionem, vel quod licentiam peccandi accipiet, prout saepe timeri potest ob humanam fragilitatem. Propterea Superior facilem se praebere debet; immo, satis ei esse debet quod nulla specialis ratio ad facultatem denegandam occurrat. S. Thom. in 4 dist. 17, q. 3, a. 3; Suárez, *De Poenit.* d. 30, s. 4, n. 8 9. Cf. etiam *Instit. S.I.*, Ordinationes Praepp. Generalium cap. 6.

E contra, facultatem *denegare debet*, quando Superioris interventus requiritur ad vitandum grave damnum aliorum vel ipsius poenitentis (de quo iudicare spectat ad confessarium). Id proinde sufficit, ut Superior interroget, quando aliquis ab eo petit facultatem pro casu particulari; nam nec aliud ipsi scire necesse est, nec periculum deesset in innecessariis interrogationibus; nam maxime caveri debet, ne in facultate petenda elabatur aliquid, ex quo poenitens cognosci possit.

Semper tamen ius erit Superiori, cum facultatem concedit, determinandi poenitentiam a confessario imponendam. Clem. VIII. decr. 26 maii 1594; Lugo d. 15, n. 110. Hanc non Superior poenitenti imponit, sed confessarius; is tamen graviter tenetur eam imponere, quam determinavit Superior; excipe, si vehementer putet eam esse obfuturam poenitenti, nisi imminuatur aut mutetur, idque Superior facere recusaverit.

2 Sufficit petiisse et addidisse, praesertim si Superior interroget, nullum imminere damnum poenitenti aut aliis, aut saltem caveri posse absque Superioris interventu. Negata licentia poenitens nihilominus absolvitur facultate a iure accepta, non tamen quin onus iam subierit bis accedendi ad confessarium.

3 Nisi evidenter apparet responsionis omissio deliberata, quae tacitae denegationi aequivalet.

4 Cum Ecclesia iurisdictionem in his adiunctis conferat, horum aestimationem relinquens prudenti confessarii iudicio, patet quod absolutio certe valet, etsi confessarius decipiatur, bona fide putans adesse poenitenti grave incommodum, cum non adsit aut non sit grave, nisi confessarius manifesta levitate egisset; adde, nisi poenitens mala fide incommodum praetexuisset, quia confessio esset sacrilega.

tatis obtentionem; adde, ut videtur probabile [1], si praevidetur animo graviter deiiciendus et indispositus abiturus [2].

Cum periculo violationis sigilli, id est, cum timore ne Superior in suspicionem veniat poenitentis.

---

1 Gén.-S. n. 348; Verm.-Creus. n. 179.

2 His positis, videtur vix posse occurrere casus urgens, in quo reservatio non cesset et directe absolvere non liceat.

Putat Ferreres, si casus *episcopalis* occurrat urgentior in quo reservatio non cesset vi canonis 900, absolutionem dari posse servatis servandis ad normam can. 2254. Non apparet difficultas, si agatur de reservatione censurae. At pro reservatis sine censura non apparet satis fundamenti, cum canon 2254 taxative agat de censuris, maxime cum reservationes censurarum regantur normis propriis, ut expresse monet can. 893, § 3. Propterea cum Verm.-Creus. n. 441 putamus ad reservationes peccatorum non esse transferendas regulas, quas statuit Codex pro reservatione censurarum. Si igitur praedictus casus occurrat, absolutio, addito alio peccato non reservato, directe dari posset a non reservatis, indirecte a reservato, cum onere proinde id in alia confessione accusandi.

Quaeri posset an daretur directe absolutio reservati, si poenitens versaretur in adiunctis (v. gr. confessionem peragit matrimonii ineundi causa), in quibus confessario datur facultas ad reservata, is autem absolveret ignorans talia adesse adiuncta, aut ignorans sibi in talibus adiunctis dari facultatem ad reservata. — *Resp.*: Certe non absolveret directe, quia talem facultatem, etsi occurrant ea adiuncta, tunc non habet; ratio cur non habeat, est quia, cum eam sibi tribui ignoret, eam non acceptat.

Idem putamus dicendum, si confessarius erronee putat sibi dari facultatem propter quaedam adiuncta poenitentis (v. gr. quia adimplere debet praeceptum paschale tempore utili neglectum), propter quae facultas non datur, et hoc errore ductus intendit ab illo reservato absolvere, nescit tamen alia adesse adiuncta (poenitens confitetur matrimonii ineundi causa), propter quae facultas reapse datur. Facultas enim non datur propter *materialia poenitentis adiuncta*, sed est favor concessus *poenitenti versanti in iis adiunctis;* non ergo datur, si adiuncta materialiter seu obiective quidem adsint, sed tamen ignorentur; praeterea generatim concessio huiusmodi aequivalenter sensum habet condicionatum, v. gr. datur facultas, si poenitens accedit ad contrahendum; implicite ergo confessario committitur, ut praevie videat an verificetur condicio. Debet ergo confessarius haec adiuncta non ignorare (non alia diversa, ob quae non datur facultas).

Duo ergo requiruntur in confessario: et ut talia adiuncta adesse aliquo modo noscat, et ut facultate velit uti; sufficit tamen, ut id velit v. gr. hoc modo: « si in his adiunctis possum te absolvere, absolvo », iam enim facultatem acceptat.

Non vero sufficeret, si ignorans ea adiuncta adesse, diceret: « si hic poenitens versatur in aliquibus adiunctis, in quibus ab hoc reservato absolvere possim, absolvo »; facultas enim, ut diximus, supponit notitiam adiunctorum; iam vero in casu notitia non datur ideoque nec facultas, quae proinde frustra acceptatur.

Nec sufficeret dicere ex nunc, semel pro semper: « volo directe reservata absolvere, quoties adiuncta occurrentia noverim, sed forte obliviscar me accipere facultatem. » Nam facultas datur

5° *Extra territorium reservantis*, etsi poenitens unice venerit ad reservationem suae dioeceseos evadendam [1]. **661**

Itaque confessarius in confessione extraneorum attendere non debet ad reservata in illorum dioecesi, nam cum reservatio pro illis cessaverit, eosdem directe absolvere potest (nisi peccatum simul reservetur in dioecesi confessionis); attendere tamen debet ad reservationes dioeceseos, ubi peragitur confessio; ab his enim limitatur eius iurisdictio, eiusque limitationes quoslibet poenitentes respiciunt, etiam extraneos [2].

Cessat praeterea reservatio, quando peccatum apud competentem confessarium accusatum et ab eo absolutum est; iam enim obtentus est finis reservationis, ut casus ad Superioris tribunal, sive per se sive per delegatum, iudicandus deferretur. Non sunt ergo reservata peccata iam valide et directe absoluta si iterum accusentur.

Insuper, propter sententias auctorum, *cessat probabiliter* [3] *reservatio* quando peccatum reservatum *accusatum fuit in confessione nulla* [4], aut etiam sacrilega, sive apud Superiorem reservantem sive apud confessarium delegata facultate praeditum, siquidem etiam tunc obtentus est finis reservationis [5]

---

tantum transitorie occurrente casu; debet ergo acceptari tunc, quando datur seu offertur, non nunc, quando non datur.

Confessarius, qui in pagella haberet facultatem ad reservata, ea valide absolvit, etsi occurrente casu omnino se habere facultatem oblitus sit; facultas enim non ei tribuitur transitorie tantum occurrente casu, sed eam accepit habendam permanenter, eamque acceptavit cum pagellam accepit.

Si tamen facultas ei restringeretur ad quaedam adiuncta, videndum an ea sint, quorum iudicium praevium ipsi implicite committatur. Si enim tribueretur ei facultas absolvendi a reservatis nupturientes, implicite postulatur indagatio huius condicionis, cum haec exterius non pateat; si vero absolvendi a reservatis viros, valet absolutio reservati, etsi confessarius putet poenitentem esse mulierem, non enim censetur postulari implicite, ut fiat indagatio rei exterius manifestae. Similiter, si facultas restricta esset ad certa loca atque in iis versaretur confessarius, etsi in iis versari se non noverit, immo forte non versari putaret, valeret absolutio a reservato; facultas enim ad validitatem alligata est quidem certo loco, sed non notitiae illius loci.

1 Seu, quamvis in alienam dioecesim venerit, ut olim aiebant, « in fraudem reservationis » suae dioeceseos.

2 Etenim peregrinos teneri reservationibus loci, in quo degunt, declaravit *Comm. I.C.* 24 nov. 1920 (*A.A.S.* [1920] p. 575).

3 Et consequenter cessat certo, propter dicta n. 641 de iurisdictione probabili.

4 Non tamen, si quaesitus fuit confessarius, qui absolveret vi privilegii Iubilaei. Hoc enim privilegium conceditur in ordine ad lucrandum Iubilaeum, huius porro lucratio supponit confessionem validam.

5 Cf. S. Alph. n. 598.

Saltem propter probabilitatem extrinsecam[1] addi debet casus: si poenitens, in confessione facta apud *Superiorem* (non apud delegatum)[2], peccati reservati inculpabiliter *obliviscitur* in confessione *non sacrilega*[3].

662 *f*) **De confessario carente facultate ad reservata.** Confessarius audiens casum reservatum et facultate carens, videat imprimis an omnes condiciones adsint, ut reservationi locus sit (n. 658 et n. 660). Quod si adsint, moneat poenitentem, ut Superiorem adeat aliumve facultate instructum, vel, si malit, post paucos dies redeat, quando ipse confessarius facultatem iam obtinuerit (supponitur necessarium non esse ad pericula poenitentis aut aliorum praecavenda, ut poenitens personaliter casum deferat Superiori). Sine dubio hoc ultimum eliget poenitens; quod si eligat, sinatur alia interea peccata accusare, et ita a confessionis onere iam liber, facilius pro obtinenda absolutione redibit. Si tamen casus urget, iam diximus n. 660, 4°, quandonam absolutio dari possit.

Denique praetermitti non debet, quod sacerdos, qui sine facultate a peccatis reservatis absolvere «praesumpserit», ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus (can. 2366). De qua suspensione in tractatu de censuris agendum erit.

Confessarius speciali facultate carens, qui ex inadvertentia aut ignorantia poenitentem a peccato reservato absolvit, hunc monere debet de errore commisso, cum id facere possit, v. gr. si ille redit; praevie tamen, si opus est, petita facultate de auditis in confessione illum alloquendi. Vel petat a Superiore facultatem absolvendi et, hac obtenta, procuret, ut ille

---

1 Auctores sane plures sunt qui id defendunt ut probabile, inter quos Lugo d. 20, n. 85 seqq.

2 Pauci omnino sunt qui id de confessione apud delegatum admiserint; cf. S. Alph. n. 598.

3 Rationem dant, quia Superior praesumitur velle tollere omne onus, etiam reservationis. Non negaverimus in specialibus quibusdam adiunctis (de quibus Lugo d. 20, n. 95 versus finem) posse id rationabiliter praesumi; sed, quod possit id praesumi generaliter, plane non videmus, multo minus cum reservatio non debeat considerari ceu aliquod onus impositum in poenam, sed limitatio iurisdictionis, ut causa Superiori deferatur. Cum tamen haec sententia tot gravibus doctoribus probetur nec appareat absurda, concedendum est eam posse in praxim deduci, nisi in casu aliquo particulari praesumptio cesset et potius censeri debeat quod Superior si reservatum audiisset, absolutionem distulisset, aut quod peccata ita reservavit, ut plane voluerit ea Superiori deferenda explicite, nec ab onere subditum propter oblivionem relevari. Propterea certum censemus benignam illam doctorum opinionem locum non habere in Ordinibus religiosis; neque hanc exceptionem esse illorum menti alienam, quippe qui ad reservationes modo speciali factas respicere non intenderint.

redeat et peccatum illud accuset saltem sub forma brevi « accuso me de illo peccato aut de peccatis in tali confessione dictis », et eum, etsi de errore non monitum, absolvat. Erroris reparationem etiam cum notabili incommodo curare debet, si poenitens illud tantum peccatum accusaverat. Cum minore incommodo, si alia peccata accusaverat, quia directe ab his absolutus, in statu peccati relictus non fuit.

663 *g*) **Reservata in religionibus clericalibus exemptis.** Etsi canones 874 et 519 plerumque inutiles reddiderint reservationes harum religionum, adhuc tamen occurrere adiuncta possunt, in quibus subditus cum confessario confiteatur carente licentiis Ordinarii loci et sola praedito iurisdictione a Superiore accepta absque speciali facultate ad reservata[1]. In huiusmodi adiunctis eorum reservatorum ratio habenda erit.

1° *Quinam casus reservare possint.* Nonnisi Superior Generalis, et in monasterio sui iuris Abbas, cum proprio Consilio (can. 896).

2° *Quinam casus reservati sint.* Edixerat olim *Clemens VIII* ut, sine consensu Capituli generalis vel provincialis, Superiores non possent reservare nisi casus undecim, ab ipso in suo decr. 26 maii 1593 recensitos. De facto omnes isti in religionibus, forte omnibus, reservati fuerunt et Capitula alios addiderunt.

Nunc autem omnes religiones ita suas reservationes constituere debebunt, ut canoni 897 accommodentur, qui paucas omnino observandas vult.

Quaenam igitur reservationes vigeant interim aut quaenam nunc constitutae sint, ab unaquaque religione discere debent qui ab ea iurisdictionem sine speciali facultate ad reservata accipiant.

664 3° *Quinam a reservatis absolvere possint.* Praeter Papam, Cardinales et Generalem aut Abbatem, absolvere possunt a reservatis in religione: *a*) Superiores ad normam constitutionum et ii, quibus isti potestatem delegaverint ad normam

---

[1] V. gr. Communitas aestiva tempora otiorum transigit in villa sita in alia dioecesi, et sacerdotes ibi commorantes licentiis destituuntur Ordinarii loci; vel si quis eas habet, aut si aliquis adest e confessariis ordinariis suae domus facultate praeditus ad reservata, subditus repugnantiam experitur, ut cum eo confiteatur. Quare is recurrit ad confessarios interim constitutos a Superiore locali sine facultate ad reservata, vel licentiam a Superiore petit, ut cum quodam omni iurisdictione destituto confiteri possit.

earumdem[1]; — *b*) confessarii ordinarii (can. 518, § 1); — *c*) quilibet confessarius ab Ordinario loci approbatus, apud quem religiosus confessionem instituat (can. 519).

Etsi exempti non afficiantur legibus dioecesanis de reservatione, ideoque de reservatis dioecesanis nullam curam habere debeant qui illos absolvunt cum iurisdictione accepta a Superioribus religionis; attamen, ab iisdem reservatis dioecesanis illi absolvi nequeunt cum confitentur apud sacerdotem approbatum ab Ordinario loci, qui eos absolvat vi huius approbationis tantum, sine speciali facultate ad reservata.

4° *De condicionibus et cessatione reservationis.* Sub iisdem condicionibus, de quibus in n. 658, fiunt reservationes in religionibus[2], eaeque cessant in iisdem adiunctis in n. 660 recensitis, de quibuslibet enim reservationibus indistincte loquitur can. 900.

Caput 6. ABSOLUTIO COMPLICIS ET CONFESSARIUS SOLLICITANS

Art. 1. Absolutio complicis.

665 **Absolutio complicis** * in peccato turpi gravissime prohibita est atque, extra mortis periculum, est prorsus inva-

---

1 Ad constitutiones pertinet, iuxta can. 875, § 1, statuere quinam Superiores hac facultate polleant eamque delegare possint (ubique solent sic constitui Superiores omnes tum maiores tum locales), an itinerans possit a reservatis absolvi a socio et an cum vel sine onere se sistendi postea Superiori ad recipienda monita etc. — Quomodo poenitens obligari possit ad adimplendum onus comparendi Superiori, explicat Lugo d. 15, n. 115 seqq.

2 Haec duo tamen adnotasse iuvabit:

1° Cum reservationes in religionibus non praecise ad poenam fiant, sed propter alios altiores fines ad bonum religionis tutandum necessarios, propterea iamdudum certum erat iis reservationibus affici subditum, etsi eas ignoraverit. Lugo d. 20, n. 9.

2° Canon 900, 2° dicit cessare reservationem cum facultas petita denegatur. Et cum id tam generalibus verbis statuat, valere videtur etiam pro sacerdote, cui Superior licentiam dederit ad excipiendam confessionem in casu particulari. De cetero, vix unquam poterit is licentiam petere sine gravissimo periculo sigilli; quare, videndum erit utrum casus urgeat et reservatio cesset ob alios titulos eiusdem can. 900, 2°.

Ordinariis confessariis in antiquo iure id concessum fuerat, ut si facultatem ad reservata peterent et denegaretur, eam illa vice nihilominus haberent, et sic quoties casus occurreret. Haec

* Vide, sis, notam asterisco (*) distinctam in pag. 269.

lida, quia in ordine ad hoc peccatum subtrahitur ipso iure iurisdictio.

---

concessio inutilis evasit ipsis, quia facultate ad reservata habitualiter donari debent (can. 518); quod si per nefas non donarentur, facultate petita et denegata, eam haberent, sicut alii in similibus adiunctis.

✻ En documenta de hac materia:

« Absolutio complicis in peccato turpi invalida est, praeterquam in mortis periculo; et etiam in periculo mortis, extra casum necessitatis, est ex parte confessarii illicita ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis Benedicti XIV, *Sacramentum Poenitentiae*, 1 iun. 1741 » (can. 884).

Ex const. Bened. XIV, *Sacramentum Poenitentiae*: « Interdicimus et prohibemus, ne aliquis..... extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipso iure quacumque auctoritate et iurisdictione ad qualemcumque personam ab huiusmodi culpa absolvendam, adeo quidem ut absolutio, si quam impertierit, nulla atque irrita omnino sit. »

Ex declaratione Bened. XIV, *Apostolici muneris* 8 febr. 1745, super eadem const. *Sacram. Poenitentiae*: « Declaramus..... ita interdici re ipsa et prohiberi praedicto modo tunc (in mortis articulo) audire et absolvere, ut si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo sacerdos fuerit, sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse sacerdos simplex confessionem excipere ac absolutionem impertire. Porro, si casus urgentis qualitas et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, eiusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad..... confessionem vocari aut accedere sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo nequeat, tunc alium sacerdotem perinde haberi censerique posse ac si revera abesset atque deficeret, ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex eiusmodi sacerdos ac serio animadvertat, fore de reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum..... si praedictae infamiae aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt; immo intelligat teneri se graviter huiusmodi pericula, quantum in se erit antevertere, vel removere opportunis adhibitis mediis..... Non intendimus autem pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti quantumvis indigno necessariam iurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat. »

« § 1. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi incurrit ipso facto in excommunicationem specialissimo modo Sedi Apostolicae reservatam; idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri. — § 2. Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis. a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est » (can. 2367).

a) **Peccatum, de quo hic agitur,** iuxta communes sententias auctorum, fundatas tum in verbis apostolicarum constitutionum, tum in declarationibus *S. Officii* [1], est:

1° *Quodlibet peccatum turpe* [2], id est, contra sextum decalogi praeceptum, etiamsi in aspectibus tantum consistat aut in turpiloquio [3].

2° *Commissum cum alio*, quaecumque persona sit, mas vel femina, puber vel impubes.

3° *Externe grave*, non autem si peccatum in se, quatenus externum, sit tantum leve contra castitatem, v. gr. manus apprehensio aut tactus leviter turpis, etsi uterque complex interne graviter peccaverit pravo affectu.

4° *Formaliter grave*, ideoque si, ex inadvertentia aut indeliberatione aut imperfecto consensu, actus a mortali culpa est excusandus, non comprehenditur. Et debuit esse certo grave, ac proinde si dubium est de sufficienti advertentia aut consensu, sub hac lege non cadit [4].

5° *Cum complicitate formali externa et gravi*, ita ut complicitas seu mutuus consensus aliqua ratione externe manifestatus sit. Proinde non comprehenditur casus, in quo complex somnum finxerit, aut finxerit externe dissensum tamquam qui vim pateretur, etsi interne consenserit. Ob defectum prae-

---

1 Declaravit *S. Off.* 28 maii 1873 sub prohibitione absolvend complicem in materia turpi comprehendi « nedum tactus, verum omnia peccata gravia et exterius commissa contra castitatem, etiam illa, quae consistunt in meris colloquiis et aspectibus qui complicitatem important ».

2 Etsi dicatur « quodlibet » peccatum turpe, intellige *in se ipso turpe*, seu de peccato, quod *directe* sit contra castitatem, eo quod persona cum sacerdote actiones, aspectus aut sermones habuerit in se ipsis turpes; non vero de peccato, quod *reductive* tantum dicatur opponi castitati, cuiusmodi est quod meram complicitatem importat in peccato alterius contra castitatem, ut fit v. gr. ab eo, qui sacerdoti permiserit peccare cum propria filia aut ex sacerdotis petitione emerit pro eo librum turpem. Cf. Ball.-P. n. 647.

Excipit Ball.-P. n. 649, si peccatum commissum fuerat ante sacerdotium. Opponitur communis sententia (Ferr. n. 686, q. 2) et in contrarium citatur aperta quaedam responsio *S. Poenit.* 22 ian. 1879 (quam cf. ap. Lehmk. n. 1202 nota, vel ap. *De Smet* opusc. *De absol. compl. et soll.* [ed. 1921] n. 157). Attamen, Verm.-Creus. n. 158 opinionem Ballerini non videtur reiicere, et Gén.-S. n. 352 non putat absonum in hoc rarissimo casu uti epikeia. Rarissimo, quia vix occurret quod peccatum non fuerit iam in alia confessione absolutum.

3 Ita communis sententia contra Ball.-P. n. 647; et confirmatur ex resp. *S. Off.* nuper citata.

4 S. Alph. n. 554.

dictae condicionis licebit etiam saepe a turpiloquio absolvere, saepe enim dubium erit an complicitas externa, formalis et gravis, ex utraque parte adfuerit [1].

666 *b*) **Invalida est absolutio complicis** ab hoc complicitatis peccato. Sed probabilius:

1° Subtrahitur iurisdictio in ordine ad hoc peccatum tantum. Unde, si poenitens bona fide confiteretur, probabilius valeret absolutio, per quam cetera directe remitterentur, indirecte complicitatis peccatum [2].

2° Subtrahitur iurisdictio in ordine ad hoc peccatum nondum directe remissum. Unde, ubi iam directe remissum est, valide poenitens absolveretur a sacerdote complice, non tantum ab aliis peccatis, sed etiam probabilius a peccato complicitatis. Avertendi tamen sunt fideles, immo et obligandi [3], ne ad complicem amplius redeant, etsi ab alio iam absoluti, siquidem confessio cum eo periculosa esset et maxime indecens.

667 *c*) **Absolvens complicem excommunicationem incurrit** Rom. Pontifici specialissime reservatam.

Excommunicationem incurrit:

1° Si fingit absolvere, v. gr. aliqua oratione recitata loco absolutionis, aut aliter ita se gerit, ut poenitens recedat putans se absolutum [4].

2° Etsi poenitens peccatum complicitatis reticeat, si tamen ideo reticet, quia eum sacerdos ad id induxerat vel directe, id est, eum praemonendo de illo tacendo, vel indirecte, v. gr. ei suadendo actionem non esse gravem [5].

---

1 Lehmk. n. 1201; Gén.-S. n. 352; Ferr. n. 686.

2 Cf. Ferr. n. 688 quaer. 6°.

Non defuit unus alterve qui dixerit poenitentem, si communionem sine gravi nota omittere non potest, nec alium habet confessarium nisi complicem, posse ab eo obtinere absolutionem peccati indirectam alia accusando, illo reticito; sacerdotem autem non incurrere excommunicationem, si eum moneat explicite de necessitate accusandi rursus peccatum apud alium. Sed in his adiunctis praestat omnino ut poenitens recurrat ad actum contritionis; immo ad id tenetur, cum confessio apud complicem sit indecentissima.

3 Confirmatur huiusmodi obligatio ex resp. *S. Poenit.* 16 maii 1877, quae, interrogata de sacerdote qui complicem absolvit, *qui complicitatis peccatum non declaraverat*, fertur (ap. Blat op. cit. l. 3, p. 240) respondisse: « Tenetur (confessarius huic sacerdoti) omni studio ob oculos ponere enormitatem delicti sui imposita obligatione ut a confessionibus complicis audiendis in posterum omnino abstineat. »

4 Cf. can. 2367, § 1; *S. Poenit.* 10 dec. 1883 ad 2 (*A.S.S.* XVII, p. 555).

5 Cf. can. 2367, § 2; *S. Poenit.* 19 febr. 1896 (*A.S.S.* XXVIII, p. 444).

3° Si absolvit complicem, quem non recognovit, idque sit imputandum ipsius ignorantiae crassae vel affectatae; v. gr. cum in suspicionem venit vel dubitavit et noluit inquirere[1], ne forte complicem esse comperiret[2].

Excommunicationem non incurrit:

1° Si confessionem audivit quidem, sed poenitenti declaravit se non posse absolvere.

2° Si absolvit poenitentem, qui complicitatis peccatum reticuit, dummodo eum ad id reticendum neque directe neque indirecte induxerit. Vel, si absolvit eum complicitatis peccatum accusantem, quod iam in confessione apud alium fuit remissum.

3° Si absolvit complicem, quem recognovit quidem, sed ab eo non fuit recognitus, nec poterat eum monere quin se proderet; v. gr. peccavit habitu saeculari cum persona primum occurrente. Similis casus esset[3], si poenitens, dum peccavit, illum quidem vultu novit et sacerdotem esse novit, non tamen eius nomen, et nunc ad eum accedit tamquam ad ignotum confessarium; si tunc sacerdos absolutionem negat et causam addit, facile poenitens nomen ab aliis exquiret; si causam negationis non dicit, res veniet in notitiam alius confessarii, qui in suspicionem veniet peccati commissi.

668 *d*) **In periculo mortis**[4] absolutio complicis valida quidem est[5], sed est graviter illicita ex parte confessarii[6] extra casum necessitatis[7]. Porro:

---

1 Si confessarius in dubium venit, num poenitens sit eius complex, aut num peccatum quod confitetur complex, sit illud secum commissum, debet omnino diligenter curare, ut veritatem comperiat, quatenus id facere possit absque periculo se prodendi; inquirat convenientia indicia, v. gr. quando commissum fuit peccatum, vel quaerat a quo tempore non sit confessus, ut videat an a peccato, si fuit complex, iam sit absolutus. Cf. Gén.-S. n. 353 nota.

2 *S. Off.* 13 ian. 1892 (*A.S.S.* XXIX, p. 574; XXIV, p. 625).

3 Cf. Verm.-Creus. n. 158.

4 Constit. Bened. XIV, *Sacram. Poenit.* et censura, prout continebatur in const. Pii IX, *Apostolicae Sedis*, loquebantur de mortis *articulo*. Et quamvis mortis articulus aut periculum soleant communiter aequiparari, proprie tamen minus de vita desperatur, si periculum mortis tantum, quam si articulus ingruit; hic enim mortem indicat iam supervenientem, illud timorem prudentem articuli non post multum adventuri.

5 Valida est, etsi forsan deinde appareat periculum mortis obiective non adfuisse, dummodo tamen prudenter fuerit existimatum; Ecclesia enim harum circumstantiarum verificationem prudenti hominum iudicio relinquere debuit.

6 Non ex parte poenitentis; proindeque non peccat is, si confessionem petat a sacerdote complice.

7 Cf. can. 884.

Necessitas absolvendi non adest, et excommunicationem incurrit complex absolvens[1]:

1° Si alius sacerdos adest vel advocari possit, etsi ad confessiones non approbatus, qui excipiat morientis confessionem.

2° Si moribundus petit aut consentit cum alio confiteri.

Necessitas adest, et excommunicationem effugit complex absolvens[2]:

1° Si alius sacerdos advocari non potest sine gravi aliqua exoritura infamia (sacerdotis complicis vel moribundi) et scandalo, saltem probabili.

Caveat tamen sacerdos, ne sibi suspicionis pericula arbitrarie fingat; immo, debet huiusmodi pericula praevertere, v. gr. opportune discedendo ut alius advocetur, qui facile inveniri possit.

2° Si moribundus recuset alii confiteri aut saltem nimiam repugnantiam ostendat.

e) **In locis missionum,** ubi rationabilis spes non est obtinendi alium sacerdotem nec poenitens potest alio migrare ut eum obtineat, aut non potest sine gravi infamia et scandalo omittere annuam sacramentorum susceptionem aut saltem communionem annuam suscipere cum sola contritione, admittitur in his casibus epikeia; peccatum tamen complicitatis remitteretur tantum indirecte, ut videtur, ideoque deberet alia materia absolutioni subiici, et poenitens moneri ut, si quando confessarium alium obtineret, ei complicitatis peccatum accusaret.

f) **Absolutio absolventis complicem** est specialissime reser- **669**
vata Rom. Pontifici; id est nemo, quantumcumque praeditus facultate absolvendi a censuris, Papae, etiam speciali modo reservatis, potest sacerdotem absolvere ab excommunicatione incursa propter absolutionem datam complici, nisi expressam facultatem obtinuerit absolvendi etiam a specialissimo modo reservatis.

In casu urgenti absolutio dari potest, modo praescripto in can. 2254, de quo in tractatu de censuris particulariter agendum erit. Interea vero, dum Romam fit recursus, imponatur congrua poenitentia, v. gr. octo dierum exercitia, quantum ab occupationibus non prorsus urgentibus subtrahere se possit sacerdos; obligatio imponatur complicem admonendi, si recurrat, de invalide data absolutione, eiusque confessionem non amplius admittendi, immo, quantum sine gravi infamia possit, a confessionibus audiendis abstinendi.

---

1 Cf. can. 2367, § 1.

2 Cf. can. 2367, § 1.

Art. 2. Confessarius sollicitans.

670 **Confessarius sollicitans**[1] ille dicitur, qui poenitentem sollicitavit; id est tentavit, invitavit, provocavit aut perduxit ad peccatum aliquod turpe.

---

[1] Documenta S. Sedis, e quibus praesertim tractatio praesens eruenda est, praeter quasdam responsiones instructionesque *S. Officii*, sunt sequentia:

« Ad normam constitutionum apostolicarum et nominatim constitutionis BENEDICTI XIV, *Sacramentum Poenitentiae*, 1 iun. 1741, debet poenitens sacerdotem, reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario, vel *Sacrae Congregationi S. Officii*, et confessarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere poenitentem monere » (can. 904).

Ex BENED. XIV const. *Sacram. Poenitentiae*: « Mandamus... ut diligenter... inquirant et procedant contra omnes et singulos sacerdotes... qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis [etiam ipsa confessione non secuta], vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco quocumque ad audiendas confessiones destinato, aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia [sive inter se sive cum aliis quomodolibet perpetranda] sollicitare vel provocare, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut post legendam tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint... Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti teneri se ac obligari suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis, ut supra, sollicitatos sedulo monere iuxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denuntiandi... personam quae sollicitationem [seu, ut praefertur, tractatus] commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui iurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem iam effluxerit, aut sollicitatio a confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter confessarii, ne poenitentibus, quos noverint iam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti iudici, vel saltem se cum primum poterunt delaturos spondeant ac promittant. » Verba inter uncinos inclusa pertinent ad const. GREG. XV, *Universi* 30 aug. 1622, quam motu proprio et ex certa scientia confirmat BENED. XIV in ead. const. *Sacram. Poenit.* et de verbo ad verbum pro inserta in eadem haberi vult.

« § 1. Qui sollicitationis crimen de quo in can. 904, commiserit, suspendatur a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declaretur; privetur omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, et inhabilis ad ea omnia declaretur, et in casibus gravioribus degradationi quoque subiiciatur. — § 2. Fidelis vero, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904, incurrit in excommunicationem latae sententiae nemini reservatam, non

a) **Quaenam sollicitatio denuntianda.** Denuntianda est sollicitatio:

1° *Circa quodlibet peccatum grave externum contra sextum* decalogi praeceptum. Grave, inquam, probabiliter[1] enim non comprehenditur actus in se venialiter tantum malus, nisi ex circumstantiis colligi possit confessarium habuisse animum ulterius progrediendi.

2° *Patrandum secum vel cum alio.* Denuntiandus est ergo confessarius qui consilium dat poenitenti ut cum alia persona peccet turpiter, vel qui se offert ad id illi procurandum, vel qui ab eo petit ut inducat aliquam personam ut consentiat peccare secum, vel qui consilium dat ut filiam prostituat.

3° *Quovis modo sollicitatio facta sit*, sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu[2].

4° *Etsi inchoata tantum* sollicitatio fuerit, v. gr. si confessarius petat a muliere ubi habitet eamque postea domi sollicitet, vel si tradat litteras sollicitationis domi legendas.

5° *Etsi turpes sermones vel tractatus tantum* habiti sint. Turpes sermones sunt interrogationes aut dicta turpia, ut si confessarius interroget curiose et cum manifesto pravo affectu de modo quo peccatum turpe patratum fuit. Turpes tractatus sunt consilia aut machinationes de patranda re turpi tunc vel postea, inter se vel cum alia persona.

---

absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit » (can. 2368).

« Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit, ipso facto incurrit in excommunicationem speciali modo Sedi apostolicae reservatam, a qua nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 894 » (can. 2363). Canonem 894 vide supra in n. 656 nota 5.

De hac materia conferri potest instructio *S. Off.* 20 febr. 1867 in *A.S.S.* III, p. 499; responsiones *S. Off.* ap. LACROIX l, 6. p. 2, n. 1304 (alias 1204 in nota); VIVA in prop. 7 damn. ab ALEX. VII; S. ALPH. n. 675-705; BALL.-P. n. 1085-1155; BUCCERONI, *De censuris Commentarius III;* LEHMK. n. 1253-1258; VILLADA, *Casus de liberalismo* tom. 3; GÉN.-S. n. 394-400; FERR. n. 691-703; VERM.-CREUS. n. 186-196.

1 S. ALPH. n. 683.

2 Per se denuntiandus videtur confessarius, qui mere consentiat mulieri sollicitanti circa opus postea patrandum, etsi protinus ad alia divertat, quin quidquam addat, quo suum consensum confirmet aut ei animos adiiciat, aut eam in proposito magis confirmet; iam enim videtur sufficienter adfuisse sollicitatio mutua. Instr. *S. Off.* 20 febr. 1867, n. 2; FERR. n. 693; GÉN.-S. n. 395; sed contrarium acriter contendit BUCCER. op. cit. n. 29. Attamen, si praedicto modo res peracta fuit, vix poterit mulier confessarium denuntiare quin seipsam prodat.

Ut turpes tractatus habeantur, non sufficit quod solus poenitens turpes sermones habeat et confessarius mere passive se gerat. Nec videtur sufficere, quod is loquenti annuat aut interroganti mera affirmatione respondeat[1], sed opus est, ut aliqua intermisceat[2].

6° *Etsi absolutio non fuerit impertita*, immo nec requiritur ut confessio fuerit secuta, ut clare apparebit ex dicendis.

7° *Etsi crimen a longo tempore praecesserit*, ut diserte ait *Bened. XIV*. Quaerunt aliqui an obligatio subsistat, si constat de sacerdotis emendatione. Sed vix fieri potest quod id constet, cum sollicitatio tam occulte patretur; si quando tamen moraliter certo constet, non improbabile videtur posse denuntiationem omitti[3].

8° *Quicumque fuerit poenitens*, mas vel femina, puber vel impubes.

671 9° *Dummodo tamen sollicitatio aliquam relationem habuerit ad confessionem*. Ad id autem opus est, ut peracta fuerit saltem in iis adiunctis, quae perspicue recensuerunt *Greg. XV* et *Bened. XIV*. Nempe opus est, ut confessarius sollicitationem aut turpiloquium commiserit in aliquo ex sequentibus adiunctis:

a) *In actu sacramentalis confessionis*, qui incipit, ubi poenitens suam conscientiam manifestare incipit et perficitur absolutione.

b) *Sive ante sive post immediate*. « Immediate ante » stricte intelligendum est, v. gr. si poenitentem ante pedes genuflexum ad confitendum (etsi nondum signo crucis se munierit) sollicitat.

« Immediate post », id est, ut nulla actio moraliter diversa intercesserit; v. gr. si statim post confessionem poenitentem ad cubiculum duxit ibique sollicitavit; vel si statim post confessionem abiit dicens: « exspecta paulisper », reversusque sollicitavit; nam sollicitatio fuit immediate post confessionem, saltem inchoata.

---

1 Nisi ita se gerat confessarius, ut videatur animos adderre loquenti, sic enim ad turpiloquium sollicitaret.

2 Aliunde vero, nisi aliqua intermisceret, sed meris nutibus aut affirmationibus responderet, vix poterit eum denuntiare poenitens quin seipsum proderet.

De turpiloquio, quoad praesentem materiam, optime disserit De Smet in opusc. *De absol. compl. et sollic.* n. 68.

3 S. Alph. n. 686, qui tamquam emendationis signa a quibusdam admissa recenset, si mulier sollicitata ad confessarium ter aut quater accesserit et pravum animum non repererit, si is per triennium bene vixerit, si factus sit religiosus, si fuerit senex et putetur iam resipuisse; non tamen ut singula huiusmodi indicia plerumque sola sufficiant.

c) *Occasione vel praetextu confessionis*, etiam confessione non secuta. « Occasione » confessionis, id est, sumpta hinc opportunitate ad sollicitandum; v. gr. si sacerdos vocatus ad confessionem mulieris domi excipiendam, occasionem arripiat, quod ad confessionem peragendam solus relinquatur cum sola, ut eam dissuadeat confiteri et sollicitet. Ad hunc locum reduci potest, si epistolam sollicitationis poenitenti tradat domi legendam; sed, si ancillae traditur epistola, qua sollicitatur domina, non est casus in pontificiis constitutionibus comprehensus, quia non sollicitatur ipse poenitens (dummodo de ea re nihil dixerit ancillae confessarius). **672**

Non videtur denuntiandus sacerdos qui, rogatus a muliere ut confessionem audiat, eam sollicitat, dummodo id non fecerit in loco confessionis; non enim sollicitat occasione « confessionis », sed « petitionis » confessionis. Nec videtur denuntiandus si, cognita per confessionem fragilitate mulieris, eam post aliquod tempus domi sollicitat, etenim sollicitatio non fit occasione « confessionis », sed « notitiae » acceptae ex confessione.

« Praetextu » confessionis, id est, eam allegando ad sollicitandum; v. gr. si vocatus ad infirmam, circumstantes removeat allegans motivum confessionis et statim sollicitet. Sed denuntiandus non est, si femina eum advocavit praetextu confessionis ad sollicitandum, etsi ipse consentiat, ipse enim non consentit praetextu aut occasione confessionis, sed occasione sollicitationis ab altera factae [1].

Denuntiandus non est religiosus, qui sollicitaturus mulierem, licentiam petit exeundi ad confessionem infirmae, nam praetextu confessionis non fit « sollicitatio », sed « petitio licentiae exeundi ».

d) *Extra confessionis occasionem in confessionali, sive alio quocumque loco, ubi confessiones audiuntur, aut ad confessionem audiendam electo, simulando ibidem confessionem audire;* v. gr. si femina accedit ad confessionale, etsi animo non confitendi, ibique ei turpia dicat confessarius, apparenter enim fit confessio. Casus vero denuntiandus non est, si v. gr. ex cachinnis, vocibus elatis et gestibus, exterius fit manifestum

---

[1] Denuntiandum non esse ait VERM.-CREUS. n. 190 40 eum, « qui praetextu confessionis personam invitat ut se conferat ad ecclesiam, ibique extra sedem confessionalis, proin non iam praetexens confessionem, sollicitet », quia « sola invitatio, non ipsa sollicitatio praetextu confessionis facta sit ». Prima fronte videtur sollicitatio fuisse *inchoata* sub praetextu confessionis et casus traditioni litterarum in confessionali aequiparandus. Revera tamen aequiparandus non est, quia litterae in se ipsis sollicitationem continebant, et propterea per earum traditionem ipsa sollicitatio inchoatur; sed per illam invitationem, etsi ad sollicitandum factam, nondum coepit ipsa sollicitatio.

collocutionem esse confessioni extraneam. Nec casus denuntiandus est, si sacerdos in confessionali sedens sollicitat mulierem ante confessionale stantem, nulla enim adest apparentia confessionis.

673 *b*) **Quinam denuntiandi sint.** Denuntiandus est quilibet sacerdos, quamvis iurisdictione careat, et quamvis crimen denuntiandum a longo tempore patraverit. Denuntiandi sunt, vi praecepti pontificii, soli sacerdotes; at certe iure naturae denuntiandi etiam sunt laici se fingentes confessarios.

c) **Quinam denuntiare debeat.** Denuntiare debet poenitens, qui fuit sollicitatus, vel ad quem turpes sermones aut tractatus fuerunt habiti.

Denuntiare etiam tenetur, iure naturae[1], quilibet qui huiusmodi criminis notitiam certo habuerit seu ex personis fide dignis, non vero si e levibus feminis audierit. Non tenetur is, qui notitiam accepit sub secreto consilii.

---

1 S. Alph. n. 695 citat quoddam *S. Officii* edictum eamdem imponens obligationem; cuius tamen obligatio, si qua fuit, non videtur sustinenda post Codicem. Nam etsi can. 904 praecipiat generalioribus verbis, ut « poenitens (denuntiet) sacerdotem reum delicti », iste tamen poenitens, collatione facta cum can. 2368, § 2, ille tantum videtur esse, qui fuit sollicitatus; praeterea, idem can. 904 ait id intelligendum esse « ad normam constitutionum apostolicarum » tantum, quibus adde quidem, ex can. 6, 2°, S. Sedis declarationes, sed edictum non est legis declaratio. Non tenentur igitur, iure ecclesiastico, alii praeter ipsam personam sollicitatam.

Hac occasione valde refert pro resolutione nonnullarum quaestionum subsequentium ipsam obligationis denuntiandi naturam exponere et distinguere, quid ius naturale imponat, quid ius positivum.

Re, *quoad ius naturale* inspecta, ad denuntiandum obligare potest: 1° caritas erga delinquentem, ad eius emendationem procurandam; 2° caritas erga alios ad eorum damnum vitandum, ne ad inhonesta pertrahantur; 3° bonum religionis et Ecclesiae, quia, si tam sacrilege sacramentum administratur, et religio vilescit et fideles a confessione arcentur. — Iam vero, quoad 1um, attentis incommodis, quae saepe superari debent, raro inde obligatio denuntiandi exsurget, saltem sub gravi, ut eruitur ex dictis de correptione fraterna (n. 90). Quoad 2um et 3um distingui deberet, prout ibidem (n. 90), utrum damnum unius alteriusve, an multorum timendum sit. Sed hoc ultimum videtur praesumendum semper; etenim hoc crimen tantam in confessario fragilitatem prodit, ut merito timeri debeat quod aliis poenitentibus abusurus sit, quarum simplicitatem aut forte fragilitatem lapsusque noverit; valida igitur argumenta necesse essent, et raro habebuntur, ut unius tantum alteriusve damnum timeri possit, et in casu dubii, periculum damni communis et religionis praesumptionem fundat in malam partem.

Cum igitur ordinarie agatur de vitando gravissimo damno communi et religionis, denuntiatio facienda est de iure naturali, non obstante quolibet privato incommodo.

Attamen haec supponunt et delictum esse *certum* et damnum fore avertendum *certo*, secus ius naturale iam non obligat cum

Denuntiare non tenetur puella, quae in suo candore nihil mali intellexit, nec de hoc moneri debet; tenebitur vero postea, cum in notitiam venerit praeteritae sollicitationis.

---

incommodo privato quantumcumque gravi, sed tantum cum incommodo proportionato spei exitus et quantitati damni avertendi. Unde tanta esse potest, hinc incertitudo exitus, illinc magnitudo incommodi superandi (v. gr. ingens horror), ut ius naturale obligare desinat. Ideo S. Sedes nonnumquam ab obligatione denuntiandi dispensavit (S. ALPH. n. 699 sub finem; VIVA, In prop. 7 damn. ab INN. VII, n. 7; BALL.-P. n. 1151), dispensavit videlicet ab obligatione superaddita iuris positivi.

Aliunde vero negari non potest quod in singulis casibus spes exitus semper magis minusve est incerta, id quod ex hoc solum patet, quod nulla denuntiatio possit sola efficaciter obtinere remedium, nam ex unius testis dicto nequit efficaciter procedi in reum. Profecto tamen singulae denuntiationes subsidia sunt, quibus tandem remedium obtineri potest. Ideo sufficit, ut alicui de delicto constet certo, ut, nisi ob rationes speciales denuntiatio plane inutilis dicenda sit, ab onere denuntiandi etiam cum difficultate aliqua notabili non excusetur.

Hucusque de iure naturali. At *de iure positivo* accedit insuper praeceptum gravissimum ab Ecclesia iterato inculcatum. Haec tamen inter ius utrumque intercedunt discrimina: — 1° Ius naturale obligat omnes, quibus de crimine, quamvis solum ex auditis, certo constet, ius vero positivum solam personam, quae sollicitationem passa fuit; — 2° Illud obligat sub peccato gravi, hoc etiam sub censura; — 3° Illud nullam particularem formam denuntiandi praecipit, hoc iubet fieri iudicialiter; — 4° Obligatio iuris positivi extenditur ad casus, in quibus ius naturale cessat, v. gr. si reus se emendavit; minus tamen stricte tunc obligatio videtur urgere; — 5° De iure positivo obligatio ita imponitur, ut fortius urgeat quam de solo iure naturali, nam urget etiam quando ingens verecundia superanda est; magnum enim horrorem experiuntur feminae, ne res unquam ad aliorum, praesertim delinquentis, notitiam veniat, magnamque verecundiam habent se sistendi Episcopo aliisve, praesertim ad loquendum de his rebus.

In his adiunctis, inquam, obligatio iuris positivi non cessat, nam interrogatum *S. Off.* respondit: « Ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio et interim non absolvatur talis poenitens, utpote indisposita » (ap. BUCCER. op. cit. n. 47; S. ALPH. n. 699). Nec tamen deest ratio a priori, cur tanta formido et repugnantia non excuset, cum tamen alias difficultates vere graves, ut mox dicemus supra, excusent iuxta omnes. Namque imprimis aliqua formido et voluntatis reluctatio per se huiusmodi denuntiationibus est intrinseca; aliunde, etiam loquendo de repugnantia vere ingenti, tam frequens ea est apud mulieres, ut si propterea obligatio positiva cessare deberet, iam legis finis non obtineretur, nec tam gravissimo religionis malo satis occurri posset. Debuit igitur lex obligationem urgere non obstante hac difficultate.

Diximus nihilominus S. Sedem nonnumquam, instante horrore quodam panico, ab obligatione denuntiandi dispensasse; idque confirmat quod in his casibus obligatio iuris naturalis iam cessaverat; non enim ab obligatione denuntiandi dispensare potuisset, si ratio boni communis adhuc in his adiunctis urgeret, ita ut ipsa cuili-

674 *d*) **Causae a denuntiando excusantes.** Etsi gravissimum denuntiationis praeceptum, quod Ecclesia a confessario sollicitatis imposuit, fundetur in motivo boni communis, nempe, in gravissimo periculo quod christifidelibus immineret, nisi huiusmodi crimina severe coercerentur, bono autem communi, praesertim tanti momenti cum sit, bonum privatum cedere debeat; tamen, quoniam in singulis casibus nec adeo certo malum commune immineat nec adeo certa sit spes fructus, ideo ab hac obligatione excusatio admittitur, iuxta omnes, ob damnum vere grave; v. gr. si iactura famae, vitae aut magnae partis bonorum immineat denuntianti aut eius consanguineis vel affinibus[1]. Obligatio tamen non exstinguitur, sed suspenditur tantum quamdiu causa excusans subsistit.

Sed non excusat: 1° quod sollicitatio non possit iudicialiter probari; si enim id exigeretur, fere nunquam denuntiandum esset; — 2° quod iam ipse vel alius eumdem confessarium propter aliam sollicitationem denuntiaverat; — 3° quod ipse sacerdos, qui deliquerat, sponte se Ordinario loci steterit; — 4° quod poenitens prior sollicitaverit aut quod sollicitanti consenserit, non enim is tenetur proprium consensum aut prioritatem sollicitationis manifestare; — 5° nec excusat formido denuntiandi aut voluntatis reluctatio, hoc enim incommodum non est obligationi extrinsecum.

Si persona Ordinarium aut *S. Officium* nec personaliter nec per litteras adire potest sine gravi damno, obligatio suspenditur; ita proinde ut si impedimentum auferatur, reviviscat. Si aliud medium prorsus tutum haberet obligationis adimplendae, v. gr. confessarius ad rem procurandam se offert, illud acceptare teneretur; si confessarius id facere recusat, plerumque non erit obligatio ad alium recurrendi.

675 *e*) **Cuinam denuntiandum.** Denuntiatio facienda est Ordinario loci (n. 52 nota 3), in quo versatur poenitens; idemque generatim dicendum est, etiamsi sacerdos, qui sollicitaverat,

---

bet privato bono praeponderaret. Quaeret fortasse quis, qui fieri possit, ut post dispensationem disposita censeri possit mulier, cui necessaria fuit dispensatio obligationis praecise ob eius indispositionem. Potuit nihilominus mulier, sic dispensata, capax reddi absolutionis (quamvis maior sane cura adhibenda erit, ut veram dispositionem concipiat), nunc enim, iam animo tranquillo, facilius dolorem et propositum generale concipere poterit, difficultate illa explicite non proposita; de qua re conferri potest Lugo d. 20, n. 240.

1 Usque ad quartum gradum, ait Viva in prop. 5 damn. ab Alex. VII, n. 11.

ad aliam pertineat dioecesim[1]; ad Ordinarium loci pertinet iuratam denuntiationem recipere eamque transmittere Ordinario loci sacerdotis, qui deliquerat. Potest etiam denuntiatio fieri Ordinario loci, ubi delictum est patratum, vel *Congre-*

---

[1] Accidere potest, ut poenitens et sacerdos delinquens ad diversas pertineant dioeceses; immo potest et locus delicti ad tertiam dioecesim pertinere, a dioecesibus illorum diversam. Quaeritur ergo cuinam Ordinario loci denuntiatio facienda sit.

Tum de iure positivo tum de iure naturali videtur respondendum: Ordinario loci, qui contra delinquentem processurus sit. Etenim Bened. XIV in const. *Sacram. Poenitentiae* ad § 1 mandat « omnibus locorum Ordinariis in suis respective dioecesibus, ut procedant contra omnes sacerdotes, qui aliquem poenitentem etc. »; et ad § 2 iniungit sacerdotibus, ut suos poenitentes moneant « de obligatione denuntiandi locorum Ordinariis *praedictis* », nempe. iis locorum Ordinariis qui contra delinquentem mandantur procedere; iuxta ius autem vigens sive tempore Codicem antecedente sive subsequente, procedere contra delinquentem potest non solum loci Ordinarius delinquentis proprius, ut patet (can. 1561), sed etiam Ordinarius loci delicti can. 1566), actor autem sequitur forum rei (can. 1559, § 3). Nec contrarium eruitur ex instr. *S. Off.* 20 febr. 1867 (*A.S.S.* III, p. 499), ut putavit Buccer., *Comment. IV* n. 44, quem sequitur Ferr. n. 701, 2°; hi enim nituntur in n. 1 citatae instructionis, ubi tantum dicitur « rem ad S. Sedem vel ad loci Ordinarium deferre debent »; quibus verbis alius Ordinarius nec designatur nec designari intenditur, nisi is de quo Bened. XIV in const. *Sacramentum Poenitentiae*, cuius observantiam unice intendit haec instructio, ut patet ex eius titulo (nisi potius dicendum sit praefatam constitutionem et instructionem ad communia adiuncta praesertim respexisse; communiter enim poenitens et confessarius sunt eiusdem dioeceseos). Non ergo rem deferre debet poenitens ad Ordinarium loci sui, si nec ibi delictum patratum est, nec ad eum delinquens pertinet. Consonat ius naturae vetans reum delicti occulti manifestari alicui absque necessitate.

Ordinarium proprium sacerdotis delinquentis adeundum esse affirmat De Smet in opusc. *De absol. compl. et sollic.* n. 96, theoretice tamen, ut ipse ait. Ordinarium loci, in quo patratum est delictum, aiunt Gén.-S. n. 399 bis; Blat III, p. 278; Verm.-Creus. II, n. 191.

Et theoretice quidem ea, quae praecedunt, dicta sunto. Nam generatim in praxi oportebit potius, ut poenitens Ordinarium adeat loci, in quo versatur. Si enim exspectare deberet opportunitatem adeundae alienae dioeceseos, periculum esset, tum ne delinquens in sacramento abutendo interea prosequeretur, tum ne ipsa poenitens, mutata actuali voluntatis dispositione bona, repugnantiam rei ex se difficilis iterum experiretur eamque explere aut nimis differret aut penitus omittere statueret. Praeterea, si ad Ordinarium delinquentis recurrit per epistolam, iam delatio Ordinarium poenitentis non latebit, si res procedunt ut de iure; debebit enim ille hunc monere ut denuntiationem poenitentis excipiat. Quare, nisi facile et cito delatio ad Ordinarium deliquentis fieri possit, poenitens ad Ordinarium recurrat dioceseos, in qua degit.

gationi S. Officii[1]. Praedictis denuntiandi sunt etiam confessarii religiosi, non enim eorum Superiores in huiusmodi causis se immiscere possunt (can. 501).

676 *f*) **Quomodo facienda denuntiatio.** Denuntiatio facienda est iudicialiter, ideoque personaliter, coram Episcopo (eiusve delegato) et alio viro ecclesiastico, qui notarii vices gerat, sub iuramento et subscriptione nominis denuntiantis[2]. Delegatus et notarius debent specialiter et in scriptis deputari. Praeter eos alius testis interesse prohibetur.

Si quis denuntiare personaliter non potest, moneat Ordinarium loci per litteras[3] vel per aliam personam, ut notarium mittat domum vel in alium opportunum locum, aut ut instructionem det quo modo se gerere debeat. Apponat igitur proprium nomen et domicilii locum, ut instructionem recipere possit.

S. Officium aut Episcopus (potest enim is id facere)[4] deputant saepe confessarium, ut excipiat denuntiationem iuridice quidem, id est, in scriptis et sub iuramento, at sine interventu notarii; confessarius protinus acta denuntiationis ad eum, qui illi hoc munus commisit, cum debita cautela transmittat, nullum actus exemplar aut vestigium sibi retinendo.

Pluribus in locis praxis invaluit, generatim non probanda, ut Episcopi contra sollicitantes procedant extraiudicialiter, quasi paterna potestate, in eosque, praesertim initio, mitius animadvertant; et idcirco denuntiationem iuridicam saepe non urgent, sed permittunt ut persona sollicitata denuntiationem

---

1 Anno 1919 litterae a Cardinali S. Sedis Secretario transmissae sunt Ordinariis loci, iisdem iniungentes ut « suo quisque clero, iussu Apostolicae Sedis praecipiant, gravi poena transgressoribus constituta, ut nullam prorsus denuntiationem ad praefatum Sacrum Supremum Tribunal (*S. Officii*) per cursorem publicum (vulgo *per posta*) ipse clerus mittere queat aut per fideles mitti permittat, sed suo quisque Ordinario, per sigillum clausam tradendam curet. Episcopi vero, cum litteras acceperint, quae ex exteriore inscriptione appareant eidem Sacro Tribunali destinatae, eas, non tactas, alio includant involucro, *inscriptasque* mittant Cardinali a Secretis Status Sanctitatis Suae, qui nulla interposita mora eas, similiter integras, Sancto Officio transmittendas curabit ». Cf. ephem. *Razón y Fe* LIV, p. 107. Nihil tamen huiusmodi in Commentario S. Sedis officiali insertum est, sed res Ordinariis loci privatim iniuncta tantum.

2 Si denuntians subscribere nescit, apponit pagellae actorum, loco subscriptionis, signum crucis.

3 Omissis tum nomine et indiciis delinquentis, tum etiam narratione delicti; oportet enim haec, quantum fieri potest, epistolae non committere.

4 Instructio *S. Off.* 20 febr. 1867; Ball.-P. n. 1149; Bucceb. l. c. n. 47; Villada op. cit. p. 166; Tanquerey n. 596.

faciat, absque formalitatibus iuris, Episcopo soli per se ipsam viva voce, vel per simplicem epistolam proprio nomine et cognomine subscriptam, vel per confessarium aut aliam personam viva voce[1].

Denuntiationes anonymae prorsus nullius sunt valoris.

g) **Quomodo se gerere debeat confessarius.** Expendat imprimis an casus certo evenerit et an, iuxta superius exposita, vere sit denuntiandus.

Si haec satis constent, meminerit se graviter teneri ad monendam poenitentem de obligatione denuntiandi[2], etiamsi eam praevideat non obtemperaturam[3], ut docent auctores — id enim exigit bonum commune — eamque simul edoceat de gravissimo reatu calumniosae denuntiationis. Potest tamen confessarius, si monitionem nocituram credit, eam ad opportunius tempus differre[4]; tunc, si poenitens reversura non est, eam moneat de obligatione loquendi de hac re cum sequenti confessario propter rei difficultatem, et interim parata sit implere obligationes, quas ille forte manifestet[5].

Si poenitens obtemperare recusat, inquirat an adsit causa vere excusans, vel an speciales difficultates sint, ob quas denuntiatio differri debeat; v. gr. si filia nec viva voce nec per litteras denuntiare possit inscia matre, exspectare poterit confessarium, qui pro ipsa denuntiationem facere velit.

Quod si nulla causa est differendi, patienter manifestet, quam inanes praetextus alleget. Eam instruat, nihil esse timendum, quoniam ad Episcopum aut eius Vicarium multi multaeque ob diversas causas accedunt; nihil a delinquente timendum, siquidem sub altissimo secreto et cum maxima cautela proceditur, si reapse tandem proceditur; quoniam non proceditur ante tertiam denuntiationem; nec timendam esse propriam infamationem, si consensum sollicitanti praestitit, quoniam circa id quaevis interrogatio prohibetur; et si forte

---

1 Bucceroni op. cit. n. 47 53.

2 Potius moneat, ut rem Ordinario loci, v. gr. Vicario Generali manifestet, nam denuntiationis vocabulum ab initio mulierem terret.

3 Ita S. Alph. n. 694; Buccer. l. c. n. 33; Gén.-S. n. 399; sine dubio quia vel aliqua spes, saltem tenuis, semper exsistit quod poenitentis obstinatio tandem tractu temporis confringatur, vel quia, si reluctantiae poenitentium in hac materia obsecundandum esset, practice vix unquam obligationi locus esset, quod in maximum detrimentum vergeret.

4 Lugo d. 22, n. 28; Bus. ap. S. Alph. n. 609, 9°.

5 Pessime tamen ageret confessarius, et contra praeceptum quod illi imponit can. 904, si, ut onus huiusmodi monitionum declinaret, poenitentem ad alium confessarium sine gravi causa remitteret. Non enim hoc modo gravem suam obligationem adimpleret.

interrogaretur, negare posset. Denique, proposito praecepto, quod Ecclesia ad vitandum religionis et fidelium damnum stricte urget sub excommunicatione infra mensem incurrenda, propositisque supernaturalibus motivis, benigne eam inducat ad suae conscientiae consulendum; vel si personaliter ad Ordinarium comparere nolit, ut petat ab eo per litteras instructiones ad denuntiationem coram alio praestandam; vel ad *S. Officium*, si ipsi optatius est, recurrat, vel videat an infra mensem confessarium aliquem invenerit, qui pro ipsa denuntiationem deferre velit, et pro casu quo nullum invenerit, serio promittat se suae conscientiae satisfacturam, antequam mensis exspiret.

Quod si tandem obligationi suae satisfacere recusat, bene faciet confessarius, si operam suam ex caritate non deneget, v. gr., si impetrata a poenitente licentia, ad Ordinarium loci, vel ad *S. Poenitentiariam*, vel ad *S. Officium*, tacito poenitentis nomine, recurrat; interea tamen poenitentem, utpote indispositam, absolvere non potest, nisi poenitens saltem mandatis, quae ab illis directe vel per confessarium accipiet[1], obtemperaturam se promittat.

Confessarius denuntiationem ad Ordinarium loci poenitentis transmittere non tenetur[2] sive in scriptis ab ea exaratam sive viva voce communicandam. Immo, ob periculum ne quando a levitate feminea de calumnia aut de fracto sigillo incusetur, commendare audemus, ut si ad transmittendam viva voce denuntiationem ab Ordinario delegaretur, hoc onus declinaret, et vel delegationem iudicialiter procedendi postularet, vel ad S. Sedem modo supra exposito recurreret.

Confessarius sollicitans non tenetur ipse de obligatione monere poenitentem a se sollicitatam, tum quia nemo seipsum denuntiare tenetur, tum quia Summus Pontifex praecipit, ut confessarii moneant «poenitentes, quos noverint ab aliis sollicitatos». Maxime vero cavere debet, si poenitens ad se redeat et peccatum, si in eo forte adfuit complicitas, accuset, ne eam absolvat aut tamquam si absolveret se gerat, sed ad alium confessarium remittat; secus censuram incurret absolventis complicem.

De obligatione denuntiandi moneri non debet moribundus, inutiliter enim perturbaretur eius bona fides, si in ea versatur, et vix aliud obtineretur, nisi forte eius aeterna condemnatio.

---

[1] Si quam forte instructionem aut responsionem in scriptis confessarius poenitenti tradere debeat, hanc in sacristia, non in confessionali tradat.

[2] Can. 904. S. Alph. n. 699, et alii communiter.

h) **Sollicitatio dubia.** Dubia, in hac materia, praecipue **677** versari possunt circa factum ipsum sollicitationis, vel circa personam denuntiandam. Teneantur sequentes regulae[1]:

1° *Si verba prolata videntur indifferentia*, sed ex circumstantiis, antecedentibus vel consequentibus, dignoscitur prava intentio, casus est denuntiandus. Exemplum habes in eo, qui petit a muliere ubi habitet, aut dicit ut exspectet, et postea eam sollicitat. Similiter, si mulierem manifestantem animi luctas ad resistendum tentationi, interrogat, num oblata pecunia tunc consensisset, et postea domi oblata pecunia, eam sollicitet, satis apparet prava intentio, quae in interrogatione latuerat. Pariter, si mulieri conqueratur, cur secum non se gerat humane et dociliter, et illos dies praecessissent instantiae petendo ab ea quaedam turpia, haec erunt vehementissima indicia turpis sensus illius querelae. Denique, laudare mulieris pulchritudinem, dummodo verbis honestis, utrum fiat ex pravo affectu, an ex imprudentia tantum, pendet ex adiunctis; item, si ei commendet « memento mei, quia te ex corde diligo ».

2° *Denuntiandum non est, nisi de sollicitatione aut turpiloquio moraliter certo constet*, tum quia in dubio nemo privandus est sua fama, tum quia Ecclesia non praecepit denuntiare sollicitationes dubias.

Certe tamen datur obligatio denuntiandi, si adsint indicia prorsus vehementia, etsi non omnino evidentia, quibus nulla ratio solida opponatur; tunc enim practice habetur moralis certitudo (n. 21, 4°). Exempla: si dixerit « tecum nuberem, si essem saecularis », vel « tua peccata me fecerunt cadere in peccata turpia »; nam, etsi alterum ex nimia spontaneitate absque malo affectu oriri potuit, alterum vero potuit cum quodam horrore dici ad recusationem mulieris petentis confessionem, haec tamen adeo ex se apta sunt ad excitandum turpiter, ut, nisi sufficientia indicia adsint in contrarium, denuntiari debeant.

3° *Si tantum dubitatur num reus sit is vel ille* sacerdos, sed de facto sollicitationis bene constet, denuntiatio facienda est, quia iudices ex indiciis et sua diligentia comperire poterunt delinquentem. Si tamen is praevideatur comperiendus difficulter, et aliquis sacerdos remanere posset suspicione diffamatus, omittatur denuntiatio.

i) **Scienter omittens denuntiare excommunicationem in- 678 currit,** nemini tamen reservatam, statim ac expletus sit mensis

---

1 Ex S. Alph. n. 676 et 702-705, ubi optime agit de huiusmodi dubiis.

omissa denuntiatione transactus, computandus a die[1], quo obligationem denuntiandi (eamque urgentem sub comminatione censurae, secus non daretur contumacia contra legem censurae, si eam ignoraverit), post patratam sollicitationem aut turpiloquium, primo noverit (can. 904 2368, § 2).

Excommunicatio respicit tantum eum qui «sollicitatus fuerit» (can. 2368, § 2), non eos proinde, qui aliquem confessarium deliquisse certo sciunt et non denuntiant.

Si accedat poenitens excommunicatione iam ligatus, confessarius eum absolvere non debet donec obligationi satisfecerit, nisi se satisfacturum serio promiserit. Excommunicatione semel sublata, non videtur poenitens in eam reincidere, si promissa non adimpleat, at certe obligatio denuntiandi non cessat.

j) **Poenae in sollicitantes** sunt ferendae sententiae; eas consule in can. 2368, § 1.

679 *k*) **Calumniosa sollicitationis denuntiatio,** id est, innocentis confessarii de crimine sollicitationis ad turpia denuntiatio per seipsum vel per alios facta apud Superiores ecclesiasticos, ipso facto excommunicatione plectitur speciali modo Apostolicae Sedi reservata (can. 2363). Praeterea peccatum reservatur S. Sedi ratione sui, ita ut huius reservatio eum etiam afficiat, qui forte propter ignorantiam excommunicationem non incurrerit, ut diximus n. 656; peccati tamen reservatio cessat in casibus, de quibus ibidem.

Haec excommunicatio poscit, ut denuntiatio facta sit iudicialiter, tum quia ita intelligebatur in iure veteri, tum quia ii, qui Superiores dicuntur in can. 2363, manifeste illi sunt, quos can. 894 dicit iudices ecclesiasticos. Non eam incurrit proinde qui sacerdotem calumniatur apud alios, aut etiam apud praedictos modo ad iudicium inutili, v. gr. per litteras anonymas.

In praedictam excommunicationem incidunt (non tamen tenentur reservatione peccati)[2] qui mandato, consilio, aliove influxu efficaci et necessario concurrunt ad calumniosam

---

[1] Non tamen computari debet ipse dies, quo obligationem novit. Can. 34, § 3, n. 3°. Quare, si poenitens sollicitata fuit die 10 februarii et tunc iam sciebat obligationem inde sibi consequentem, vel si ea die, quoad aliquam sollicitationem praeteritam, obligationis notitiam primo habuit, et per mensem culpabiliter eam adimplere negligit, in excommunicationem incidit incipiente die 11 martii.

[2] Quia pro poenis tantummodo, non pro reservationibus fertur canon 2231; praeterea, reservatione non tenebantur in veteri iure mandans, consulens aliive cooperatores ad calumniosam denuntiationem.

denuntiationem iudicialem, sive a denuntiante faciendam nomine proprio sive alterius, dummodo tamen denuntiatio re ipsa secuta fuerit; excipe, si mandatum, consilium aliusve influxus mediis per se efficacibus ante factam denuntiationem subtractus fuerit.

Qui calumniose per se vel per alios denuntiaverat, absolvi nequit, ait can. 2363, nisi 1° falsam denuntiationem retractaverit formaliter, id est, in ea forma quae praescribitur ad suscipiendas denuntiationes, vel saltem, in casu urgenti, modo apto ad annullandum effectum actionis iudicialis, v. gr. retractatione facta per litteras proprio nomine subscriptas et Ordinario tradendas, vel per retractationem coram testibus, aut, si casus adeo urget (v. gr. in moribundo), et alius testis haberi nequit, saltem coram confessario, ut is retractationem deferat. — 2° Debent damna, si qua secuta sint, pro viribus reparari. — 3° Debet poenitentia imponi « gravis », v. gr. Missae auditio, ieiunium, exercitium Viae Crucis; et « diuturna », v. gr. bis inter hebdomadam per annum, aut semel per duos annos. — 4° Nisi sub his condicionibus, ait citatus canon, nequit falsus denuntiator absolvi in ullo casu, quin sufficiat promissio, nisi v. gr. morbus impediat physice peragere necessaria.

Qui in calumniosam denuntiationem cooperati sunt, paribus condicionibus tenentur iure naturae, ut patet, pro gradu sui delicti.

Caput 7. OFFICIA CONFESSARII ANTE CONFESSIONEM

Haec officia praecipue spectant ad comparandam scien- **680**
tiam, quae quidem 1° alia est de essentialibus ad sacramenti valorem, 2° alia ad debitum iudicium efformandum de causa, 3° alia ad dandas poenitenti instructiones necessarias[1].

Quoad 1um. Manifestum est neminem, extra casum necessitatis[2], posse, salva conscientia, munus confessarii suscipere, qui ea scientia careat, sine qua sacramentum caece conficeret cum periculo illud administrandi invalide. Debet igitur confessarius scire, quaenam certo vel probabiliter necessaria sunt necessitate medii (n. 71), motiva propria actus fidei, attritionis, aliaque circa dispositiones essentiales poenitentis, necnon casus

---

1 Cf. de hac materia Lugo d. 21, n. 68-74; S. Alph. n. 628, et *Prax. conf.*, n. 17.

2 Nam in necessitate proximo subvenitur meliore modo, quo fieri possit.

reservatos, a quibus absolvere non potest, et qui verisimiliter ad eius tribunal afferri poterunt.

Quoad 2um. Haec praecipue sunt, quae ad confessionis integritatem procurandam pertinent. Debet proinde confessarius distinguere species et numerum peccatorum, gravia a venialibus, pro casibus communiter occurrentibus; pro ceteris casibus, factum, prout evenit, audiat et intelligat, et hoc satis erit, nam impossibile est de omnibus casibus iudicium ferre.

Quoad 3um. Ad id requiritur nosse, pro casibus communiter occurrentibus, causas restitutionis, impedimenta matrimonii, obligationes de vitanda occasione peccati, etc.; pro casibus vero qui, attenta qualitate poenitentium in tali loco advenientium, rari et difficiliores sunt, sufficit ut confessarius eam scientiam confusam habeat, qua sciat saltem, occurrente casu, dubitare et solutionem differre.

Non igitur eadem ab omnibus scientia poscitur, sed v. gr. minor a confessario rudium et puerorum.

NB. — 1° *Si casus intricatior occurrat*, cuius nesciat solutionem, iubeat poenitentem ad se redire dum rei difficultatem ex libris solvet, vel apud alios peritiores de licentia, si opus est, poenitentis consulet (si poenitens reversurus non est, moneat de obligatione colloquendi de re cum sequenti confessario), sufficitque interea, ut poenitens paratus sit satisfacere obligationibus, si quae adesse comperiantur.

2° *Studio igitur Theologiae moralis incumbendum est*, nam etsi sanus sensus et naturalis prudentia multum iuvent, immo ingenium ea destitutum ad scrupulos et conscientiarum vexationem ducat, tamen solo naturali iudicio non noscuntur quamplurima, quae iuris positivi sunt aut ex lege naturali nonnisi per mediatas consequentias a doctoribus deducuntur.

Caput 8. OFFICIA CONFESSARII IN CONFESSIONE

681 Quoniam confessarius *minister sacramenti* est, qui eius valorem eoque debitas poenitentis dispositiones procurare debet; *iudex*, qui statum poenitentis integrum nosse et de hoc, necnon de absolutione danda aut neganda, iudicium debet ferre; *medicus*[1], cui incumbit remedia ad peccatum vitandum

---

[1] « Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat » (can. 888, § 1).

praescribere; *doctor*, ad quem errores dedocere pertinet obligationesque aperire; *pater*, cuius est omnes cum amore et patientia excipere; ideo operae pretium erit breviter exponere quomodo se gerere debeat in interrogandis, monendis, disponendis poenitentibus, in absolutione concedenda aut neganda, et speciatim in agendo cum quibusdam poenitentium generibus.

Art. 1. Obligatio interrogandi.

Confessarius solum tenetur interrogare poenitentem circa ea necessaria, quae probabiliter iudicat eum, sive culpabiliter sive inculpabiliter, omittere; proinde nihil debebit interrogare ab iis, qui sufficienter instructi et in se accusandis diligentes videntur, nisi in aliquo casu suspicio omissionis oriatur. Circa modum interrogandi [1], bene adverte:

Interrogatio debet esse moderata, discreta, opportuna. Debet igitur esse:

a) **Moderata,** id est, confessarius non debet esse nimis anxius in interrogando, sed interroget modo humano et morali [2], memor sequentium regularum:

1° *Se non teneri magis quam poenitentem ad integritatem procurandam*, immo minus teneri; nam huiusmodi obligatio poenitenti incumbit primario, sibi vero nonnisi in huius defectu. Porro, qua diligentia ad integritatem procurandam teneatur poenitens, cf. n. 616, ubi de examine conscientiae.

2° *Non omnem interrogationis omissionem esse gravem;* etenim ex levi negligentia, ex defatigatione, nimia attentione, omissio potest esse levis; immo, censent aliqui [3] posse dari parvitatem materiae, v. gr. si in longa confessionum serie una alterave interrogatio, non malitiose, omittatur.

---

1 De his optime Lugo d. 16, n. 589-595; S. Alph., *Prax. conf.* n. 19 seqq.

2 Per defectum peccant ii, quos dixeris sibi pro norma statuisse nihil interrogare; immo poenitentem passim, peccato vix insinuato, impatienter interrumpunt, ut ad alia progrediatur; ex huiusmodi praecipitantia non solum conscientiae intranquillitates, sed etiam sacrilegas confessiones haud raro promanare experientia docet.

Ne tamen in excessum contrarium imprudenter veniatur, recte monet Gén.-S. I, n. 162, « minus attendendum esse ad subtiles quasdam distinctiones, quae ab auctoribus quibusdam, rem practicam nimis speculativa ratione considerantibus, inventae sunt »; opportuneque subiungit haec verba Berardi (*Prax. Conf.* n. 37): « Dum Christus Dominus imposuit obligationem confitendi speciem et numerum peccatorum, utique voluit ut ea confiteamur iuxta sensum communem, non vero iuxta illas metaphysicas distinctiones, quae a sensu communi recedunt. »

3 Gurry-Ferr., *Cas. II* n. 668; Lehmk. n. 542; Gén.-S. 361.

3° *Cavendum esse, ne poenitens imprudenter vexetur et sacramenti institutio fiat odiosa;* ob id nonnulla, etsi necessaria, aliquando omittenda erunt, v. gr. in rusticis, quibus citius interrogationes offensioni sunt, utpote suo iudicio inutiles et nimiae (n. 67, 3°); similiter, pauciores interrogationes faciendae erunt aegroto, qui ob debilitatem difficulter attendere potest, quam homini bene valenti; denique, ei qui plura peccata habet, quam qui pauca, et propterea minus distincte petitur numerus peccatorum ab eo, qui per annos, quam ab eo qui aliquot hebdomadas in peccatis vixit[1].

682 *b*) **Discreta;** scilicet confessarius:

1° *Maxime cavere debet ne scandalum poenitens pati possit.* Propterea, in materia praesertim castitatis et in confessionibus puerorum, si confessarius dubitat, num forte poenitens suspicabitur id quod ignorabat, aut num forte ad peccandum allicietur, omnino servet regulam ab omnibus doctoribus admissam: «Melius est in pluribus deficere quam in uno excedere.»

2° *Inquisitiones de rebus sacramento extraneis omittat.* Sunt enim qui e suis devotulis notitiam hauriunt de quotidianis publicis eventibus. Nullatenus id confessarium decet[2]; sed saltem, si curiositatem non coercet, huiusmodi extraneas quaestiones post absolutionem faciendas reservet.

c) **Opportuna,** id est, interroget tantum de iis, quae attenta condicione poenitentis, verisimiliter contingere potuerunt. Ideo importune honestam matronam sine speciali ratione interrogaret an furata sit, aut eum, qui se de fornicatione accusat, an eam cum moniali patraverit. Quod si hac de causa nonnullae circumstantiae necessariae aliquando praetermittentur, id confessarii culpa non accidet, is enim non tenetur omnia possibilia rimari, sed humano et morali modo procedere, ut superius diximus.

683 Animadversiones. 1° *Si confessarius dubitat de sinceritate poenitentis*, eum interroget et, si opus est, ad fiduciam et sinceritatem invitet; quod si negare pergat, eum absolvat, iuxta

---

1 In particulari, quoad habituatos in peccatis internis (odii, desideriorum etc.), ait S. Alph., *Prax. conf.* n. 20, plerumque frequentiam actuum non posse iudicari nisi per interrogationes generales; ceterum, addit ipse, post duas vel tres interrogationes, non debet angi confessarius, si ei iudicium quod facit, videtur esse nimis confusum, nam ex conscientiis implicatis et confusis moraliter impossibile est maiorem claritatem sperare.

2 Generatim res ad confessionem non pertinentes, etsi necessarias, extra confessionale tractandas reservet.

axioma ab omnibus receptum: « Credendum est poenitenti tam pro se quam contra se dicenti », ipse enim de se ipso melius quam alius scit an peccaverit vel non, an peccatum iam fuerit remissum vel secus.

2° *Si certus est poenitentem aliquid tacere*, distinguendum est, undenam confessarius eius peccatum certo noverit.

a) Si quia peccantem vidit, eum convincat et negare insistentem sine absolutione dimittat. Si tamen prudenter dubitare possit an peccatum iam confessus sit, aut peccati gravitatem non adverterit, aut aliquod motivum tacendi habeat, eum absolvat.

b) Si ex aliorum testimonio extra confessionem id noverit, eum interroget; sed negare insistentem generatim absolvere debet, quia putare potest eum oblitum fuisse, vel forsan iam confessum esse, vel causam tacendi habere, vel alios deceptos fuisse; nisi adiuncta ea sint, ut nihil horum prudenter putare possit.

c) Si denique ex peccato, quod alius poenitens confessus sit, tunc non poterit nisi verbis generalibus et valde caute praesentem poenitentem interrogare, ne periculo exponatur priorem revelandi cum fractione sacramentalis sigilli; quod si nihil obtineat, eum absolvere potest; priori enim poenitenti credere debebat « contra se dicenti », non vero contra alium.

In huiusmodi casibus, in quibus gravis ratio occurrit contra sinceritatem poenitentis, utrum absolutio dari debeat condicionate, an absolute, non constat certo.

3. *Mendacia in confessione* saepe vitari possunt, si confes- **684**
sarius norit sinceritatis defectus praevenire, viam poenitenti parando; v. gr. si is actiones aut desideria turpia accusat, eum antevertat quaerens: « Saepe, nonne?... quoties in hebdomada,... in die? » sic proponens prior maiorem numerum (dummodo tamen non sit timendum, ne scandalum poenitenti det), ut is numerum verum declarare audeat. Ad extorquenda peccata et praevenienda mendacia magnopere confert in interrogando gradatim procedere a cogitationibus ad opera[1], modo

---

[1] Similiter procedendum, quando in confessionis decursu deprehenditur mendacium. V. gr. poenitens sponte incipit se accusare de tactibus. Interrogatus quoties, titubans respondet: « Raro, semel in mense. » Confessarius, qui titubationem advertit, diffidit, dissimulat tamen, et, postquam cetera dicere eum sivit, tandem sollerter incipit interrogans de probitate amicorum, quibuscum agit die festo vel dum laborat vel dum e schola redit, gradatim procedit interrogans de turpibus, quae hi saepe loquuntur, quae poenitens libenter audit, quae ipse etiam loquitur, quae audita solus in mente volvit; tandem addit: Pronum est, satis id perspicio,

n. 67, 3°, exposito; valde etiam confert scire ea, quae ad declaranda peccata consummata in tract. de 6° praec. sufficere diximus, ut exigatur declaratio quam minima fieri possit; denique valde confert ut confessarius nullum prorsus admirationis signum manifestet quamtumvis gravia peccata accusentur.

4° *Confessarius ius habet interrogandi ea, quae necessaria vel utilia censeat ad iudicium efformandum de statu poenitentis eiusque obligationibus*, tuncque tenetur poenitens, si interrogatur, respondere, etsi forte non teneretur ea dicere non interrogatus, v. gr. circa peccati consuetudinem, occasionem proximam, etc.[1]. Nulla tamen esset obligatio respondendi, quando nullum esset motivum interrogandi[2].

685 5° *Modus excipiendae confessionis*[3] sat similis ordinarie est ei qui servatur pro confessione generali (n. 624).

Imprimis poenitenti accedenti adprecari potest bonam confessionem per orationem « *Dominus sit in corde tuo etc.* », dum ille forsan breviter recitat Confiteor.

Quaerat ab eo confessarius *a quo tempore* confessus sit, et, si sat rudis apparet, interroget de credendis necessitate medii. Interrogare potest, si ita videtur, utrum coniugatus an solutus sit, aut, si puer, quam habeat aetatem. Cetera ne inquirat, ne curiosus aut molestus videatur, nam si quid aliud scire necesse sit, id in decursu confessionis, exorta necessitate, interrogabit.

Quaerat benigne *quid conscientiam gravet* ab ultima confessione, et si advertat eum timere aut haesitare, animos addat. Si advertat eum non se examinasse, non facile eum dimittat si rudis est aut puer (hi enim parum capaces sunt se, ut oportet, examinandi), sed eum adiuvet interrogando quid cogitatione peccaverit, quid verbo, opere, omissione, domi, in schola, cum sociis, aliaque percurrat pro condicione poenitentis verisimilia.

---

ut qui tam iterato turpiloquia audit et mente volvit, a peccatis operis non abstineat; propterea incidisti in ea frequenter, nonne? — « Certe, pater ». — « Quaenam? quoties in hebdomada? etc. ». Hic poenitens ultro fatetur, quod ante tacuerat. Confessarius eum laudat de sinceritate et amanter procurat, ut nunc ipsum sacrilegi mendacii peccatum accuset, debet enim poenitens, ut reus, de hoc etiam peccato confessionem facere; ideo confessarius addit: « Daemon prius te deceperat, feceratque ut haec celares; sacrilegam confessionem fecisses... nunc peccati iam poenitet ipsumque quoque accusas, nonne?... nihil unquam verearis, semper omnia sincere manifesta confessario. »

1 Lugo d. 14, n. 172; d. 16, n. 120 123; Lehmk. n. 416; Gén.-S. n. 286; Ball.-P. n. 355; Cf. dicta in n. 612, 6°.

2 Ball.-P. loc. cit.

3 Cf. Reuter, *Neo-confess.* n. 1-20.

Si aliquid sat grave aut singulare audit, nullum prorsus signum oculis aut capite det confessarius, quo alii in suspicionem veniant, nec ullum admirationis aut indignationis signum, sed omnia imperturbate audiat.

Si poenitens de aliorum peccatis impertinenter loquitur, moneatur ne aliorum, sed sua peccata accuset. Si digressiones aut narrationes texat, moneatur opus non esse declarare peccati occasionem et causas, sed illud simpliciter quoad numerum et speciem manifestare, et ideo, si confessarius intellexit quo narratio tendat, sermones praecidat interrogando an hoc vel illud fecerit. Si nimis turpiter quaedam exprimat, eum compescat monens ut sanctam confessionem sancte tractet.

Poenitentem ne obruat *interrogationibus*. Sed, si non multa peccata affert, melius faciet confessarius si necessarias interrogationes ad finem reservet, dummodo prudenter putet satis haec se recordaturum; quod si timet, ne obliviscatur, sinat adhuc unum alterumve peccatum addere, et de his tunc interroget, deinde illum pergere invitet. In interrogationibus moderatus sit, et maxime discretus.

Si eum *monere* debet aut de necessariis aut valde convenientibus instruere, id faciat ad finem servatis regulis mox exponendis. Instruat praesertim de mediis ad emendandum peccatum suum praecipuum, vel aliorum radicem, aut in quod frequentius labitur, et pro poenitentis condicione media proponat ad vitam agendam sincere christianam.

Denique, interrogatum, num aliquid aliud addendum habeat, *disponat*, quatenus necesse sit, ad dolorem et propositum, ut in n. 688 exponetur fusius, et *poenitentiam* iniungat, quae ad emendationem melius conducat.

Art. 2. Obligatio monendi.

Quando poenitens laborat ignorantia, ob quam in peri- **686**
culo versatur transgrediendi aliquam legem, regulariter confessarius, quamvis forte ex sola caritate ad correptionem fraternam non obligetur, ad eum monendum tenebitur ratione officii [1], quod assumpsit, procurandi ipsius spirituale bonum *.

---

[1] Dicimus confessarium teneri ad monendum *ratione officii*, non autem *ex iustitia erga poenitentem*, nam haec duo diversa sunt. Potest enim aliquod officium eius esse naturae, ut eius exercitio variae obligationes adnexae sint, aliae ratione quasi-contractus initi cum eo, qui officium exerceri postulaverat, aliae ex ipsa officii natura, quacumque de causa, ideoque quamvis non ex quasi-contractu exerceatur. Exemplum sit: celebrans non tenetur ex iustitia erga stipendium dantem proferre in consecratione vocem

* Vide, sis, notam asterisco (*) distinctam in pag. 294.

Adverte tamen hoc ipsum officium procurandi poenitentis bonum posse confessarium obligare ad monitionem omittendam. Immo, potest aliquando poenitens obligationem aliquam habere ex motivo magni boni communis, cuius procuratio urget contra ipsius bonum temporale privatum; et tunc monitio, etiam contra hoc bonum eius erit facienda. Hinc sequentes regulae [1] tradi solent:

a) **Si poenitens versatur in ignorantia vincibili,** id est, si dubitat de aliqua obligatione, et ignorantia est *graviter culpabilis*, prorsus monendus est, secus enim ad absolutionem non esset dispositus, ut patet.

Si vero ignorantia est quidem vincibilis, sed *non culpabilis*, adhuc monendus est; hanc enim instructionem illi debet confessarius ex officio, ut patet ex praedictis; idem censendum est de ignorantia, quae si forte nondum est vincibilis, brevi tamen talis evadet, cuiusmodi est quae versetur circa prima principia moralia proximasque eorum conclusiones [2].

« enim », sine qua Missa valida est, nec tenetur celebrare devote, ne digne quidem; si tamen celebrat, haec observare debet ex ipsa sanctissimae huius actionis natura.

Similiter confessarius ex iustitia quidem erga poenitentem tenetur eum monere de iis, quae ex parte ipsius validitati absolutionis obstare possent, ut ea impedimenta auferat; monere autem de reliquis tenetur vel ratione caritatis erga poenitentem aut erga alios, sicut teneretur alius quilibet; vel etiam ratione ipsius officii, seu ex religione, non autem ex iustitia erga poenitentem. Etenim quasi-contractus cum eo videtur is esse solummodo, ut poenitens sua peccata teneatur manifestare confessario, et vicissim confessarius eum absolutione donet, si reperit dispositum, vel si eum ex ignorantia, ruditate, aliave inculpabili causa indispositum reperiat, disponat quantum moraliter possit. Reliquae admonitiones ad contractum non pertinent.

Exsurgit tamen *ex officio* obligatio monendi plura alia, praeter dicta; exsurgit nempe, ex ipsa huius sacramenti institutione. Nam, cum per verba « quorum remiseritis etc. » Christus hoc sacramentum instituit ad modum iudicii, non mere id intendit, ut peccata hominum iudicarentur, seu ut sacerdos iudicium tantum faceret de statu poenitentis; sed intendit etiam ut peccatores a suis peccatis averterentur et ad meliorem frugen reducerentur. Fuit igitur is finis in mente Christi hoc sacramentum instituentis, ut homines a via prava ad exercitium iustitiae venirent et praesertim, ne in peccata relaberentur. Haec autem alias monitiones saepe exigunt, quas poenitens in contractu non quaesierat.

* Scilicet saltem bonum, quo debet non carere (non enim dicimus confessarium teneri ex officio ad procurandum quodlibet poenitentis spirituale bonum), v. gr. necessaria salutis docere, obligationes status, specialia pericula manifestare, etc.

[1] De bis optime Lugo d. 22, n. 23 seqq. et S. Alph. n. 609 seqq.; cf. etiam Gén.-S. n. 357 seqq.; Lehmk. n. 573 seqq.

[2] Huiusmodi esset v. gr. mortalis inhonestas solitariae pollutionis, circa cuius malitiam, saltem gravem, videtur possibilis aliquando ignorantia invincibilis (n. 213, 5°). Huiusmodi quoque esset obligatio educandi filios in bonis moribus.

b) **Si poenitens versatur in ignorantia invincibili,** per se quidem *monitio facienda est*, etsi solum agatur de vitando peccato mere materiali, ut patet ex supra dictis; multo magis si accedit 1° ratio caritatis in ipsum poenitentem, eo quod ignorantia ipsi nociva est; v. gr. si erronee putat aliquid esse peccatum, quod non est, vel si versatur in proxima occasione peccandi, ad quam non attendit, vel in quovis alio periculo; v. gr. si puer sine malitia turpiter agit, contrahens habitum, quem difficile deponet; 2° si accedit ratio caritatis in alium. v. gr. si poenitens deprehenditur bona fide rem alienam possidere.

Nihilominus, stante ignorantia invincibili, *monitio omittenda est*, quando prudenter timetur nocitura vel 1° ipsi poenitenti, eo quod prudenter timetur eum non esse obtemperaturum [1], aut aliquod periculum esse incursurum peccati formalis; vel 2° alii tertio, cui magnum damnum afferret, v. gr. filiis, si dissolveretur matrimonium, quod confessarius manifestaret fuisse invalidum; monitio enim, sicut non obligaret cum gravissimo detrimento proprio, ita nec obligat cum tanto detrimento alieno.

Quoniam tamen bonum commune privato praeponderat, monitio fieri debet quando agitur de vitando damno publico; quod quidem tantum est aliquando, ut monitio omitti non possit, etsi certo praevideatur poenitentem, saltem nunc, non esse obtemperaturum; sed perpendi debet quantitas damni publici, damnum poenitenti imminens, spes fructus, etc.

Animadversiones. 1ª *Si dubium est, num monitio profutura sit an nocitura*, comparetur utilitas aut damnum publicum cum privato, vel damnum poenitentis cum damno tertii, spe fructus etc., et omnibus pensatis eligatur quod praeponderare videatur; quod tamen non est ita metapysice considerandum, ut, si parvus sit excessus, grave sit oppositum eligere [2]. Dubio manente, monitio potius omittenda est [3]. **687**

2ª *Poenitens, qui de aliqua obligatione interrogat*, hoc ipso ostendit se esse in ignorantia vincibili; debet igitur confessarius respondere.

Excipe, *a*) si non interrogat de obligatione adimplenda, sed de re mere praeterita, circa quam inutiliter inquirit an licite egerit; *b*) si interrogat de aliqua obligatione, et confes-

---

1 Nec ideo poenitens absolutione indignus est, ut aliqui putavere; indignitas enim non exsurgit ex mala dispositione condicionata seu quae adesset, si ..., sed ex actuali, si adest. Aliunde sufficit poenitentem habere actu voluntatem generalem omnia praecepta gravia adimplendi.

2 Lugo d. 22 n. 31.

3 S. Alph. n. 616.

sarius ex una parte valde timet ne responsio inducat periculum peccati formalis, ex alia putat quod poenitens interrogat ob futilem rationem, quae eius bonam fidem in agendo non tollet. At in his casibus caveat confessarius ne (quod facile continget) eius silentium pro erroris approbatione accipiatur; potius fingat se non audivisse, vel respondendi oblitum fuisse.

Aliquando prudenter tacebit ea, circa quae praecise non interrogatur, si nempe declaratio nociva fore timetur; v. gr. coniugi interroganti post matrimonium contractum cum voto castitatis, an licite possit debitum reddere, respondeat posse, de illicitate petitionis tacens, si dispensationem ei facile procurare non potest, ne ille ob incontinentiam debitum petat cum mala fide.

3ª *Ii qui gerunt munus aliquod publicum*, monendi etiam sunt, si graviter suis obligationibus desunt, etsi praevideatur eos non esse obtemperaturos; eorum enim ignorantia (quae raro est invincibilis) damnum publicum afferre solet vel directe, v. gr. si parochus erronee populum male instruit circa mores, vel indirecte, ob scandalum, quia inferiores facile sibi licere putant quae a Superioribus fieri vident. Debet igitur confessarius, quolibet vano timore aut pusillanimitate deposita, divites et nobiles monere, atque ob eorum iras nihil turbari [1].

4ª *Confessarius detegens in contracto matrimonio impedimentum dirimens*, quod invincibiliter ignoratur, generatim tacere debet donec matrimonium revalidari possit, ne poenitens formaliter peccet et forte etiam alia familiae mala gravia sequantur.

5ª *Si monitio, quae omitti non potest, sit de re adeo difficili, ut nunc praevideatur aequo animo non recipienda, bene vero alia vice*, potest ad tempus opportunum differri (non vero penitus omitti) et interea poenitens relinqui in bona fide. Quod si redire non poterit, moneatur ut de re cum sequente confessario loquatur, paratus interea conscientiae suae, si quae obligatio detegetur, satisfacere. Si tamen haec dici non possint, quin ille e bona fide decidat et periculum peccandi incurrat, monitio, quoniam inutiliter differretur, facienda erit.

Art. 3. Obligatio disponendi poenitentem.

688 Non pauci confessario se sistunt prorsus imparati, qui tamen persaepe parati fieri possunt, si sacerdos viscera misericordiae Christi indutus, sciat studiose, patienter et man-

---

1 Cf. Lugo d. 22, n. 37; S. Alph. n. 609.

suete cum illis agere[1]. Si igitur spes fundata est, quod disponi poterunt, hos confessarius ex caritate disponere tenetur[2] quantum moraliter valet, ne, si dimittantur, periculo exponantur diu in mortali manendi, vel forte ad sacramenta non redeant. Nec ei curae esse debet, quod alii poenitentes exspectent; tunc enim non ad aliorum, sed ad huius bonum attendere debet[3].

Igitur confessarius disponere debet imprimis eum, quem advertit necessaria ad sacramentum (n. 71) ignorare; item eum, qui fide aut spe amissa harum virtutum actus elicere debet (n. 73 82); vel qui debet odium deponere (n. 88) aut restitutionem honoris, famae vel bonorum facere, aut occasionem peccati proximam tollere, aut reparare scandala, aut denuntiare delinquentes etc.[4].

Quoad contritionem vero de peccatis et propositum in futurum, facile sibi satisfacere potest confessor. Nam si poenitens non est rudis, sed apparet moratus et sufficienter instructus, nullam diligentiam in hoc tenetur confessor adhibere; rudiores vero saepe disponere debebit, quia non advertunt ad doloris necessitatem[5]. Instruatur ergo poenitens, si imparatus accedit, de necessitate doloris et de modo eum procurandi, et, si a sacramento deterrendus non timetur, remittatur ut se paret, vel potius eum immediate paret confessarius suggerendo ei motiva doloris et propositi, v. gr. in hunc modum:

« Eia, nunc considera, fili mi, quo modo te, peccando, erga Deum gesseris. Quid enim tibi mali Deus, quid, nisi magna beneficia, fecit? Ipse te liberrime creavit et ad aeternae gloriae gaudium destinavit. Ipse te in baptismo magnis donis cum sua amicitia donavit. Ipse te in vita, etiam peccantem, conservavit. Ipse ille est Deus qui, cum ineffabilem gloriam habeat et nullius egeat, voluit tamen homo fieri, pauperiem et labores experiri, acerrimos passionis cruciatus perpeti, sanguinem pretiosissimum fundere, mortemque ipsam inter tot ludibria et tormenta subire, ut te ab aeternis poenis, quas peccando promeruisti, liberaret, atque immensam felicitatem tibi in aeternum compararet. Nonne toto corde est diligendus? Eius tamen amicitiam cum daemonis amicitia commutasti, aeternae felicitati renuntiasti atque aeternarum poenarum reum te fecisti. Ah! si interim mortuus esses, et Deus te ad poenitentiam non exspectasset, ubinam esses nunc? Quam horrendam sortem incurrisses! Eia igitur, fili, nonne haec te consi-

---

1 Leo XII, const. *Caritate* 25 dec. 1825.
2 S. Alph. n. 608.
3 S. Alph. l. c.
4 Bus. ap. S. Alph. n. 608.
5 Cf. Suárez d. 32, s. 2, n. 2; Lugo d. 22, n. 49.

derantem, toto corde poenitet Deum peccatis offendisse? ...nonne divino auxilio fretus statuis firmiter peccata amplius non committere?»

Possunt etiam haec proponi per modum dialogi: «Dic ergo, fili, scisne quis est, quem offendisti?» — «Deus» — «Deus certe, qui te magnis beneficiis cumulavit, etc... Ubinam, si interim decesisses esses nunc? — «In inferno» — «Ah! certe, in inferno, sine ulla spe illinc evadendi etc.».

Possunt etiam proponi per modum orationis, quam confessarius poenitenti suggeret ad Christi crucifixi pedes secum recitandam: «Domine mi, Iesu Christe, tu me creasti etc.».

Potest etiam confessarius adiuvari aliqua ex iis considerationibus, quae in n. 601 breviter innuimus, vel aliqua ex sequentibus: 1. «Propter unicum mortale detrusit Deus millia millium angelorum, perfectissimarum creaturarum, ad inferos; cur te ad poenitentiam exspectavit?» — 2. «Unicum mortale Adami tot tantisque malis mundum inundavit; en quantum malum sit unum peccatum.» — 3. «Quot miseri iam in inferno peccata luunt; et tu te tutum putas?» — 4. «Quamlibet molestiam fugis, maxime mortem; mortem aeternam non times?» — 5. «Vultum formidas hominis irati; Dei omnipotentis iram in te concitare non times?» — 6. «Iura tua omnino servari vis ab aliis; Dei iura sanctissima violasti!» — 7. «Quot incommoda propter homines subis! Deum nihili fecisti!»

Pleraque ex dictis ad peccata venialia facile accommodantur. Pro his praeterea, haec alia habes, fere ex *Lacroix* n. 1727 desumpta: 1. Quodlibet veniale est peius quolibet mundi malo; illud non liceret committere, etsi hoc modo e suis infortuniis omnes homines, immo et damnati liberari possent. — 2. Anima, cum unico veniali, in conspectum Dei admitti non potest. — 3. Quodlibet veniale est erga Deum ingratitudo, inobedientia, iniuria etc. — 4. Deus omnino veniale odit, idque satis esse debet ei, qui Deum amare vult eoque in aeternum frui.

Art. 4. Obligatio iudicandi de peccatis.

689 Confessarius species et numerum peccatorum a poenitente audiens ipsumque interrogando, si est necesse, iuvans, eo ipso satis iam de malitia peccatorum iudicat. Ea autem, de quibus, gravia fuerint an levia, neque per confessionem poenitentis neque per praesumptiones ex ipsius condicione sibi nota coniicere potest, satis iudicat eo ipso quod peccatum, prout commissum est, audit et intelligit.

De cetero, recordatio peccatorum non requiritur ad absolvendum; proinde, ut diximus n. 622 nota et n. 623 *NB.* 1°, confessarius absolvere potest, etiamsi in fine ea oblitus sit. Aliquam tamen memoriam retinere debet de statu poenitentis, quando poenitentiam taxet, ut ibidem animadvertimus.

NB. — Si confessarius distractus fuit et ex adiunctis sufficienter praesumere possit id, quod non percepit, esse quid leve, nec possit sine poenitentis molestia interrogare, id omittat.

Art. 5. Obligatio absolutionem dandi, negandi, differendi [1].

690 Poenitentem dispositum esse absolvendum [2], et quidem ex iustitia [3], indispositum vero non posse absolvi extra dubium est. Sed tota praesentis quaestionis difficultas in eo stat, quousque de poenitentis dispositionibus, id est, de dolore et proposito non peccandi de cetero, constare debeat ad absolvendum, et undenam id constare possit; prasertim quando suspicio aliunde habetur de doloris defectu, ut in recidivis, vel quando ad non peccandum specialis difficultas superanda est, ut in occasionariis.

a) **Quodnam iudicium de dispositione poenitentis requiratur et sufficiat ad absolvendum.** Poenitentem aliquo modo iudicari debere dispositum patet, secus enim sacramentum caece exponeretur nullitati. Non tamen requiritur certitudo moralis proprie dicta; dispositiones enim poenitentis introspici non possunt, ac proinde tandem nitendum erit eius testimonio, quod, cum unius personae sit, immo saepe aliunde ignotae. satis infirmum est. Debet igitur sufficere iudicium probabile [4]. Immo, nisi admittere velimus, quod absit, Christum instituisse sacramentum ministris onerosissimum, poenitentibus odiosum,

---

1 Cf. de hac materia Suárez d. 32, s. 2; Lugo d. 14, s. 10; d. 22, n. 49; Lacroix l. 6, p. 2, n. 1919-1925 1931 (alias 1819-1825 1831); S. Alph. n. 452-464, et *Prax. Confess.* n. 63-79; Lehmk. n. 552-559, 617-628; Bucceroni, *Supplem. ad biblioth. Ferraris* v. *Absolutio;* Gén.S. n. 366-374; Berardi, *De recidivis et occasionariis;* Van Rossum, *Comment. de iudicio sacram.;* Faure, opusc. *Dub. theol. de iudicio practico etc.;* Vermeersch, *Theol mor.* III, n. 541-543.

2 « Si confessarius dubitare nequeat de poenitentis dispositionibus et hic absolutionem petat, absolutio nec deneganda, nec differenda est » (can. 886).

3 Aliquando (non semper) benedictionem pro absolutione dare post accusata tantum venialia, ex se non est grave; accedente rationabili causa, nullum peccatum est. Lehmk. n. 552.

4 Saltem quando nihil opponitur in contrarium. Cf. Lugo d. 22, n. 45; Lacroix l. 6, p. 1, n. 119. An etiam, quando suspicio adest contraria, ut in recidivis, dicemus in n. 693.

sufficere debet illud iudicium probabile, quod ordinarie moralibus diligentiis obtinetur, quodque aliud non est, nisi quaedam prudens coniectura, ut docet experientia. Nec aliud tradit *S. Thomas*[1]: «Sacramentum baptismi non est adhibendum nisi ei, in quo interioris conversionis aliquod signum apparet», idem autem censendum est de poenitentia, cum, lapsis post baptismum, illa non minus ac iste necessaria sit. Nec minus benigne loquitur *Pius V* in *Catechismo Conc. Trid.* instruens universi orbis parochos: «Si audita confessione iudicaverit neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in detestandis dolorem, poenitenti omnino defuisse, absolvi potest.» Hinc colligitur confessarium, quoties prudenter censet «iste homo aliquod signum doloris praebet, isti homini dolor non omnino deest», toties absolvere posse[2]. Revera aliud criterium exigi non potest, nam ordinarie, nisi diligentias praeter modum adhibeas et poenitentes vexare velis, firmius iudicium efformare contendes frustra.

691 *b*) **Undenam hoc iudicium efformetur.** In ordinariis adiunctis, seu *quando nulla prudens suspicio habetur aliunde de poenitentis indispositione*, efformatur: 1° *Ex condicione* poenitentis, qui sufficienter instructus et timoratus apparet. Ideo, quod ad dolorem attinet, ait *Suárez*[3], «... facile potest sibi satisfacere confessor, quia, si poenitens... est homo non valde rudis et apparet moratus, nullam diligentiam in hoc tenetur adhibere, bene tamen semper faciet proponendo et consulendo detestationem peccati»; sed rudiores, addit *Lugo*[4], frequenter disponere debebit, quia non satis attendunt ad dispositionis necessitatem. — 2° *Ex modo confitendi;* v. gr. poenitens, post diligentem accusationem, sponte se dolere adiungit, idque non ex formula, sed conscius videtur dicere. — 3° *Ex assertione poenitentis*, iuxta regulam: «credendum est poenitenti dicenti»[5], nisi assertio aliunde suspecta reddatur.

At, *quando prudens suspicio habetur aliunde de poenitentis indispositione*[6], non eadem facilitate debet sibi satisfacere confessor. Certe tamen poenitens prudenter censebitur dispositus, si adest aliquod signum extraordinarium doloris, cuiusmodi est, iuxta *S. Alph.* n. 460, — *a*) si poenitens dicat se ad confessionem accedere permotum aliqua concione,

---

1 S. Thomas 3, q. 68, a. 4 ad 2.
2 Cf. Faure, *Dubitationes theologicae de iudicio practico etc.*
3 Suárez, d. 32, s. 2, n. 2.
4 Lugo d. 22, n. 49.
5 De qua optime Faure, *Dub. theol. de iudic. pract.* dub. 2, § 2.
6 V. gr. si est recidivus vel si accedit coactus (cf. paulo inferius de recid.).

— *b*) si dicat se accedere, ut declaret quae diu tacuerat; — *c*) vel si accedit omnino sponte (id est, non ex obligatione praecepti, aut impulsus ab aliis, aut propter usum quendam confitendi in quibusdam festis) et notabilem conatum posuit, ut veniret, v. gr. longum iter aggrediens, vel amittens lucrum illius diei; — *d*) vel si adhibuerit ieiunia, eleemosynas etc. cum intentione se disponendi ad confessionem; — *e*) si manifestat lacrymas aut suspiria (non ita facile tamen ut ea promunt mulierculae) aut cordialia verba, quae dolorem exprimant, maxime post monitionem confessarii motivum aliquod doloris proponentis; — *f*) si postulet media ad se emendandum; — *g*) si ad monitionem confessarii significet adeptum se esse novam cognitionem suae iniquitatis, vel periculi suae damnationis.

Si aliquod huiusmodi signum adest, confessio prudenter creditur procedere ex sincera voluntate se reconciliandi cum Deo.

c) **De consuetudinariis.** Huiusmodi dicitur qui *consuetu-* **692**
dinem peccandi contraxerat[1], *nondum tamen cum ea ad sacramentum accesserat;* v. gr. si per unum aut plures annos pollutioni indulsit quin gratiae statum procuraret.

« Consuetudinarius », ait *S. Alph.* n. 459, « bene absolvi potest, etiamsi nulla emendatio praecesserit, modo eam serio proponat, ut ait communissima sententia..., nam licet pravus habitus (eum) reddat propensiorem ad peccatum, non tamen dat praesumptionem suae infirmae voluntatis. »

d) **De recidivis.** Huiusmodi est qui post confessiones *non* **693**
paucas (puta tres, quatuor, quinque, sed nulla regula determinari potest) relabitur *crebro* in *eadem* peccata sine *ulla* emendatione; dicitur « crebro », ita ut ex frequentia arguatur exsistentia consuetudinis[2] (proinde agimus de *consuetudinario recidivo*).

Huiusmodi homo, ait *S. Alph.*, « prudentem dat suspicionem quod sua poenitentia non sit vera ». Propterea docet S. Doctor[3] quod, ut recidivus absolvi possit, huiusmodi suspi-

---

1 Difficile est una regula determinare, quandonam consuetudo censeatur contracta, cum alii aliis facilius eam contrahant. S. Alph., *Prax. Conf.* n. 70 ait quinque vices in mense iam posse malum habitum constituere in peccato operis (v. gr. pollutionis), modo inter ipsas aliquod intervallum intercedat; in materia vero fornicationis, sodomiae aut bestialitatis multo minorem numerum posse sufficere; ex, gr., qui semel in mense fornicaretur per annum, ait ipse, bene hic habituatus dici potest.

2 Cf. notam proxime praecedentem.

3 S. Alph. n. 459-461.

cio tollenda est per aliquod signum extraordinarium[1] doloris, secus poenitens dimittendus est donec per emendationis conatus suam dispositionem sufficienter manifestet[2].

Hoc verum est, si confessarius, attenta recidivitatis diuturnitate aliisque adiunctis, non potest prudenter iudicare « hic et nunc poenitenti dolorem non omnino deesse ». At, *si confessarius zelo se induit* et agitur de iis recidivis, qui externam occasionem non retinent, sed peccant *ex mera fragilitate interna*, ut accidit in peccatis pollutionis, blasphemiae etc., putamus quod recidivum, etiamsi absque signo extraordinario doloris accedat, saepe absolvere poterit. Etenim saepe, si non perfunctorie, sed attente et cum spiritu evangelico proponit ei motiva fidei dolori excitando idonea, prudenter credere poterit poenitenti serio affirmanti se dolere; nixus enim tum vi motivis ipsis intrinseca, tum modo ea proponendi, tum seria poenitentis responsione[3], merito praesumere poterit eum peccati immanitatem in illo instanti melius perspexisse et proinde ei « dolorem non omnino defuisse ».

Non enim putamus opus esse, ut suspicio penitus evanescat, ideoque requiri certitudinem moralem; tum quia *a*) sententia theologorum fuit ad absolvendum sufficere iudicium probabile, non excluso casu recidivi[4]; tum quia *b*) semper (ut ait *S. Alph.* n. 461), etiam in recidivo, valet regula, absolutionem dari posse si, omnibus perspectis, videatur « poenitenti dolorem non omnino deesse »; tum quia *c*) in nonnullis aliis casibus absolutionem dari posse cum iudicio probabili, non obstante quod subsistat vehemens suspicio contraria, docent theologi[5].

---

1 Cf. ea signa supra in n. 691.

2 Nisi, stante dispositione dubia, causa sit absolvendi statim condicionate (n. 597 598).

3 Aliquando recidivus tam frigide et obiter respondet, ut confessarius operam perdidisse dixerit. Moneat eum de dispositionis necessitate, de sacrilegio secus perpetrando etc., et si eundem respondendi modum observat, forte id indoli hominis ignoti tribuere poterit. At si excusare non potest, comiter eum dimittat, aperte declarando quod sua dispositio, praesertim attento relapsu, dubia est; fieri poterit, ut tunc ex protestationibus dubium evanescat, vel si timetur a sacramentis arcendus, absolvatur condicionate (supponitur enim de indispositione positive non constare).

4 Ut probat Faure dub. 3, § 2, vel Bucceb., *Comm.* 3, § 5.

5 V. gr. si poenitens obfirmato animo recusaverat adimplere obligationem gravem, a qua tandem ut dispensaretur, impetravit (cf. Lugo d. 20, n. 238-240).

Non afferimus casum poenitentis negantis peccatum, quod confessarius ex aliorum testimonio novit. Quando enim quaeritur, utrum sufficiat iudicium probabile ad absolvendum, an vero procurari debeat moralis quaedam certitudo exigendo a poenitente meliorem dispositionem, afferri nequit casus poenitentis, a quo

Ceterum, praxis, quam tuemur[1], non adeo dissonat a doctrina, quam tradit *S. Alph.;* nam: — *a*) non dicimus confessarium posse absolvere, si iudicium ilud, « dolorem non deesse », efformavit sicut alias efformatur in casibus ordinariis, sed si omnibus perspectis, id est, habita etiam ratione recidivitatis, potest nihilominus ex indiciis praedictis illud efformare; — *b*) ipsa signa extraordinaria, quae *S. Alph.* ait sufficere, plerumque prudentis iudicii limites non excedunt; — *c*) S. Doctor ipsam certitudinem moralem, quam requirit, in n. 461 valde extenuat; — *d*) in nostro casu non multum abest, ut habeatur signum, quod inter extraordinaria recenset *S. Alph.*: « Si post peccata poenitens ad monitionem confessarii significet adeptum fuisse novam cognitionem suae iniquitatis »; — *e*) in nostro casu habetur signum directe indicans dispositionem, ideoque, ex *S. Alph.* n. 459, optabilius signis indirectis, e quorum numero non excluduntur, ipso ibidem fatente, signa extraordinaria, quae dicuntur sufficientia[2].

Circumstantia relapsus per se non supponitur, ideoque, **694** nisi de ea adsit suspicio, v. gr. ex frequentia peccandi accusata ab eo qui haud dudum confessus fuerat, interroganda non est. Et quamquam prudens suspicio adsit, si tamen confessarius dolorem ita deprehendat in poenitente, ut quamvis is recidivus foret, adhuc prudenter coniecturaret « dolorem ei non omnino deesse », non erit causa cur de recidivitate interroget.

Quaeri potest, an recidivo, etsi disposito, magis expediat *absolutionem differre*, ut maiore horrore concepto de peccatis, ad emendationem efficacius iuvetur. Certum est poenitentem habere ius ad obtinendam absolutionem statim, si confessarius

---

frustra aliquid amplius requireretur, quoniam ab eo non pendet incertitudo. In hoc enim casu vel dari debet absolutio cum iudicio tantum probabili, vel negari; in nostra autem quaestione supponimus meram probabilitatem auferri posse a poenitente cum maiore vel minore suo incommodo, v. gr. restituendo, denuntiando, afferendo signum doloris extraordinarium.

1 A qua non differunt eae, quas docent Faure, *Dubitationes theologicae etc.* dub. 3, § 2; Bucceroni, *Comm.* 3 n. 5; Gén.-S. n. 367 seqq.

2 Ne cui videatur Lugo stare pro rigidiore methodo tractandi recidivos, cum d. 14, n. 166 ait: « Quando sacerdos, attenta consuetudine praeterita, propensione aliisque circumstantiis, iudicat non averti sufficienter ab illo peccato, non potest eum absolvere, quantumcumque poenitens dicat se dolere »; idem enim et nos dicimus; nam si sacerdos « iudicat non averti a peccato », daret absolutionem ei, quem credit indispositum. E contra Lugo dixerat immediate antea: « Doctrina *communis* et *vera est*, si sacerdos *hic et nunc, non obstante consuetudine praeterita*, iudicat poenitentem habere dolorem et propositum non peccandi, posse eum absolvere. »

eum dispositum invenit (can. 886), multo magis si ex dilata absolutione impenderet ei periculum incurrendae notae, vel si redire non posset. Sed certum est quoque dilationem aliquando esse valde utilem, immo forte necessariam, v. gr. si ex frequenti iteratione absolutionis poenitens videatur ansam sumere liberius peccandi. Et quamvis emendatio potius ex gratia et auxiliis per sacramentum suscipiendis speranda est[1], non debet tamen hoc medium omitti, si videatur maxime expedire. Quare, etsi confessarius debet recidivum sufficienter dispositum absolvere, si quando tamen necesse videatur debitum suorum peccatorum horrorem ei incutere, absolutionem differat, sed: — *a*) nonnisi cum magno motivo id faciat; — *b*) dummodo dilatio non videatur obfutura (proinde quaerat a poenitente num redire paratus sit); — *c*) nonnisi ad breve tempus, v. gr. ad tres vel quinque dies (interdum sufficit ad paucas horas), in quibus breves meditationes aliave pia opera iniungat, quibus ille ad emendationem iuvetur, ad absolutionem cum maiore fructu suscipiendam se disponat et interea poenitentiam sacramentalem adimpleat[2].

---

1 S. Alph. *Prax. conf.* n. 76 77.

2 Ut modo praedicto differatur absolutio, non obstat can. 886, qui intelligi debet de dilatione facta arbitrarie, vel cum levi motivo, vel cum poenitens moraliter impeditur redire, aut grave aliquod incommodum ex dilatione subiturus est.

Nullum dubium esse potest, quin confessarius, qui absolutionem distulit, teneatur ex iustitia se obvium reddere poenitenti redeunti, *si is erat dispositus;* ei enim absolutionem debet ex iustitia; nec potest se ab hac obligatione iustitiae censere liberatum, nisi oriatur incommodum grave, proportionatum damno secus eventuro poenitenti, si absolutione defraudaretur, quod pendet a difficultate maiore vel minore repetendae apud alium confessionis sive propter gravitatem peccatorum, sive propter extrinsecam difficultatem, qua magis minusve diu ab alio quaerendo impediretur; adde periculum eum diu relinquendi in mortali, ex caritate avertendum. Si igitur eum sufficienter dispositum reperit et dubitat an eum iterum videre poterit, ut contingere saepe potest in religiosis, missionariis etc., ne differat absolutionem. Sub quanto autem incommodo sibi subeundo debet confessarius absolutionem differre, prorsus iudicandum est iuxta regulas caritatis; dilatio enim absolutionis debetur ex caritate tantum, ad emendationem procurandam.

Si poenitens erat *dubie dispositus* (dubio *positivo*), confessarius ad nihil tenetur, neque ex iustitia, quia poenitens ius ad absolutionem non habet, neque ex caritate, onus enim esset intolerabile, si confessarius erga quoslibet poenitentes dubie dispositos (id tandem poenitentis culpa est) obligatus maneret; aliunde vero alium confessarium adire possunt, si velint meliorem procurare dispositionem.

Si erat *indispositus*, iudicandum ut in casu praecedenti.

Si *dubie dispositus* (dubio *negativo*), supponitur confessarius poenitentem absolvisse sub condicione, factis moralibus diligentiis.

NB. — 1° Quae de recidivo dicta sunt, eadem intelliguntur de eo qui accedit ab alio compulsus etc.; videlicet, iuxta gradum suspicionis, maior minorve diligentia opus erit confessario ut, omnibus attentis, prudenter censere possit dispositionem debitam non deesse.

2° Doctrina exposita non debet intelligi pari modo de recidivis in venialia, cum venialium occasiones frequentiores sint, quas evitandi non adest obligatio tam stricta, sicut occasiones mortalium; praeterea, impossibilitas materiae facit quod ex recidivitate difficilius argui possit indispositio [1].

695 *e*) **De occasionariis.** *Occasio proxima* peccandi est ea circumstantia exterior, quae morali quadam necessitate coniungitur cum peccato. Haec autem « moralis quaedam necessitas » (ideoque et occasio proxima) non videtur affirmari posse, nisi, occurrente occasione [2], *semper* aut *fere semper* peccatum sequatur (n. 11) [3]; nisi enim ita sit, dici nequit occasio certitudine quadam morali coniuncta cum peccato, siquidem ex numero non-lapsuum adhuc probabiliter affirmari potest coniuncta cum non-peccato, etsi forte probabilius coniuncta cum peccato. Nequit igitur occasio proxima affirmari *ex eo solum*, quod quis ex decem vicibus sexies cecidit [4].

Dicimus « ex eo solum », supponendo causam, quae nullum aut satis levem habet natura sua influxum in effectum. Potest enim aliquando, etiam nullo lapsu praecedente, constare de occasione proxima, si nempe occasio tantam vim alliciendi habeat natura sua, id est, attenta condicione naturae humanae, ut moraliter coniungatur cum peccato, v. gr. habere domi concubinam; ancillam fragilem vivide sollicitari ab hero etc.; haec occasio vocatur *proxima natura sua*.

Pariter, nulla lapsus praecedente experientia, potest alicui constare, vel prima vice, de occasione *sibi* proxima, videlicet, si, ea occurrente, tam vehementer se inclinari sentiat ad peccandum, ut statim iudicare possit, nisi eam removeat, moralem connexionem adesse cum peccato.

---

1 Lugo, d. 14, n. 160.

2 Intellige « occurrente occasione, quae *per se* influxum gravem non exerceat », ut mox declarabitur.

3 Lugo d. 14, s. 10; Bucceroni, *Comment. III* n. 27, et alii contra alios censentes sufficere quod peccatum *ut plurimum* sequatur.

4 Nam etsi inde arguatur periculum in futurum, at nondum proximum.

Si quis peccare quidem solet in quadam occasione, v. gr. blasphemare in ludo, sed fere aequali modo extra eam, non haec est ei occasio proxima peccandi, sed sua prava consuetudo.

Occasio proxima dicitur *in esse* seu *praesens*, si quis eam secum habet, quin opus sit eam quaerere, v. gr. concubina, quam domi retinet; secus dicitur *non in esse* seu *non praesens*.

Occasio proxima fieri potest remota, — *a*) ob necessitatem moraliter inauferibilem[1], v. gr. in medico vel confessario; nam, vel eo ipso iam minus allicit, vel saltem sperari poterunt a Deo uberiora auxilia; — *b*) per idonea media, v. gr. non colloqui solum cum sola[2]; — *c*) per extraordinarium dolorem et propositum; homo enim sic armatus, fortior fit.

Haec tamen duo postrema *b*) et *c*) intelligi debent de occasione aliunde necessaria; non enim sperare potest gratiam a Deo, qui non vult facere quod est in se, nempe, occasionem fugere, cum possit.

696 *Qui versatur in occasione proxima voluntaria*, non potest absolvi nisi statuat firmiter eam deserere, sive ea sit proxima natura sua sive respective ad ipsum, sive praesens, sive non praesens, et quamvis videatur extraordinarie compunctus.

Quaeritur, an possit absolvi qui statuit eam deserere, antequam de facto eam deserat? (ubi patet sermonem agi de occasione praesenti, secus enim nihil faciendum est, nisi firmiter proponere eam debitis diligentiis vitare) In rigore, bene absolvi potest si firmiter statuit eam expellere[3]; nam qui sincere dolet et proponit, est dispositus. Si tamen agatur de re adeo difficili, ut magnum adsit periculum inconstantiae, optimum erit, ut exigatur prius exsecutio, dummodo nulla ratio urgeat absolvere statim et praesertim dummodo dilatio absolutionis non praevideatur obfutura. At si promissionem datam iterum iterumque fregit poenitens[4], absolvi non potest,

---

1 Hinc explicari posset quod ait Lugo d. 14, s. 10: adolescentes, qui versantur cum feminis laborando vel conversando, quae in eadem domo non habitant, licet saepe ex tali occasione peccaverint cogitatione, tactibus, copula, non censeri in occasione proxima, sed remota. Idem saepe dici posset de eo, qui, diebus festis, socios convenit turpia identidem loquentes, si alios probos nullo modo invenire potest; saepe enim maiora pericula solitudo praeberet.

2 Aliquando sufficit comminari quod tota res pandetur parentibus, magistro etc.

3 Sed non debet quoquomodo affirmanti credi, nam difficultas vincenda suspicionem aliquam praebet in contrarium.

4 Quaeres post quot confessiones huiusmodi occasionario recidivo non sit ullatenus credendum? Id prudentiae confessarii relinquitur, pendet enim, nter alia, praesertim a difficultate vincenda; sic v. gr. difficilius credi potest ei qui concubinam dimittere debet, quam qui pravum librum destruere, facilius ei qui restituere debet 3 aureos quam qui 100.

utpote indispositus; nam dificillime credi poterit actuale propositum esse sincerum [1]. Idem dic de eo qui obligationem quamlibet, saepius admonitus, nondum adimplevit [2].

Qui versatur in occasione proxima necessaria, quae scilicet nequit relinqui sine scandalo aut magno damno temporali, v. gr. in fama vel fortunis, absolvi potest, ut tenet sententia communis, dummodo sincere doleat et proponat et paratus sit adhibere media opportuna ad non relabendum,

Quaeritur, an cogendus sit dimittere occasionem, quantumvis necessariam, qui, mediis adhibitis, semper sine ulla emendatione relabitur? [3] Bene respondit *Gury* n. 631 negari posse hypothesim, scilicet quod remedia adhibuerit; sed, permissa hypothesi, absolvi posse affirmant plures cum *Lugo*, quia adhuc constare potest de dolore et proposito requisito [4]. Et revera, supposito quod homo moraliter non potest occasionem vitare, casus iste non differt a casu recidivorum, de quibus supra in n. 693.

NB. — 1° Si confessarius putet non sufficienter constare quod occasio sit proxima, suadeat enixe ut vitetur aut dimittatur, tamen non o b l i g e t.

2° Si multi poenitentes tam saepe relabuntur, bene id cum *Faure* [5] tribuere licet negligentibus confessariis, qui eos non docent, admonent, hortantur, sed vel eos audiunt et absolvunt, vel statim dicunt, ut interim emendentur et post mensem redeant.

f) **Breves regulae pro confessario.** Haec et alia alibi dicta, sequentibus regulis compendiose comprehendi possunt: 697

---

1 Si quaeris cur difficilius fides detur recidivo, qui ad peccandum allicitur ab occasione externa, quam qui allicitur ex fragilitate intrinseca (cf. supra de recidivis, n. 693), discrimen explicabit S. Alph. n. 464 vel in *Prax. Confess.* n. 77.

2 Dices forsan: Si poenitens inabsolutus dimittitur, quia saepius admonitus obligationem non adimplevit, tunc ad absolutionem non tantum exigitur ab eo *voluntas se emendandi*, sed ipsa effectiva *emendatio*. — *Resp.*: Exigitur emendatio effectiva, quando sine ea non potest sufficienter constare de voluntate emendationis.

3 Hominem optime acturum si huiusmodi occasionem sub quolibet suo incommodo deserat, manifestum est, et utinam id auderet facere. At nunc tantum quaerimus an detur o b l i g a t i o.

4 Cf. Lugo d. 14, n. 156 seqq. Fatetur Lugo accidere posse, ut non sit absolvendus, eo quod ex illa experientia arguatur poenitentem carere nunc vero dolore et proposito; sed hoc valet etiam pro aliis recidivis, neque enim hi absolvi possunt, ut diximus, nisi, n o n o b s t a n t e r e c i d i v i t a t e, censeri possit adesse dolor et propositum.

5 Faure opusc. cit. dub. 3, § 1.

1° *Si poenitens est sufficienter dispositus* (ad id sufficit, ut non obstante suspicione, quae forte aliunde exsurgat in contrarium, adhuc censeatur ei « dolorem non omnino deesse » et propositum), absolvi debet (et quidem absolute). Quando tamen nulla causa urget absolvendi statim, confessarius potest absolutionem ad breve differre, si id motivo aliquo speciali et gravi censet profuturum.

2° *Si poenitens est positive dubie dispositus*, et factis moralibus diligentiis confessarius successum non obtinuit, debet ei absolutionem denegare donec suam dispositionem melius probaverit. Si tamen timeatur ne poenitens a sacramentis diu alienetur (id hodie nimis frequenter timendum est), vel ne peccatis habenas magis effrenate laxet, vel alia adsit causa statim absolvendi (cf. dicta in n. 598), absolvatur condicionate[1].

3° *Si poenitens est negative dubie dispositus*, et factis moralibus diligentiis confessarius hoc dubium dissipare non potest, neque id stat per culpam poenitentis[2], is absolvendus est condicionate. Absolvendus est (saltem, in casu, si venialia non prorsus levia accusavit, de quibus non difficulter dolere potuit), quia, posita confessione, ius acquisivit ad absolutionem (vel praesumendus est acquisivisse, nisi contrarium constet), multoque magis absolvendus est si mortale certum aut dubium accusavit, aut alia causa urget absolvendi (cf. n. 598); condicionate tamen, propter dubium.

4° *Si poenitens est sufficienter certo indispositus*, nullatenus absolvi potest.

NB. — Si quando confessarius turbetur nesciens quid sibi agendum sit, absolvat condicionate, nec enim decet in tam sacro munere ita haesitare, et perperam statueret in casu poenitentem inabsolutum dimittere.

---

1 Quare ii, quos peccatis onustos consuetudo semel in anno, tempore paschali, ad sacrum tribunal traxit, et a quibus alia dispositio, nisi dubia moraliter extorqueri non potuit, absolvi possunt condicionate, tum ne ad annum relinquantur in periculo damnationis, tum ne confessioni ad annos plures, si repelluntur, valedicant, tum ne, ad vitandam notam suorum sociorum, sacrilege omnino ad sacram communionem accedant.

2 V. gr. poenitens dociliter quidem respondet confessario proponenti doloris motiva, at ea semper frigiditate, ut, adhuc post quaedam conamina, confessarius nesciat utrum id eius indoli ignotae tribuendum sit, an doloris defectui, putat tamen non esse per novam instantiam vexandum poenitentem, praesertim cum non adsit aliunde positiva suspicio contra eum. Item quando confessarius dubitat de sufficienti usu rationis, vel quando dubitat de bona fide poenitentis circa aliquam obligationem, censet tamen monitionem esse omittendam. Cf. n. 598, 3°.

Art. 6. Modus tractandi et iuvandi varia poenitentium genera [1].

Saepe alibi de diversis poenitentibus iam sermo incidit **698**
et de ratione cum eis agendi (nn. 67 80 89 118 119 210 583 595 598 617-619 624 625-628 662 676 681 688 etc.). Nunc igitur sequentia addidisse sufficiet.

a) **Recidivi** quinam proprie censendi sint, consule in definitionibus datis supra, n. 693. Nunc unice dicendum, quibus mediis illi iuvari possint ad sui emendationem.

Si poenitens nunc primum accedat et pro tempore, quod ab ultima confessione effluxit, videatur sat frequenter lapsus esse, interrogetur, an ante illud tempus soleret frequenter labi, an aliquamdiu abstinuerit, media adhibuerit, numerum lapsuum imminuerit etc.; hinc enim perspiciet confessarius, quid sibi agendum sit. Cavere tamen debebit ne sit nimis rigidus aut nimis facilis. Rigiditas enim facile recidivos in desperationem coniicit atque a sacramento avertit, unde multo effrenatius peccatis habenas laxant. Facilitas et mediorum suggerendorum negligentia facile eos permultis annis in prava consuetudine inemendatos retinet. Debet confessarius eorum animum erigere, quibuslibet emendationis conatibus stimulos addere, media patienter et constanter inculcando, severitatis et terroris mediis identidem, cum opus fuerit, adhibitis; nec desperet ipse, si post confessiones plures mediocrem sibi fructum obtinuisse videatur aut aliquando totum hucusque obtentum fructum perdidisse, dummodo aliquos emendationis conatus deprehendat.

Ad absolutionis dilationem ne recurrat nisi raro, re mature perpensa, et nonnisi postquam iteratis successivis vicibus poenitens videatur nullam mediorum curam habere voluisse, et tunc ad breve tempus differat, primis vicibus ad paucas horas, interea dum ille suum damnationis statum coram Crucifixo considerat et B. Birginis opem, proposito firmiter elicito, implorat.

Media generalia ad quaelibet exstirpanda vitia sunt: — **699**
1° Semper eodem confessario uti; is enim melius poenitentis naturam et genium noscet et mediis ei accommodatis efficacius ad emendationem ducet. — 2° Frequens et humilis imploratio auxilii a Deo et fiducialis recursus ad B. Mariam Virginem. — 3° Quolibet mane coram Crucifixo firmiter proponere diem illum transigere sine lapsu in illo vitio, similiter vespere pro

---

1 Cf. de hac materia praesertim S. Alph., *Praxis confessarii;* Reuter-Lehmk., *Neo-confessarius;* Lacroix l. 6, p. 2, n. 1889-2033 (alias 1789-1933); Lehmk. n. 560-565 608-658; Mach-Ferreres, *Tesoro del sacerdote* trat. 12 et 13, passim.

illa nocte. — 4° Fugere eas occasiones, quae ad lapsum inducere possunt. — 5° Passionis Christi et novissimorum consideratio. — 6° Praesentem Deum et Angelum Custodem cogitare. — 7° Ad Christum, B. Virginem eosque sanctos, erga quos maiorem devotionem sentiat, recurrere instante tentatione. — 8° Mortificationem aliquam quotidie, etsi parvam, per alicuius cibi abstinentiam aut brevem flagellationem, facere in honorem B. Virginis ad implorandam emendationis gratiam. — 9° Pia lectio de vita Christi et sanctorum. — 10° Sanctissimum Sacramentum in ecclesia visitare et coram eo emendationis propositum renovare. — 11° Bis aut ter in die, statis horis, brevem aliquam considerationem circa Dei beneficia, vel turpitudinem peccati, vel inferni poenas (cf. considerationes aliquas n. 601) in mentem revocare. — 12° Si forte relabatur, praedicta media non abiicere, sed ea firmiter assumere atque ad confessionem quamprimum recurrere. — 13° Sanctissimam Eucharistiam et poenitentiam frequentare, cum accurata praeparatione et gratiarum actione.

Specialia pro luxuriosis. Praeter media generalia supra data assignari possunt: — 1° Fugere incentiva libidinis, praesertim spectacula liberiora, lectiones periculosas, familiaritates et ioca cum feminis, easque personas, quae verbis, gestu, exemplo ad aliquid lascivum excitant. Luxuriosus qui ab his non caveat, similis erit volenti ignem contrectare et non uri, lutum tangere et non maculari; nisi illa faciat, omnia proposita et protestationes cedent in irritum. — 2° Fugere otium et honestis semper exercitiis occupari. — 3° Corpus non delicate nutrire, sed moderamine uti, praesertim quoad cibos qui magis gulam excitent, et quoad potus stimulantes. — 4° Primas scintillas tentationis excutere statim; facilius enim praecluditur malum quam admissum excluditur. — 5° Flagello et cilicio uti.

700 *Specialia pro habituatis in pollutione.* Recole media tum generalia, tum pro luxuriosis specialia, et adde (ex *Lacroix*) · 1° Inquirat confessarius erga quem sanctorum aut Passionis Christi mysterium potissimum sit devotus; tuncque iniungat ut per certum tempus, v. gr. usque ad proximam confessionem mane et vespere dicat flexis genibus: « Domine Deus, qui flammas aeternas libidinosis praeparasti, statuo coram te et propono in honorem N. me hac die (vel nocte) abstenturum ab omni turpi tactu. » Et quando actu urgeat tentatio, repetat eadem verba. — 2° Si consentiat confessarius, voveat castitatem per triduum, quinque dies aut hebdomadam; sed confessarius id non permittat, ut voveat in perpetuum. — 3° Beatae Virgini, ante eius altare vel imaginem, offerat, et obstringat manus

suas, cum firmissimo proposito eas ob ipsius reverentiam intra tot dies non extendendi ad turpem tactum. — 4° Ante Crucifixi imaginem quotidie statuat continere manus suas ad honorem sacrorum vulnerum, quae Christus pro ipso in manibus accepit. — 5° Multis profuerunt hae precationes mane et vespere et quando urget tentatio: « Iesu purissime, per sanctam virginitatem et Incarnationem tuam emunda cor et carnem meam, in nomine Patris et Filii etc. Maria, Virgo purissima, per sanctam virginitatem et Immaculatam Conceptionem tuam emunda etc. Ioseph, sponse castissime, per sanctam virginitatem et sanctitatem tuam, emunda etc. Sancte Aloisi, purissime iuvenis, per sanctam virginitatem et puritatem tuam emunda etc. »

Si nimis difficilis sit emendatio, suadeat ei confessarius matrimonium, si aetas ferat, aut religionem, in qua sit rigor et disciplina, non autem statum ecclesiasticum, quia in suis adiunctis maiori esset ruinae.

Si eum reperit pusillanimem aut desperantem de emendatione, eum erigat, in memoriam revocans quod Deus est Pater, qui filios prodigos amantissime recipit (*Luc.* XV, 11-32); Medicus, qui venit salvum facere quod perierat (*Matth.* XI, 11-14); Pastor, qui oves errantes quaerit et humeris ad ovile laetus reportat (*Luc.* XV, 3-7); Redemptor, qui quos suo sanguine acquisivit, non abiiciet. Revocet in mentem haec motiva: 1° Nulla sunt peccata, quae per Dei gratiam vinci emendarique non possint. 2° Non vult Deus mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat (*Ezech.* XVIII, 23). 3° Qui pro tuis peccatis mortuus est, voluit tibi suam mortem prodesse. 4° Nescis quam potens sit misericors Deus; imaginaris eum infensum, cum benignissime invitet ad poenitentiam; incipe, et cito senties auxilium eius. 5° Difficultatem apprehendis maiorem quam reapse sit; si scires te caecum reddendum relabendo hodie, profecto te abstineres. 6° Cogita Magdalenae, Augustini totque sanctorum exempla. 7° Si relaberis, resurge; si non cessas relabi, ne cesses resurgere; calceos mundas, etsi praevideas eos rursus inquinandos; miles curat vulnera, quamvis praevideat se nova suscepturum fore in proelio.

Specialia pro blasphemis et maledicis. Vide media gene- **701**
ralia supra, et pleraque, quae pro habituatis in pollutionibus nuper dedimus, eis accommoda. Insuper: — 1° Statim ac blasphemia vel maledictio exciderit, poeniteat, emendationem proponat, Deum vel sanctum, in quem blasphemavit, laudet et sincero corde exoret ut veniam det et ad emendationem adiuvet. — 2° Dei maxima in se collata beneficia expendat; oret ne Deus ipsi mala infligat, quae aliis imprecatur, neque in suum caput vertat in hac vita vel in alia maledictiones, quas in alium protulit. — 3° Vespere privatim ter lingua ter-

ram signet in modum crucis[1], simul dolens sincere de tam horrendis dictis. — 4° Ne statim se perditum putet, si blasphemia aut maledictum ex consuetudine exciderit; curet, ne advertendo proferat et consuetudinem corrigere seriis conatibus procuret.

Specialia pro ebriosis. Accommodentur ipsis media, quae pro aliis habituatis suggeruntur, et addatur: — 1° Declinet ebriosus occasiones bibendi. — 2° Si bibere debet, quia prandet, vel quia cogitur agere cum aliis bibentibus, nec potest, ne per fraudem quidem, vitare haustum, ne plus bibat unquam quam per experientiam scit se posse bibere. Immo, conetur per aliquorum dierum periodos gradatim quantitatem in prandio imminuere. — 3° Identidem voveat per unum diem abstinere a vino in honorem alicuius sancti, in quem pietate afficiatur, si fere certa spes sit fidelis observantiae. — 4° Domum reversus dicat uxori, si haec sobria sit et prudens: video, quanta mala mihi et familiae afferant mei excessus, constitui cum Deo vitam sobriam instituere, et quia nosti occasiones, in quibus prolabor, mone me, impedi etiam invitum, postea agnoscam te bene egisse. — 5° Si alter coniugum ebrius est et tumultuatur, alter patienter sileat et os firmiter clausum teneat.

Specialia pro induratis in odio. Nolenti condonare rotunde dicat confessarius nec absolvi nec dimitti posse. Proponat exemplum Christi se crucifigentibus dimittentis exemplaque sanctorum pro inimicis suis orantium. Proponenda Dei voluntas: « Mihi vindicta et ego retribuam. » Proponenda Christi sententia: « Sic et Pater meus faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris » (*Matth.* XVIII, 21-35). Si his non flectatur, roget, obtestetur eum, exhibitaque imagine Christi adiuret per sanguinolentas plagas, ut si non hosti, saltem condonet iniuriam Christo, qui iniurias et peccata omnium in se sumpsit. Si res agatur extra confessionem, roget eius amicos ut de eius inimico benigne loquantur, ut declarent eum bene loqui de ipso, laudent prout possint etc. Cf. dicta n. 89.

Specialia pro recidivis in venialia. — 1° Horror peccati venialis incutiatur debita aliqua consideratione, quam poenitens mane et vespere verbis repetere vel breviter meditari potest. Cf. n. 601 603. — 2° Ne sit contentus generali proposito, sed de aliquo particulari speciatim et firmiter proponat. — 3° Leviorem aliquam mortificationem assumat vespere relapsibus proportionatam.

---

[1] Ne tamen in poenitentiam imponatur (n. 625, 2°).

Poenitentiae medicinales recidivis imponantur seu aptae ad praecavendos et minuendos relapsus; has suggerent media tum generalia tum particularia hucusque enumerata. Cf. etiam n. 627.

b) **Occasionarii.** Qui voluntarie occasionem proximam peccandi retinet, non posse absolvi cum hac voluntate diximus. Si tamen nunc primum accedit et certa spes est quod sit proxime eam eiecturus vel quod per apta media illam faciet remotam, absolvi poterit illa vice. Sed qui fidem confessariis datam fregerit, ne absolvatur donec promissa prius adimpleat. **702**

Qui periculum proximum peccandi graviter scit sibi creari in certa domo vel conventu vel a certa persona, eam adire non potest, serioque promittere debet se eam vitaturum. Si moraliter abstinere non potest, serio promittat adhibiturum se media et cautelas ad periculum tollendum; v. gr. antequam pergat, firmiter proponat coram Christi imagine se ibi moras non tracturum et negotium cito expediturum.

Qui domi habet imaginem aut librum lascivum, cuius aspectu vel lectione ad cogitationes et desideria trahitur, ea destruat. Qui personam habet, quacum peccat, eam domo expellat. Quod si non possit, v. gr. quia filiusfamilias est, media adhibeat orationis, brevis quotidianae meditationis, cum ea persona familiariter ne agat, numquam solus cum sola; immo, si opus est, comminetur ei denuntiationem, cubiculi ostium occludat, familiaritates indignatus repellat et vi propulset, auxilium per clamores imploret.

Ne tamen facile credat confessarius occasionario dicenti occasionem moraliter non posse auferri. Quaerat, si periculum esset contrahendi pestem in illa domo vel ab illa persona, an modum invenire posset eam vitandi vel a se expellendi. Si obiiciat scandalum vel suspiciones aliorum, cum personam domi tot annos viderint, generatim ne excusationem confessarius admittat; si alii nihil mali suspicabantur, etiam nunc non suspicabuntur; sin autem, emendationem videbunt. Si dicat necessariam personam esse ad domus administrationem, quaerat iterum an aliam non quaereret, si illa morbum contagiosum aut fetidum contraxisset.

c) **Pueri** ad dolorem et propositum attente propositis motivis excitentur. Si de eorum usu rationis dubium est (praesertim si digitis ludunt, ad socios circumspiciunt etc.), absolvantur condicionate, saltem si aliquod mortale accusarunt, certum vel dubium[1] (n. 598). **703**

---

1 S. Alph., *Prax. Conf.* n. 91.

Curet confessarius eis suggerere media, quibus, si Doctrinam Christianam non edocentur, eam a parentibus, a sorore magis instructa, a parocho, aut in aliorum defectu per se ipsos, si legere sciunt, discere possint. — In iis interrogandis circa 6um praeceptum cum maxima circumspectione procedendum est (n. 682, 1°). — Si confessarius comperiat eos occasionem proximam mortaliter peccandi habere domi vel in schola, suaviter et efficaciter compellat eos, ut petant a matre remotionem a tali schola, aut comitatum in itinere, aut amotionem a fratre secum cubante etc.; nam aliqualis suspicio aut infamatio eorum apud parentes non tanti, quanti alias, aestimanda est, ut bene ait *Lehmk.*[1]. — Opportunae piae praxes eis commendentur, v. gr. ter *Ave*, mane et vespere, adiuncta hac prece: « Mater mea, libera me a peccato mortali »[2], simul etiam communio frequens.

Examen puerorum[3] potest esse, an diligenter diebus festivis Missam audiverint, vel e contra garriverint in templo; an parentibus aliisque Superioribus inobedientes fuerint; an percusserint alios; an senibus vel aliis illuserint. Quales socios habeant, an malos et cur eos malos dicant; an eadem et ipsi egerint. Si advertat puerum audaciorem esse, interrogare potest de petulantiis in lecto, et si quid malum fateatur, de tactibus.

Ad dolorem sic praeparari potest dialogo: « Fili, quo deveniunt post mortem qui peccant? » — « Ad infernum vel purgatorium. » — « Quid ibi patiuntur? » — « Gravissimas poenas ignis. » — « Possesne ignem ferre, sustineresne digitum in flamma candelae? Quid ergo si totus ardere deberes et tam diu? Et quis detrudit hominem ad tales poenas? » — « Deus. » — « Quid tamen boni nobis fecit Deus? Nonne creavit ipse nos, redemit suo sanguine, dedit omnia quae habemus, vultque coelum dare, ubi in aeternum beati simus? Nonne ergo dignus erat amari et non offendi? » — « Utique. » — « Et quamvis non ita esset, dignissimus esset qui amaretur, quia in ipso est omnis pulchritudo, omnis bonitas etc. Iam ex corde dole quod illum offenderis, et dic mecum: O Deus amabilissime, doleo quod te iudicem meum, summum benefactorem meum, summum bonum meum unquam offenderim, et propono etc. »

Confessarius inculcet pueris horrorem peccati quia reddit animam deformem instar daemonis, gratia vero speciosam instar angeli. Ingerat timorem Dei, qui instar solis praesens

---

1 Lehmk. n. 611.

2 S. Alph., *Prax. Conf.* n. 91.

3 Ex Lacroix n. 1899 (alias 1799).

ubique est omniaque male acta videt, etiam cogitationes, ut puniat, omnia autem bona opera, ut in coelo in aeternum retribuat.

d) **Adolescentes** in multis ut pueri tractandi sunt. Impri- **704**
mis studiose inculcet ut nihil grave reticeant, alioquin nullum peccatum remitti, immo committi aliud novum et grande sacrilegium; confessarium omnes nosse infirmitates hominum et strictissima teneri lege audita servandi; e contra, si reticeant, omnia nihilominus toti mundo manifestanda in extremo iudicio.

Nihil isti aetati magis utile quam frequens confessio; sed bene instruendi, ut actus requisitos praemittant, in mortalibus speciem distinguant et numerum addant, ad diversos confessarios ne excurrant, maxime enim expedit ut eodem utantur. Ne tamen ostendat confessarius cupere ut se adeant semper, et, si aliquando eos videt ad alium accedere, nullo signo ostendat sibi displicere; si autem extraneos videat ad se advenientes, audiat illa vice, sed conetur eos disponere ut se aperiant directori suo. Communionem frequentem, aliquam lectionem piam suadeat.

Caute procedendum cum iis, valde enim observant et, quae vident vel audiunt, aliis narrant; propterea non plus eis dicendum quam quod permitti possit resciri ab aliis[1].

e) **Parentes** valde severe tractandi sunt, si deprehenduntur negligere filiorum educationem, eis instructionem Catechismi neque per se ipsos neque per alios procurare, liberum cum sociis quibuslibet consortium permittere aut super hoc nihil curare; saltem loquimur de filiis ea aetate constitutis, ut iugum parentum et correctionem adhuc patiantur; at quamvis grandiores iam sint et indomitae indolis (quod saepe parentum culpae tribui debet), eos tamen secum cohabitantes opportune, iterato et serio admonere ne desinant. — Pueros et puellas, saltem si infantes non sunt, qui ab usu rationis admodum distent, in eodem lecto cubare ne sinant, multo minus si usum rationis iam attigerunt; neve facile admittatur excusatio propter loci angustias; sed tunc potius filii et filiae vestiti dormiant aut seorsim sub dio, et eis invigilent donec somnum capiant[2].

f) **Rudes** intellige personas, quae circa salutis negotium **705**
cum maiore vel minore incuria et ignorantia vivunt et prorsus imparatae accedunt. Instruantur, ut ante confessionem peccati

---

1 Ex Lacroix n. 1902 (alias 1802).
2 Lekmh. n. 610.

foeditatem perpendant et de eo doleant (idem faciendum cense cum iis personis piis, quae perfunctoria cuiusdam doloris formulae recitatione sibi satisfaciunt); enixe hortandi ut, ad animae educationem, quotidie, v. gr. noctu post laborem, paginam Catechismi recolant; denique eis frequentior ad sacramenta accessus commendetur.

g) **Mulieres** circumspecte tractandae sunt. Monet *S. Alph.*[1]: Cum iunioribus confessarius sit potius rigidus quam suavis. Ne permittat eas ante confessionale accedere, ut sibi loquantur et multo minus, ut manum deosculentur. Imprudentia est oculos in eas coniicere, cum e confessionali recedunt. Omnem familiaritatem devitet. Abstineat a recipiendis munusculis. Ad earum domum, nisi in casu gravis infirmitatis vocatus, ne accedat; et tunc confessionem audiat ianua aperta, oculosque in faciem non defigat.

h) **Generatim omnes fideles** suaviter ad vitam piam adducantur, incipiendo a frequentiore sacramentorum usu (v. gr. qui singulis bimestribus communicat, inducatur ad communionem menstruam, dein ad bimensualem etc.); post aliquot menses inducantur ad Missam audiendam, si possint, aliquo die inter hobdomadam; post certum tempus ad brevem lectionem piam (v. gr. per 10 minuta) peragendam in libro *Catechismi Explicati*, vel in vitis sanctorum compendiose scriptis; dein ad breves quasdam preces iaculatorias aliquoties per diem ad Iesum Christum vel B. Virginem dirigendas; dein ad unum actum mortificationis quotidianum, v. gr. in cibo, in tolerantia indolis rixosae alicuius domestici etc.; et sic paulatim ad vitam vere piam et ad virtutum exercitium perducantur.

706 *i*) **Personae piae** edoceantur perfectionem non praecise in cumulandis recitationibus precum, sed in solidarum virtutum exercitatione (praesertim in patienti sufferentia molestiarum proximi et tribulationum huius vitae, cum omnium passionum mortificatione) sitam esse et in bene adimplendis operibus quotidianis[2]. Opera autem devotionis, ad quae paulatim ad-

---

[1] S. Alph. *Prax. Conf.* n. 119.

[2] Speciatim haec procurare debet anima, quae in vita spirituali solidari cupit: — 1° Alere ardentissimum desiderium amandi Deum eique in omnibus actionibus placendi. — 2° Attendere divinae praesentiae atque ad Deum iaculatorias preces dirigere. — 3° Singularem devotionem erga SS. Cor Iesu et B. Virginem profiteri. — 4° Nullum peccatum veniale, utcumque leve, deliberate seu apertis oculis admittere. — 5° Mundanas recreationes, familiaritatem personarum diversi sexus vitare. — 6° Aerumnas huius vitae cum conformitate in Dei voluntatem perferre. — 7° Vanitatem, rancorem, cupiditatem commodi, gulam cibi praedilecti, superbiam, impatientias, curiositatem videndi, audiendi, loquendi, desidiam aliasque passiones frenare; e contra, laetari in spiritu ob iniurias

duci debent, sunt: *oratio mentalis*, *assistentia Missae*, *s. communio*, *examen conscientiae*, *lectio pia*, *rosarium B. Virginis*, *visitatio SS. Sacramenti vespere in aliqua ecclesia*. Pius poenitens, qui haec omnia facere non possit, faciat saltem quae possit; et quae non potest facere quotidie, faciat diebus alternis vel ternis vel in festis, prout possit. Quae autem facere statuat, ea bene peragat atque ad id instruatur.

Orationem mentalem incipiat Dei praesentiam in memoriam revocando (ad id iuvat orare domi ante crucifixum vel in templo coram tabernaculo) eiusque opem implorando. Deinde ponat ante mentis oculos aliquod novissimorum, vel motiva foeditatis peccati, vel aliquod factum vitae Christi, vel aliquod eius dictum, v. gr. parabolam, vel mysterium Passionis (iuvat haec breviter in libro meditationum praelegisse), remque consideret atque in mente volvat prout alias solet circa res magni momenti deliberare; v. gr. cogitet: quid me Christus hoc dicto vel facto docere vult?... cuius virtutis mihi exemplum praebet?... quomodo hucusque egi?... quantum mihi interest ita agere?... ex quibus motivis gratitudinis erga Deum, satisfactionis pro demeritis, acquisitionis meritorum, pacis in hac vita, felicitatis aeternae etc. oportet ut ita agam?... quomodo id faciam?... quibus in occasionibus?... etc., simul fovendo et exprimendo, ad Deum vel secum colloquens, affectus amoris Dei, gratiarum actionis, laudis, humilitatis, contritionis, admirationis ob tantam Christi bonitatem, mansuetudinem, paupertatem ect., quos ad talis rei considerationem in suo animo excitari sentiat. E re considerata curet proposita eruere praesentibus suis necessitatibus accommodata, omnino pauca, et per multum tempus eadem, donec virtutis propositae consuetudinem acquisierit. Denique gratias sibi aliisque postulet a Deo, B. Virgine et sanctis, sermone simplici, qui e corde nascitur.

Principio brevis sit oratio mentalis, (rudibus, qui id non noverant, initio per 5 temporis puncta), postea maiore temporis spatio, donec persona assuefiat; sacerdotes saeculares minus dimidia hora orationi mentali tribuere omnino non deberent. Tempus statutum ne abbreviet, si aridum se experitur, neve protrahat, quamvis devotionem sentiat, inde enim inconstantia nascitur; sed constanter quotidie, sicut proposuerat, adimpleat;

---

et contemptus, loqui sobrie, cibos, si praeplacent, in maiore quantitate non sumere, propinquorum aliorumque molestias aequo animo ferre, de nullius defectu conqueri aut loqui etc. — 8º Orationem mentalem, auditionem Missae, s. communionem, examen etc. diligenter peragere. — 9º In operibus caritatis erga proximum et suo tempore in « Secessu Spirituali » exerceri.

Praedicta in examine quotidiano percurri possunt.

Cf. S. Alph., *Prax. Conf.* n. 160-171.

ad id valde iuvat certam horam assignare, quam inviolate observet, v. gr. primo mane, antequam diei occupationes assumat. Si se aridum sentit, librum meditationum breviter relegat, vel pios ad Deum affectus, ore saltem, exprimat.

707 *Missam* attente audiat, aptam praxim addiscens. En methodum fructuosam, omnium captui, vel maxime rudium, qui nesciunt iuvari libello precum, accomodatam: Ab initio ad *Sanctus*, lente et attente recitet orationes *Pater*, *Ave*, *Credo*, *Salve*, actus fidei, spei etc., quae e Catechismo didicerit, verba, dum ea recitat, considerans. A *Sanctus* usque aliquantum post *Elevationem* ponat ante mentis oculos Passionem Domini, considerans aliquod eiusdem mysterium, singulis diebus diversum. Dein usque ad *communionem* gratias spirituales a Iesu Christo, qui in altari praesens est et immolatur, Summo Pontifici, Episcopis, fidelibus, patriae, sibi, propinquis, infidelibus, moribundis etc., iuxta necessitates postulet. A *communione* usque ad finem, vel ad preces iterum recurrat, vel virtutes sanctorum consideret, vel mysterium Passionis consideratum resumat.

Pias personas ad opera caritatis confessarius alliciat, v. gr. ut Catechismum diebus festis doceant, parochum adiuvantes, vel infirmos in nosocomio aut in domibus invisant eisque religiosa sensa inspirent. Secessum suis temporibus in *Domo Exercitiorum* peragendum commendet; quamplures saeculares laici possunt singulis annis, vel bienniis, vel trienniis, per octo, quinque, tres dies tam salutaribus *exercitiis* vacare.

In concedendis mortificationibus exterioribus sit valde renitens[1], etsi importune rogetur; iis qui iam passionem mortificarunt magis dominantem, satis erit initio concedere aliquam tenuem, sed raram mortificationem, v. gr. disciplinam tenuem, abstinentiam etc., potius ad ingerendum desiderium mortificationis quam ad vere mortificandum. E somno convenienti nihil permittat detrahi, quia id cito nocere potest. Mortificationes exteriores coram aliis fieri prohibeat, utpote vanitatis fomitem.

Si aliqua pia anima accedit extraordinarium afferens modum orationis, ne statim eam reprobet neve sit credulus, saltem si agatur de persona quae passiones vere mortificatas habet; caute procedat, lumen a Deo petat, expertiores cum venia poenitentis consulat, iuvetur lectione theologiae mysticae, cuius aliquam notitiam dat *S. Alph. in* « Prax. Conf. » n. 126 seqq.

---

[1] S. Alph., *Prax. Conf.* n. 146.

Poenitentes ad praxes vitae spiritualis ne trudat, sed suaviter, per gradus et tractu temporis conducat, prudenter sese in re et modo cuiuslibet captui accommodans, neve illos multiplicitate oneret piorum exercitiorum, secus enim ea aut post certum tempus relinquent aut obiter et sine fructu obibunt.

Postquam sobrie rationem de modo, quo pias praxes observaverint, postulaverit et instructionem opportunam dederit, cum devotulis feminis sermones, etsi de rebus spiritualibus, nullo modo protrahat. — Caveat ne hos suos poenitentes spirituales, praesertim feminas, prohibeat accedere ad alium confessarium; et cum adverterit accessisse, ostendat id sibi gratum fuisse; immo ipsis imponat, ut aliquando apud alios confiteantur. Caveat pariter ne sollicitum se ostendat se velle alicuius animae directionem suscipere[1]. — Ne absolvat eos qui afferunt tantummodo leviora venialia quotidiana, quae committunt ex consuetudine, nisi cognoscat vere poenitere; aut aliquod peccatum gravius addant vitae praeteritae; si tamen melior dispositio obtineri non potest, cf. n. 598.

j) **Sacerdotes** reverenter audiat confessarius, sed fortiter **708**
etiam se gerat convenientia monita non praetermittendo, absolutionem etiam, si non possit dari, denegando. Si parum meticulosae conscientiae sint, interroget, an Missarum obligationes diligenter adimpleant, an celebrent festinanter aut absque gratiarum actione, an Officio fideliter satisfaciant, an vitam piam ducant, media adhibendo quae eis can. 125 maxime commendat, id est frequentem confessionem, quotidianam meditationem, Sanctissimi visitationem, rosarium, et examen conscientiae.

Si confessarii sint, videat an peccatores paterne et patienter excipiant, parentes de filiorum educatione commoneant, in interrogationibus prudentes se praebeant, cum feminis honestissime agant, emendationem poenitentium procurent, eis ad vitam christiane ducendam media suppeditent, a statu religioso aliquem aptum averterint; an in poenitentium concursu iusto plus se accelerent, debitas dispositiones aut necessaria monita negligendo.

Si parochi sint, interroget de diligentia in praedicatione et catechetica instructione, de prudenti correctione abusuum, de cura moribundorum.

k) **Qui cupiunt inire statum religiosum,** non statim sine discrimine approbandi sunt, sed decursu aliquarum confessionum inquirat confessarius et observet, an aptitudinem animi

---

[1] S. Alph., *Prax. Conf.* n. 100.

habeant, praesertim relate ad Institutum quod amplecti cupiunt; quo ingenio polleant, qua indole; undenam bonum desiderium conceperint et praesertim quo fine ducantur, num ad arctius se coniungendum cum Deo, animarum zelo, ad saeculi pericula vitanda etc., an ut a propinquis durae condicionis liberentur, parentibus placeant etc. Saepe (nisi, ob speciales circumstantias familiae, periculorum etc., discessus urgeat) expedit eos, si recenter desiderium religionis conceperunt, non protinus ad religionem mittere, sed per aliquod b r e v e tempus eorum desideria roborare eosque in proposito firmare per exspectationem, dum sese in sacramentorum frequentatione et pietatis caritatisque operibus exercent.

Eum quem nullo ineptitudinis aliove impedimento detentum videt, confessarius a tam bono proposito dissuadere non potest.

l) **Moniales** a viro in spiritualibus versato tractandae sunt. Quae nuper de personis piis sunt dicta, haec suo modo monialibus etiam erunt applicanda; sed habeatur praesertim ratio vitae communis et officii cuique ab obedientia commendati. Speciatim sequentes defectus, ait *Lehmkuhl*[1], earum confessarius curare debet cavendos vel exstirpandos: Omnia, quae vitam communem laedant vel proprietatem quamdam sapiant. Inobedientiam aut aversionem a Superiorissa. Laesionem caritatis erga sorores (reconciliationem exigat). Familiaritatem erga unam prae aliis. Proclivitatem ad conversationem cum extraneis. Acediam et tepescentiam. — Confessarius specialem familiaritatem cum Superiorissa ne ostendat, ne earum voluntates a se alienet quae forte erga illam minus sint affectae.

709 *m*) **Scrupulosi,** quomodo tractandi, cf. n. 17, ubi regulas dedimus tum pro ipsis tum pro ipsorum confessariis. Pauca nunc addemus.

Confessarius valde circumspectus esse debet in iudicando aliquem esse scrupulosum. Nam qui sollicitus est, immo moderate anxius, ne Deum vel levissime offendat, non ideo scrupulosus censeri debet; item nec qui dubitat an hoc vel illud sit peccatum, quia provenire potest ex ignorantia vel ex irreflexione circa suas intentiones et affectus; item nec qui una alterave vice scrupulum habet, id enim non indicat habitum. Propterea vix potest aliquis iudicari scrupulosus prima vel secunda vice, qua confessus est[2].

Scrupulosus circa recitationem Horarum haec meminerit (quae valent etiam pro non scrupuloso): 1° Qui recitavit, non

---

1 Lehmk. n. 642.

2 Lacroix l. 1, n. 515-522.

potest prudenter dubitare de habita intentione sufficiente. Et nisi certo ac sine haesitatione sciat quod mutavit intentionem orandi, iudicare debet se adhuc eam habere. — 2° Quoniam probabiliter ad orandum non requiritur essentialiter attentio interna, nihil debebit repetere, quamvis putet se toto tempore voluntarie fuisse distractum; id enim nihil aliud probaret nisi peccasse venialiter ob levem irreverentiam. Quamobrem inter recitandum ne haereat, ne ob sollicitudinem quidem attendendi, sed uno tractu *Breviarium* decurrat et nihil repetat. — 3° Qui dubitat an bene expresserit omnia, an non mutilarit nimis properando, nihil debet repetere, quia cum sine dolo voluerit recitare, ut debuit, credere debet id factum esse, nisi certo constet de opposito [1].

Scrupulosus circa celebrationem Missae meminerit: 1° Vix possibile esse quod sacerdoti ratione utenti desit intentio, cum ex ea manus laverit, vestes induerit etc. — 2° Mutilationem vel abscissionem alicuius etiam syllabae raro invalidare formam, ideoque, quamvis timeat ne non bene expresserit, caveat ne verbum ullum repetat. — 3° Verba consecrationis proferat sine timore, nec maiore vi, nec ullum faciens nutum capite, nec altius, quam alia, quamvis forte ob strepitum ea non audiat. — 4° Si circa aliquid fiat quasi perplexus, nesciens quid facere debeat, ne haereat, sed statim faciat quod primo ipsi videtur melius; et quod semel resolvit, in eo permaneat, nec rursus examinet an bene resolverit, sed pergat; et quamvis postea reperiat se errasse, non ideo debet inquietari; scrupuli enim in Sacrificio summe dedecent, cum minister non tantum nomine, sed in persona Christi agat, et turbant populum. Ideo in dubio an aliquid non essentiale omiseris, nihil teneris repetere. — 5° Timor, ne sit in malo statu, excuti debet secundum principia communia. Meminerit, id quod etiam pro non scrupulosis notant auctores, nempe, qui timoratae est conscientiae, nec solet plene advertens consentire, potest in dubio credere non plene consensisse, quia ex communiter contingentibus fit prudens praesumptio; hinc generaliter loquendo iudicet se non amisisse gratiam, quamdiu indubitanter et certo non scit se amisisse [2].

n) **Infirmorum et moribundorum cura** [3]. Adeatur *Rit. Rom.* tit. V, c. 4, ubi optimae instructiones reperiuntur et preces, **710**

---

1 Lacroix l. 4, n. 1350 1351.

2 Lacroix l. 6, p. 2, n. 190 seqq., 533.

3 De ratione, qua se gerere debeant qui curam habent infirmorum, et de signis morbi gravis et mortiferi, utilissimas instructiones praebet Capellmann in libello *Medicina pastoralis*.

quae super infirmum recitari possunt. De infirmis et moribundis maxime sit sollicitus sacerdos, et specialiter sequentia advertat:

1. *Vocatus ad infirmum*, oret pro felici exitu; condiciones infirmi praevie inquirat; quid dicturus, quid acturus sit, bene praeparet, rem enim longe maioris momenti aggreditur quam concionem.

2. *Accedens ad infirmum*. Incipiat eum alloqui de morbo eiusque diuturnitate et doloribus — de his enim libenter loquuntur infirmi — sinceram ipsi ostendens commiserationem. Dicat hunc morbum esse a Deo, Patre amantissimo, immissum, ut ille, qualis erga Deum sit, se ostendat; atque hortetur dolores et molestias ferre ob Iesu Christi amorem, qui pro nostri amore et salute tot acerba tulit, et in satisfactionem pro debitis ex humana fragilitate contractis.

Interroget, a quo tempore confessus sit suggeratque fidei, spei, amoris actus et sic iam eum ad confessionem nunc peragendam inducat. Si confessionem differre velit, significet ei, ut spem ponat in Deo, qui valetudinem, si expedit, restaurabit, a periculo tamen immunem non esse; et quamvis sanitas desperata non sit, ne tamen fucum sibi faciat et de ea recuperanda nimis fidus, animae salutem aleae committat; sed nunc, prout vires ferant, sine defatigatione, adiuvante confessario, confiteatur.

3. *In excipienda confessione*, urgente periculo mortis, non debet confessarius tam exacte procedere, ait *S. Alph.*[1], circa numerum et circumstantias, praesertim si iam accessisset sacerdos cum Viatico, aut medicus instaret ut cito Viaticum suscipiatur; tunc tempus dedicandum esse ad procurandam dispositionem doloris et propositi potiusquam integritatem. Satisfactio tunc implenda sit levissima, aliam adiungendo implendam si convaluerit.

Si restitutio aut reconciliatio facienda est, media adhibeat, quibus statim perficiatur; v. gr. infirmus notam scribat, qua declaret certam pecuniae summam tali personae esse tradendam (bene tamen recole causas a restitutione excusantes), aut in qua veniam petat. Si scandalum reparandum est, id quoque vel fiat scripto vel coram testibus, saepe tamen satis reparatur publica sacramentorum susceptione.

Maxime caveat confessarius, ne monitionem cuiuspiam obligationis faciat moribundo, si eam timet obfuturam et non possit praesumere eum esse in mala fide. Monitio denuntiationis, utpote inutilis et probabilissime etiam obfutura, nullatenus facienda est, nisi poenitens prius accusaverit se ab alio confessario fuisse monitam et noluisse parere.

---

1 *Prax. Confess.* n. 105.

Si moribundus aliquam obligationem certam facere recusat, ne statim eum, etiam obstinatum, penitus ab absolutione excludat; nam si non recusat ex aperta voluntate inobediendi obligationi, de qua certo persuasus sit, sed forte ex alio motivo, quod de se non repugnet cum bona fide subiectiva, v. gr. quia dicit falsum esse quod obligetur, vel confessarium rem non intelligere etc. (quod maxime in senibus accidit, valde enim obdurati iudicii sunt), absolvat sub condicione, ne ille, si in bona fide sit, sine absolutione decedat[1].

Si in periculo mortis absolutio danda est ab aliqua cen- **711**
sura ab homine vel specialissimo modo S. Sedi reservata, et confessarius specialem facultatem non habuerit, danda est sub onere recurrendi, si convaluerit (cf. can. 2252).

Si urgente mortis periculo matrimonium ineundum est, cf. can. 1043 1044 1046, de quibus agemus in tractatu de matrimonio.

Puerperae, ait *S. Doctor*, quae ordinarie nequeunt ab assistentibus deseri, sufficit ut se accusent generice de suis peccatis et in particulari de aliquo peccato, si ad illud accusandum decenter obtineri possit ut per momentum relinquantur solae, cum proposito integre confitendi, si sanitas recuperetur; his positis, excitata contritione, detur absolutio. Idem fieri potest erga aegrotum, quem propinqui nullo modo cum sacerdote sine testibus manere sinunt. Quod si propinqui ne id quidem permittunt, sed obstinate accessum sacerdotis ad infirmum prohibent, permittant saltem ut e cubiculi ianua, eo interrogato an absolvi velit et an de omnibus in genere se accuset et praemonito de dolore eliciendo, absolutio detur; quod si ne id quidem permittant, ne discedat sacerdos, quin saltem e cubiculi ianua, etsi infirmo non vidente, eum condicionate absolvat, maxime si sacerdotem petierat; videtur enim aequiparandus homini ullam accusationem facere impotenti.

Ad excipiendas confessiones eorum, quorum linguam ignorat sacerdos, iuvant libelli[2] ad hunc finem compositi, quorum ope multis infirmis et periculose decumbentibus, in nosocomiis praesertim magnarum urbium, solatium et salus aeterna comparari poterit.

---

[1] Si tamen publicum erat obligationem esse adimplendam, vitandum erit, ne Viaticum ministretur cum publico scandalo. Propterea confessarius aegrum deinde alloquatur extra confessionem de obligatione illa (nisi rem tantum novisset ex confessione), et sic iam parere recusanti poterit Viaticum denegare (nisi forte obligationem noverint tantum pauci, et ex denegatione Viatici scandalum secuturum sit coram aliis). S. Alph. l. 6, n. 260.

[2] Facilem et perspicuam methodum invenit P. D' Herbigny S. I., quam habes in opuscolo *Sedecim linguarum confessarius* edito a Beauchesne, Parisiis.

Denique, caveat confessarius ne, nimis loquendo, caput infirmi potius obtundat quam illum adiuvet.

712 4. *Quotiescumque infirmum visitet*, eum exerceat in actibus fidei, spei, caritatis, in resignatione in Dei voluntatem et patientia, exemplis propositis Iesu Christi, B. Virginis aliorumque sanctorum, quae sacerdos curabit parata habere, ut ea proponat. Ipsum consoletur dicens se pro eo in Missa et aliis precibus oraturum curaturumque ut alii idem pro eo faciant. Hortetur, ut si convaluerit, ante omnia ad ecclesiam pro gratiis Deo agendis veniat et sacram communionem suscipiat, ac deinceps meliorem vitae rationem teneat. Denique caveat nimia loquela eius caput defatigare.

Commendet, ut in cubiculo infirmi servetur silentium et ne quivis admittatur ad alloquium. Praecipiat praesertim, ne profani sermones permittantur, et maxime, ut eae personae arceantur eaeque imagines removeantur, quae tentationi esse possent. Imagines Christi et sanctorum ob oculos infirmi apponantur, et vas aquae benedictae, qua frequenter aspergatur.

5. *Circa Viaticum et extremam unctionem.* Quandonam Viaticum ministrari possit infirmo et quoties, cf. n. 578. — Quid si infirmus vomitu aut tussi laboret, cf. n. 579. — Quid si infirmus sacras species reiecerit, cf. ibidem. — De formula brevi extremae unctionis, si mors iam instat, cf. n. 751.

6. *De benedictione apostolica cum indulgentia plenaria* in articulo mortis. Eam sacerdos, qui infirmum adiuvat, impertiri ne omittat (can. 468, 2°). — Eius condiciones, cf. n. 736. — Eius formulam vide in *Rit. Rom.* tit. V, c. 6, vel in *Breviario* versus finem.

713 7. *Cura morti proximi.* Moribundo suggerat affectus *fidei*: «Volo vivere et mori in sinu sanctae matris Ecclesiae catholicae; credo quidquid Deus revelavit, quia ipse nec falli nec fallere potest; credo quidquid Ecclesia catholica credendum proponit, quia assistentia donatur Spiritus Sancti et propterea nihil nisi veritatem docere potest.» — *Spei*: «Spero me fore salvum per merita Domini Nostri Iesu Christi, qui pro me crucifixus et mortuus est. Vulnera Christi, vos estis spes mea; passio et mors Christi, vos estis spes mea; Iesu, tu es spes mea. Maria, spes nostra, salve.» — *Amoris*: «Deus meus, bonitas infinita, summum bonum, diligo te ex toto corde et super omnia. Cupio pati et mori pro te, qui pro me pati et mori dignatus es.» — Contritionis: «Vehementer mihi displicent, Deus meus, omnia peccata, quae in te ab initio mundi sunt commissa et usque ad finem mundi committenda, et spe-

ciatim ex toto corde peccata mea commisisse doleo. Deus meus, propter amorem et sanguinem Iesu Christi, miserere mei. Numquam te offendam, sive parum sive diu mihi vivendum sit. » — *Conformitatis*: « Domine, fac de me sicut tibi placeat; nihil volo nisi quod tu vis. In manus tuas commendo animam, corpus et vitam meam. » — *Affectus varios*: « Quando te, Deus meus, facie ad faciem contemplabor? quando infinitam pulchritudinem tuam videbo? Dulcissime Iesu, ne respicias quid ego in te, sed quid tu pro me fecisti. Pater aeterne, tu pro me Filium tuum tradidisti, ego me tibi trado. Recordare, Iesu pie, quod sum causa tuae viae. Intra tua vulnera absconde me. Ne permittas me separari a te. In hora mortis meae voca me; et iube me venire ad te; ut cum sanctis tuis laudem te. Maria, mater gratiae, mater misericordiae, tu me ab hoste protege et mortis hora suscipe. In te, Deus meus, infallibilis veritas, credo; in te, immensa misericordia, spero; te, infinita bonitas, amo. Passio Christi, salva me. Maria, tuos misericordes oculos ad me converte. Iesu, Maria, adiuvate me. »

Alia suggerenda deprome ex *Rit. Rom.* tit. V, c. 5, n. 3 4.

Moribundum ratione utentem saepius, etiam eodem die absolvat, si modo ad novum doloris signum eum perduxerit; sensibus destitutum non adeo frequenter intra eumdem diem, sed post notabile temporis intervallum [1]; ex conscientia aegroti sibi nota melius iudicare poterit pericula poenitentis et proinde convenientiam frequentius aut minus frequenter absolvendi.

Commendationem animae habes in *Rit. Rom.* tit. V, c. 7, vel in *Breviario* versus finem.

Ubi mors evenerit, soletur coniunctos, ad conformitatem exhortans cum voluntate Dei, qui dominus est vitae et mortis, atque ad vitam vere christiane agendam, proposita vitae brevitate et horae mortis incertitudine.

o) **Moribundus infidelis.** Agitur nunc de iuvando in extremis adulto moribundo infideli (v. gr. iudaeo, mahumetano, ethnico etc.). Ut autem res perspicue tractetur, distinguere oportet, utrum locus adhuc suppetat debitae instructionis, an vero homo sensibus correptus repertus sit. **714**

1. *De eius praeparatione.* Tria ab eo obtinenda sunt: — 1° *Fides* explicita articulorum, qui certo vel probabiliter sunt de necessitate medii (n. 71), ita ut ea sufficienter capiat pro suae intelligentiae mensura, et ea credat [2]; si tempus et ad-

---

1 Lehmk. n. 655.

2 Non licet eos qui in Deum credunt, v. gr. iudaeos vel mahumetanos, ad dolorem tantum hortari, minime loquendo de Iesu Christo, ex timore ne non sint crediturí. *S. Off.* 30 mart. 1898, 10 maii 1703 (*A.S.S.* XXX, p. 699 et 700).

iuncta id sinunt, addatur instructio de iis, quae sunt de necessitate praecepti. Praeterea, spes in Dei misericordia et auxilio. — 2° *Dolor* de peccatis vitae anteactae cum proposito. — 3° *Intentio* seu voluntas suscipiendi baptismum (n. 477).

His praemissis conferatur baptismus [1], isque administretur absolute, etiamsi dubium remaneat de sufficienti instructione, fide vel dolore, quia haec pertinent ad licitam tantum susceptionem (n. 478); condicionate vero, si dubium esset de sincera voluntate, quia haec requiritur ad validitatem; condicio autem, si apponenda est, sit haec: « Si capax es » [2].

Addatur (nulla praemissa confessione) Viaticum et extrema unctio, si habetur horum sacramentorum, vel alicuius eorum, sufficiens notitia et intentio suscipiendi.

2. *Si sensibus destitutus est*, aliqua saltem coniectura procuretur de eius desiderio suscipiendi baptismum, interrogatis, si copia habetur, iis qui ipsum noverint. Coniectura habebitur, si propensionem quamdam ostenderit erga veram religionem, vel si hanc recusaverit ex motivis tantum extrinsecis, quale esset difficultas dimittendi uxores.

Qualibet coniectura deficiente, baptizari non potest, iuxta sententiam communem. Attamen, diximus (n. 488 *g*, nota 4) non deesse nobiles auctores qui censent eum, sensibus destitutum, baptizari posse sub condicione, nisi habeantur positiva motiva credendi eum baptizari nolle; eorumque sententia in adeo extremis adiunctis ad praxim deduci potest, eo vel magis quod, in nostris regionibus, de necessaria rudimentaria instructione non parva coniectura habetur, quia vix ullus infidelis est, qui non multa de vera religione et audierit et viderit.

Vitetur scandalum in adstantibus, praemissa eorum monitione, cur baptismi ministratio in his adiunctis tentetur, tentatur autem sub condicione.

715 *p*) **Moribundus haereticus.** Qua ratione ad bene moriendum iuvari possint v. gr. protestantes.

1. *De eius praeparatione.* Diversae hypotheses distinguantur claritatis gratia.

a) Si natus fuerat in haeresi, praeparetur ad baptismum sub condicione [3], praemissa necessaria instructione, cum actibus fidei, spei, doloris cum proposito, et intentionis seu voluntatis baptismi suscipiendi.

---

1 *Conc. Plen. Amer. Lat.* n. 496.

2 Instr. *S. Off.* 4 aug. 1870 (*A.S.S.* XXIX, p. 570).

3 Inquire tamen, prout fieri possit, in quolibet singulari casu, de circumstantiis baptismi collati, ne forte fuerit validus. Cf. n. 489.

Abiuratio ab haeresi fiat ante baptismum et detur absolutio a censura[1]. Potest etiam fieri post baptismum, sed certe fieri debet ante absolutionem peccatorum, quia tunc debet esse absolutus a censura.

Detur baptismus sub condicione. Fiat deinde peccatorum confessio, et detur absolutio sub condicione[2]. Postea Viaticum et extrema unctio, praemissa debita instructione. Denique, benedictio apostolica cum indulgentia plenaria in articulo mortis[3].

b) Si defecerat a fide catholica, baptizandus non est, sed tantum praeparandus ad abiurationem, confessionem, Viaticum etc., ut nuper diximus.

c) Si imprudens iudicatur perturbare bonam fidem, in qua homo hucusque vixerat (sunt enim nati in haeresi, praesertim rudes, qui omni bona fide in ea vivunt, possetque esse periculosum eam perturbare in periculo mortis)[4], iuvetur hoc modo: — 1° Excitentur actus fidei, spei, attritionis (immo *contritionis*, ut eius salus, quantum fieri possit, collocetur in tuto; nam id totum, quod dicemus, erit efficacitatis dubiae). — 2° Requiratur *intentio*. Ad hoc interrogetur generali modo an velit adimplere omnia ad salutem necessaria et an velit iuvari per me ad salutem consequendam. — 3° Quando sensibus destitutus sit, detur *baptismus* sub condicione et addatur extrema unctio sub condicione[5].

---

1 Impetrata praevie facultate, extra periculum mortis, sed in periculo mortis facultas habetur ex can. 882.

In mortis periculo nulla determinata ratio agendi ad abiurationem et absolutionem a censura quaerenda est, sed tempus impendatur ad dispositiones pro sacramentis suscipiendis. Sufficit ergo ut homo dicat se renuntiare haeresi, et potest sacerdos a censura absolvere, audita confessione, eo modo quo in formula communi habetur per verba « Dominus Noster Iesus Christus etc. », immediate ante absolutionem a peccatis.

2 Sub condicione, quia forte baptismus in haeresi collatus fuerat invalidus, ideoque peccata hucusque commissa materia non sunt sacramenti poenitentiae, utpote commissa in infidelitate.

3 Non apparet ratio urgens, cur in huiusmodi adiunctis haec benedictio dari debeat sub condicione. Nam, etsi baptismus in haeresi collatus fuisset invalidus et baptismus nunc susceptus fuerit validus et omnem culpam et poenam sustulerit ideoque hominem reddiderit incapacem indulgentiae *nunc* acquirendae, tamen indulgentia huic benedictioni adnexa non acquiritur *nunc*, sed in instanti mortis, quae potest adhuc plus minus temporis immorari et consequenter dare interea locum venialibus committendis. Adde quod non sola indulgentia impertitur sed etiam benedictio, cuius ille certe capax est.

4 Censet Gén.-S. n. 298 generatim parum esse periculi in proponenda obligatione ingrediendi Ecclesiam; intellige, si sub hac generali formula proponatur, non descendendo ad particularia haereseos dogmata, quae ipse bona fide tenet.

5 Sub condicione, praesertim propter dubium de sufficienti intentione. Semper sufficit condicionem apponere sic: «Si capax es».

Si sacerdos nesciat an poterit ei adstare sensibus destituto, adducat eum, postquam excitaverit actus fidei etc. praedictos, ut dicat « se confiteri peccata coram Deo et hominibus prout Deus postulat ad remissionem peccatorum »[1], et submissa voce absolvat sub condicione. Deinde sensibus destitutum, si potest, iuvet ut diximus.

Vitandum adstantium scandalum, qui viderint sacramenta dari haeretico sensibus destituto; moneantur de causa et de efficaciae incertitudine, ob quam dantur sub condicione.

2. *Si sensibus destitutus est*, rursus distinguemus.

a) Si natus fuerat in haeresi, valida adest ratio, ut praesumatur voluisse suscipere, saltem in morte, media ad salutem. Detur igitur baptismus sub condicione, deinde extrema unctio sub condicione.

b) Si defecerat a fide catholica, ideoque erat in mala fide, inquisitio, prout possit, fieri debet de eius voluntate, quam saltem durante extremo morbo ostenderit erga religionem catholicam. Et, nisi positive putari debeat noluisse omnino ad Ecclesiam reverti[2], detur absolutio sub condicione, extrema unctio sub condicione.

716 *q*) **Moribundus schismaticus,** v. gr. orthodoxus (graecus vel slavicus).

1. *De eius praeparatione.* Tres iuvat facere hypotheses, sicut pro haeretico.

a) Si natus fuerat in schismate, praeparetur ad abiurationem schismatis, confessionem, Viaticum, extremam unctionem, benedictionem apostolicam, sicut in casu simili diximus pro haeretico. Sacramenta ministrabuntur absolute, quia valide baptizatus est. Attamen, de baptismi validitate fiat, iuxta temporis et personarum possibilitatem, investigatio; et, si res in comperto poni nequit, imprudens non erit sub condicione baptizare antequam conferantur sacramenta praedicta (cf. n. 489).

b) Si defecerat a fide catholica, eodem modo se gerat sacerdos sicut in pari casu de haeretico.

c) Si imprudens iudicatur perturbare bonam fidem hominis in huiusmodi periculi mortis adiunctis, de schismate renuntiando nihil dicatur et adducatur

---

1 Haec confessionis species ideo tantum proponitur, ut sacramentum minus dubium reddatur. Si illam obtinere non potes, nihilominus excitatis praedictis actibus absolve sub condicione; numquid enim confessionem aliquam facit homo, quem sub condicione absolvis e tecto cadentem? Cf. Gén.-S. n. 300.

2 Nempe, hic applicari potest doctrina, quae, supra, pro casu simili infidelis moribundi sensibus destituti.

tantum, ut velit suscipere ultima sacramenta, deturque absolute, peracta confessione, peccatorum absolutio, Viaticum, extrema unctio, benedictio apostolica. Vitari debet scandalum, proptereaque moneri debent ceteri id non esse vetitum in tanto vitae periculo et in necessitate non perturbandi bonam fidem hominis, qui ceteroquin sacramenta in suo schismate suscipiebat et Romano Pontifici tantum non subiicitur propter inculpabilia suae educationis praeiudicia. Viaticum ne deferatur publice, ut vitetur scandalum, et, si opus est, omittatur

Si homo recusat sacramenta, non ob sacramentorum contemptum, sed v. gr. quia bona fide putat contra conscientiam se acturum, si ea a sacerdote romano acciperet, adducatur ut saltem velit adiuvari, quantum in conscientia liceat, et excitata fide, spe, attritione (immo contritione, ob rationem supra dictam in simili casu de haeretico), dicat modo generali se «confiteri peccata prout Deus vult, ut homo ea in extremo periculo confiteatur», et submissa voce absolvatur sub condicione; dein sensibus destituto detur extrema unctio sub condicione.

Advocare sacerdotem schismaticum, ut ei sacramenta ministret, non licet, haec enim esset adhaesio falsae sectae. Si infirmus eum advocet, curetur ut transmittatur petitio per aliam personam suae sectae. Quod si nulla huiusmodi persona sit, quae nuntium transmittat, dici ei poterit directe: «Infirmus N. vult te alloqui», nulla petitionis sacramentorum mentione facta, id enim sectae religiosae ut talis aliquam agnitionem saperet. [1].

2. *Si sensibus destitutus est*, detur absolutio sub condicione, extrema unctio sub condicione.

Idem fieri debet cum catholico, qui ad schisma transierat, nisi, facta inquisitione, compertum sit eum perseverasse, in extremo etiam morbo, in odio contra Ecclesiam Romanam.

r) **Reconciliatio protestantis** (eadem applicentur quibus- **717**
libet haereticis) [2].

1. *Quomodo excipiendus*. Cum caritate et benevolentia. Interrogetur, quomodo ei haec gratia obtigerit. Cavendum a fraudibus. Ne eum sacerdos magnopere commendet. Ne libros magni pretii commodet. Familiarem se ne praebeat. Nihil dicat aut agat, quod dictum aut factum fuisse nollet, si ille ad haeresim, ut non raro evenit, revertatur.

---

1 Gén.-S. n. 201.

2 Reuter-Lehmk., *Neo-confess.* n. 197-205.

2. *Quomodo instruendus.* *a*) Doceatur veram religionem esse non posse nisi *unicam*, cum Deus opposita dicere non possit. — *b*) Doctrina tradatur de *notis verae Ecclesiae* [1], nempe cum Christus Ecclesiam instituerit, extra quam salvari nemo possit, debuit eam notis simplicibus distinguere, quibus fieret omnibus visibilis. Hae sunt unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas [2]; quae quidem Ecclesiae Romanae conveniunt [3], sectis protestantibus minime [4]. — *c*) Instruatur circa *praecipua dogmata*, in quibus catholicismus a protestantismo differt, nempe Romanum Pontificem esse caput Ecclesiae [5], Ecclesiam esse infallibilem [6], immo ipsum Romanum Pontificem infallibilitate pollere [7], necessitatem bonorum operum [8], numerum sacramentorum [9], purgatorii exsistentiam [10], cultum sanctorum [11].

Haec tractanda comiter, mansuete.

Sed advertendum duo esse convertendorum genera: alterum rudium et simplicium, quibusscum de controversiis ab haereticis contra Ecclesiam motis parum loquendum est, ne errores potius discant et in tentationes incidant, quas non experiebantur; potius insistendum in instructione catechetica. Alterum hominum in litteris cultorum, quibus satisfaciendum est circa dogmata, quae contra Ecclesiam tenuerunt, et arma instructionis danda sunt, ut tentationibus tum internis tum externis possint deinceps resistere.

His praemissis: — *a*) Instruatur de modo *sacramenta recipiendi*, speciatim praeparetur ad confessionem [12]; atque ut quaelibet contra eam evanescat repugnantia, examen fiat suave percurrendo praecepta Decalogi, manifestando obligationem confessarii ad sigillum etc. — *β*) Detur et explicetur professio fidei seu *abiuratio*, quam recitare debebit.

Inculcandum ut, tempore instructionis, frequenter lumen a Deo petat, de peccatis dolorem eliciat, opera misericordiae exerceat etc.

---

1 Hanc doctrinam vide v. gr. apud Pesch, *Comp. Theol. dogm.* t. 1.

2 Pesch op. cit. t. 1, n. 254 seqq.

3 Ibid. n. 262 263.

4 Ibid. n. 264.

5 Ibid. n. 193 seqq., n. 286 seqq.

6 Ibid. n. 304 seqq.

7 Ibid. n. 320 seqq.

8 Ibid. t. 2, n. 137, t. 3, n. 312-316 326.

9 Ibid. t. 4.

10 Ibid. t. 2, n. 416 seqq.

11 Ibid. t. 3, n. 184 seqq.

12 Ad eliminanda praeiudicia, quae facile advertentur in haeretico, cf. Pesch op. cit. t. 4, n. 185 seqq., ubi probatur hoc sacramentum esse ab ipso Christo Domino institutum.

3. *De ratione cum eo disputandi.* Altercatio nulla admittenda est, sed omnia modeste proponenda et explicanda. **718**

Si doctrinae de notis Ecclesiae pervicaciter nollet assentiri, diversimode *redargui* potest. V. gr.: — *a*) Quomodo sciat sensum, quem ipse Scripturae tribuit, esse a Spiritu Sancto intentum. Si recurrat ad criterium privatum, cur non admittat privatum aliorum. — *b*) Quoniam tenet nihil esse credendum, quod non sit in Scriptura, dicat, ubinam Scriptura dicat non esse purgatorium, sanctos non esse colendos, etc., quoniam protestantismus haec dogmata non tolerat, sed positive affirmat esse falsa. — *c*) Ecclesia sua est nova, ideoque non a Christo fundata. — *d*) Vera Ecclesia aut est infallibilis aut fallibilis. Si primum, Ecclesia Romana, quam protestantismus admittit veram fuisse usque ad tempora Lutheri, non potuit a vera fide deficere, ideoque adhuc tenet veram fidem. Si secundum, quomodo sciat se recte credere. — *e*) Ecclesia Romana erat vera Christi Ecclesia tempore Lutheri, quoniam erat unica; ergo Lutherus veram deseruit Ecclesiam. — *f*) Tu agnoscis legitime damnatos ab Ecclesia Romana Nestorium etc. Atqui eadem damnavit Lutherum.

4. *De eius reconciliatione.* Investigatio diligens, pro temporum et locorum ratione, instituenda est de validitate baptismi.

a) Si baptismus fuit nullus, nulla abiuratio facienda, sed baptismus absolute conferendus, prout in *Rituali* et servatis can. 738 744 752 753 778.

b) Si baptismus fuit validus, sola recipitur abiuratio, de qua mox, et absolvitur censura. Deinde caeremoniae in baptismo omissae suppleantur[1], et si antea facta fuit confessio sacramentalis, praestat addere susceptionem Eucharistiae.

c) Si baptismus est dubius[2], *α*) ad commoditatem ministerii auditur imprimis *confessio* peccatorum, et iniungitur poenitentia omissa absolutione. — *β*) Recipitur *abiuratio*[3]. — *γ*) Administratur *baptismus condicionate*, prout

---

1 Cf. *Rituale Rom.* tit. 2, c. 3, n. 16.

2 *S. Off.* 17 dec. 1868, 28 mart. 1900 (*A.S.S.* IV, p. 320; XXII, p. 695), 19 febr. 1916 (*A.A.S.* [1916] p. 61), 20 iul. 1859 (apud Blat, *Comment. text. iuris* l. 3, p. 44; *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 504 559; Scheider-Lehmk., *Manuale sacerdotum* p. 2, III, a. 3; ephem. *Sal Terrae* (1916) p. 540; Ojetti, *Synopsis* v. Abiuratio, Haereticus; Mach-Ferreres, *Tesoro del sac.* II, n. 509-511; ephem. *Revista ecles. de Buenos-Aires* I, (1901) p. 18 19 764-771.

3 Sacerdos superpelliceo et stola violacea indutus et neo-conversus cereum accensum manu tenens genuflectunt ad altare; adstant saltem duo testes, et dicitur hymnus *Veni Creator* cum vers.: *Domine exaudi, Dominus vobiscum* et orat. *Deus, qui corda fidelium.* Postea sacerdos sedet ad cornu Epistolae et neo-conversus

in *Rituali Rom.* — δ) Servatis quae in *Rituali Rom.* tit. 3, c. 3, datur *absolutio a censura* prout in *Riutali* ibidem, dicendo in formula «quam *forsan* incurristi», propter dubium baptismum. — ε) Brevibus verbis resumpta confessione, v. gr. «accuso me de omnibus iam tibi dictis», cum dolore et proposito, datur *absolutio sacramentalis.* — ζ) Convenit, ut sequatur Missa et suscipiatur *Eucharistia.*

Ad impertiendam absolutionem a censura in foro externo impetranda erit facultas ab Ordinario loci (can. 2314, § 2). Haec absolutio valet etiam pro foro interno (can. 202, § 1).

Denique ad Ordinarium loci transmittenda est attestatio abiurationis, a neo-converso, a sacerdote delegato et a duobus saltem testibus subscripta. Transmittenda quoque ad parochum attestatio baptismatis.

719 *s*) **Reconciliatio schismatici** orthodoxi (eadem applica schismaticis quibusvis).

1. *Quomodo excipiendus.* Ut supra, de protestante.

2. *Quomodo instruendus. a*) Doceatur veram Ecclesiam esse *unicam*[1]. — *b*) Tradatur doctrina de *notis verae Ecclesiae*, ut supra de protestante. Notas ecclesiis schismaticis non inesse convincatur[2], aut saltem cogatur concedere eas Ecclesiae Catholicae plenius et perfectius inesse. — *c*) Instruatur praesertim circa primatum iurisdictionis S. Petri[3], Romanum Pontificem esse S. Petri successorem in primatu[4], esseque infallibilem[5]. Quae si inculcata manent, iam plana via est ad suadenda cetera, in quibus schismatici orientales a catholicis discrepant,

---

coram eo genuflexus et codicem Evangelii dextra manu tangens, emittit abiurationem seu professionem fidei.

Formula abiurationis seu professio fidei non est illa communis Pii IV, cum additionibus Pii IX, quae prostat in initio *C.I.C.*, sed alia specialis a *S. Officio* pro conversione haereticorum praescripta. Hanc habes apud Ojetti op. cit. v. Haereticus; Mach-Ferr. op. cit. n. 510; ephem. *Sal Terrae* (1916) p. 549; ephem. *Rev. ecl. de Buenos-Aires* I, p. 765. Quamdam specialem formulam affert Appendix *Conc. Plen. Am. Lat.* n. CXXXIII, p. 763, ubi etiam caeremoniae peragendae describuntur fere desumptae ex *Pontificali Romano.*

In reconciliatione minorum quatuordecim annorum non opus est abiuratione, sed sufficit communis professio fidei. Cf. Vermeersch, *Period. IV*, p. 117 sub initium.

Pro catholicis, qui in haeresim transierant, formulam habes in ephem. *Sal Terrae* (1916) p. 551.

De absolutione ab haeresi cf. etiam dicenda n. 917.

1 Pesch, *Comp. theol. dogm.* t. 1, n. 240 seqq.

2 Pesch op. cit. t. 1, n. 264.

3 Ibid. n. 193 seqq.

4 Ibid. n. 286 seqq.

5 Ibid. n. 320 seqq.

quorum praecipua, de quibus oportet instrui, sunt: purgatorii exsistentia[1], matrimonii omnimoda indissolubilitas[2], et praxis sacramenta administrandi et suscipiendi in Ecclesia Catholica. Cetera subtiliora, v. gr. principium processionis Spiritus Sancti, immunitas B. Virginis ab originali labe iam primo vitae instanti, debitum temporale remanens post absolutionem sacramentalem, inamissibilitas characteris sacerdotalis, confectio Eucharistiae per sola verba Domini absque epiclesi etc., iis reservari debent, quibus particularis instructio ad avellendum specialem errorem necessaria sit.

Denique praeparetur ad abiurationem emittendam, praelegendo ei formulam.

3. *De ratione cum eo disputandi.* Vitata qualibet altercatione, explicationes omnino dentur pacate. Quod si ille nimis se protervum ostendat, mansuete sic *redargui potest*: — *a*) Quoniam ille ait se tantum admittere septem priora Concilia Oecumenica, dicat in quonam eorum definitum sit Romanum Pontificem non esse infallibilem, Spiritum Sanctum non procedere a Patre Filioque, non exsistere purgatorium, baptismum per infusionem esse invalidum, consecrationem fieri per epiclesim etc. Agnoscere ergo debet neminem schismaticum posse Ecclesiam Romanam accusare de haeresi, sed debere, ad summum, illas doctrinas recensere inter « theologumena », ut ipsi aiunt, id est, inter opiniones theologorum. — *b*) Si dicat Ecclesiae Romanae ritus quosdam non conformari Scripturae rigorose, videat quosdam suae ecclesiae ritus non conformari; v. gr. « baptismus » saepe non administratur ut « balneus », fideles non « bibunt » sanguinem Domini etc. — *c*) Si dicat Ecclesiam Romanam ritum antiquum mutasse, videat ritus sat diversos[3] iam ante schisma exstitisse in ipsa antiqua Ecclesia, quam veram fuisse agnoscit; videat praeterea ipsam suam ecclesiam ritum mutasse, quoniam prius fideles sanguinem Domini hauriebant e calice, nunc corpus Domini sumunt sanguine intinctum.

4. *De eius reconciliatione.* Praesumitur valide baptizatus, ideoque sufficit, acceptis ab Ordinario loci necessariis facultatibus, *abiurationem*[4] eius accipere et *absolutionem a censura* impertiri, iisdem ritibus ac pro protestantibus. Abiuratio a neo-converso, sacerdote et duobus testibus signata mittenda est ad Ordinarium.

---

1 Ibid. t. 2, n. 416 seqq.

2 Ibid. t. 4, n. 344 seqq.

3 Cf. *Cath. Encycl.* v. Rites, Liturgy; JANIN, *Les Eglises orientales;* CALLAWAERT, *Liturgicae Institutiones.*

4 Formulam abiurationis pro schismaticis affert Appendix *Conc. Plen. Am. Lat.* n. CXXXIV, p. 766, et ephem. *Rev. Eccles. de Buenos-Aires* I, p. 768.

Sed, quia expedit ut recipiatur sacra communio, et huic praecedere debet confessio, cui vicissim praecedere debet absolutio a censura, ideo servetur hic ordo: *a*) audiatur *confessio* peccatorum et iniungatur poenitentia sine absolutione. *b*) Fiat *abiuratio* ad altare et coram testibus. *c*) Post eam detur *absolutio a censura*. *d*) Statim, breviter resumpta confessione et, si opus est, renovato dolore, detur *absolutio sacramentalis*. *e*) Denique *Missa* cum *communione*.

Attamen non parum convenit ut fiat, pro temporum et locorum condicione, investigatio de validitate baptismi; si nihil certo comperiri potest, non imprudens erit baptismum conferri sub condicione (n. 489) post acceptam abiurationem et ante absolutionem a censura.

Caput 9. OFFICIA CONFESSARII POST CONFESSIONEM

Ad duo reducuntur: ad corrigendum id, in quo erraverit, et ad sigillum sancte servandum.

Art. 1. Correctio errorum commissorum.

720 Distinguendum est utrum error nemini nocumentum allaturus, sit, an vero futurus sit nocivus poenitenti vel alii.

a) **Si error est nocivus poenitenti vel tertio** (supponitur graviter nocivus), v. gr. confessarius invalide absolvit, erronee imposuit obligationem restituendi, a restitutione debita deobligavit, omisit monere de occasione proxima etc., error sub gravi corrigendus est[1]. Sub minore tamen incommodo tenetur, si

---

[1] Teneturne confessarius errorem corrigere *ex iustitia?* — *Resp.*: 1° Ita sane, si erravit in absolutione danda, haec enim poenitenti debebatur ex quasi-contractu. — 2° Si positive erravit circa obligationem restituendi, vel si admonuit aliquid nocivum, et error fuit graviter culpabilis, certe ex iustitia debet eum reparare, sicut quivis scienter consulens damnum; si error fuit inculpabilis, cf. dicta n. 264 et 270. — 3° Si omisit monitionem et omissio poenitenti nociva est, errorem reparare quidem debet ex caritate, non tamen ex iustitia: nam quamvis confessarius teneretur *ex officio* monere de occasione proxima, haec est tamen obligatio officio confessarii imposita ex institutione huius sacramenti, non ex quasi-contractu cum poenitente.

fuit inculpabilis, quam si culpabilis[1]; et ideo, si inculpabiliter absolvit invalide poenitentem, qui facile occasiones alias habebit confitendi, non tenebitur illum quaerere cum aliquo infamiae periculo.

Non est necesse licentia poenitentis, ut confessarius ei dicat se eum non absolvisse; nam manifestum est poenitentem absolutionem velle neque ulla fit in hoc memoriae peccatorum refricatio.

Sed, post datam absolutionem, si confessarius eum alloqui debet de rebus confessionis ad aliquem errorem corrigendum, quem sive culpabiliter sive inculpabiliter commiserat, petere prius debebit licentiam; quod si haec negatur, tacere debebit.

Si confessarius praesumit poenitentem ad se reversurum et damnum non videtur ita imminens, sed posse in sequenti confessione efficaciter reparari, reparatio differri poterit; regulariter enim loqui de rebus confessionis extra confessionem, etsi cum licentia poenitentis, satis onerosum fit tum huic tum etiam confessario, qui id non sine aliqua sui confusione facere cogitur.

b) **Si error nemini est nocivus,** v. gr. confessarius deobli- **721**
gavit a restitutione, quae causis piis in genere facienda erat, vel omisit interrogationes ad integritatem confessionis necessarias, vel absolvit sine facultate a reservato, quod cum aliis non reservatis accusatum et proinde indirecte absolutum fuit, vel erronee dixit ad ieiunium non teneri etc., docent quidem auctores confessarium teneri ad reparandum errorem extra confessionem, saltem si positive, et multo magis si culpabiliter ad illum induxit. Sed cum tota ratio huiusmodi obligationis alia non possit esse, nisi quia poenitens ob confessarii culpam exponitur periculo violandi materialiter aliquam legem, v. gr. integritatis in sequentibus confessionibus, ieiunii etc., ideo consequenter ad ea quae alibi sunt tradita, putamus sic esse distinguendum:

1° *Si positive et culpabiliter* in errorem induxit, illum reparare debet; ei enim, qui scienter suasit legis transgressionem, iure transgressio imputatur.

2° *Si positive, at inculpabiliter* in huiusmodi errorem induxit, adhuc illa obligatio urgere dicenda est (quamquam sub minore incommodo); nam quamvis suasio inculpabiliter

---

1 Quando error fuit graviter culpabilis et reparari debet *ex iustitia*, regula generalis est damnificatorem non excusari a reparatione damni, nisi pro eo urgeat incommodum, quod *multum* excedat alterius damnum. — Quando error reparari debet ex sola caritate, obligatio urget, etsi commissus fuerit inculpabiliter; sub quanto damno, erues ex regulis caritatis n. 86.

posita sit, tamen ex sententia communi effectus agenti imputabilis erit, si post advertentiam illum non impedit. Sed cum id a quibusdam auctoribus negetur (n. 264), ideo non improbabiliter poterit confessarius, finita confessione, tractari sicut in hypothesi sequenti, nulla ratione habita consilii inculpabiliter dati; revera enim huiusmodi consilium aequiparari potest casui fortuito seu necessario (n. 263), de quo nihil interest quaerere undenam provenerit[1].

---

1 Contra postremam hanc benigniorem solutionem, quae nititur rursus in benigniore quadam nonnullorum auctorum sententia, quam vide in n. 264, obiicies forsan:

1° Exigit iustitia ut res reponantur in eo statu, a quo quis easdem deturbaverat. Ergo qui per errorem, etsi inculpabilem, induxit aliquem ad violandam legem (v. gr. dixit non esse tali die ieiunandum), debet extra confessionem se retractare legemque reponere in statu, quo possit observari. — *Resp.*: Antecedens est falsum quando perturbatio facta fuit inculpabiliter. — *Instabis.*: Ergo qui rem aliquam aufert inculpabiliter putans esse suam, non teneretur eam reddere. — *Resp.*: Certum est, si attenditur tantum « acceptio », quia fuit inculpabilis; sed obligatio oritur ex « re accepta », seu eius retentione; iustitia enim non tantum prohibet alienam rem accipere, sed etiam retinere.

2° Sicut quaelibet virtus obligat ut non suadeas eius violationem, ita etiam ut violationem dissuadeas, si eam suaseras. — *Resp.*: Altera pars vera non est, nisi suasio fuisset culpabilis.

3° Si confessarius suasisset inculpabiliter non restituere, teneretur postea dissuadere. Ergo etiam si inculpabiliter suasit transgredi aliquam virtutem aut legem, v. gr. abstinentiae. — *Resp.*: In priore casu datur ratio caritatis (iuxta benigniorem sententiam de qua in n. 264) erga tertium, cui suasio inculpabiliter intulit malum; in casu altero ne ratio quidem caritatis adest; nam nec virtus abstinentiae est meus proximus, nec tangressio mere materialis potest proprie vocari « malum » virtutis. *Quaeres* forsan: si obligatio dissuadendi non-restitutionem urget tantum ex caritate, cur magis obliget confessarium quam alium quemlibet qui nihil suaserat? — *Resp.*: Quia confessarius potest id facere cum multo minore incommodo; facile enim dicet « video nunc me fefellisse », et poenitens facile se paratum ostendet ad id audiendum, praesertim cum ipse praecesserit consilium petens; e contra, intolerabile esset incommodum dedocere omnes, quos quis videt ex ignorantia paratos ad peccandum materialiter, nec ipsi ceteroquin tolerarent moneri ab extraneo quolibet.

4° Qui consilium dat et non retractat, censetur quolibet instanti pergere illud dare; debet ergo retractare illud. — *Resp.*: Hoc ultimum verum non est de confessario in casu, de quo agimus; non enim tenetur ex officio, quia, post sacramenti administrationem, a suo munere cessavit; nec ex iustitia, quia agimus de consilio inculpabili violandae materialiter alicuius virtutis; nec ex caritate, quia supponitur consilium nemini nocivum; nec ex ipsa virtute violanda, quia haec tantum obligat ne eius transgressionem conscius suadeas; nisi alleges nocumentum poenitentis, cui error in intellectu ingestus est, vel societatis, cuius interest ut leges

3° *Si mere negative* se habuit, id est, non interrogavit necessaria, non monuit monenda etc. (quin ullum damnum cuipiam sequatur, ut supponimus, sed solum agatur de transgressione materiali alicuius legis), ad nihil tenetur extra confessionem, quantumvis culpabiliter omiserit. Nam, quamvis officio suo defuerit coram Deo, tamen interrogandi vel monendi obligatio ei non incumbit, nisi dum officio fungitur; finita ergo confessione, specialis obligatio monendi cessavit, nec iam magis tenebitur ille ad monitionem quam alius quilibet, qui proximum in errore esse sciverit[1] (n. 92). **722**

Etiam quando error circa integritatem confessionis positive commissus est, fatentur auctores plerumque confessarium, qui bona fide poenitentem in hac re decepit, per accidens non teneri ad illum extra confessionem admonendum, tum quia poenitentibus gravis accidit memoriae peccatorum refricatio, etsi de ipsorum licentia fiat, tum quia confessarius regulariter id non potest facere sine aliquo suo incommodo et detrimento[2]; quod quidem semper teneri potest, quando huiusmodi error per meram omissionem, sive bona sive mala fide, commissus fuit[3]. Addunt auctores idem non dici de erroribus circa quaestiones, quae a poenitente occasione confessionis proponuntur et sigilli materia non solent esse, v. gr. num cras sit ieiunium; sed confessarium, si in his inculpabiliter poenitentem decepit, teneri errorem corrigere, si commode potest; nihilominus putamus, consequenter ad nonnullorum doctrinam, ut nuper diximus, veram obligationem non dari.

---

observentur; sed in hypothesi quam consideramus, adeo parvi momenti sunt haec, ut quolibet retractandi incommodo excusari possint.

Nec verum est illud « Qui consilium dat etc. ». Eatenus enim id esset verum, quatenus esset verum hoc ratiocinium: « Ille mihi id dixit; atqui si censuisset deinde esse falsum, contrarium mihi dixisset; ergo adhuc censet esse verum ideoque pergit idem dicere. » Minor autem asseri nequit, nisi gratis, supposito quod alter nullum errorem detexit, aut quod errore detecto teneretur retractare, et quod retractare teneretur non ex mera obligatione caritatis aliave coram Deo tantum, sed ex iustitia, et ex iustitia erga me, non erga alium. Nisi haec supponantur, ratiocinium non concludit.

1 *Dices*: Qui ex officio tenebatur impedire aliquod damnum et culpabiliter omisit (v. gr. custos vineae), illud reparare debet, etsi iam cessaverit ab officio. Similiter ergo confessarius qui culpabiliter tacuit. — *Resp.*: Officium custodis respicit directe bonum vineae, cuius damna cavere debet; e contra, confessario non incumbit ex officio impedire violationes materiales legum, id est, eius officium non respicit directe bonum legis, sed poenitentis. Quare si, durante confessione tenetur eum monere de obligationibus sui status, id non tenetur facere ut caveat trangressiones legis, sed ut prospiciat poenitenti, qui tenetur illas nosse.

2 Lugo, d. 23, n. 74.

3 Ibid. n. 75; S. Alph. n. 620.

Si poenitens ad eumdem confessarium redit, certe is tenetur intra confessionem defectus reparare, quos circa integritatem sive culpabiliter sive inculpabiliter commiserat; tunc enim, ut iudex, debet ea supplere, quae poenitens ob ignorantiam omittit. Potest id nihilominus haud raro excusari, eo quod grave accidat poenitenti, si intelligat confessarium peccata tam alte defixa in memoria retinuisse.

Art. 2. Obligatio servandi sigilli.

723 *a*) **Obligatio**[1] servandi secretum circa audita in confessionibus, quam inculcat can. 889, est iuris divini, quippe quae sponte oritur ex institutione confessionis auricularis, ut patebit e ratione mox afferenda, estque omnium secretorum strictissima, adeo ut — 1° *Nullam omnino exceptionem admittat*, ne in casu quidem totius reipublicae salvandae, vel extremae necessitatis levandae. — 2° *Parvitatem materiae non admittat*, sitque peccatum grave revelare directe vel minimum peccatum

---

1 « § 1. Sacramentale sigillum inviolabile est; quare caveat diligenter confessarius ne verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem. — § 2. Obligatione servandi sacramentale sigillum tenentur quoque interpres aliique omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit» (can. 889).

« § 1. Omnino prohibitus est confessario usus scientiae ex confessione acquisitae cum gravamine poenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo. — § 2. Tam Superiores pro tempore exsistentes, quam confessarii qui postea Superiores fuerint renuntiati, notitia quam de peccatis in confessione habuerint, ad exteriorem gubernationem nullo modo uti possunt » (can. 890).

« Magister novitiorum eiusque socius, Superior Seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant » (can. 891).

« § 1. Confessarium, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit, manet excommunicatio specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata; qui vero indirecte tantum, obnoxius est poenis, de quibus in can. 2368, § 1. — § 2. Quicumque praescriptum can. 889, § 2 temere violaverit, pro reatus gravitate plectatur salutari poena, quae potest esse etiam excommunicatio » (can. 2369). Canonem 2368 vide in n. 670 nota, in quo habentur poenae sententiae ferendae in transgressores. *Conc. Lat. IV* severissime voluerat eos puniendos: « Qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum. »

De sigillo confessionis egregie tractavit Lugo, *De Poenit.* d. 23 per totum. Cf. etiam S. Alph. l. 6, n. 633-661; Ball.-P. n. 899 ad 1024; Lehmk. n. 586-602; Gén.-S. n. 379-393; Ferr. n. 752-781.

veniale. In revelatione tamen indirecta, id est, quando quis aliquid dicit, facit vel omittit, unde periculum oritur cognoscendi poenitentis, vel excitandi ei aliquod gravamen vel pudorem, dari potest parvitas materiae, nempe, si periculum sit adeo remotum, ut non videatur committi imprudentia gravis. — 3° *Non cesset obligatio propter opinionem probabilem* sive facti, v. gr. si dubitas an id scias ex confessione, sive iuris, scilicet si auctores dissentiunt an hoc vel illo modo violetur sigillum.

Ratio strictissimae huius obligationis est, quia fideles ab hoc sacramento tam necessario, in quo peccata etiam occultissima manifestanda sunt, vehementer retraherentur, nisi plene securi esse possent, omne prorsus periculum manifestationis abesse; ita ut ne hallucinationis quidem periculum timere debeant, qua confessarius decipi possit putans vel magnum malum cavendum esse, vel materiam esse parvi momenti, vel probabilitatem sibi favere.

Cum igitur tanti momenti sit, ut huiusmodi secretum fidelissime servetur, ius canonicum, can. 2369, peccatum confessarii, qui « sigillum directe violare praesumpserit », Apostolicae Sedi specialissimo modo reservat; si indirecte, iubet eum gravissimis poenis plecti. Ceteros autem, qui ad par secretum tenebantur, si illud directe vel indirecte violaverint, salutari poena pro delicti gravitate vult plectendos, etiam, si videtur, excommunicatione.

Obligatio sigilli oritur ex omni et sola confessione facta **724**
in ordine ad absolutionem sacramentalem. Datur ergo obligatio sigilli, etiamsi confessio sacrilega fuit, vel absolutio denegata, vel ab initio confessarius iurisdictione caruit. At non datur, quando ex dictis vel factis poenitentis constat eum absolutionem sacramentalem non intendisse, sed voluisse tantum vel consilium petere, vel a confessario aliquid furari, vel ei irridere; tunc tamen adesse potest obligatio silendi ob secretum naturale, vel commissum, ved ad vitandum scandalum.

Peccatum violati sigilli est: 1° Contra religionem, quoniam est abusus et irreverentia sacramenti illud ex institutione sua exigentis. Haec irreverentia et abusus semper est gravis in revelatione directa peccati cuiuslibet, etsi levissimi, potest autem aliquando esse levis in revelatione indirecta, ut diximus. — 2° Contra iustitiam, quoniam laedit quasi-contractum cum poenitente. Haec iniustitia parvitatem materiae admittit, ideoque potest adesse peccatum grave contra religionem solum, v. gr. si revelatur directe peccatum levissimum, cuius revelatio parum vel nihil interest poenitentis. — 3° Potest poenitentis fama laedi graviter, quae alia est iniustitiae species.

Confessarius interrogatus de rebus confessionis potest et debet dicere et, si opus est, iurare, sibi haec vel illa poenitentem non dixisse, vel se nihil scire, fit enim restrictio late mentalis (n. 340), quoniam haec unice de se, ut homine privato, intelligenda sunt, cum solum ut talis loqui possit. Quod si alius instet num hoc dicat cum restrictione mentali, num dicat tantum de sua scientia communicabili, vel de se ut privato, num illud sciat ut confessarius etc., potest semper negare, etiam cum iuramento, tum quia haec intelligi debent de restrictione mentali, quae licite omitti possit, tum quia, cum tantum iuxta scientiam extra-sacramentalem loqui possit, verum est quod ipse, iuxta eam, credit se nihil scire ut confessarium etc.

Si confessarius interrogatur num aliquem absolverit, respondeat « functus sum meo officio ». Item, si interrogatur a moniali, a parentibus, a sacrista, num poenitenti communio danda sit, remittat ut eum interrogent, an communicare velit; nam, quamvis contra sigillum non esset affirmare, tamen aliquod periculum revelationis indirectae oriretur pro iis, quos non absolvisset. Ideo si praevidetur necessitas alios de hac re monendi, optime aget, si petit prius licentiam: « Vis ut dicam te petere (vel nolle) communionem? » Nec deinde moneat sic: « Danda (vel non danda) est communio », ne differentia advertatur quando nihil moneat, sed: « Aegrotus dicit ut... », ita ut, si quando nihil monet, intelligatur nihil interrogasse, non vero communionem negandam esse.

725 *b*) **Subiectum** huius obligationis non solum est confessarius, sed etiam quicumque alii, ad quos « quoquo modo », ideoque sive iure sive iniuria, notitia confessionis pervenerit, ut ait can. 889, § 2 et eruitur e ratione generali ex huius sacramenti natura desumpta, quam nuper dedimus.

Igitur tenentur obligatione sigilli sacramentalis, praeter confessarium: Superior, ad quem poenitens se sistit post obtentam absolutionem a reservato, vel a quo poenitens, vel confessarius de poenitentis licentia, voce vel litteris, facultatem petit, ut absolvatur reservatum; sunt enim haec necessaria completio vel praeparatio confessionis. Item qui a confessario de consensu poenitentis consulitur, potest tamen cum confessario de materia consultationis loqui donec confessio perficiatur, quia poenitens usque ad id tempus licentiam dedisse intelligitur; item, qui sive casu sive malitiose alterum confitentem audit; item ille, cui alius sive advertenter sive inadvertenter aliquid ad sigillum pertinens revelat. Tenetur quoque lege sigilli, qui legit chartam peccata alterius continentem, si, dum is confitetur, ab eius vel confessarii manibus excidit, vel eripitur, vel

si, peracta confessione, a confessario quomodocumque amittitur, v. gr. si relicta fuit in confessionali, vel si amittitur a poenitente priusquam potuerit illam destruere. Item, qui eiusmodi chartam legit nondum incepta confessione, si charta poenitenti (v. gr. muto) medium est necessarium ut possit integre confiteri. Non tenetur lege sigilli, tenetur tamen obligatione secreti naturalis, qui legit chartam, quam poenitens libere asservavit cum eam destruere potuerit, vel qui eam legit n o n d u m f a c t a c o n f e s s i o n e, si poenitens hoc medium omnino l i b e r e adhibet.

Poenitens tenetur non quidem ad sigillum sacramentale, at certe ad secretum naturale, circa ea, quae a confessario audivit et, si manifestarentur, eius honorem laederent[1]. Immo, ait *S. Alph.*[2], hoc secretum naturale strictius obligat, quam alias; alii enim voluntarie consilia praebent, confessarius vero ex officio ad ea praebenda adigitur nec potest deinde, ob legem sigilli, se defendere.

c) **Materia** sigilli sunt peccata poenitentis et quidquid ad **726**
ea declaranda sive ex necessitate sive inepte dixerit poenitens; et generaliter omnia, quorum manifestatio odiosam redderet confessionem.

Igitur materia sigilli sunt peccata etiam publica; quare ne de publico quidem homicida ad supplicium trahendo liceret dicere eum homicidium cum magno dolore confessum esse.

Qui dicit aliquem quaedam venialia confessum esse, non violat sigillum, id enim semper supponitur, cum venialia omnia nemo absque speciali Dei privilegio vitare possit; violaret tamen qui diceret confessum esse h o c veniale, vel p l u r a venialia, vel venialia g r a n d i u s c u l a, id enim ex facto confessionis non deducitur.

Materia sigilli sunt quoque ea, quae poenitens, quamvis sine ulla necessitate, vel etiam imprudenter, ad sua peccata declaranda manifestat, v. gr. complex in peccato. At non sunt materia sigilli eae circumstantiae publicae, sive ad peccati accusationem necessariae sive secus, quas poenitens non censetur dare sub sigillo, sed potius p r a e v i e, ut peccatum intelligatur; v. gr. se esse coniugatum, ut intelligatur malitia adulterii; vel se esse medicum; vel propter tributa nuper imposita maledixisse magistratibus; unde licet confessario dicere se audisse confessionem hominis coniugati, vel medici talis loci, vel nova tributa nuper imponi, dummodo non detur locus

---

1 Nisi forte aliter exigat bonum privatum vel publicum, servato ordine caritatis et iuris. Ball.-P. n. 975.

2 S. Alph. n. 647.

suspicandi poenitentem contra obligationes sui status vel occasione talis eventus peccasse, ut facile accideret, si diceret haec per huius confessionem novisse.

Defectus poenitentis naturales et non secreti, qui non manifestantur ad declaranda peccata, sed incidenter in decursu confessionis a confessario deprehenduntur, materia sigilli sacramentalis non sunt; v. gr. caecitas, balbuties, foetor halitus; si tamen eorum declaratio aliquo modo confessionem facit odiosam, v. gr. poenitentem esse ignarum, hebetis ingenii, durae cervicis etc., sunt saltem materia secreti naturalis, iuxta plures etiam sigilli sacramentalis. — Dicere poenitentem esse impatientem, facile locum dare potest suspicandi eum propter aliquid grave a confessario correptum fuisse. — Scrupuli ad conscientiam declarandam manifestati, prorsus materia sigilli sunt; immo sigillum laederet confessarius qui diceret poenitentem plures scrupulos vel naenias attulisse, vel si in genere diceret hunc esse scrupulosum, ita ut intelligatur scrupulositatem cognovisse ex r e b u s a poenitenitente allatis (quamvis is ab omnibus iam habeatur ut scrupulosus); si vero scrupulositas intelligatur cognita ex m o d o loquendi, respondendi etc., est saltem materia secreti naturalis, iuxta nuper dicta.

Virtutes, dona extraordinaria, bona proposita etc. non sunt obiectum sigilli sacramentalis, saepe tamen materia sunt secreti naturalis, vel commissi.

Poenitentia imposita, nisi ea sit, quae pro levissimis peccatis imponi solet, v. gr. ter *Ave*, cadit sub sigillum sacramentale.

727 *d*) **Regula generalis** ad dignoscendum num is vel ille usus confessionis opponatur sigillo est, quod confessionem vel huic poenitenti, vel omnibus in genere, odiosam reddat. Scilicet, opponitur sigillo ea actio, quae vel cedit in gravamen poenitentis (can. 890, § 1), vel etsi in gravamen huius poenitentis non cedat, immo forsan in eius maximam utilitatem, tamen, generatim si absque licentia poenitentis licere diceretur, fideles a confessione aliquatenus retraherentur. Hinc:

Violat sigillum confessarius loquens de peccatis, quae ipse ex sola confessione novit, cum iis, qui ea aliunde norunt, et quamvis hi credant confessarium ea extra confessionem nosse; — qui de iis loquitur cum alio confessario, cui poenitens eadem accusaverat; — qui dicit confessionem non esse expletam; — qui negat communionem poenitenti indisposito, etiam occulte petenti; — qui poenitentem deinde torve aspicit aut cum eo durius agit; — qui post paucas confessiones dicit se peccatum grave audivisse; — qui unum poenitentem voce elata arguit; — qui dicit se audivisse peccatum grave a religioso cuiusdam Ordinis; id enim in odium cedit totius Ordi-

nis, nisi, quod non facile accidet, tale sit peccatum et coram iis dicatur, ut tale incommodum non sequatur, nec aliunde suspicio cadat in paucas domos, ubi ille audierit confessiones; — qui dicit tale vitium regnare in tali loco, nisi et locus satis amplus sit[1], et id sit publicum; — qui dicit se hunc non absolvisse, etsi is id prior dixerit, nisi coram confessario et aliis ita dicat, ut appareat nihil curare quod confessarius idem fateatur (non poterit is tamen dicere causam denegatae absolutionis); — denique Superior, qui notitia ex confessione hausta utitur ad gubernationem subditi (can. 890, § 2)[2], vel dispositionem mutat etiam sola mente factam[3].

Non violat sigillum qui dicit talem audivisse in confes- **728**
sione, nisi forte ex circumstantiis locus sit suspicioni; — qui absolutionem negat indisposito, etsi praevideat suspicionem aliorum, qui eum a communione abstinere cernent; praesertim quia abstentio diversis e causis oriri potest[4]; — concionator notitia utens confessionis ad loquendum de iis, quae secus non cogitasset, nisi v. gr. narret peccatum omnino particulare alicuius; id enim poenitens aegre ferret; vel nisi verba habeat coram privata communitate dicatque talem culpam in particulari ibi committi; id enim omnibus odiosum fit; licet tamen verba habere de defectibus, quos religiosi facilius committunt ubilibet vel committere possunt; — qui extra confessionem de rebus confessionis agit cum poenitente de ipsius licentia; dummodo haec non sit mere praesumpta, sed expressa[5], et libere, id est, non v. gr. ob metum etiam mere reverentialem, vel ob importunas preces, concessa; — qui loquitur de iis, quae aliunde etiam extra sacramentum novit; — qui intra confessionem[6] loquitur cum poenitente, etiam sine eius licentia, de

---

1 Saltem constans 3.000 catholicis, ait S. Alph. n. 654.

2 Ut liberior fiat Superioribus gubernatio et pericula aut suspiciones de usu notitiae confessionis praecidantur, vetat can. 891 Magistrum novitiorum eiusque socium et Superiorem Seminarii collegiive confessiones suorum alumnorum in eadem domo commorantium audire, nisi ii ex gravi et urgenti causa in casu particulari id petant. Cf. dicta circa haec in n. 648.

3 Potest tamen petere a poenitente et, si opus est, eum obligare, ut ad bonum ipsi necessarium licentiam det propositum mutandi; si tamen licentia negetur, hanc usurpare non poterit.

4 Nec est violatio sigilli iussio redeundi, vel longa confessio; nam haec plurimis de causis accidere potest.

5 Satis expresse dat licentiam poenitens, qui ipse extra confessionem de iis rebus loqui incipit cum confessario; is tamen non potest in casu ad aliam materiam excurrere, de qua ille non loquitur.

6 Censetur fieri adhuc intra confessionem, si fit statim post absolutionem antequam poenitens discedat, moraliter enim iudicium adhuc perseverat.

praecedentibus confessionibus; quod tamen fieri debet cum rationabili causa, v. gr. ad quaerendum de emendatione pravae consuetudinis, quomodo remedia praescripta adhibuerit etc., secus enim esset refricatio molestissima peccatorum praeteritorum exosam reddens confessionem; — qui eum usum notitiae confessionis facit, qui etsi licere sciretur, nullimode hanc redderet odiosiorem; v. gr. si confessarius ea utitur ad se vel alios tuendos ab occasionibus damni spiritualis vel temporalis[1], ad orandum pro poenitente, ad libros vel sapientes consulendos, ad temperandum rigorem, quem nocivum esse expertus est, ad alios interrogandos vel instruendos, nullam tamen dando suspicionem confessionis; — nec violaret sigillum qui, propter confidentiam, qua poenitens sibi gravissima peccata cum magno dolore manifestavit, benignius eum prosequeretur eique specialiter faveret, etsi poenitens intelligeret id oriri ex confessione; quia id aegre non ferret nec confessionem reddit molestiorem.

729 Denique cautissimus sit sacerdos in narrandis rebus confessionis vel propter scandalum rudiorum vel propter malitiosos et acuti ingenii, qui facile e levissimis indiciis rem coniectant. Adde quod, si hodie factum quoddam narras non vulgare, v. gr. te excepisse confessionem medici qui secreto medicamine avunculum necavit ad hereditatem citius obtinendam, tacens aliquam circumstantiam, v. gr. nomen pagi; post aliquod vero tempus idem narras, aliis mutatis circumstantiis, etsi coram novis auditoribus, v. gr. in tali loco te invenisse hominem qui secreto quodam modo avunculum necavit ad eius hereditatem obtinendam: tertius, ad cuius aures utraque narratio pervenit, optime dignoscit agi de medico, vel de uno e medicis, talis loci. Unde consultissimum erit de auditis in confessionibus prorsus et omnio silere[2].

---

1 Dummodo nulla detur aliis suspicio peccati accusati nec redundet in ullum gravamen poenitentis aut in eius implicitam exprobrationem. Sic non liceret auferre pecunias ab arca aut claves e famulo, ne furetur; liceret vero sacerdoti, qui ex confessione sciret insidias sibi parari vel venenum esse in vino Missae, fugere vel Missam omittere, quando inde ansa non praeberetur suspicandi peccatum accusatum, nec ullum poenitenti gravamen sequeretur.

2 *S. Off.* 9 iun. 1915 instructionem misit ad locorum Ordinarios familiarumque religiosarum Moderatores, in qua queritur quod non desint « qui, quamquam reticitis omnibus quae poenitentes quomodocumque prodere queant, de submissis in sacramentali confessione clavium potestati sive in privatis collocutionibus sive in publicis ad populum concionibus (ad auditorum, ut aiunt, aedificationem) temere sermonem facere non vereantur. Cum autem in re tanti ponderis et momenti, nedum perfectam et

Scheda confessionis iis indispositis, qui absolutionem non obtinuerunt, denegari non potest, quando ex adiunctis periculum esset eorum indispositionem revelandi; v. gr si scheda omnibus dari solet, si exigitur ab hero, parentibus etc. E contra, deneganda est indisposito, quando tale periculum revelationis omnino deest, itemque ei, quem constat confessionem sacramentalem instituere nullatenus intendisse.

Sacerdos iterum vocatus ad audiendam confessionem eius quem v. gr. novit indispositum, eo quod non vult restituere, non potest se excusare, quando periculum sit ut intelligatur, saltem in genere, causa excusationis; poterit tamen statim ab initio confessionis eum dimittere (dummodo id praedictum periculum non afferat), reddendo ei rationem et petendo ne iterum vocet inutiliter. Poterit vero non adire, quando aliquo praetextu recusationem velare possit.

Mos audiendi simul plures pueros, de quibus dubitatur an sint doli capaces, gravissime reprehendendus est[1], tum quia sacramentum adhibetur ad iocum, tum quia exponuntur moraliter pueri periculo revelandi ceteris peccata sociorum.

Caput 10. INDULGENTIAE

De indulgentiis agit Codex ultimo loco in sectione de **730** sacramento poenitentiae; eiusque dispositioni magis congruum visum est nos accommodare, quam iis auctoribus, qui post *Busenbaum* cum *Lacroix* et *S. Alph.* idem argumentum occasione satisfactionis sacramentalis tractabant.

« Omnes magni faciant indulgentias seu remissionem coram Deo poenae temporalis debitae pro peccatis, ad culpam

---

consummatam iniuriam, sed et omnem iniuriae speciem et suspicionem studiosissime evitari oporteat, » praecipit praedictis, ut abusus, si quos deprehendant, efficaciter coerceant, mandatque ut doceatur clerus « ne quid umquam, occasione praesertim sacrarum missionum et exercitiorum spiritualium, ad confessionis sacramentalis materiam pertinens, quavis sub forma et quovis sub praetextu, ne obiter quidem et nec directe nec indirecte (excepto casu necessariae consultationis iuxta regulas a probatis auctoribus traditas proponendae) in suis seu publicis seu privatis sermonibus attingere audeant ». Integram instructionem cum parvo commentario habes ap. FERRERES, in ephem. *Razón y Fe* XLVIII, p. 89; VERMEERSCH, *Periodica* IX, p. 112; commentarium praeterea in FERR. II, n. 772-774.

1 LUGO d. 23, n. 72 cum NAVARRO.

quod attinet iam deletis, quam ecclesiastica auctoritas ex thesauro Ecclesiae concedit pro vivis per modum absolutionis, pro defunctis per modum suffragii » (can. 911) [1].

Art. 1. Notiones praeviae.

Per indulgentias remittuntur sive totaliter sive partialiter (hinc denominatio indulgentiae plenariae vel partialis) [2] poenae temporales debitae pro peccatis quoad culpam iam deletis, per applicationem thesauri Ecclesiae, seu ex cumulo satisfactionum Christi, quae infinitae sunt; B. Mariae Virginis, sanctorum, aliorumque iustorum, quae, cum superabundantes fuerint, Ecclesiae potestati sunt concreditae, ut fidelibus vivis et defunctis applicentur.

Vivis applicantur per modum absolutionis, seu solutionis, nam Ecclesia vi iurisdictionis, quam habet in fideles vivos, eis remittit tantum poenae quantum indulgentia significat, pro eadem de praedicto thesauro quantitatem satisfactionum necessariam tradens, ex qua debitum solvatur; positis ergo debitis condicionibus, indulgentia effectum operatur infallibilem, siquidem applicatur vi potestatis clavium. Defunctis vero applicantur per modum suffragii, seu deprecationis, quatenus Ecclesia Deum rogat, siquidem iurisdictione caret in defunctos, ut benigne velit talem satisfactionem pro eis acceptare.

Pia et iusta causa requiritur ad validam indulgentiae concessionem; huiusmodi causae variae esse possunt, petunturque praesertim ex fine a Romano Pontifice intento ad honorem Dei et salutem animarum.

Concedere possunt indulgentias, praeter Romanum Pontificem, cui totius spiritualis Ecclesiae thesauri a Christo Domino commissa est dispensatio (can. 912), sequentes: Cardinales indulgentias ducentorum dierum iuxta normam can. 239, § 1, n. 24°, eis praescriptam; Archiepiscopi centum dierum tam pro sua dioecesi quam pro tota sua provincia (can. 274,

---

1 De indulgentiis conferri possunt Suárez d. 49-57; Lugo, *De Poenit*, d. 27; Lacroix 1410-1575 (al. 1310-1475); S. Alph. n. 531 ad 538; Wirceb., *De Poenit.* t. 10, d. 2, c. 6; Beringer, *Les indulgences;* Pesch, *Prael. dogm.* t. 7, n. 461-507; Lehmk. n. 659-710; Gén.-S. n. 401-415; Ferr. n. 784-827; Verm.-Creus. t. 2, n. 200-221; Blat, *Comment. text. Iur.* p. III, pag. 326-341; Fanfani, *De indulgentiis.*

2 Indulgentia partialis tot dierum, quadragenarum vel annorum, significat tantam remittendam esse poenam, quanta remitteretur per poenitentiam canonicam pro dicto tempore impositam. Huiusmodi poenae canonicae imponebantur olim, sed incompertum est quantam poenam sive tunc sive nunc remittant ex acceptatione misericordiae divinae.

2°); Episcopi residentiales quinquaginta dierum in sua dioecesi (can. 349, § 2, 2°) [1]. « Indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt tum subditi extra territorium, tum peregrini, vagi omnesque exempti in territorio degentes » (can. 927). Non possunt tamen hi, Romano Pontifice inferiores, concedere indulgentias defunctis applicabiles; nec possunt indulgentias adiungere eidem rei, seu actui pietatis, vel sodalitio, cui iam a S. Sede vel ab alio indulgentiae adnexae sint, nisi novas condiciones adimplendas praescribant (can. 913).

Quoties in die acquiri possit indulgentia, perspicue de- **731**
clarat can. 928: « § 1. Indulgentia plenaria, nisi aliud expresse cautum sit [2], acquiri potest semel tantum in die, etsi idem opus praescriptum pluries ponatur [3]. — § 2. Partialis indulgentia, nisi contrarium expresse notetur, saepius per diem, eodem opere repetito, potest lucrifieri. »

Cuinam diei affixa est indulgentia. Plenaria concessa pro festis Domini Nostri Iesu Christi vel pro festis B. Mariae Virginis, intelligitur dumtaxat pro festis quae in calendario universali reperiuntur; plenaria vel partialis concessa pro festis Apostolorum, intelligitur dumtaxat pro eorum festo natali (can. 921, §§ 1 et 2) [4].

---

1 Item Abbates vel Praelati nullius et Vicarii Praefectique Apostolici quinquaginta dierum iudulgentias concedere possunt in suis territoriis (can. 323, § 1, 294, § 2). Non possunt indulgentias concedere Episcopi titulares, etsi auxiliares sint, nec Vicarii generales, nec Vicarii Capitulares.

2 Aliud expresse cautum est per verba « toties quoties » apposita in concessione indulgentiae plenariae lucrandae die 2 novembris; de quo vide n. 744.

3 Nempe, semel in die acquiri potest vi uniuscuiusque concessionis, pluries tamen vi diversarum concessionum, si opera ponantur in eisdem praescripta.

4 Indulgentia plenaria concessa ut « *quotidiana perpetua* vel ad tempus », intelligitur ut quacumque die, sed semel tantum in anno, acquiri possit (can. 921, § 3).

Indulgentiae adnexae alicui *festo, quod transfertur* (idem dic de precibus adnexis sacris supplicationibus, vel precibus novendialibus, septenariis, triduanis, quae ante aut post festum vel etiam eius octavario perdurante peraguntur); translatae intelligantur in duobus his casibus: 1° Si festum translatum habeat Officium cum Missa et transferatur in perpetuum, quamvis festum fiat sine solemnitate et externa celebratione; 2° Si transferatur, sive ad tempus sive in perpetuum, sollemnitas et externa celebratio (can. 922).

Non transfertur indulgentia, sed manet diei affixa, quando festum, cui adnexa est, transfertur accidentaliter tantum, etiam ob occursum feriae VI in Parasceve, absque sollemnitate externa. *S. Poenit.* 18 febr. 1921 (*A.A.S.* [1921] p. 165).

Indulgentia plenaria « ita concessa intelligitur, ut si quis eam plenarie lucrari non possit, eam tamen partialiter lucretur pro dispositione quam habet » (can. 926).

An possint aliis applicari. Indulgentias concessas ab aliis quam a Summo Pontifice quisque pro se tantum lucrari potest; nam aliis, sive vivis sive defunctis applicabiles non sunt; concessas autem a Romano Pontifice, sibi vel defunctis potest quisque applicare, sed non aliis vivis[1].

Si indulgentiam quis defunctis applicare vult, plenariam applicare non potest, nisi uni animae determinatae; partiales vero indulgentias, quoniam fructum habent divisibilem, vel certis animabus vel omnibus in genere applicare poterit.

Indulgentiae coronis aliisve rebus adnexae tunc tantum cessant, cum coronae aliaeve res prorsus desinant vel vendantur[2] (can. 924, § 2). Non cessant ergo quamvis commodentur vel donentur[3].

---

1 « Nemo indulgentias acquirens potest eas aliis in vita degentibus applicare; animabus autem in purgatorio detentis indulgentiae omnes a Romano Pontifice concessae, nisi aliud constet, applicabiles sunt » (can. 930).

2 Ergo res huiusmodi indulgentias amittunt, cum venduntur; propterea earum venditio non est simonia, ut diximus alibi (n. 133 nota). Indulgentias quoque amittunt, si cum aliis rebus correspondentis valoris permutantur, id enim aequivalenter est venditio (Blat, *Comment. text. Cod.* l. 3, p. 321; Gén.-S. n. 408, litt. *e*). Nullum tamen praeiudicium afferret indulgentiis, quod emptor venditori committeret, ut ipse curaret res easdem *iam emptas* benedici, etsi pretium nondum solvisset (*S. Congr. Indulg.* 10 iul. 1896; *A.S.S.* XXIX, p. 320).

3 Igitur indulgentiae rebus huiusmodi adnexae, sunt *reales* easque proinde sibi lucrabitur quilibet, cui res donatae fuerint vel in commodatum traditae (Blat loc. cit. p. 322; Mach-Ferreres tom. 2, n. 337; Verm.-Creus. l. 3, n. 208, 3°; Gén.-S. n. 402, 2°). Quod maxime patet post responsum *S. Poenit.* 18 febr. 1921 (*A.A.S.* [1921] p. 164), in quo declaratur, per verba can. 924, § 2 « tunc tantum cessant », debere censeri abrogatas dispositiones pristinas pontificias, quibus edictum fuerat indulgentias vulgo « apostolicas » huiusmodi rebus adnexas, non posse transire personas, quibus res concessae fuerant aut primo distributae (cf. *S. Congr. Indulg.* decr. auth. n. 34). Haec tamen non erat dispositio pro solis indulgentiis vulgo « apostolicis », sed regula generalis pro quibuslibet indulgentiis, quae rebus huiusmodi adnectuntur (Beringer t. 1, pars. 2, sect. 3, A, n. 1 sub 11), et constanter a S. Sede observabatur (v. gr. *S. Congr. Indulg.* decr. auth. n. 78; Ferraris, v. *Indulgentia* art. 6, n. 23 pro coronis S. Brigittae et aliis). Iam ergo non solum huiusmodi res indulgentias « apostolicas » habentes, sed omnes huiusmodi, quae alias indulgentias habent, v. gr. crucifixi *Viae Crucis* pro impeditis, possunt aliis utiliter commodari (nisi indulgentia concessa fuerit « exclusive » pro persona determinata); is enim est sensus canonis 924, ut patet ex laudato responso *S. Poenit.* Haec tamen non posse scapularibus applicari manifestum est et magis adhuc patebit ex dicendis circa ipsa suo loco.

In coronis vel rosariis indulgentiae adnexae sunt globulis; illae proinde non amittuntur etsi catenula rumpatur, et quamvis globuli ad aliam catenulam, etiam diverso ordine, transferantur. Pariter, in crucifixis indulgentiae adnexae sunt imagini Christi, quae proinde ab una cruce in aliam transferri potest[1].

Art. 2. Condiciones generales.

Condiciones generales[2] ad indulgentiam aliquam lucran- **732**
dam, supposito quod homo nulla excommunicatione teneatur, sunt:

1° *Intentio* eam lucrandi; sufficit tamen habitualis, id est, aliquando elicita et non retractata; sufficit etiam generalis lucrandi omnes indulgentias, quarum condiciones quis adimpleat.

2° *Status gratiae* confessione vel contritione procuratus[3]; sufficit in eo statu versari quando ultimum opus praescriptum ponitur, ut indulgentia obtineatur. Probabiliter gratiae status requiritur, etiam cum quis defuncto indulgentiam applicat.

3° *Impletio operis praescripti*, quod valde diversum esse potest. Nonnulla seorsim dicemus nunc de operibus, quae plerumque praescribi solent, sed interea sequentia adverte:

Si quis aliquod ex praescriptis operibus vel aliquam eorum partem notabilem omittit, quamvis ob impotentiam, ignorantiam, vel oblivionem inculpabilem, indulgentiam non acquirit. Non tamen oberit omissio partis relate ad totum modicae, v. gr. omissio unius alteriusve invocationis in Litaniis.

Si plura opera praescribuntur, generatim quovis ordine expleri possunt[4].

---

1 Beringer, *Les indulgences* tom. 1, p. 2, s. 3, litt. *A*, n. 1 ad 9; *S. Congr. Indulg.* decr. auth. n. 281 ad 6.

2 Condiciones generales sic recenset canon 925: « § 1. Ut quis capax sit sibi lucrandi indulgentias, debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum, subditus concedentis. — § 2. Ut vero subiectum capax eas revera lucretur, debet habere intentionem saltem generalem eas acquirendi et opera iniuncta implere statuto tempore ac debito modo secundum concessionis tenorem. »

3 Hanc condicionem memorare solent illa verba « corde saltem contrito » quae in concessionibus apponuntur.

4 Quamvis saepe concessio dicat: « qui vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti, ecclesiam visitaverint », potest nihilominus visitatio impleri sive ante sive post aliorum piorum operum implementum (*S. Congr. Indulg.* decr. auth. n. 214).

« *Opere, cui praestando quis lege aut praecepto obligatur*, nequit indulgentia lucrifieri [1], nisi in eiusdem concessione aliud expresse dicatur; qui tamen praestat opus sibi *in sacramentalem poenitentiam* iniunctum, et indulgentiis forte ditatum, potest simul et poenitentiae satisfacere et indulgentias lucrari » (can. 932).

Uno eodemque opere non possunt plures acquiri indulgentiae, nisi agatur de confessione aut communione [2].

Confessarii commutare possunt pia opera ad lucrandas indulgentias iniuncta, pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant (can. 935) [3]. Commutare igitur possunt v. gr. visitationem ecclesiae pro iis, qui domo exire nequeant, vel communionem pro iis, qui ab ecclesia longe degunt, vel confessionem pro iis, qui diu quovis confessario carebunt [4].

---

1 *S. C. Indulg.* decr. auth. n. 291 ad 2 iam declaraverat « non posse per preces iam obligatorias, v. gr. per Horas canonicas, satisfieri precibus a Summo Pontifice praescriptis ob lucrandam indulgentiam plenariam ». Attamen declaratum est per confessionem et communionem paschalem posse simul quis praecepto Ecclesiae satisfacere et indulgentiam plenariam lucrari (*S. Congr. Indulg.* decr. auth. n. 288 296 327); id tamen plerumque non valet pro indulgentia iubilaei, ut inferius dicemus.

2 « Uni eidemque rei vel loco plures ex variis titulis adnecti possunt indulgentiae; sed uno eodemque opere, cui ex variis titulis indulgentiae adnexae sint, non possunt plures acquiri indulgentiae, nisi opus requisitum sit confessio vel communio, aut nisi aliud expresse cautum fuerit » (can. 933).

Quare, si eidem coronae applicatae fuerint indulgentiae apostolicae et SS. Rosarii, ambae lucrari nequeunt, nisi bis preces recitentur. Attamen, per *S. Congr. Indulg.* 12 iun. 1907 concessum est, ut fideles, dum recitant Rosarium Marianum, cumulare valeant indulgentias SS. Rosarii cum illis, quae a P.P. Crucigeris nomen habent, dummodo coronae utramque benedictionem acceperint (*A.S.S.* XL, p. 422).

3 Huiusmodi commutationem a confessario, id est, a sacerdote approbato ad confessiones exerceri posse extra confessionem, affirmat Verm.-Creus. n. 221. Negat. Ferr. n. 787, quaer. 13, nixus const. Bened. XIV, *Inter praeteritos* § 63, cuius tamen paragraphi verba videntur accipienda pro indulgentia tantum iubilaei, secus nimia extensione deberent donari. Profecto, res non videtur controvertenda ex can. 202, § 2 permittente horum actuum exercitium in foro interno extra-sacramentali, quoties sacramentale expresse, vel ex ipusa rei natura, non exigitur.

4 *Americae Lat.* per const. Leonis XIII *Trans Oceanum* 18 apr. 1897, concessum est: « n. IX. Ut omnes fideles lucrari possint indulgentias et iubilaea, quae requirunt confessionem, comunionem et ieiunium, dummodo servato ieiunio, si loca inhabitent, ubi impossibile prorsus vel difficile admodum sit confessarii copiam

a) **Confessio** praescripta peragenda est etiam ab iis, qui 733
sibi lethalis peccati conscii non sunt, non tamen necesse est absolutionem sacramentalem recipere [1].

Confessio et communio [2] ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, possunt *anticipari*, dummodo confessio fiat intra octo dies immediate praecedentes, communio autem anticipari tantum potest uno die. Utraque possunt *differri* intra subsequentem octavam; atque haec dilatio permittitur quoque post expleta exercitia triduana, octiduana, novendialia, menstrua, quibus indulgentiae erant concessae (can. 931).

Tum ii, qui confiteri solent bis saltem in mense, tum qui solent communicare fere quotidie, lucrari possunt omnes indulgentias sine actuali confessione, quae alias necessaria foret; nisi agatur de indulgentia iubilaei ordinarii vel extraordinarii vel ad instar iubilaei [3] (can. 931, § 3).

Non est necesse confessionem et communionem peragere in eadem ecclesia, cuius visitatio praescribitur, nisi contrarium expresse constet [4].

Ex praxi Ecclesiae, sat constanter in concessionibus indulgentiarum observata, indulgentia plenaria requirere solet confessionem et communionem; non tamen semper, ut accidit pro exercitio Viae Crucis.

---

habere, corde saltem contriti sint cum proposito firmo confitendi admissa, quam primum poterunt, vel ad minus intra unum mensem. » Possunt igitur in iis adiunctis aut commutationem a confessario obtinuisse, iuxta can. 935, aut saltem praedicto privilegio uti.

1 *S. Congr. Indulg.* decr. auth. n. 214 295 ad 2, 359.

2 « § 1. Ad quaslibet indulgentias lucrandas confessio forte requisita peragi potest intra octo dies qui immediate praecedunt diem cui indulgentia fuit affixa; communio autem in pervigilio eiusdem diei; utraque vero etiam intra subsequentem totam octavam. — § 2. Pariter ad lucrandas indulgentias pro piis exercitiis in triduum, hebdomadam, etc., ductis concessas, confessio et communio fieri etiam potest intra octavam quae immediate sequitur exercitium expletum. — § 3. Christifideles qui solent, nisi legitime impediantur, saltem bis in mense ad poenitentiae sacramentum accedere, aut sanctam communionem in statu gratiae et cum recta piaque mente recipere quotidie, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, etiam sine actuali confessione quae ceteroquin ad eas lucrandas necessaria foret, exceptis indulgentiis sive iubilaei ordinarii sive ad instar iubilaei. »

3 *Ad instar iubilaei* dicuntur eae indulgentiae, quas, adnexa concessione aliqua ampliore circa absolutiones, dispensationes etc., largiuntur nonnumquam Romani Pontifices universo orbi occasione alicuius specialis eventus; non vero illae, quae toties quoties in die acquiri possunt, ut indulgentia Portiunculae. Ferr. n. 795, quaer. 6.

4 Beringer op. cit. tom. 1, p. I, n. X, § 4, 9°.

734 *b*) **Visitatio ecclesiae** vel oratorii publici [1] certo diei affixa anticipari potest a meridie [2] diei praecedentis, tempus autem habile protrahitur usque ad mediam noctem diei statuti [3].

Religiosi, etiam novitii, atque eorum famuli et convictores, si carent ecclesia vel oratorio publico, visitare possunt, quando praecipitur visitatio alicuius ecclesiae in genere, suae propriae domus sacellum [4]; constat ex can. 929.

Visitatio fieri potest etiam ante confessionem et communionem.

Ad indulgentiam iterato lucrandam (si ea pluries acquiri conceditur) visitatio ecclesiae iteranda est, ita ut sit necesse ex ecclesia egredi et denuo in eam ingredi; non opus est tamen ab ecclesia egredi post communionem, sed potest tunc visitatio cum precibus peragi.

Sentiunt aliqui [5] sufficere visitationem ad valvas ecclesiae, si haec est clausa; id tamen certum non est, nec sufficit probabilitas, ut indulgentia lucrifiat. Certe sufficit multitudini extra templum se adiungere, si tota ingredi non possit [6].

---

1 Can. 921, § 3, can. 929. Non prodest visitatio alicuius oratorii semi-publici. Nihilominus, « Fideles utriusque sexus qui, perfectionis studio vel institutionis seu educationis aut etiam valetudinis causa in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt, itemque personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes, quoties ad lucrandas indulgentias praescribatur visitatio alicuius ecclesiae non determinatae, vel indeterminati alicuius publici oratorii, visitare queunt propriae domus sacellum in quo obligationi audiendi Sacrum iure satisfacere possunt, dummodo cetera opera iniuncta rite praestiterint » (can. 929).

Bene advertit Verm.-Creus. n. 218 id non valere pro oratorio semi-publico hospitalis, etsi de consensu Ordinarii erecto, si hospitale ipsum laica auctoritate tantum, seu sine consensu Ordinarii, constitutum est; nec valere pro carcere detentis, quia hi alia de causa ibi commorantur. Ex ipsis etiam concessionis verbis patet eam non valere, quando determinata aliqua ecclesia praecipitur visitari, ut accidit pro indulgentia Portiunculae die 2 aug.

2 Tempore computato iuxta communem loci usum, quicumque iste sit; can. 33, § 1. Cf. Blat, *Comm. text. Cod.* p. 320.

3 « Ad lucrandam indulgentiam alicui diei affixam, si visitatio ecclesiae vel oratorii requiratur, haec fieri potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae statutum diem claudit » (can. 923).

Hic canon, ut ex ipsius tenore liquet, valet etiam pro visitatione proprii oratorii semi-publici pro iis quibus permittitur in can. 929, quem vide in nota praecedenti.

4 Religiosi Soc. Iesu (etiam novitii), pro visitatione ecclesiae determinatae, possunt preces pro consuetis Summi Pontificis intentionibus fundere ad altare SS. Sacramenti in ipsorum ecclesiis, idque inservit pro lucrandis indulgentiis, etiam plenariis, pro quibus opus fuisset visitare ecclesias aut loca pia iis decorata in locis, in quibus ipsi degunt (*Comp. privil. Soc. Iesu* [1892] n. 332).

5 Cf. S. Alph. n. 538, q. 10, § « Hic autem ».

6 *S. Poenit.* (sine die) *A.S.S. VIII*, p. 554 ad 1.

c) **Preces**[1] generatim praecipiuntur fundendae, in visitatione ecclesiae, ad mentem Summi Pontificis, id est, pro exaltatione sanctae Ecclesiae, propagatione sanctae fidei catholicae, exstirpatione haeresum, pace et unione inter principes et populos christianos, quas tamen intentiones non opus est distincte enumerare aut recordari. Non sufficit orare mentaliter[2]. Nullae tamen peculiares preces vocales assignatae sunt, sufficiunt tamen communi opinione quinque *Pater* cum *Ave* et *Gloria*[3], quae alternatim cum alio recitari possunt; eas flexis genibus recitare praescriptum non est. Certe non admittitur oratio aliunde praecepta, v. gr. recitare Horas canonicas ad mentem Summi Pontificis.

Si indulgentia peculiari orationi adnexa est, potest haec recitari quovis idiomate[4], dummodo versio sit legitime approbata et recitatio sit fidelis sine additione ulla, detractione vel interpolatione.

Art. 3. Particulares quaedam indulgentiae.

Perutile erit nunc praecipua animadvertere de particu- **735**
laribus quibusdam indulgentiis, quae specialibus condicionibus subiiciuntur, et in quibus ad suam sacerdotalem praxim oportet ut sacerdos sit instructus[5].

---

1 De iis can. 934: « § 1. Si ad lucrandas indulgentias oratio in genere ad mentem Summi Pontificis praescribatur, mentalis tantum oratio non sufficit; oratio autem vocalis poterit arbitrio fidelium deligi, nisi peculiaris aliqua assignetur. — § 2. Si peculiaris oratio assignata fuerit, indulgentiae acquiri possunt quocumque idiomate oratio recitetur, dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel Sacrae Poenitentiariae vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio; sed indulgentiae penitus cessant ob quamlibet additionem, detractionem, vel interpolationem. — § 3. Ad indulgentiarum acquisitionem satis est orationem alternis cum socio recitare, aut mente eam prosequi, dum ab alio recitatur. »

2 Attamen, « muti lucrari possunt indulgentias adnexas publicis precibus, si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios sensus ad Deum attollant; et si agatur de privatis orationibus, satis est ut eas mente recolant signisve effundant vel tantummodo oculis percurrant » (can. 936).

3 BERINGER, *Les indulgences* p. 1, n. X, § 6.

4 Excipe Officium parvum B. Mariae Virg. (vide tamen infra sub n. 11) et Defunctorum, quae in *Breviario* continentur et indulgentiis ditata sunt; non tamen excipiendae sunt aliae preces breviores, etsi in *Breviario* contentae, v. gr. *Veni, Sancte Spiritus, Pange lingua*, a fidelibus usitatae ideoque non ut stricte liturgicae considerandae. BERINGER op. cit. tom. 1, p. 1, n. XIV, 6°.

5 Quamplurima sunt pia opera indulgentiis variis ditata. Mentionem faciemus sequentium, quae apud fideles valde sunt in usu, vel sunt cuilibet adimpletu facilia; circa quae adeatur prae-

a) **Benedictio papalis** seu apostolica, qua Summus Pontifex populum sollemnioribus quibusdam diebus benedicere solet elargiendo simul indulgentiam plenariam, impertiri potest, iuxta can. 914, Episcopus in sua dioecesi in die Paschatis et alio festo sollemni; Abbates autem vel Praelati nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici, in uno tantum ex sollemnioribus per annum festis.

Regulares, qui privilegium habent eamdem impertiendi, id tantum facere possunt in suis ecclesiis vel monialium aut Tertiariorum sibi aggregatorum, neque eodem die et loco, quo Episcopus (can. 915).

Omnes praedicti, sicut quilibet quibus specialis facultas benedictionem apostolicam impertiendi concedatur, servare tenentur formulam praescriptam. Haec autem pro Episcopis aliisque Praelatis saecularibus est, quae habetur in *Pon-*

---

sertim opus P. BERINGER, *Les indulgences*, quod declaratum fuit authenticum.

1. Signare se signo crucis dicendo *In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen* (BERINGER, *Les indulgences* t. 1, p. 2, sect. 1, *A* n. I, 1).

2. *Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium et tui amoris in eis ignem accende* (*A.S.S.* XL, p. 379).

3. *Iesu, Deus meus, super omnia amo te* (BER. ibid. n. I, 8).

4. Visitare aliquam imaginem SS. Cordis Iesu in aliqua ecclesia, oratorio vel altari venerationi publicae expositam et preces ad intentionem Summi Pontificis fundere (ibid. sect. 2, *A* n. 18). Non sufficeret si Divinus Salvator manu cordis locum aut vulnus indicaret, sed ipsum cor manifestum esse debet (BER. ibid.).

5. Quinquies recitare *Pater* cum *Ave* et *Gloria* in visitatione SS. Sacramenti, addito alio *Pater* cum *Ave* et *Gloria* ad intentionem Summi Pontificis (BER. ibid. *B* n. 30).

6. Devote invocare labiis aut saltem corde SS. nomina Iesu et Mariae (*A.S.S.* XXXVII, p. 344).

7. Litanias lauretanas B. Mariae Virginis recitare cum tribus *Agnus Dei* (non est necesse adiicere *Sub tuum praesidium* nec orationem *Gratiam tuam*). (BER. ibid. *B* n. 49).

8. *Angelus Domini* cum suis tribus *Ave Maria*, genibus flexis, sed diebus dominicis a primis vesp. stando; recitatur quotidie ad pulsum campanae mane, vel meridie, vel vespere post solis occasum (ibid. *B* n. 47).

NB. — *a*) Si quis, ad recitationem *Angelus Domini*, rationabili motivo genuflectere impeditur, ab hoc requisito dispensatur, sed debet tunc addere vers. *Ora pro nobis* cum orat. *Gratiam tuam* (ibid.).

b) Tempore paschali, loco *Angelus Domini* recitandum est *Regina Coeli* cum vers. *Gaude et laetare* et orat. *Deus, qui per resurr.;* si quis tamen nescit *Regina Coeli*, permittitur recitare *Angelus Domini* (ibid.).

c) Si in loco, ubi quis versatur, non pulsatur campana, concessum est, ut quis recitationem peragat circiter sub tempore, quo pulsanda esset (ibid.).

d) Religiosi utriusque sexus qui nequeunt recitationem facere cum pulsatur campana, eo quod tunc aliquo exercitio a regula

tificali Romano; pro regularibus, cum sollemniore quodam die, iuxta sua privilegia, eam dant in suis ecclesiis, iuxta can. 915, formula habetur in *Rituali Rom.* tit. 8, c. 32; pro missionariis, concionatoribus etc., quibus facultas concessa est eam impertiendi in fine missionum, concionum, exercitiorum etc., formula non necessario adhibenda est, quae in *Rit. Rom.* loc. cit., sed quae data est a *S.R.C.*[1], nempe unico signo crucis cum crucifixo sub verbis *Benedictio Dei Omnipotentis, Patris... descendat super vos...* Amen[2].

---

praescripto detinentur, satisfaciunt recitando statim post peractum exercitium (ibid.).

9. *Memorare, o piissima...* (ibid. n. 52).

10. *Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. Amen* (ibid. *A* n. I, 18).

11. *Fac nos innocuam, Ioseph, decurrere vitam, sitque tuo semper tuta patrocinio* (ibid. *A* n. II, 19).

12. Ps. *De profundis* cum vers. *Requiem aeternam...*, vel *Pater* et *Ave* cum vers. *Requiem aeternam;* recitatur ad signum campanae una hora post coeptam noctem (ibid. *B* XI, n. 126).

NB. — *a*) Concessum est ut, si in loco, ubi quis versatur, non pulsatur campana, indulgentiae lucrifieri possint recitando circiter sub tempus illud quo pulsanda erat (ibid.).

b) Indulgentiae quaedam concessae quoque sunt, si Ps. *De profundis* cum *Requiem aeternam* qualibet alia occasione recitetur (*A.S.S.* XX, p. 477).

13. Magistros docere catechismum in suis scholis, vel parentes eum docere suos filios vel famulos (Ber. op. cit. t. 1, s. 2, *A* n. 46).

Norunt quoque fideles singulares concessiones factas iis qui sex dominicis continuis pias meditationes vel preces vocales vel alia pietatis opera cum confessione et communione peregerint in honorem S. Aloisii Gonzagae; vel qui mense Martio S. Ioseph aut mense Maio B. Mariam Virginem aut mense Iunio SS. Cor Iesu quotidie, publice vel privatim, piis obsequiis, precibus, vel virtutis actibus honoraverint, aut mense Novembri animas in purgatorio detentas piis exercitiis, publice vel privatim adiuverint (De his cf. Ber. t. 1, sect, 2, *A* n. 37 30 24 21 39; *A.S.S.* XXXIV, p. 683). Potest mensis in honorem S. Ioseph ita incipi, ut finiatur in festo 19 mensis Martii, et qui legitime impeditus esset mense Martio, posset alium mensem eligere. Indulgentiam, quae conceditur lucranda mense Iunio, SS. Cordi Iesu dicato, lucrari licet intra octo priores dies Iulii; ad eam autem lucrandam sufficit decies in mense exercitio publico interfuisse; at, si obsequia SS. Cordi praestantur privatim, per totum mensem Iunium praestari debent (cf. ll. cc.).

[1] *S.R.C.* 11 maii 1911 ad 3 (*A.A.S.* [1911] p. 241); Verm.-Creus. n. 209; Beringer, *Les indulgences* t. 1, p. 2, s. 2, n. 44, pag. 309; Soláns, *Man. litúrg.* t. 2, n. 833 nota; Fanfani, *De indulg.* p. 74; Pawels ap. Vermeersch, *Period.* VI, n. 510, p. 44; *Comp. priv. Soc. Iesu* (1892) n. 73.

[2] Missionarii Soc. Iesu hanc benedictionem cum indulgentia plenaria dare possunt in fine missionum, atque ad eam impertiendam delegare possunt digniorem de clero saeculari vel regulari praesentem. *Comp. priv. Soc. Iesu* n. 72 73; *Acta Rom. Soc. Iesu* I, p. 18. Formula uti debent breviore, seu postrema ex supra recensitis.

Ad lucrandam indulgentiam plenariam benedictioni papali adnexam sufficit ut, confessionis et communionis sacramentis receptis [1], benedictio accipiatur.

736 *b*) **Benedictio apostolica in articulo mortis** impertiri potest non solum a parocho, sed a quovis etiam sacerdote, qui infirmo assistat, eamque ii omittere non debent (can. 468, § 2). Adnexam habet indulgentiam plenariam, quae tamen non acquiritur statim ac benedictio recipitur, sed suspensa manet usque ad instans mortis; propterea non licet eam benedictionem in eodem periculo plusquam semel impertire, etsi in mortali aeger eam receperit, quia iste eius indulgentiam lucrabitur, si tandem in gratia decedat [2].

Dari potest omnibus in mortis periculo constitutis, quin necesse sit ut versentur in mortis articulo [3]; propterea dari solet post recepta sacramenta poenitentiae, Eucharistiae et extremae unctionis. Dari etiam potest sensu destitutis, qui illam petierant vel verisimiliter petiissent, seu iis omnibus, quibus conceditur absolutio.

Ad validitatem requiritur formula praescripta a *Bened. XIV*, quae habetur in *Rituali Rom.* tit. 5, c. 6 soletque in *Breviariis* inseri ad finem, ubi *Ordo commendationis animae*.

Condiciones sunt: 1° Poenitentiae et Eucharistiae sacramenta suscipere, si suscipi possunt; 2° actum contritionis elicere, saltem id conari; 3° SS. Nomen Iesu ore, si fieri potest, secus corde invocare; 4° ut infirmus sese paratum offerat ad acceptandum quidquid Deo placuerit et mortem ipsam patienter obeundam in satisfactionem poenarum, quas peccando promeruit [4].

Quidam sacerdotes facultate pollent benedicendi crucifixos cum adnexa indulgentia sic dicta *toties quoties*. Haec ita

---

1 Confessio et communio requiritur (cf. BERINGER loc. cit. p. 307 308; *S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 288); errasse suspicamur FANFANI op. cit. p. 74, qui ea non requirit.

2 *S. Congr. Indulg.* decr. auth. n. 257 263 286.

3 *S. Congr. Indulg.* 19 dec. 1865 (*A.S.S.* XVIII, p. 414).

4 Id tamen prudenter proponendum est, ne domestici indignentur conqueranturque de imprudenti declaratione imminentis mortis. Propterea tutius erit aegrotum, ceteris absentibus, intra ipsam confessionem de indulgentia deinde impertienda monere et actum eliciendum iam tunc exquirere. Neque tamen ad indulgentiam requiritur, ut aeger mortem imminentem credat aut suum statum plane desperatum noscat; sufficit enim ut intelligat se versari in discrimine gravi et sic persuasus se in manus Dei concredat aiens: « Fiat, Domine, voluntas tua; sicut tibi placeat, fiat; si vis ut hoc periculum evadam, tibi toto corde serviam; sin autem, ut moriar, id quoque de tua manu accepto propter amorem tui atque in satisfactionem culparum mearum. »

intelligenda est[1], ut quicumque christifidelis in articulo mortis constitutus aliquem ex illis crucifixis, etsi illi non pertineat, osculatus fuerit, vel quomodocumque tetigerit, indulgentiam plenariam lucrari valeat, quae tamen suspensa manet usque ad mortis instans. Nulla specialis formula, ne ministerium quidem sacerdotis, requiritur, quoniam possunt hi crucifixi moribundis a quolibet mitti[2]. Debet tamen infirmus adimplere condiciones ceteras de more, id est, confessionem faciat et communionem suscipiat, si possit, SS. Iesu nomen ore, sin minus corde, invocet, mortem acceptet de manu Dei et crucifixum deosculetur. Huiusmodi indulgentiae non obstat, quod infirmus benedictionem apostolicam, de qua nuper, etiam acceperit[3].

Denique *Pius X* concessit[4], ut omnes christifideles qui, peracta confessione et communione, die cuilibet eligendo, cum vero caritatis in Deum affectu, hunc actum ediderint: *Domine*

---

1 *S. Off.* 25 iun. 1914 (*A.A.S.* [1914] p. 347). Cf. Ferr. n. 803 nota; Ferreres in ephem. *Razón y Fe* XL, p. 102; Mach-Ferr. *Tesoro del sac.* tom. 2, n. 338; Vermeersch, *Periodica* VIII, p. 205.

2 Proinde, de crucifixis vi huiusmodi facultatum benedictis, iam intelligi non debent quae inculcabat Beringer, *Les indulgences* t. 1, p. 2, sect. 3, n. 3, pag. 346; iam enim constat ex declar. *S. Off.* 25 iun. 1914 opus non esse ut hi crucifixi a sacerdote moribundo deferantur, sed a quolibet infirmo posse assumi. Quod autem idem intelligi possit de crucifixis, quos deosculandos seu tangendos deferre possunt sacerdotes quidam vel religiosi ad moribundos, ut pariter cum condicionibus consuetis indulgentiam plenariam lucrari possint (huiusmodi facultatem habent v. gr. religiosi Soc. Iesu respectu proprii crucifixi; cf. *Comp. priv. Soc. Iesu* [1892] n. 354), negat Vermeersch, *Period.* VIII, n. 205; monet enim de solis illis crucifixis, non de his, loqui declarationem praedictam *S. Officii.* Hanc, e contra, de quibusvis intelligendam esse, obiter quidem, sed satis aperte insinuat Ferreres in ephem. *Razón y Fe* XL, p. 102, n. 2. Profecto, idem de utrisque sentiendum putamus (etsi laudata declaratio illos tantum memoret expresse); tum quia crucifixi, qui a religiosis aliisve sacerdotibus ad infirmos deferri concedebantur, prorsus videntur esse iidem crucifixi dicti « toties quoties », quorum benedicendorum facultas quibusdam sacerdotibus tribuitur, et proinde, cum utraque facultas videatur esse eadem, de utraque valet declaratio; tum quia, etiam in illis crucifixis religiosorum, indulgentia adnexa fuit crucifixo ipsi; indulgentia vero huiusmodi, post can. 924, § 2, prodest cuivis, qui hisce piis rebus ad lucrandas indulgentias uti velit, ut eruitur ex responso *S. Poenit.* 18 febr. 1921 (vide supra in n. 731 nota). Nolumus tamen in hac postrema ratione insistere, nam alia est condicio piam rem alteri deferendi, alia condicio alteri non commodandi; hanc autem, non illam, directe respexit praedictus canon 924; aliunde vero non multum prodesse possunt in hac materia argumenta ex analogia.

3 Beringer t. 1, p. 2, sect. 3, n. 3; Ferr. n. 803, resp. 2° in nota, et n. 805 7°-8°; Vermeersch, *Theol. mor.* t. 3, n. 643.

4 *A.S.S.* XXXVI, p. 637.

Deus meus, iam nunc quodcumque mortis genus prout tibi placuerit, cum omnibus suis angoribus, poenis ac doloribus de manu tua aequo ac libenti animo suscipio, plenariam indulgentiam in mortis articulo lucrari valeant.

737 *c*) **Indulgentiae apostolicae,** seu quas Summus Pontifex adnectere solet crucibus, statuis, numismatibus, rosariis etc. a se benedictis, adnectuntur etiam a pluribus sacerdotibus eadem facultate delegata pollentibus[1]. Quaenam illae sint, pendet a voluntate eiusdem Pontificis, qui initio sui Pontificatus earumdem elenchum conficere solet et publicari iubet. Elenchum earum, quas die 17 febr. 1922 largitus est hodiernus Dominus noster *Pius XI*, editum habes in *A.A.S.* (1922) pag. 143[2].

---

1 Huiusmodi indulgentiae crucibus, numismatibus adnectuntur facto manu unico crucis signo cum intentione eas adnectendi, nulla prolata formula. Valde tamen oportet, ut ad maiorem fidelium devotionem, sacerdos superpelliceum induat cum stola coloris pro ratione temporis (*Rit. Rom.* tit. 8, n. 2; Soláns, *Manual. litúrg.* tom. 2, n. 718) et utatur formula, quam dat *Rituale* ad omnia, seu pro rebus, de quibus specialis benedictio non habetur.

Unico crucis signo possunt res plures simul indulgentiis ditari (*S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 363).

Facultatem benedicendi rosaria, numismata, scapularia etc., qua fruuntur iuxta can. 349, § 1, 1°, non possunt Episcopi communicare (*S. Poenit.* 18 iul. 1919, *A.A.S.* [1919] p. 332).

2 Licentia opus est S. Sedis, ut elenchus indulgentiarum apostolicarum iterum typis edatur (can. 1388, § 2). Sufficit tamen ad nostrum scopum et licet, aliqua ex eo decerpere. Nimirum:

1. Qui semel in hebdomada recitare consueverit rosarium ordinarium quinque decadum (etsi alias condiciones non expleat ad lucrandas indulgentias S. Dominici), vel consueverit in ecclesia christianam catechesim tradere, aut domi illam suos filios, propinquos vel famulos docere, vel in carceribus detentos aut aegrotantes in nosocomiis misericorditer invisere, vel pauperibus quomodocumque opitulari, vel Missae interesse, eamve, si fuerit sacerdos, celebrare, servatis solitis condicionibus confessionis, communionis et orationis ad mentem Summi Pontificis, lucrabitur indulgentiam plenariam in festis sollemnioribus Domini Iesu Christi et B. Mariae Virginis, in utroque festo S. Ioseph et in festis duodecim Ss. Apostolorum.

2. Si quis, etsi ad confessionem ac communionem non accesserit, ad mentem tamen Summi Pontificis precatus fuerit, indulgentiam lucrabitur quovis anni die, trecentorum dierum.

3. Qui aliquod ex praedictis pietatis vel caritatis operibus expleverit, quoties id peregerit, quingentorum dierum indulgentiam acquiret.

4. Qui modo supra (n. 735 nota) exposito, orationem *Angelus Domini*, psalmum *De profundis* recitaverit, acquiret indulgentiam centum dierum.

5. Eandem indulgentiam acquiret qui quavis feria sexta de Passione et morte Domini aliquantulum pie cogitaverit terque *Pater* et *Ave* recitaverit.

d) **Absolutio generalis** seu benedictio cum indulgentia plenaria datur aliquoties in anno sodalibus quorumdam Ordinum eorumdemque Tertiariis, adhibita convenienti formula ex duabus, quae prostant in Appendice *Rit. Rom.* p. 134-136.

Absolutionem generalem (nempe a censuris forte incursis, a regulae transgressionibus, a poenitentiis oblivione omissis etc.) cum indulgentia plenaria adnexa ad Tertiarias religiosas Episcopo subiectas concedere potest confessarius ordinarius, vel extraordinarius, vel etiam quivis sacerdos ab Episcopo designatus[1], adhibita prima ex praedictis formulis.

Benedictionem cum indulgentia plenaria Tertiariis utriusque sexus saecularibus dare potest, in quibusdam anni festivitatibus (vel in earum pervigilio) pro unoquoque Ordine particulariter designatis, confessarius quilibet immediate post absolutionem sacramentalem, adhibita parte ultima secundae formulae[2]. Tertiarius debet praeterea communicare in festivitate assignata (vel eius pervigilio, can. 931, § 1) et preces ad intentionem Summi Pontificis fundere.

e) **Exercitium Viae Crucis** pluribus indulgentiis tum ple- **738**
nariis tum partialibus, quae animabus purgatorii sunt applicabiles, ditatum est, iisdem scilicet, quibus personalis visi-

---

6. Conceditur pro articulo mortis indulgentia plenaria cum condicionibus consuetis.

Ut quis valeat praedictas indulgentias lucrari, necesse est ut aliquam ex llis rebus benedictis super se deferat aut in domo sua decenter retineat, idque sufficit, quin necesse sit eam manu tenere dum preces praescriptas recitat, aut preces coram ea recitare.

Ex expressa Summi Pontificis declaratione indulgentiae huiusmodi apostolicae cumulari possunt simul cum aliis indulgentiis iam alias forte concessis pro iisdem precibus, piis exercitiis vel operibus. Per hanc autem declarationem consulitur canoni 933, qui eiusmodi cumulationem impedit « nisi aliud expresse cautum fuerit » (*S. Poenit.* 14 iun. 1922, *A.A.S.* [1922] p. 394).

1 Ferreres, *Las religiosas* (1920) comment. 8, c. 1, n. 752 753; Mocchegiani, *Iurispr. eccles.* t. 2, n. 705.

2 Scilicet, confessarius dicat: « Dominus Noster Iesus Christus, qui beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, ille te absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeas vitam aeternam et vivas in saecula saeculorum. Amen. Per sacratissimam passionem et mortem Domini Nostri Iesu Christi, precibus et meritis beatissimae semper Virginis Mariae, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, beati Patris nostri N. (Dominici vel Francisci) et omnium sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi commissa, plenariam indulgentiam omnium peccatorum tuorum tibi impertior. In Nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen ». — Ad validitatem sufficere postrema verba « auctoritate a Summis Pontificibus .... » sentiunt Ferreres, *Las Religiosas* (1920) comm. 8, c. 1, a. 2, n. 767 et Vermeersch, *De religiosis* tom. 1, n. 540.

tatio stationum in urbe Ierusalem; non tamen constat an pluries in die obtineri possint. Crucibus quatuordecim stationum debita facultate et loco apto erectis, exercitium peragitur eas successive [1] visitando (opus est de una in aliam se localiter movere) [2], simul ad unamquamque meditando, etsi breviter, Passionem Domini in genere, vel, ut alii opinantur (ideoque id erit tutius), eam Passionis Domini partem, quae cuique stationi, iuxta inolitam fidelium praxim, correspondet. Preces vocales non requiruntur, consulitur tamen ad initium cuiuslibet actum contritionis elicere et ad finem *Pater* et *Ave* recitare; id, si in Passionis Domini honorem recitatur cum stationis recordatione, sufficiet loco meditationis pro iis, qui meditari nesciunt. Confessio et communio non requiruntur.

Habent hodie plures fideles crucifixos (in his non sufficeret sola crux sine imagine Iesu Christi) ea benedictione donatos [3], ut legitime impediti (v. gr. quia ob morbum nequeunt ecclesiam adire) possint indulgentias Viae Crucis lucrari, crucifixum manu tenentes, recitando viginti *Pater*, *Ave*, *Gloria*: scilicet quatuordecim pro stationibus, quinque ad quinque Christi vulnera, unum pro consuetis Summi Pontificis intentionibus, cum pia Passionis Domini memoria [4]. Si plures personae impeditae sunt, sufficit ut una crucifixum manu teneat et preces recitet, ceterae illi se coniungant.

739 *f*) **Rosarium** consuetum B. Mariae Virginis recitatur repetendo *Ave Maria* per quinque vel quindecim decadas, quarum unamquamque praecedit *Pater* et sequitur *Gloria* (ceterae preces non requiruntur).

---

1 Successive et sine notabili interruptione. Interruptio tamen, etiam diuturna, per actionem religiosam, v. gr. ad sumendam communionem vel ad audiendum Sacrum, non obstat; secus vero interpositio actionis profanae.

2 Quando id propter magnam multitudinem fit moraliter impossibile, sufficit ut sacerdos cum duobus clericis vel cantoribus circumeat, et ad singulas stationes sistens, preces ibi recitet, ceteris suum locum tenentibus.

3 Potestas ordinaria eos benedicendi, praeter Summum Pontificem, est penes Ministrum Generalem Ordinis Minorum; eam quoque habent Cardinales et Episcopi, ex can. 239, § 1, n. 6, can. 349, § 1, n. 1.

4 Usus crucifixorum, quibus Viae Crucis indulgentiae sunt adnexae, valet tantum pro legitime impeditis, et requiritur pia Passionis Domini nemoria, quin sufficiat recitatio statutarum precum, nempe viginti *Pater, Ave, Gloria* (*S. Off.* 14 dec. 1917, *A.A.S.* [1918] p. 30).

Condiciones ad eius lucrandas indulgentias[1] sunt: 1. Ut rosarium, quo recitatio peragitur, benedictionem specialem ad id assignatam acceperit ab aliquo sacerdote Ordinis Praedicatorum aliove eamdem facultatem habente. In recitatione communi sufficit, iuxta specialem concessionem a S. Sede pro hoc rosario factam, ut unus rosarium manu teneat ac volvat, ceteri autem, semotis exterioribus occupationibus, ipsi in recitatione uniantur. — 2. Durante recitatione debent aliquo modo recoli pia meditatione, iuxta meditantis capacitatem, mysteria vitae, passionis, resurrectionis etc. Domini N. Iesu Christi[2] (non aliae materiae, v. gr. mors aut infernus). Non est necesse ea mysteria ante decadem enuntiare. Declaravit Summus Pontifex rudes, meditationi minus idoneos, devota solum recitatione posse indulgentias lucrari, tametsi plane velit, ut mysteriis redemptionis nostrae meditandis, qui est huius recitationis finis, assuefiant.

Ex concessione *Pii X* iam non est necesse, ut rosarium uno tractu moraliter recitetur, sed possunt singulae decades separari[3].

---

1 Praecipuae indulgentiae (defunctis applicabiles) sunt: 1° 100 dies pro quolibet *Pater* et *Ave*, dummodo non unum alterumve *Ave*, sed integrum rosarium 15 vel saltem 5 decadum recitetur. — 2. Indulgentia plenaria semel in anno, die cuilibet eligendo, peractis confessione et communione et fusis ad Summi Pontificis intentionem precibus, si quotidie per annum recitatum est rosarium saltem 5 decadum. — 3° Si rosarium saltem 5 decadum recitatur cum aliis sive domi, sive in ecclesia, sive in aliquo oratorio publico vel privato, indulgentia 10 annorum et 10 quadragenarum semel in die; si ita cum aliis recitatur saltem ter in hebdomada, indulgentia plenaria in ultima singulorum mensium dominica, peracta confessione, communione, visitatione ecclesiae et fusis precibus ut de more. — 4° Indulgentia plenaria in uno ex quindecim sabbatis continuis ad arbitrium eligendo, si singulis sabbatis, cum confessione et communione, rosarium 5 decadum recitatur vel saltem eiusdem mysteria devote recoluntur; aliis sabbatis hic non comprehensis, indulgentia 7 annorum et 7 quadragenarum. — 5° Mense Octobri recitationi rosarii saltem 5 decadum conceditur indulgentia 7 annorum et 7 quadragenarum (*A.S.S.* XXXII, p. 239).

2 Mos invaluit apud fideles diebus successivis meditandi mysteria *gaudiosa* (incarnationem, ad S. Elisabeth visitationem, D. N. Iesu Christi nativitatem, in templo praesentationem, pueri Iesu in templo inventionem); *dolorosa* (orationem in horto, flagellationem, spinis coronationem, crucis haiulationem, crucifixionem); *gloriosa* (resurrectionem, ascensionem, Spiritus Sancti adventum, B. Mariae Virginis assumptionem, in coelo coronationem). Possunt tamen qualibet die haec aliave quaelibet vitae, passionis etc. Iesu Christi mysteria considerari (Beringer t. 1, p. 2, sect. 3, *A* n. 11).

3 *S. Congr. Indulg.* 8 iul. 1908; Verm., *Periodica* IV, p. 285.

Rosarium S. Birgittae, quod a Canonicis Regularibus SS. Salvatoris Lateranensibus vel aliis facultatem habentibus benedicitur, sex habet decades, quarum singulae terminantur cum *Credo;* post omnes additur semel *Pater* et ter *Ave.* In earum recitatione non praescribitur meditatio mysteriorum Domini.

Saepe indulgentiae coronae S. Birgittae coronis, quae quinque tantum constant decadibus, adnexae sunt; tunc sufficit quinque decades recitare cum *Credo* post singulas, nihil aliud addendo ad finem.

Rosarium PP. Crucigerorum, ab iis vel ab alio speciali facultate praedito benedictum, adnexam habet indulgentiam 500 dierum pro recitatione cuiuslibet *Pater* vel *Ave*, quin necesse sit integrum rosarium recitare aut mysteria meditari.

Concessit S. Sedes[1] ut, si corona duplici conveniente benedictione donata est, possint in eadem recitatione indulgentiae PP. Dominicanorum et Crucigerorum cumulari.

740 *g*) **Scapularia** varia recensentur diversis indulgentiis ditata, quorum quinque specialiter hic memoramus, nimirum: SS. Trinitatis, Passionis Domini, Immaculatae Conceptionis, Septem Dolorum et Montis Carmeli. Hoc postremum tum originis nobilitate et antiquitate, tum ob adnexas ab ipsa Beata Virgine promissiones[2], tum latissima in christiano populo propagatione, inter omnes eminet.

---

1 *S. Congr. Indulg.* 12 iun. 1907 (*A.S.S.* XL, p. 442).

2 Duplex promissio traditur facta a B. Maria Virgine, altera Simoni Stock, Carmelitarum occidentalium Generali, anno 1251, liberandi ab igne aeterno eos, qui scapulare usque ad vitae finem gestaverint; altera Papae Ioanni XXII eosdem quamprimum, praesertim primo sabbato pos mortem, a purgatorii poenis educendi.

Ad fruendum privilegio sabbatino (sic enim appellatur haec altera promissio), opus est castitatem servare iuxta proprium statum et quotidie Nocturnum cum Laudibus Officii parvi B. Mariae Virg. cum ceteris eiusdem Horis persolvere exceptis iis, qui iam tenentur ad recitationem Officii divini (*S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 419). Qui linguam latinam ignorant, Officium recitare possunt in lingua vulgari (*A.S.S.* XXXIV, p. 120.

Qui legere nesciunt, loco Officii parvi, tenentur non tantum ad ieiunia ab Ecclesia pro sua regione praescripta, sed etiam ad abstinentiam qualibet feria quarta et sabbatis, excepto festo Nativitatis Domini; abstinentiam eis commutare possunt omnes confessarii (non alia opera, sine speciali facultate).

De privilegio sabbatino cf. Beringer, *Les indulg.* (1893) t. 2, sect. 4, n. 26, p. 195 seqq.; *S. C. Indulg.*, decr. auth. n. 279 419 (*A.S.S.* XXXIV, p. 120); Ojetti, *Synopsis* v. Sabbatinum privilegium; Bucceroni, *Supplementum ad Ferraris biblioth.* v. Scapulare p. 710.

Scapularia debent esse[1] confecta ex lana, non ex gossypio, atque ex panno stricte dicto, id est, textura reticulata, non ex quovis opere acu picto[2]. — Colore debent esse tincta cuiusvis proprio. — Ornamenta habere possunt sive ex lana sive ex alia quavis materia, dummodo color praescriptus praevaleat. — Formae sint consuetae, id est oblongae vel quadratae, non rotundae, ovalis aut multangulae. — Funiculus, quo coniunguntur binae scapularis partes, non necessario ex lana esse debet[3]. — Scapularia diversa possunt duobus tantum funculis esse unita[4], sed nullatenus potest unum tantum esse scapulare, in quo assuantur diversi coloris panniculi[5].

Scapularia benedici atque imponi debent[6] a sacerdote speciali facultate donato, atque ita, ut idem sacerdos sit qui scapulare benedicat et imponat. Requiritur insuper receptio in respectivam Confraternitatem, si scapulare sit alicuius Confraternitatis insigne[7].

1. De benedictione. Non sufficit benedictio scapularis signo crucis manu efformato absque verbis et aquae benedictae aspersione, sed adhiberi debet formula benedictionis, quae habetur in *Ritualis* Appendice.

2. De impositione. Pariter in impositione adhi- **741**
beri debet formula quae simul cum benedictionis formula prostat in Appendice *Ritualis*. Debet impositio fieri ab ipso sacerdote facultatem habente, quin sufficeret scapulare ab eo benedictum et transmissum accipere[8].

Si pluribus scapulare imponendum est, licet dicere semel numero plurali formulam: *Accipite* ... (immediate antequam

---

1 Circa dicenda, cf. *S. Cong. Indulg.*, decr. auth. n. 423; Mach-Ferr., *Tesoro del sac.* n. 345.

2 Idem sic exprimit *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 398: « Moneantur fideles materiam scapularium esse texturam laneam proprie talem, vulgo *tejido*, non autem laneam texturam reticulatam, vulgo *de punto*, neque merum opus laneum acu pictum, vulgo *bordado*. »

3 Beringer, *Les indulg.* t. 1, p. 2, sect. 3, n. 15, 6°.

4 Funiculus plura scapularia connectens potest esse cuiusvis coloris; si tamen inter ea reperiatur scapulare Passionis, funiculus debebit esse coloris rubri (ibid. [1893] p. 393).

5 *A.S.S.* XIX, p. 559 ad 4.

6 De his cf. *S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 280 286 305 329 394 397 410 421 430 (*A.S.S.* XIX, p. 554-560; XXIII, p. 638; XXV, p. 319; XXX, p. 748; Soláns, *Manual. litúrg.* n. 797; Mach-Ferreres op. cit. n. 347 seqq.

7 Inscriptio requiritur etiam pro scapulari carmelitico. Abolita enim est die 27 apr. 1887 concessio olim facta, qua istud scapulare excipiebatur (*A.S.S.* XIX, p. 556; Mach-Ferreres n. 347, *e*.

8 Quaedam exceptio facta est pro militibus, in adiunctis in quibus aliter fieri nequit (*A.S.S.* XLI, p. 670). Vide tamen inferius concessionem generalem militibus factam quoad numismata.

scapularia imponi incipiantur eaque sacerdote manibus tenente)[1] et imponere successive et sine interruptione scapulare omnibus praesentibus[2]. — Potest unum idemque semel benedictum pluribus per vicem imponi, tumque sufficit solam formulam receptionis pro singulis repetere, debet tamen esse benedictum primum scapulare, quod deinceps adscriptus induet. — Valide fit impositio scapularis uni tantum humero et non circa collum fidelium, et difficulter aliter fieret cum mulieribus et monialibus ob capitis tegumentum. — Sibimet scapulare imponere potest sacerdos, qui eam facultatem habet indiscriminatim pro omnibus. — Pueris scapularia imponi possunt, indulgentias autem lucrabuntur rationis usum adepti. — Totidem benedictiones, impositiones ac inscriptiones requiruntur, quot sunt diversa scapularia imponenda, nec una benedictio aut impositio sufficit sine speciali facultate[3]. Quamvis plura simul imponantur, ea tamen distincta esse debent. — Sacerdos, qui obtinuit facultatem imponendi scapularia, non habet eo ipso facultatem commutandi obligationes commutabiles confratrum, nisi expresse enuntietur in rescripto concessionis.

742 3. De receptione in Confraternitatem[4]. Requiritur ad indulgentias lucrandas Confraternitatis[5]. — Sacerdos facultatem habens benedicendi scapularia, eo ipso facultatem habet ea imponendi christifidelibus et eosdem adscribendi respectivae Confraternitati[6]. — Ad receptionem faciendam nulla formula praescribitur, debet tamen aliquo modo significari, v. gr. his verbis: « te recipio in Confraternitatem », quin sufficeret receptio per simplicem intentionem ani-

---

1 *A.S.S.* XXX, p. 748 ad 4.

2 Patribus Soc. Iesu, facultatibus debitis ad quaedam scapularia imponenda instructis, concessum est, ut in populi concursu possint eadem e suggestu benedicere, quin ea singulis fidelibus manu imponant nec nomina in catalogo Confraternitatum inscribenda curent (*Acta Rom. Soc. I.* [1913] p. 16-18). Simile privilegium alii missionarii obtinuerunt, quos refert Mach-Ferreres op. cit. n. 347 *f*, et Beringer, *Les indulg.* [1893] t. 1, p. 395.

3 *A.S.S.* XIX, p. 558 ad 4. Sed a facultate quae pluribus tribuitur, imponendi simul quinque scapularia initio recensita, exceptum voluit Leo XIII scapulare Montis Carmeli, ita ut semper particulari benedictione atque impositione egeret (*A.S.S.* XIX, p. 554). Haec tamen exceptio iam sublata videtur, siquidem nova editio *Ritualis Romani* (ed. 1913, Append. p. 130) formulam affert benedicendi atque imponendi eadem quinque simul. Mach-Ferreres op. cit. n. 347,*b* in nota; Vermeersch, *Periodica* VII, p. 179.

4 Cf. *S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 428, *A.S.S.* XIX, p. 558 ad 2, XXV, p. 320 ad 2; XXX, p. 748; Beringer, *Les indulg.* t. 2, sect. 4, c. 1, § 8, n. 2, p. 57 seqq.; Solánis op. cit. n. 797, 4°; Ferreres, *Las Cofradías* n. 127 128 142; Mach-Ferreres op. cit. n. 347.

5 *A.S.S.* XX, p. 108-111 ad 2.

6 *S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 428 ad 1.

mo conceptam verbis nullis adhibitis. — Sacerdos, qui scapularia imposuit, debet penes se habere privatum regestum, quod, quamprimum commode poterit, tenetur transmittere ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris (aut alius cuiusvis, etsi non vicinioris) canonice erectae, ut receptorum nomina in album Sodalitatis referantur. Haec inscriptio in Confraternitatis libro requiritur quoque ad lucrandas ipsius Confraternitatis indulgentias [1].

Scapularia ita gestanda sunt [2], ut una pars ab humeris, altera a pectore pendeat, idque etiam observandum est, cum diversa scapularia gestantur, secus non acquiruntur indulgentiae. Non est necesse, ut corpus physice tangant, possunt enim deferri supra vestes.

Si primum scapulare deteritur vel amittitur, potest aliud assumi, etsi non benedictum, nonnisi enim id, quod prima vice imponitur, benedictum esse debet.

Ad lucrandas indulgentias opus est scapulare semper deferre; non obstaret tamen eius depositio ad breve tempus, v. gr. ad se lavandum. Qui tamen uno die illud gestare omiserit, illo die non lucraretur indulgentias [3].

Qui, scapulari semel rite suscepto, illud dimiserit, etsi ad longum tempus, nova impositione non indiget, sed sufficeret ut illud resumat, et indulgentias deinceps acquiret. Nova tamen receptio censetur necessaria, si illud quis ex contemptu aut impietate proiecerit, sic enim Confraternitati valedixit.

Numisma pro scapulari [4] substitui concessit *Pius X* **743** 16 dec. 1910, dummodo: 1° Prima impositio rite fiat cum

---

1 *S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 421 ad 3. In quibusdam S. Sedis decisionibus (v. gr. *S. Congr. Indulg.* 17 sept. 1845, decr. auth. n. 330) dicitur haec inscriptio in libris Confraternitatis Carmeli esse tantum necessaria, ne admissi suffragiis priventur post obitum; sed advertendum est responsum datum fuisse eo tempore, quo vigebat Gregorii XVI dispensatio circa inscriptionem in ea Confraternitate. Cf. Mach-Ferreres n. 347 *e*. Propterea, post sublatam Gregorii XVI dispensationem, monentur adhuc (*A.S.S.* XXV. p. 320) ii, quibus pro magno concursu populi similis dispensatio tribuitur, ne tamen inscriptionem omittant, ad suffragia post obitum necessariam. Moneat igitur missionarius e suggestu, ut fideles ministro ad mensam parato nomen conscribendum dent.

2 Cf. *S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 277 367 379 408 (*A.S.S.* XXVIII, p. 256; Soláns op. cit. n. 796 797; Mach-Ferreres op. cit. n. 346 347.

3 Beringer t. 1, p. 400.

4 Cf. *A.A.S.* (1911) p. 22-24, (1913) p. 303, (1914) p. 674, (1916) p. 175; Soláns op. cit. n. 798; Mach-Ferreres op. cit. n. 350-353; Vermeersch, *Periodica* IV, p. 348, V, p. 148 267, VI, p. (5) VII, p. 161 224; Ferreres in ephem. *Razón y Fe* XXIX, p. 246 seqq., XXXVI p. 510 seqq., XLI, p. 225 seqq., XLV, p. 494 495.

scapulari ex panno; — 2° numisma referat in parte recta effigiem Domini N. Iesu Christi suum SS. Cor ostendentis, pars aversa effigiem B. Mariae Virginis; — 3° numisma tot distinctas benedictiones acceperit, quot scapularia substituere debet; huiusmodi benedictiones dare tantum potest is, qui facultate pollet respectivum scapulare benedicendi (nec tamen est necesse, ut idem sit qui scapulare imposuit), ad eas autem dandas sufficit unicum crucis signum; quod si deinde fidelis novum scapulare accipiat, sufficiet eidem numismati novam benedictionem adiicere; — 4° numisma supra propriam personam gestari debet, sive ad collum sive aliter, decenter tamen. Si sic geritur, scapulare adeo suppletur, ut cum numismate non solum eaedem indulgentiae acquiri possint, sed etiam, pro scapulari carmelitico, prosit ipsum privilegium quod vocant sabbatinum.

Qui facultatem habet benedicendi scapularia, eo ipso facultatem habet benedicendi numismata. Porro ea benedicere potest sive singula, sive simul multa, etiam omnia quae habent fideles in ecclesia; nec ea benedicere tantum potest pro personis, quae scapulari iam adscriptae sunt, sed etiam pro adscribendis; possunt igitur multa numismata benedici pluribus deinceps distribuenda; qui tamen ea acceperint, si scapulari adscripti non sunt, indulgentias non lucrabuntur statim, sed a tempore quo adscribantur.

Si numisma benedictum deperditur aut usu deteritur, non sufficit illud cum alio non benedicto substituere, sed novum numisma benedictiones iterum recipere debet, quae scapularibus respondent, pro quibus est suppleturum.

Excipiuntur a substitutione scapularia Tertiariorum propria; haec non possunt substitui cum numismate [1].

Omnes denique milites ex copiis terrestribus et maritimis, sub armis constituti, quamvis scapulare nondum acceperint, possunt numisma rite benedictum deferre, idque eis sufficit, ut scapulari iam definitive adscripti sint eiusque indulgentias gratiasque omnes lucrentur.

744 *h*) **Indulgentia Portiunculae** [2] adnexa est ecclesiis Ordinis S. Francisci (non exclusis monialium Clarissarum) pro die 2 augusti cuiusque anni, eamque Ordinarii locorum ad alias quoque ecclesias atque oratoria, quae de Ordine Minorum non sunt, certis sub condicionibus extendere possunt; immo, tum iidem tum ipsi rectores aedium sacrarum, in quibus privilegium insit, possunt iustis de causis, pro die 2, qui dominicus non sit, diem dominicum proxime insequentem substituere. Si

1 *A.A.S.* (1911) p. 23.

2 Cf. *S. Cong. Indulg.*, decr. auth. n. 132 344. *S. Poenit.* (sectio de Indulg.) 10 iul. 1924 (*A.A.S.* [1924] p. 345).

quis, confessus et sacra communione refectus, visitaverit eo die aliquam ex praedictis sacris aedibus ibique preces ad mentem Summi Pontificis de more fuderit, id est, saltem sexies *Pater*, *Ave* et *Gloria* in unaquaque visitatione, indulgentiam plenariam consequetur, quae id quidem habet extraordinarium, quod toties potest lucrifieri, quoties iteretur visitatio. Ad id sufficit e templo egredi iterumque ingredi. Confessio et communio expleri possunt in ecclesia qualibet.

Simile privilegium concessit in perpetuum *Pius XI*, 20 mart. 1924, visitantibus cum praedictis condicionibus quamlibet ecclesiam vel oratorium publicum Societatis Iesu die festo S. Ignatii vel a meridie diei praecedentis.

His concessionibus affinis est ea, quam fecit *Bened. XV* in solamen defunctorum [1]. Videlicet, quisquis die secunda novembris cuiuslibet anni, confessus ac sacra communione refectus aliquam ecclesiam, vel oratorium publicum aut semipublicum visitaverit ibique ad mentem Summi Pontificis oraverit, indulgentiam plenariam lucrabitur, et toties quidem, quoties visitationem fusis precibus iterabit. Haec indulgentia animabus purgatorii est tantummodo applicabilis.

i) **Iubilaeum** [2] est indulgentia plenaria, quae, adimpletis **745**
certis condicionibus lucranda, additaque facultate obtinendi absolutionem a peccatis et censuris reservatis et commutationem votorum, a Romano Pontifice conceditur sollemniter tum quolibet recurrente anno vigesimo quinto (iubilaeum ordinarium seu maius), tum quibusdam occurrentibus extraordinariis circumstantiis (iubilaeum extraordinarium seu minus).

Concessiones iubilaei lucrandi, sive ordinarii, sive extraordinarii, accipiendae sunt praesertim iuxta regulas a *Bened. XIV* traditas in const. *Convocatis* et *Inter praeteritos*, quatenus in quolibet casu non opponantur litteris apostolicis, per quas particulare iubilaeum concedatur [3]. Ex illis const. et ex subsequentibus S. Sedis, praesertim per *S. Poenit.*, decla-

---

[1] Decretum *S. Off.* 25 iun. 1914 (*A.A.S.* [1914] p. 378).

[2] De iubilaeo cf. Bened. XIV const. *Convocatis* 25 nov. 1749 et *Inter praeteritos* 3 dec. 1749, necnon alias eiusdem Bened. XIV const., quarum praecipua collegit *S. Congr. Indulg.* decr. auth. in Append. p. 493-524; Leonis XIII, *Monita* per *S. Poenit.* 1 nov. 1900 (*A.S.S.* XXXII, p. 328) cum declar. *S. Poenit.* 20 febr. 1900 (*A.S.S.* XXXII, p. 511 et 637-638); Lugo, *De Poenit.* d. 27, sect. 7; Ferraris, *Prompta biblioth.* v. iubilaeum, cum Bucceroni, *Supplem.;* S. Alph. l. 6, n. 536-538; Beringer, *Les indulg.* (1893) t. 1, p. 2, sect. 3, n. 26, p. 474-502; Lehmk. n. 682-695; Gén.-S. n. 411-415; Ferr. n. 811-827; Mach-Ferreres, *Tesoro del sac.* t. 2, n. 364-374; Fanfani, *De indulg.* p. 57, seqq.

[3] *S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 353.

rationibus, sequentes regulae generales erui possunt circa opera, quae in iubilaeis ad lucrandam indulgentiam plenariam praescribi solent.

1. *Quoad indulgentiam plenariam.* Ex laudatis *Bened. XIV* constitutionibus atque ex variis *S. Poenit.* responsis[1] inferri potest tamquam regula pro quibuslibet iubilaeis, quae non ad breve (v. gr. ad quindecim dies, vel ad mensem), sed ad longum tempus (v. gr. ad anunm) concedantur, indulgentiam acquiri posse toties quoties opera praescripta iterentur, nisi contrarium statuatur. Ex canone autem 930 constat huiusmodi indulgentiam esse defunctis applicabilem.

Indulgentia acquiritur eo instanti, in quo ultimum requisitum ponitur et consequenter debet homo tunc versari in statu gratiae, saltem si pro seipso indulgentiam acquirere vult (n. 732, 2°). Si igitur post peractam confessionem et antequam opus ultimum requisitum compleat (v. gr. antequam eleemosynam eroget, si cetera iam peregerit), graviter peccaverit, debebit statum gratae iterum comparare sibi; non tamen sufficiet, tempore iubilaei, illum comparare per contritionem, sed confessio sacramentalis denuo praemittenda erit[2]. Quod autem ecclesiarum visitationes peregerit in peccato lethali priusquam ultimum opus praescriptum ponat, indulgentiae non obstabit[3].

746 2. *Quoad confessionem et communionem.* Non opus est, ut confessio et communio ante visitationes ecclesiarum impleantur[4]. Peragi possunt in quacumque ecclesia vel oratorio, et

---

1 Bened. XIV, const. *Inter praeteritos* § 84, *Convocatis* § 52; Leonis XIII, *Monita* n. XIX (*A.S.S.* XXXII, p. 332); *S. Poenit.* 1 iun. 1869, 26 febr. 1879 (hoc anno 1879 iubilaeum indictum fuerat ad breve tempus, sed concessum fuerat « sicut in anno iubilaei »; inde explicatur haec declaratio *S. Poenit.*), 25 mart. 1881, 15 ian. 1886, 6 iun. 1913 (hoc anno 1913 iubilaeum Constantinianum concessum fuerat « ad instar iubilaei generalis »; *A.S.S.* IV, p. 617; XI, p. 527; XIII, p. 422; XVIII, p. 333; *A.A.S.* (1913) p. 279. Huiusmodi declarationes constanter a *S. Poenit.* datae interrogantibus circa iubilaea longi temporis aut circa iubilaea ad horum instar, ostendunt semper debere intelligi indulgentiam lucrandam fore toties quoties in huiusmodi iubilaeis. De cetero, solent Rom. Pontifices, quoties ita indulgentiam non concedunt in iubilaeis brevis temporis (v. gr. in iubilaeo anni 1904, *A.S.S.* XXXVI, p. 460), atque etiam si quando nolunt eam ita concedere in iubilaeis temporis longioris (v. gr. anni 1875, *A.S.S.* VIII, p. 184), dicere expresse eam esse lucrandam *semel.* Anno 1900 iubilaeum lucrari licebat in Urbe toties quoties, alibi impediti bis tantum, anno sequenti semel (*A.S.S.* XXXII, p. 638-639).

2 Bened. XIV, *Inter praeteritos* § 79; Leo XIII, *Monita* n. XIV.

3 Bened. XIV ibid. § 76; Leo XIII ibid. n. XII.

4 Leo XIII ibid. n. XIII.

cum confessio sacramentalis sit unum ex operibus iniunctis, peragenda erit etiam ab eo, qui solis venialibus teneatur[1], atque etiam ab iis qui communicant quotidie[2]. — Nihil prohibet, quominus, ceteris iam expletis, ultimo loco ponatur communio[3]. — Per confessionem et communionem paschalem certe nequit lucrari indulgentia iubilaei[4].

3. *Quoad eleemosynam*, quae aliquando iniungitur. Nulla praescribi solet determinata quantitas; attamen, si iniungitur eleemosyna « pro sua cuiusque facultate » eroganda, debet haec aliquo modo facultati cuiusque proportionari. — Religiosi, filiifamilias, aliique, qui bona administrare non possunt, satisfaciunt consentiendo, ut alius pro se eleemosynam eroget[5], vel commutationem obtinendo a confessario. — Non satisfit per eleemosynam ex obligatione, v. gr. si debeatur ex testatoris voluntate.

4. *Quoad ieiunium*, quod aliquando praescribitur, id intelligitur, nisi aliter declaretur, sine usu cuiusvis indulti[6], ac proinde cum abstinentia a carnibus. Possunt tamen adhiberi ova et lacticinia extra refectiunculam et collationem serotinam; illa enim ab abstinentiae lege non excluduntur (can. 1250). — Qui aetatem teneriorem aut provectiorem habent, commutationem a confessario obtinere debent, nisi ieiunare malint. — Si plura ieiunia praescribuntur, non est necesse ut in eadem hebdomada expleantur, nisi id expresse praecipiatur[7]. — Per ieiunium iam ab Ecclesia praeceptum non satisfit (can. 932).

5. *Quoad visitationes ecclesiarum*. Visitationes debent esse distinctae; opus est ergo post quamlibet ab Ecclesia egredi, quo facto, licet statim, ad aliam peragendam, denuo ingredi[8]. In qualibet visitatione necesse est orare pro intentionibus Summi Pontificis[9]; non praescribuntur determinatae orationes,

---

1 Bened. XIV ibid. §§ 77 78; Leo XIII ibid. n. XIII.

2 *S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 231, resp. 12 mart. 1855 (*A.S.S.* XXVI, p. 377); Ferreres, *La comunión frecuente* n. 144; Mach-Ferreres op. cit. n. 367. De cetero, ipse can. 931, § 3 expresse adimit pro indulgentia iubilaei privilegium, quod frequenter communicantibus concedit.

3 *S. Poenit.* 20 febr. 1900 (*A.S.S.* XXXII, p. 637).

4 Bened. XIV, *Inter praeteritos* § 53; *S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 327 ad 1.

5 In hoc casu debet Superior vel paterfamilias subditos monere antequam eleemosynam eroget. Ferraris, *Prompta bibl.*, v. Iubilaeum, art. 3, n. 40.

6 *S. Poenit.* 25 mart. 1881, n. 1 (*A.S.S.* XIII, p. 422).

7 *S. Poenit.* 11 mart. 1886 (*A.S.S.* XIX, p. 512); *S. Congr. Indul.*, decr. auth. n. 425 ad 6.

8 *A.S.S.* VIII, p. 267-268 ad 2 et 8.

9 Bened. XIV ibid. § 51; Leo XIII, *Monita* n. XVIII.

immo licet orare mentaliter adiuncta aliqua oratione vocali [1], semper tamen satisfit, ut alibi diximus, recitando quinquies *Pater* cum *Ave* et *Gloria*. — Possunt visitationes peragi ante vel post confessionem et communionem, vel aliae ante, aliae post easdem [2]. — Si praescribuntur visitandae semel in die quatuor ecclesiae, eodem die omnes visitandae sunt [3]; si eadem pluries visitanda, diebus diversis visitari poterit, nisi aliter statuatur [4]. — Regulares nequeunt lucrari indulgentias iubilaei per visitationem propriae ecclesiae [5], qui autem legitime exire impediantur, commutationem a confessario obtinere poterunt.

Nihil obstat, quominus visitationes partim in una dioecesi, partim in alia fiant, dummodo observentur in singulis ordinationes Ordinariorum locorum [6].

747 6. *Quoad facultatem eligendi confessarium et facultates confessario concessas*. Facultas confessarium eligendi ita concedi solet, ut eum necesse sit eligere inter approbatos, seu, iuxta novam Codicis disciplinam, inter iurisdictione praeditos. An religiosae possint confessarium eligere inter delegatos pro saecularibus, etsi iurisdictione speciali careat pro monialibus, videndum est ex tenore concessionis, saepe enim id permissum non fuit [7].

---

1 Bened. XIV ibid. § 83; Leo XIII ibid. n. XVIII.

2 Bened. XIV, const. *Convocatis* § 45.

3 Bened. XIV, const. *Inter praeteritos* § 11.

4 *S. Poenit.* 25 mart. 1881, n. VI, 15 ian. 1886, n. VI, 23 mart. 1904 (*A.S.S.* XIII, p. 422, XVIII, p. 334, XXXVI, p. 658).

5 *A.S.S.* VIII, p. 554.

6 *S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 217; *S. Poenit.* anno 1875, 15 ian. 1886 (*A.S.S.* VIII, p. 485, ad 5 et 6, XVIII, p. 333, VII).

7 Cf. Mach- Ferreres op. cit. tom. 2, n. 371, 1° nota. Quidam regulares privilegium olim obtinuerant, ut huiusmodi iubilaeorum concessionibus, quoad eligendum confessarium pro saecularibus approbatum, non possent uti, sed apud confessarios tantum in suo Ordine designatos confiteri tenerentur; propterea huiusmodi facultate uti non poterant, nisi privilegio suo specialiter derogaretur, quod ceteroquin Summi Pontifices saepe faciebant in ipsis Litteris Apostolicis, quibus indicebatur iubilaeum, per convenientes clausulas illius privilegii derogatorias (cf. etiam Suárez, *De Relig. S. I.* tr. 8, l. 2, c. 16, n. 7; Lugo, *De Poenit.* d. 20, n. 187). Huiusmodi derogationes iam deinceps non requirentur, siquidem illud privilegium inutile evasit post decr. *S. Congr. de Relig.* 5 aug. 1913, cuius statutum retinuit can. 874, § 1.

Adverte denique quod, etsi vi canonis 875 possit Superior regularis iurisdictionem sacerdotibus ab Ordinario loci non approbatis concedere ad audiendas confessiones suorum subditorum, id tamen facere non poterit in ordine ad utendum facultatibus iubilaei, si Litterae indictionis exigunt ut confessio fiat apud praeditum iurisdictione in saeculares.

Etsi indulgentia iubilaei toties quoties acquiri concedatur, semper tamen intelligitur, ceteris facultatibus iubilaeo adnexis (id est facultate confessarium eligendi et obtinendi ab eo absolutionem, dispensationes, commutationes) licere uti prima tantum vice [1]; quod ita intellige, nimirum, non licere uti plusquam semel, nam qui prima vice iubilaeum iam lucratus est et huiusmodi facultatibus nondum usus fuerit, eisque deinde indigeat (v. gr. quia incidit in reservatum), certe eisdem uti poterit, dummodo liceat iubilaeum denuo lucrifieri et ipse serium propositum habeat cetera opera denuo ponendi ad illud lucrandum [2]; immo, antequam opus ultimum praescriptum ponat et indulgentiam lucretur, poterit pluries illis facultatibus uti [3].

Confessarius non potest iterum facultatibus uti erga eumdem poenitentem postquam is iubilaeum iam lucratus est, etsi is prima vice una tantum facultate usus fuerit (v. gr. absolutus fuerit a censura), et nunc alia diversa uti velit (v. gr. petat alicuius voti commutationem); is enim, ut nuper diximus, postquam semel facultatibus (etsi non omnibus) usus est et iubilaeum lucrifecerit, nulla amplius facultate gaudet.

Valide exercentur facultates erga eum, qui peccaverat in confidentiam iubilaei [4], id tamen quamdam suspicionem ingerit, ne non sit sincerus eius dolor.

Non potest confessarius valide facultatibus uti, nisi cum iis poenitentibus, qui sincerum animum habent cetera adimplendi ad lucrandum iubilaeum [5]; quod si hi deinde ea non

---

1 Bened. XIV, const. *Convocatis* § 52, const. *Inter praeteritos* § 84; Leo XIII, *Monita* n. XIX; *S. Poenit.* 1 iun. 1869, 1 ian. 1873, 25 mart. 1881, n. IV, 15 ian. 1886, 6 iun. 1913 (*A.S.S.* V, p. 28 ad 13; VII, p. 221, XIII, p. 422, XVIII, p. 333, n. IV; *A.A.S.* [1913] p. 279).

2 *S. Poenit,* 1 ian. 1873, 18 mart. 1886 (*A.S.S.* VII, p. 221, XVIII, p. 512).

3 Ita iam opinabatur Lehmk. (1886) II, n. 555, p. 389, et D'Annibale (1896) I, n. 348. Certe, contrarium responderat *S. Poenit.* a. 1875 (*A.S.S.* VIII, p. 359); sed id tamquam speciale illius iubilaei accipi potuit, indicia enim ad sic accipiendum non desunt; nam 1° Litterae indictionis ius concedebant eligendi confessarium et utendi facultatibus « hac vice » (*A.S.S.* VIII, p. 186); 2° *S. Poenit.* 25 iun. 1875 (*A.S.S.* VIII, p. 266 in 3) declarabat absolvi licere una tantum vice « vi praesentis iubilaei »; 3° alia singularia illud iubileum habuit, v. gr. quod, etsi magnum fuerit, semel tantum lucrifieri permitteretur. Profecto responsa posteriora *S. Poenit,* 25 ian. 1901 et 3 apr. 1904 (*A.S.S.* XXXIII, p. 375, XXXVI, p. 756) aliam interpretationem referunt doctrinae praedictorum auctorum prorsus conformem. Cf. etiam Ferreres in ephem. *Razón y Fe* VIII, p. 521.

4 Lugo, *De Poenit.* d. 20, n. 130.

5 Bened. XIV, const. *Convocatis* § 62; *S. Poenit.* 1 iun. 1869, 15 ian. 1886 (*A.S.S.* V, p. 28 ad 15, XVIII, p. 33, n. VIII).

adimplent, valide tamen a censuris absoluti vel a votis dispensati manent[1], sed peccant, probabiliter tantum leviter[2].

Expresse declaratum est non posse confessarium iis iubilaei facultatibus valide uti, nisi intra confessionem sacramentalem[3] (seclusa contraria Rom. Pontificis concessione). Solae igitur commutationes operum praescriptorum pro impeditis exerceri poterunt extra sacramentum, siquidem hae videntur posse tribui vi canonis 935, ideoque potest iis applicari canon 202, § 2; sed ceteris facultatibus tempore iubilaei tributis canon iste applicari non potest, quoniam forum sacramentale expresse exigitur.

Confessarii praetermittere non possunt poenitentiae sacramentalis impositionem, ne praetextu quidem iubilaei lucrandi[4]; possunt tamen minorem imponere, si simul etiam obligationem imponant ipsius lucrandi[5].

748 7. *Quoad commutationes operum praescriptorum.* Commutari non possunt confessio aut preces fundendae ad intentionem Summi Pontificis[6], haec enim semper peragi possunt. Sed commutari poterunt communio[7] atque etiam opera cetera[8], stante legitimo impedimento seu impossibilitate morali ea adimplendi[9]. Huiusmodi commutationes, quoniam exerceri possunt vi canonis 935[10], toties concedi poterunt (nisi aliud

---

1 Bened. XIV, const. *Inter praeteritos* § 86; Leo XIII, *Monita* 1 nov. 1899, n. XX; Mach-Ferreres op. cit. tom. 2, n. 371.

2 S. Alph. l. 6, n. 537, q. 3.

3 Bened. XIV ibid. § 63; Leo XIII ibid. n. II.

4 Bened. XIV ibid. § 65; Leo XIII ibid. n. III.

5 Lugo, *De Poenit.* d. 27, n. 30.

6 Bened XIV, const. *Convocatis* n. XXXIX et const. *Inter praeteritos* § 53. Si tamen in quibusdam adiunctis, utique valde raris, confessio peragi non posset eo quod diu deerit quilibet confessarius, et poenitens cupit pluries iubilaeum lucrari, ab actuali confessario commutationem obtinere poterit vi canonis 935. De facultate commutandi communionem, etsi a Bened. XIV excepta fuerat, ambigi iam non potest post *S. Congr. Indulg., decr. auth.* n. 393. — Pro impeditis in *Am. Lat.* cf. privilegium supra relatum in n. 732 nota.

7 *S. Congr. Indulg.*, decr. auth. n. 393; can. 935; Gén.-S. n. 413, III, 1°.

8 Quoad visitationes, Bened. XIV, const. *Inter praeteritos* § 53; Leo XIII, *Monita* 1 nov. 1899, n. XXVII. Quoad ieiunium, *S. Congr. Indulg.* decr. auth. n. 425, ad 8. Quoad cetera opera, can. 935; Mach-Ferr. op. cit. tom. 2, n. 372, 4°; Gén.-S. n. 413, III, 1°.

9 Bened. XIV ibid. § 54; can. 935. Non est ergo causa sufficiens commutandi, repugnantia, quam quis experiatur opus adimplendi. Ferreres in ephem. *Razón y Fe* VIII, p. 519.

10 Profecto, nulla apparet ratio dubitandi, quin canon 935 locum etiam habeat pro indulgentia iubilaei. Etenim sectio Codicis de indulgentiis (l. 3, p. 1, tit. IV, c. V) regulas continet generales, etiam ad iubilaeum applicabiles (v. gr. can. 926 932); quod si quem canonem Codex noluit iubilaeum comprehendere, id expresse monuit (cf. can. 931, § 3).

statuant Litterae indictionis), quoties impedimentum recurrat, etsi is, qui eisdem indiget, iam eas obtinuerit et iubilaeum lucratus fuerit[1].

8. *Quoad absolutionem a reservatis, dispensationes* votorum aut ab irregularitatibus, etc., standum omnino erit concessionibus, quae in quolibet iubilaeo fiant[2]. Advertendum tamen est, quod generatim concedi solet facultas ad commutanda vota, non ad dispensandum ab ipsis; commutatio autem, si ita simpliciter tribuitur, facienda est in opus saltem circiter aequale[3], si vero tribuitur facultas « commutandi dispensando », permittitur commutatio cum aliqua moderata inaequalite, non tamen in opus multo minus[4]. Ut autem commutatio concedatur poenitenti, alia causa non requiritur, nisi ea causa generalis, quae Rom. Pontificem movit ad iubilaeum concedendum[5]. — Commutatio fieri nequit in opus, ad quod poenitens alio titulo obligatus sit[6].

9. *Suspenduntur*, durante anno sancto[7], pleraeque indulgentiae et facultates, iuxta modum, qui in casu quolibet declarari solet; suspensionis finis est fideles permovere ad adeundam Romam, ut magnis fruantur gratiis, quas ibi eo anno fas est lucrari.

Generatim suspenduntur omnes indulgentiae papales vivis applicabiles, exceptis concessis pro articulo mortis, pro oratione *Angelus Domini*, pro oratione Quadraginta Horarum, pro comitantibus Viaticum, et concessis ab alio quam a

---

1 Videtur proinde iam non esse attendendum ad declarationem *S. Poenit.* 20 febr. 1900 (*A.S.S.* XXXII, p. 511 ad 2). Antea huiusmodi commutationes operum praeceptorum nonnisi semel tribuere licebat; poterat tamen poenitens, si pluries iubilaeum lucrari cupiebat et impedimento aliquo detinebatur, iam nunc a confessario commutationem pro omnibus vicibus subsequentibus obtinere. Saltem, re sic intellecta, iam cohaerent responsa *S. Poenit.* 18 mart. 1886, 20 febr. 1900, 10 maii 1900 (*A.S.S.* XVIII, p. 512, dub. 2, XXXII, p. 637, XXXIII, p. 64 ad II et III). Nunc, post can. 935, iam toties quoties commutatio obtineri poterit, nisi aliud in aliquo iubilaeo statuatur.

2 Semper tamen excipiuntur duo casus Bullae *Sacramentum Poenitentiae*, scilicet, attentata absolutio complicis et calumniosa confessarii denuntiatio de sollicitatione. Nec umquam facultas datur absolvendi complicem aut dispensatio a denuntiando confessario sollicitante.

3 Bened. XIV, *Inter praeteritos* § 55; *S. Poenit.* 25 ian. 1875 (*A.S.S.* VIII, p. 268 ad VI).

4 Bened. XIV ibid. §§ 45 47; Leo XIII, *Monita* n. XXVI.

5 S. Alph. l. 6, n. 537, q. 4, § *An autem.*

6 Bened. XIV ibid. § 53; Leo XIII ibid. n. XXVII.

7 Id est, tempore, quo iubilaeum ordinarium conceditur pro Urbe tantum; deinde extenditur extra Urbem.

Summo Pontifice. Quae autem pro defunctis concessae sunt, manent, immo iis applicari possunt quae alias pro vivis tantum acquiri permittebantur.

Suspendi quoque solent facultates absolvendi ab Apostolicae Sedi reservatis quoad eos, qui Romam adire possunt intra breve, commutandi (a fortiori dispensandi) vota, dispensandi ab irregularitatibus et ab impedimentis. Manent facultates, quae ad alia referuntur, v. gr. ad ieiunia et, circa illa quatuor capita, manent facultates, quas Ordinarii habent iure communi pro casibus occultis, et quas Superiores regulares a S. Sede acceperunt pro suis subditis religiosis.

TRACTATUS VI.

DE EXTREMA UNCTIONE

a) **Materia remota** huius sacramenti est oleum olivarum **749**
ab Episcopo, vel saltem a sacerdote a Papa delegato, benedictum. Haec benedictio requiritur ad validitatem, et quidem valde probabiliter ea omnino debet esse, quae specialiter ordinatur ad hoc sacramentum [1]; unde, chrisma vel oleum catechumenorum materia dubia est, quae tamen adhiberi poterit sub condicione in casu necessitatis, ubi oleum infirmorum obtineri non possit.

Ad liceitatem sub gravi adhiberi debet oleum benedictum intra annum [2]; id autem parochus a proprio Ordinario, non ab alio, petere debet [3].

---

1 « Oleum olivarum, in sacramento extremae unctionis adhibendum, debet esse ad hoc benedictum ab Episcopo, vel a presbytero qui facultatem illud benedicendi a Sede Apostolica obtinuerit » (can. 945).

Quam diligenter autem oleum sacrum custodiendum sit, habes in can. 946: « Oleum infirmorum parochus loco nitido et decenter ornato in vase argenteo vel stanneo diligenter custodiat, nec domi retineat nisi ad normam can. 735. » Et in can. 735: « Parochus olea sacra a suo Ordinario petere debet et in ecclesia in tuta ac decenti custodia sub clavi diligenter asservare; nec ea domi retineat, nisi propter necessitatem aliamve rationabilem causam, accedente Ordinarii licentia. »

2 « Sacra olea quae quibusdam sacramentis administrandis inserviunt, debent esse ab Episcopo benedicta feria V *in Coena Domini* proxime superiore; neque adhibeantur vetera, nisi necessitas urgeat » (can. 734, § 1).

Leo XIII, const. *Trans Oceanum* 18 apr. 1897 *Americae Latinae* ad triginta annos concessit « ut adhiberi possint sacra olea etiam antiqua, non tamen ultra quatuor annos, dummodo corrupta ne sint, et peracta omni diligentia, nova vel recentiora sacra olea haberi nequeant ».

3 Can. 735. Ball.-P. n. 11.

Si sacrum oleum praevidetur defuturum « neque aliud benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minore quantitate superinfuso, reparari potest », ait *Rit. Rom.* [1]; idemque recurrente iterum necessitate, repeti poterit.

Nulla determinata olei quantitas ad validitatem requiritur aut ad liceitatem praescribitur. Negant tamen aliqui [2] sufficere unam guttam; sed certe iuxta omnes sufficit ad singulas unctiones extremum digiti intingere et ungere.

750 *b*) **Materia proxima** est unctio infirmi [3].

Extra casum necessitatis [4] *ungendi sunt singuli quinque sensus* hoc ordine: visus, auditus, odoratus, gustus, tactus, ad unumquemque suam formam proferendo, nempe: « Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per visum (vel auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum) deliquisti. Amen. » [5] Adiungitur unctio pedum (cum sua forma « per gressum »), quae tamen ex qualibet rationabili causa (non simpliciter ad

---

1 Idem ait can. 734, § 2: « Mox deficienti oleo benedicto aliud oleum de olivis non benedictum adiiciatur, etiam iterato, minore tamen copia. » Bene monet *Conc. Pl. Am. Lat.* n. 570 id faciendum esse « quando sacrum oleum deficit, non vero quando post consecrationem distribuitur ».

2 Cf. ap. S. Alph. n. 709, dub. 4. Praecipuus, qui a S. Alph. citatur, est Suárez d. 40, s. 2, n. 4, qui tamen non videtur negasse unam guttam esse materiam sufficientem, sed negasse quod suffi ciat unam guttam «stillare », eo quod stillare non sit ungere. Si igitur alii auctores a S. Alph. citati (quos consulere non potuimus) aliud, quam Suárez, non dicunt, erronee conficta est sententia negantium sufficientiam unius guttae. Profecto, sufficit iuxta S. Alph., extremum digiti intingere et ungere; et tamen, sic agendo, post quinque unctiones vix plus consumptum est quam una gutta.

3 « Extremae unctionis sacramentum conferri debet per sacras unctiones », ait can. 937; ad id autem non sufficit digito intincto membrum infirmi tangere, quia id non est ungere, iuxta communem loquendi modum; ungere enim est partem corporis oleo linire, aliquid per illam diffundendo. Cf. Suárez d. 40, sect. 2, n. 4.

4 Quae sequuntur, sic clare exponuntur in can. 947: «§ 1. Unctiones verbis, ordine et modo in libris ritualibus praescripto, accurate peragantur; in casu autem necessitatis sufficit unica unctio in uno sensu seu rectius in fronte cum praescripta forma breviori, salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo. — § 2. Unctio renum semper omittatur. — § 3. Unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest. — § 4. Extra casum gravis necessitatis, unctiones ipsa ministri manu nulloque adhibito instrumento fiant. »

5 Non debet forma immutari, eo quod infirmus aliquo sensu perpetuo caruerit, v. gr. caecus a nativitate. Si infirmus organo sensus inungendi caret, v. gr. manu, inungatur pars membro vicinior. *Rit. Rom.* tit. 5, c. 1, n. 18.

libitum) omitti potest [1]. Post quamlibet unctionem loca inuncta novo globulo bombacii vel similis rei, postea comburendae [2], terguntur, idque facere potest minister sacerdotis, si est in sacris [3].

Unctiones debent moraliter uniri, ideoque sine notabili intervallo (qualis esset v. gr. unius quadrantis) peragendae sunt.

In membris paribus geminae unctiones faciendae sunt, incipiendo a membro dextro, sub unica tamen forma, quae perfici non debet donec secundum membrum inungatur [4]. Ungendi sunt igitur (faciendo pollice signum crucis) utrique oculi (id est, palpebrae clausis oculis), utraeque aures, ambae narium partes laterales (vel nasi pars summa tantum), os labiis compressis (vel labium tantum inferius), utraeque manus (sacerdotibus unguntur exterius, reliquis infirmis interius); demum, utrique pedes (sive in planta sive supra). Unctio alterutrius partis e geminis excusari poterit, si nequeat attingi et infirmus nimis difficulter verti possit.

Ordinem sensuum invertere probabilius non est grave, secluso contemptu; nec est grave ungere non faciendo signum crucis.

Sacerdos intingat aliquoties extremum digiti in oleo, v. gr. ad singulas unctiones quae fiunt sub forma diversa.

Ungere adhibito instrumento validitati huius sacramenti non obstat, prohibetur tamen extra casum gravis necessitatis (v. gr. si infirmus lepra est infectus), debetque fieri ipsa manu.

In casu verae necessitatis sufficere unicam unctionem in parte principali, v. gr. in fronte, adhibita formula generali, dicemus statim.

c) **Forma** huius sacramenti deprecativa est, ea nempe **751**
quam nuper pro ordinariis adiunctis tradidimus. Certe de essentia non est verbum « sanctam », aut « Amen », aut verba « et suam piissimam misericordiam »; ea tamen, nisi urgente necessitate, omittere non licet.

---

1 « Unctio renum semper omittatur », ait can. 947, § 2. Certe unctiones pedum et renum de essentia non esse constabat iam ante Codicem ex sententia theologorum (SUÁREZ d. 40, sect. 2, n. 6); immo unctio renum in feminis iam semper omittebatur, atque etiam in viris, si infirmus commode moveri non poterat, multisque in regionibus omittebatur indiscriminatim pro omnibus.

2 Cineres in sacrarium ecclesiae proiiciendae sunt.

3 *Rit. Rom.* tit. 5, c. 2, n. 9.

4 *Rit. Rom.* tit. 5, c. 1, n. 17.

In casu autem necessitatis[1], ait can. 947, sufficit unica unctio in uno sensu, seu rectius in fronte, cum hac formula breviore, quam dat *Rit. Rom.*: « Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen »[2]; si tamen infirmus supervivit, adiiciendae sunt (non sub condicione, sed absolute)[3] unctiones singulorum sensuum omissae cum suis particularibus formulis.

d) **Minister**[4] ad validitatem est sacerdos. Ad liceitatem debet esse parochus loci, in quo est infirmus; sed de eiusdem

---

1 Non distinguit canon utrum necessitas se debeat habere ex parte infirmi, cuius mors immineat, an etiam ex parte sacerdotis, qui v. gr. plurimis subvenire debeat tempore pestis vel belli, nec possit in singulis immorari sine periculo aliorum. Pro utravis igitur necessitate accipi potest.

2 *Rit. Rom.* tit. 5, c. 1, n. 20. Hanc formulam dederat primum *S. Off.* 26 apr. 1906 (*A.S.S.* XXXIX, p. 273).

3 Etsi *S. Off.* 26 apr. 1906 et *Rit. Rom.* loc. cit. dixerant unicam unctionem cum formula generali in casu necessitatis « sufficere », dubitari tamen potuit an, si infirmus non decesserit, iterandum esset sacramentum sub condicione, quoniam in formula generali sensus nominati non fuerant, persuasi autem erant plerique theologi (cf. Suárez d. 40, s. 2, n. 8, d. 41, s. 3, d. 42, s. 3; Bened. XIV, *De syn. dioeces.* l. 8, c. 3; S. Alph. l. 6, n. 710), non tamen omnes, plures unctiones, vel saltem nominationem sensuum in unctione unica, esse de essentia sacramenti. *S. Off.* 31 ian. 1907 decrevit (hoc tamen decretum, ab eodem *S. Off.* 9 mart. 1917 citatum, nusquam reperitur) singulas unctiones in casu esse supplendas; et cum resp. 9 mart. 1917 (*A.A.S.* [1917] p. 178) dixisset supplendas esse absolute, non sub condicione, manifestum est censuisse validitatem unicae unctionis peractae cum generali formula non esse dubiam, ideoque pluralitatem unctionum aut sensuum nominationem de essentia sacramenti non esse in casu saltem verae necessitatis; tunc igitur unctiones adduntur « ut suppleantur », id est, ad mere integrandum sacramentum essentialiter iam positum idemque plenius explicandum (cf. Ferr. in ephem. *Razón y Fe* XLVIII, p. 84; Verm., *Periodica* VIII, p. 192; Verm.-Creus. n. 231; Gén.-S. n. 417). Diximus pluralitatem unctionum aut sensuum nominationem de essentia non esse « in casu saltem verae necessitatis », quia, re abstracte considerata, non semper licet a casu necessitatis protinus idem inferre pro casu etiam non urgenti (cf. Suárez d. 41, s. 3, n. 3). Hic tamen nulla videtur facienda distinctio, et simpliciter dicendum ea non esse de necessitate sacramenti; siquidem, si de necessitate essent, ratio non esset cur in casu etiam urgenti non adhiberentur, nam bene potuisset *S. Off.* in eo casu praescribere unctionem moraliter unam, quae fieret percurrendo celeriter unum oculum, aurem etc. (Bus. ap. S. Alph. n. 710; Suárez d. 41, s. 3, n. 7), aut unam in fronte, in qua sensus exprimerentur (S. Alph. ibid.; Suárez. ibid. n. 7 et 8), quoniam, non obstante necessitatis urgentia, aeque facile haec praxis peragi posset.

4 « § 1. Hoc sacramentum valide administrat omnis et solus sacerdos. — § 2. Salvo praescripto can. 397, n. 3, 514, §§ 1-3, minister ordinarius est parochus loci, in quo degit infirmus; in casu autem necessitatis, vel de licentia saltem rationabiliter praesumpta

parochi vel Ordinarii loci licentia, saltem rationabiliter praesumpta, quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare potest, immo, in necessitate ex caritate debet[1].

Episcopo hoc sacramentum ministrare debet canonicus dignior, religiosis suisque familiaribus et hospitibus Superiores religiosi, monialibus confessarius eiusve vices gerens, religiosis in quavis alia religione laicali capellanus ab Ordinario nominatus, omnino prout de ministrando Viatico diximus n. 576.

Graviter peccat qui, extra necessitatis casum, hoc sacramentum confert omissis precibus *Ritualis* vel absque vestibus sacris[2]; ad summum venialiter, qui illud confert solus absque ministrante. Probabiliter nullum est peccatum non adhibere lumen.

Iuxta *Rit. Rom.*[3], extrema unctio non ante, sed post Viaticum ministranda est, horum tamen ordinem invertere non excedit leve.

e) **Subiectum**[4] sunt omnes est soli baptizati, qui actualia **752**

---

eiusdem parochi vel Ordinarii loci, alius quilibet sacerdos hoc sacramentum ministrare potest » (can. 938).

« Minister ordinarius ex iustitia tenetur hoc sacramentum per se ipse vel per alium administrare, et in casu necessitatis ex caritate quilibet sacerdos » (can. 939).

Canones autem 397 et 514 hic citati referuntur ad ea, quae circa Episcopum infirmum et familiares religiosorum dicuntur supra.

[1] Omnino suppressa est excommunicatio, ante Codicem vigens, praesumentium extra necessitatem extremam unctionem vel Viaticum ministrare absque licentia.

[2] Sacerdos indui debet superpelliceo et stola violacea (*Rit. Rom.* tit. 5, c. 2, n. 4).

[3] *Rit. Rom.* tit. 5, c. 1, n. 2.

[4] De subiecto extremae unctionis haec Codex, quorum nonnulla iam colliguntur ex alibi dictis de sacramentis in genere: « § 1. Extrema unctio praeberi non potest nisi fideli, qui post adeptum usum rationis ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versetur. — § 2. In eadem infirmitate hoc sacramentum iterari non potest, nisi infirmus post susceptam unctionem convaluerit et in aliud vitae discrimen inciderit » (can. 940).

« Quando dubitatur num infirmus usum rationis attigerit, num in periculo mortis reipsa versetur vel num mortuus sit, hoc sacramentum ministretur sub condicione » (can. 941).

« Hoc sacramentum non est conferendum illis qui impoenitentes in manifesto peccato mortali contumaciter perseverant; quod si hoc dubium fuerit, conferatur sub condicione » (can. 942).

« Infirmis autem qui, cum suae mentis compotes essent, illud saltem implicite petierunt aut verisimiliter petiissent, etiamsi deinde sensus vel usum rationis amiserint, nihilominus absolute praebeatur » (can. 943).

« Quamvis hoc sacramentum per se non sit de necessitate medii ad salutem, nemini tamen licet illud negligere; et omni studio et diligentia curandum ut infirmi, dum sui plene compotes sunt, illud recipiant » (can. 944).

peccata potuerunt[1] committere atque ob infirmitatem vel senium in periculo mortis versantur.

Sufficit prudenter iudicare periculum esse, ne infirmus brevi moriatur[2]; sed non potest extrema unctio iterari in eadem infirmitate, nisi quando periculum mortis visum fuerat iam evanuisse atque ita recurrit, ut attenta interruptione aliisque adiunctis infirmus censeatur incidisse in statum a priore moraliter diversum[3].

Ministrari potest hoc sacramentum sensu destitutis[4], etiam iis (sub condicione) qui in actu peccati correpti sunt; non tamen iis, qui manifeste contumaces in impoenitentia perseverarunt. Sensu destitutis, qui unctionem petierunt aut verisimiliter petiissent, detur absolute, nisi specialis ratio dubitandi habeatur. Et generatim de hoc sacramento moribundis ministrando eadem dicta sunto, quae de impertienda iisdem absolutione diximus alibi (n. 619).

Quoniam extrema unctio primario est sacramentum vivorum (etenim poenitentiae sacramentum, sive in re, sive in voto, necessarium omnino est omnibus in mortale lapsis), ideo confessio praecesserit necesse est, si homo in mortali versatur, in huius defectu contritio. Si tamen homo nec confessionem facere nec contritionem procurare potuit, habet tamen attritionem, extrema unctio peccata mortalia ei certo remittet, ut constat ex doctrina omnium theologorum, desumpta ex *Iac.* V, 14 seqq.

---

1 Ideoque dari non potest extrema unctio infanti vel perpetuo amenti (n. 477); dari autem potest adulto recens baptizato, quia non requiritur peccatum actualiter exsistens.

2 Adverte: 1° nullo modo exspectandum esse, ut mors iam instet, multoque minus ut infirmus iam sensibus destitutus sit; id enim et valde alienum esset a praxi Ecclesiae et infirmum pluribus subsidiis per sacramentum obtinendis privaret; — 2° necesse esse, ut periculum sit praesens et oriatur ex morbo vel ex causa morbo aequiparabili, v. gr. ex partu difficili, senectute, ideoque non posse extremam unctionem dari militibus ante proelium, capite damnatis, homini sano operationem chirurgicam subituro (cf. *Rit. Rom.* tit. 5, c. 1, n. 9); — 3° posse extremam unctionem ministrari senibus valde debilibus, vel aliis infirmis, qui intra annum morituri praevidentur ex phthisi vel alio morbo, etsi per plures menses duraturo, si praetermissa occasione transitus missionarii, qui locum illum vix semel aut iterum in anno visitare potest, privandi secus essent hoc sacramento.

3 Suárez d. 40, s. 4, n. 7. Attamen, « ne nimium scrupulose in hoc se gerant (parochi), sed si dubitent an revera morbi status sit mutatus, seu num idem diversum sit vitae periculum, ... ad sacramenti iterationem propendant » Bened. XIV, *De syn. dioec.* l. 8, c. 8, n. 4.

4 Nisi in phrenesi verisimiliter possent aliquid facere contra reverentiam sacramenti (*Rit. Rom.* tit. 1, c. 1, n. 7).

Porro, praeter hunc effectum, alios quoque operatur hoc sacramentum. Nam venialia remittit, de quibus attritio habeatur; abstergit peccatorum reliquias, nominatim poenas eorum temporales residuas; sanitatem denique restituit, si animae saluti expediat [1].

Quando infirmus aliter iam sibi statum gratiae procuravit, probabilius non adest pro eo obligatio gravis suscipiendi hoc sacramentum (nisi v. gr. opus sit vitare scandalum); facilius tamen gravis evadit pro curatoribus animarum obligatio illam ministrandi et curandi, ut ministretur.

753 *f*) **Appendix.** *De sacramentis necessariis ministrandis iis qui vulgo iam creduntur mortui.* Non mediocris momenti haec materia est, cuius tractandae hic locus erit opportunus. De ea optime scripsit *P. Ferreres* in opusculo «La muerte real y la muerte aparente», ex quo fundamenta desumuntur ad sequentia asserenda:

Mors non videtur subito totius hominis potiri, sed gradatim progredi, invadens primum magnas operationes organorum exterius detectibiles, attingens ultimo activitatem internam texturarum; aliis verbis: cessant imprimis functiones respirationis, circulationis, secretionum etc., at nondum activitas vitalis cellularum. Nam, quamvis cor sistat, desinatque sanguis irrigare membra atque elementa afferre, quibus texturae nutriantur, adhuc tamen materiam nutribilem intus secum asservant cellulae, qua aliquamdiu vitam protrahere possunt [2].

Hinc, quando homo vulgo mori creditur, nihil amplius asseri potest, nisi nullum respirationis vestigium deprehendi, vultum foede immutatum esse, oculos videri vitreos etc.; sed, nullam in organismo vitam latere proindeque animam illud informare desiisse, plerumque nemo sine temeritate asseveraverit.

---

1 Hunc effectum operatur sacramentum, Deo causas naturales vel liberas ad id specialiter dirigente, non autem per modum miraculi; et propterea infirmum hoc effectu privant, qui ei sacramentum non procurant donec sanitas nisi per miraculum sperari non potest. De effectibus extremae unctionis cf. SUÁREZ, d. 41; S. ALPH. n. 731; PESCH, *Prael. dogm.* VII, n. 536 seqq.; LEHMK. n. 713 seqq.

2 Notissimum est cellulas, extra corporis organismum, vitam, etsi brevem et labilem, retinere, eamdemque, multa adhibita sollicitudine, posse aliquamdiu protrahere. Si tamen in corpore adsit tantum haec vita individualis cellularum sese propriis suis elementis independenter a sanguinis circulatione, quae cessaverat, nutrientium, vehementer dubitari potest an tunc dici possit *homo* vivere, cum cellularis illa vita exerceatur forte sine humana anima, quae iam abest, vel forte independenter ab ea, etsi adhuc praesens sit.

Patet ergo esse inverisimile hominem in eo instanti, in quo exspirasse dicitur, vere et proprie esse desiisse; idque plurima exempla confirmant eorum, qui a suis tamquam mortui plorati, immo ad sepeliendum praeparati, post breve vel longum tempus, casu vel ex alterius artificio, indubia vitae signa edidere.

Porro, quamdiu in huiusmodi adiunctis vita lateat, obscurissimum est, fatenturque medici unanimiter, nullum exsistere signum, unde possit concludi c e r t o illam cessasse, nisi inceperint membra putrescere, vel forte nisi rigeant. Certo tamen huiusmodi vitam multo brevius latere credendum est in homine, qui ordinariis in adiunctis decedit, quippe cuius texturas iam diu consumpserat morbus, quam in eo, cui infausto casu supervenit syncope, asphyxia, ictus fulguris etc., cuius proinde organismus pleno fruebatur naturae vigore.

Attenta igitur tum ratione physiologica, tum factis, quae narrantur, tum quorumdam peritorum opinione, id generaliter, seu praescindendo a peculiaribus adiunctis, asserere licet:

a) *Si homo paulatim obiit e morbo*, fundamentum solidum et valde probabile haberi, per quinque minuta immediate post existimatum obitum, ut homo putetur adhuc vivere; per semihoram subsequentem, idem putari potest cum probabilitate tenui, eoque magis tenui, quo momentum apparentis obitus magis distet; postea, denique, nullam haberi positivam probabilitatem, sed meram nescientiam; immo, apparente rigiditate, mortem iam esse valde probabilem; manifestata putrefactione, certam.

b) *Si homo occubuit ex infortunio*, suffocatione in aquis, prae aeris rarefactione, fluxus electrici concussione, syncope, subita cordis suspensione, haemorrhagia, cholera-morbo, apoplexia etc., tempus, quo cum positiva et solida probabilitate ille putari possit vivus, protrahi debet ad 2 vel 3 horas.

754 Sint igitur sequentes conclusiones:

1ª *Si homo non receperat ultima sacramenta*, haec (sub condicione « si vivis et es dispositus ») posse et debere [1] ei administrari, eo tempore, intra quod est solide probabile hominem vivere; immo, et in tempore proxime subsequenti, dum *spes* [2]

---

[1] Mensura obligationis desumenda est e regulis caritatis (n. 86); accedit pro animarum curatoribus ratio officii.

[2] S p e s afferendi auxilium homini non est confundenda cum p r o b a b i l i t a t e quod adhuc vivat; haec enim non adest, nisi positive censeatur durare vitam; illa vero adest dum nondum positive censetur vitam desiisse.

ei subveniendi nondum est adeo tenuis[1]. Deinde, quando iam *spes* aliquid valide agendi est tenuissima vel fere evanuit[2], posse quidem administrari, non tamen debere[3].

Sacramentum in huiusmodi casibus administrandum, est extrema unctio; haec enim homini certo proficiet, si vivit et habet attritionem cum intentione habituali; in unctionis defectu danda est absolutio, cuius tamen effectus longe probabilius erit nullus[4].

2ª *Si homo ultima sacramenta iam receperat*, posse nihilominus absolvi sub condicione (vel ungi, si tantum absolutionem et non unctionem receperat), dummodo non apparuerit putrefactio, immo, si sacramenta ab aliquibus diebus non susceperat et sacerdos commode potest adire quando spes eum reperiendi latenter vivum nondum est adeo tenuis, eum pro gradu praesumptae necessitatis et spei exitus adire debere.

3ª Scandalum adstantium, qui cadaveri ministrari sacramenta mirarentur, facile vitari potest; nam absolutio, omisso signo crucis, nemine advertente proferri potest, praesertim si fiat inter alias preces super mortuum recitandas; unctio vero bene dissimulari potest, si quovis praetextu sacerdos digitum sacro oleo tinctum fronti applicet proferens formam brevem, haecque in casu sufficiet. Quod si opus est, possunt adstantes de re breviter edoceri.

---

1 Ac proinde saltem per horam post momentum putatae mortis, si haec e morbo accidit. Si vero ex subito infortunio, per horas 10 vel 20 et amplius, id est, quamdiu non superveniat rigiditas; nam tunc, quamvis, tractu temporis, decrescit ex una parte probabilitas vitae ob consumptionem texturarum, crescit ex altera eo ipso quod adeo retardetur rigiditas.

2 Proinde usque ad manifestationem putrefactionis, etsi iam apparuerit rigiditas.

3 Cf. n. 472 nota. — Praemoneatur homo, si commode fieri potest; ut, si forte audit, sciens sibi administrandum sacramentum, possit se disponere.

4 His in adiunctis, quando datur unctio, non praemittatur absolutio. Ratio, quia frivolum esset in iis adiunctis dare absolutionem, in quibus *a*) fere certo erit nulla et irrita, ut constat ex dictis de requisitis ad poenitentiam, et *b*) aliunde nulla necessitate iustificaretur, cum per unctionem plenius id omne obtinendum sit, quod per absolutionem sperabatur, adeo ut, si ex defectu alicuius dispositionis unctio non sit valitura, certissime ex eadem causa absolutio non valeret. Nec videtur absolutio ex eo iustificanda quod consulendum sit, quantum possit, susceptioni unctionis in statu gratiae, tum quia haec obligatio subiectum respicit, ministrum vero eatenus tantum, quatenus eius malam fidem removere debet, tum quia unctio, supposita bona fide, etsi non primario, per se tamen et vere instituta est ad delendum peccatum actuale (Suárez d. 41, s. 1), tum quia tam tenuis probabilitas est efficiendi aliquid per absolutionem, ut nulla obligatio sit ad illam probabilitatem respiciendi ob reverentiam unctionis.

TRACTATUS VII.

DE ORDINE

Praeter nonnulla brevissime de materia et forma, mi- **755**
nistro et subiecto, quae magis pro more quam necessitatis gratia attingemus, nihil fere aliud ducimus de hoc sacramento tractandum ad eorum utilitatem, qui communi curae vacant animarum, quam irregularitates. Cetera enim: de Episcopo proprio ad ordinationem licitam, de dimissoriis litteris ad eam ab alio obtinendam, de titulo canonico, de testimonialibus exhibendis aliisve ordinationi praemittendis, de tempore ordines conferendi etc. ad canonistas exclusive spectant. Quod si aliqua notitia confessario utilis esse possit, abunde ei sufficiet, quae hauritur ex lectione Codicis, ubi ea nitide sunt digesta.

Ordo sacramentum est, complectens varios gradus: diaconatum saltem et sacerdotium; quod postremum accipitur in presbyteratu, completur in episcopatu. Saltem, inquam; nam de subdiaconatu aliquod dubium est, et probabilius sacramentum non est habendus, cum id nec ex Scriptura aut traditione, nec ex ritu collationis satis probari possit, nec in Ecclesia Orientali ut ordo sacer habeatur. Quoad ordines minores Ecclesiae Latinae: ostiariatum, lectoratum, exorcistatum et acolythatum, e quibus lectoratum tantum Ecclesia Orientalis possidet, iam sententia communi hodie sacramenta non censentur, sed ordines ab Ecclesia ad sacramenti instar instituti. Tonsura denique mera est ad ordines praeparatio.

Art. 1. Ordinis materia, forma, minister.

Minorum ordinum materia consistit in traditione instru- **756**
mentorum, quae ministerii cuiusque sunt propria: clavis ecclesiae, libri lectionum vel exorcismorum, urceoli vacui; similiter pro subdiaconatu conferendo traditio duplex: calicis vacui cum patena superposita et libri epistolarum vel missalis. Forma vero sunt verba traditionem concomitantia, quibus haec exprimitur.

Diaconatus, presbyteratus, episcopatus conferuntur per manus impositionem, quae in presbyteratu duplex est, dum scilicet Episcopus silentio ambas manus super cuiusque ordinandi caput imponit et dum statim postea dexteram cum presbyteris astantibus super eosdem extendit invitans ad orandum; formae vero sunt verba manus impositionem concomitantia, quae in presbyteratu fusiora sunt, consistunt enim in invitatione « Oremus » cum oratione « Exaudi nos » et Praefatione consequente. Traditionem instrumentorum in Ecclesia Latina, seu libri evangeliorum in diaconatu, sacrorum vasorum cum hostia et vino in presbyteratu, cum suis formis ad essentiam sacramenti pertinere, opinio fuit multos et graves habens olim patronos; hodie tamen parum probabilis haberi solet et magis in dies deseritur. Fere idem dic de impositione libri evangeliorum super caput et scapulas accipientis episcopatum. Certe de essentia sacramenti non sunt ritus quidam, aliunde sollemnes, cuiusmodi unctio manuum in ordinatione presbyteri et impositio sacrarum vestium. Denique impositio manus in fine Missae cum verbis « Accipe Spiritum Sanctum... » ad collationem saltem potestatis Eucharistiam consecrandi nihil conferre potest, cum ea iam in exercitium a neo-presbytero deducta sit, sed summum ad conferendam potestatem remittendi peccata, ut aliqui opinati fuerunt[1].

Minister ordinarius valide conferendae ordinationis est Episcopus quilibet. Presbyter minister extraordinarius esse potest, facultate a iure vel a Sede apostolica accepta, ad aliquos ordines conferendos; sic a iure potestatem accipiunt Abbates ordinandi in minoribus suos subditos professos. Ad liceitatem ordinandus est quisque a proprio Episcopo aut saltem, si ab alio, de licentia ab eo accepta per dimissoriales litteras; has dat pro religiosis eorum Superior maior ad Episcopum dioecesis, in qua sita est domus religiosa, nisi ob legitimum impedimentum ad alium recurrendum sit. Sed de his plura Codex can. 951-967.

Art. 2. Ordinis subiectum.

757 De ordinis subiecto agit Codex can. 968 seqq., recensens tum praerequisita in ordinando: receptam confirmationem, mores ordini recipiendo congruentes, aetatem 21 annorum pro subdiaconatu, 22 pro diaconatu, 24 pro presbyteratu, in omni

---

1 Quando ordinatio absolute vel sub condicione iteranda sit, aut quando aliqui ritus supplendi vel iterandi, exponunt, diversis recensitis casibus et responsis Sacrarum Congr. citatis, Lehmk. n. 740-743; Ball.-P. tr. 10, s. 7, n. 19-35; Gén.-S. n. 428 429; Ferr. n. 965 966; Vermeersch, *Theol. mor.* III, n. 678-681.

casu completorum; debitam scientiam, studia theologica per certum tempus confecta, ordines inferiores susceptos, interstitiorum observantiam; pro maioribus ordinibus titulum canonicum ad procurandam sustentationem congruam; tum praemittenda ordinationi: litteras testimoniales de recepto baptismo et confirmatione vel ultima ordinatione, de peractis studiis, de bonis moribus, absentia impedimentorum, examen de scientia circa ordinem suscipiendum aliasque theologicas tractationes, proclamationem in paroecia, spiritualia exercitia per aliquot dies; tum denique irregularitates atque impedimenta, de quibus, propter frequentiorem praxim, accuratius nunc agendum.

758 *a*) **Irregularitates et impedimenta in genere.** *Impedimentum* intelligitur hoc loco obex quilibet canonicus prohibens ne quis clero adscribatur, aut ad ordinem superiorem ascendat, aut receptos ordines exerceat (can. 950 968); obex canonicus, inquam, seu ab Ecclesia constitutus, non enim proprie impedimenta dici possunt inhabilitates de iure naturali vel divino, cuiusmodi sunt condicio feminini sexus vel defectus baptismi [1].

Si impedimentum est perpetuum, vocatur *irregularitas* (can. 983). Nihil est ergo aliud irregularitas nisi species quaedam impedimenti; distinguiturque ab impedimentis ceteris, quae a Codice vocantur « simpliciter impedimenta » (can. 987), — 1° quia irregularitas ex se perpetua est, impedimentum simpliciter dictum potest esse temporaneum; — 2° proinde hoc, tractu temporis sponte cessare potest, irregularitas vero tolli non potest, nisi dispensatione.

Nulla irregularitas contrahitur nisi fuerit in canonibus expressa, monet can. 983; atque his verbis iam significatur canones ipsos irregularitates statuentes stricte interpretandos esse, quod aliunde manifestum est, cum agatur de lege libertati obicem non modicum opponente.

Irregularitas ex delicto non contrahitur nisi id fuerit peccatum: — 1° *grave*, obiective et subiective; — 2° *post baptismum* perpetratum, excepta ipsa baptismi susceptione, si quis eum extra necessitatis casum sibi conferri sivit ab acatholico; — 3° *externum*, sive publicum sive occultum (can. 986) [2].

---

[1] Nec censura stricte dici potest impedimentum; nam, etsi exercitium ordinis prohibeat, id non per se et directe, sed tantum per modum poenae adiectae facit. Violatio tamen censurae per ordinis exercitium irregularitatem certe inducit, ut dicemus.

[2] Nequaquam excusatur irregularitas si delictum patrat impubes, certo enim Codex impuberes non excludit. Praeterea non statuuntur irregularitates ut poenae, sed ut impedimenta (can. 983),

Ignorantia irregularitatum sive ex delicto sive ex defectu *atque impedimentorum ab eisdem non excusat* (can. 988) [1].

In dubio, sive iuris sive facti, irregularitas censetur non exsistere. Id certum est in dubio iuris; siquidem nulla irregularitas incurritur nisi in Codice expressa, ideoque certo expressa, idemque indubie constat ex can. 15. Item in dubio facti; nemo enim se lege odiosa ligatum habere debet, nisi certo ipsius condiciones posuerit [2]; saepe tamen satius erit ad dispensationem recurrere, ad consectaria vitanda, si postea factum comperiatur.

759 *Irregularitates et impedimenta multiplicantur* ex diversis eorumdem causis, non autem ex repetitione eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario (can. 989). Unam igitur irregularitatem contraxit qui pluries matrimonium civile attentavit vinculo matrimoniali ipse ligatus; vel qui censuras, etiam diversas, per ordinis sacri exercitium pluries violavit; vel iudex qui plures mortis sententias tulit; plures vero irregularitates, qui plura homicidia perpetravit [3].

---

ideoque deficit nunc ratio, qua auctores antea ad eos excusandos nitebantur. Cf. FERR. n. 889 nota.

Atque ob hanc eamdem rationem quod irregularitates impedimenta sunt, non proprie poenae (WERNZ, *Ius decret.* II, n. 96, VI, n. 107), nequeunt irregularitatibus universim applicari canones de poenis agentes, v. gr. can. 2231; ideoque irregularitatem non incurrunt cooperatores delicti irregularitati obnoxii, nisi pro aliquo delicto particulari lex contrarium decernat.

1 Idem constat ex can. 16, § 1. Ante Codicem ab irregularitatibus ex delicto excusabat earum ignorantia, ex sententia probabili.

2 Praecedentis iuris canonistae casum unum excipiebant: si de patrata actione occisiva et de secuta morte constet, dubium autem sit cuiusnam actioni mors debeatur. Haec exceptio in hodierno iure non agnoscitur, ut patet ex FERR. n. 889 quaer.; GÉN.-S. n. 631, III; VERM.-CREUS. n. 254, 5°, qui nullam eius mentionem faciunt, et universaliter irregularitatem in dubio facti nullam esse dicunt ob hanc rationem generalem, quod irregularitas requirat delictum certum; immo, ob hanc rationem FERR. n. 897, quaer 4° illam exceptionem expresse reicit.

Sed cum haec ratio generalis vera esset etiam in praecedenti iure et nihilominus exceptio illa a canonistis teneretur, quaeri posset, qua proprie ratione haec exceptio hodie non admittenda sit. Respondemus rationem esse, quod illud principium « ad irregularitatem requiritur delictum certum » non debet accipi independenter a voluntate legislatoris, sed subintelligi debet, nisi lex aliud « expresse » statuat; eius enim est condiciones irregularitatum statuere; neque aliam ob causam in praecedenti iure exceptio illa fiebat a canonistis nisi propter textum expressum iuris (cf. S. ALPH. 1, 7, n. 347; WERNZ, *Ius decret.* II, n. 145; BLAT, *Comment. text.* l. 3, pars 1, pag. 437). Atqui huiusmodi exceptio a novo Codice prorsus exsulat.

3 Probabiliter censemus unam contraxisse irregularitatem

Ab irregularitatibus ex delicto dispensare possunt, iuxta can. 990: — 1° *Ordinarius* [1] per se vel per alium, sed suos subditos tantum [2], eosque dispensare possunt ab irregularitate qualibet ex delicto occulto proveniente, excepta irregularitate ex voluntario homicidio, procuratione abortus aut ad ea cooperatione, et excepta irregularitate, quae (quoad delictum) ad forum iudiciale sit deducta [3]. — 2° *Confessarii* quilibet et cum

---

qui plures abortus procuravit. Profecto Gén.-S. n. 631, IV, abortum in hac re homicidio aequiparat. Sed Verm.-Creus. n. 255 abortum ab homicidio aliquatenus secernit ratione, quae nobis videtur attendenda: scilicet, cum can. 985, 4°, Codex homicidium et abortum distincte nominaverit, et hoc loco, seu can. 989, facile ad illum canonem remittere potuisset, ut mos ipsi est, id tamen nunc non facit, sed homicidii tantum meminit. Adde, quod in can. 990 immediate sequenti ad morem suum revertitur et illum ipsum canonem 985, 4° citat. Inconsequenter tamen videtur nobis clarus auctor rationem suam ad fetum parum evolutum restrinxisse, cum ratio allata evolutum quoque et certo animatum attingat. Propterea probabile censemus ex delicto, quod simpliciter nomine abortus veniat, non multiplicari irregularitates; a qua opinione non alienum dixeris Ferreres, ut eruitur ex exemplo quod proponit in n.907; eamdemque tenet Blat, *Comment. text. Cod.* l. 3, pars 1, pag. 452. Attamen, id de solo abortu, seu de fetus expulsione intelligendum est; nam dubium non est, quin proprie « homicidium » sit craniotomia aliave actio directe fetus occisiva, quae propterea dicitur « feticidium ».

An multiplicentur irregularitates ob cooperationem ad diversa homicidia, praeterfugisse videtur auctores. Sed ob similem rationem censemus probabile non multiplicari. Etenim Codex, loco remittendi ad can. 985, 4°, uti hoc loco exspectandum erat iuxta suum morem, id non facit (cum tamen in can. 990 proxime insequenti id faciat), sed solius homicidii voluntarii meminit, non cooperationis. Et quamquam dicat multiplicari « irregularitatem ex homicidio voluntario », cooperatores autem in quodam sensu vere dici possint irregularitatem contrahere « ex homicidio », nempe mediate; tamen, in alio sensu vere dici possunt non contrahere « ex homicidio », sed « ex cooperatione » ad homicidium, nempe immediate. Cum id ergo non satis clare in can. 989 exprimatur, lex in sensu stricto potest accipi.

[1] Quo nomine pro religionibus clericalibus exemptis venit Superior maior (can. 198, et 488, 4°).

[2] Eos dispensare potest, etsi extra territorium degens vel degentes (can. 201, § 3), et in foro etiam extra-sacramentali.

[3] Praeterea Ordinarii dispensare possunt suos subditos ab irregularitate quavis, sive ex defectu sive ex delicto occulto vel publico, (similiter ab impedimentis), *in dubio facti* (post peractam prudentem inquisitionem veritatis), ita ut irregularitas (vel impedimentum) amplius non subsistat, etiamsi contracta fuisse deinde detegatur, dummodo tamen agatur de irregularitate, in qua Rom. Pontifex dispensare soleat (can. 15). Immo Ordinarius dispensare potest ab irregularitate quavis (vel impedimento), quae a Sede Apostolica dispensari solet, etiamsi *certa* sit, dummodo difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni (can. 81).

iisdem exceptionibus [1], sed tantum quoad suos poenitentes [2] et cum sequentibus restrictionibus [3]: *a*) ut agatur de casu urgentiore, in quo Ordinarius adiri nequeat; et *b*) periculum immineat gravis damni vel infamiae [4]; *c*) ut irregularitas sit occulta; *d*) confessarius eam tollat ad hunc effectum dumtaxat, ut poenitens ordines iam susceptos licite exercere valeat [5].

Formula dispensandi irregularitatem nulla determinata praescribitur; potest tamen haec usurpari, si lubet: « Dispenso tecum ab irregularitate (vel irregularitatibus), quam (vel quas) incurristi propter... In nomine Patris... ».

In petitione dispensationis debent omnes irregularitates et impedimenta, quibus orator innodatur, indicari; secus, si conceditur dispensatio generalis, valebit quidem pro reticitis bona fide (exceptis irregularitatibus ex homicidio, procuratione abortus, aut ad ea cooperatione et exceptis deductis ad forum iudiciale), sed non pro reticitis mala fide (can. 991, § 1). Si agatur de irregularitate ex homicidio voluntario, etiam numerus delictorum exprimendus est, sub poena nullitatis concedendae dispensationis (can. 991, § 2).

Dispensatio generalis ad ordines valet pro ordinibus quoque maioribus, sed nequit dispensatus obtinere quasdam dignitates, quas cf. in can. 991, § 3.

---

1 Putat Verm.-Creus. n. 261, 3° quod, si agatur de irregularitate ex procurato abortu et casus urgeat, potest confessarius dispensare vi decreti *S. Off.* 6 sept. 1909 cum onere recurrendi intra mensem ad S. Sedem. Non videtur id admittendum, cum illa facultas praetermissa sit in Codice et facultates confessarii super hac materia sub nova forma sint redactae.

2 Etsi in can. 990 non dicatur expresse facultas huiusmodi exercenda « in foro sacramentali » (cf. can. 202, § 2), cum tamen detur « confessariis » erga « poenitentes », satis significatur eam exercendam esse in confessione. Ita etiam tenet Blat op. et loc. cit. p. 457 et Gén.-S. n. 632, 4°, qui tamen putat sufficere, si concessio cum confessione connectatur. Verm.-Creus. n. 261, 3° ait posse id confessarium facere extra confessionem erga quoslibet, pro quibus est approbatus. Prorsus id nimis; non potest enim id concedere, nisi « confessarius poenitenti ».

3 Ampliorem facultatem confessariorum regularium ex eorum privilegiis consule supra in n. 464.

4 V. gr. parochus irregularitate innodatus omittere nequit Missae celebrationem sine infamia.

5 Cum Codex dicat simpliciter poenitenti licere « ordines exercere » nec addat « in illo casu», dicendum est dispensationem dari a confessario absolute et non solum pro casu urgente, ideoque posse deinceps poenitentem ordines exercere etiam absque necessitate. Ita etiam Blat, *Comment. text. Cod.* l. 3, pars 1, p. 457.

Adverte quod, data a confessario dispensatione, nullus imponitur recursus ad Ordinarium aut S. Sedem.

Dispensatio in foro non sacramentali concessa scripto consignanda est in libro Curiae secreto (can. 991, § 4).

760 *b*) **Irregularitates ex defectu** recensentur in can. 984. Iuxta huius tenorem « sunt irregulares ex defectu » :

Ex defectu natalium. « 1° Illegitimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimitati vel vota sollemnia professi. »

Quinam filii legitimi vel illegitimi sint iure canonico (ad quod unice, non ad ius civile, attendendum est ut de irregularitate decernatur), dicitur in can. 1114 et dicemus postea (n. 772). Sufficiat dixisse hic, irregulares esse filios tum naturales tum spurios[1], dummodo tamen legitimati non fuerint[2], aut illegitimitas cessaverit per sollemnem professionem religiosam. Sed non esse irregulares eos qui nati sunt e parentibus, quorum matrimonium invalidum fuisse ab una saltem ex partibus bona fide ignorabatur; nec qui nati e parentibus illegitimis; nec qui, nati e muliere coniugata, adulterini ab aliis habentur, quin id evidenti argumento probari possit.

Ex defectu corporis. « 2° Corpore vitiati, qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt. »

Ex hoc capite irregulares habentur ad ordines recipiendos: — *a*) Caeci, aut ita caecutientes, ut defectus ne adhibitis quidem conspicillis sufficienter corrigi possit. Non est irregularis, qui facultate visiva caret unius oculi, etsi is sit sinister, nisi altero oculo nequiret decenter legere canonem in Missa; si tamen oculus erutus est, irregularitas exsistit propter deformitatem, nisi haec tollatur oculo vitreo. — *b*) Surdi utraque aure, adeo ut ministrum respondentem audire nequeant. Surditas tamen ordinibus susceptis superveniens non impedit celebrationem. — *c*) Muti, aut ita balbutientes, ut risum aut contemptum moveant. — *d*) Privati alterutro brachio; defectus tamen ordinibus susceptis exercendis non obstat, si per brachium affabre factum apte suppleatur. Mutili manu dextra, vel pollice dextro, propter impotentiam frangendi hostiam.

---

1 Naturales dicuntur filii habiti extra matrimonium, e parentibus tamen, qui tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis, habiles exstitere ad contrahendum; spurii vero, qui nati fuerunt e parentibus, qui impedimento aliquo dirimente toto eo tempore detinebantur.

2 Legitimantur filii naturales per subsequens parentum matrimonium, spurii per rescriptum S. Sedis.

Item, qui aliis carent digitis aut manu sinistra, propter deformitatem; nisi infortunium sacerdotio supervenisset et deformitas per manum fictam bene tolli posset; deformitas tamen ob carentiam aliquorum digitorum post susceptum sacerdotium contracta non prohiberet celebrationem privatam. — *e*) Demum, qui quemlibet alium defectum habent, qui contemptum aut horrorem moveat; cuiusmodi sunt enormiter gibbosi, carentes naso, syphilide infecti foris apparente etc.

Alia pro iam sacerdotio auctis vide supra, in n. 519.

Ex defectu animi. « 3° Qui epileptici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt; quod si post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis receptorum ordinum exercitium rursus permittere. »

Igitur quoad licitam ordinum susceptionem obstant huiusmodi morbi semel habiti, etiamsi sanatio fuerit completa.

761 *Ex defectu sacramenti.* « 4° Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt. »

Non requiritur ut matrimonium fuerit ratum (ideoque computatur matrimonium in infidelitate contractum), nec requiritur ut fuerit consummatum[1]. Requiritur tamen matrimonium validum, nec sufficit putativum.

Ex defectu famae. « 5° Qui infamia iuris notantur. »

Infamia iuris est poena, quae incurritur in casibus ipso iure communi expressis (can. 2293, § 2). Incurritur « ipso facto » atque ob delictum etiam occultum; et quoniam est poena vindicativa (can. 2291, 4°), non excusat eiusdem ignorantia (can. 2229, § 3, 1°). Requiritur tamen peccatum obiective et subiective grave (can. 2218, § 2). Praeter irregularitatem inducit quoque inhabilitatem ad officia et dignitates ecclesiasticas, aliosque parit effectus, de quibus cf. can. 2294, nec tollitur nisi ex dispensatione S. Sedis (can. 2295).

Porro infamia notantur ipso iure:

1. Qui « sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint » (can. 2314, § 1, 3°).

2. « Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit » (can. 2320).

3. « Qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit » (can. 2328).

---

[1] Ita etiam BLAT, *Comment. text. Cod.* l. 3, pars 1, p. 429; GÉN.-S. n. 638, IV. Nec videtur id interpretandum cum VERM.-CREUS. n. 256, 4° iuxta ius pristinum, quod consummationem exigebat, cum ius novum nihil amplius requirat, nisi ut matrimonium contractum sit.

4. « Qui violentas manus in personam Romani Pontificis vel S.R.E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis iniecerit » (can. 2343, §§ 1 et 2).

5. « Duellantes et qui eorum patrini vocantur » (can. 2351, § 2), non vero alii cooperatores. Vere duellantes habentur qui mensuras sic dictas inter se conserunt apud germanicos Universitatum alumnos consuetas[1].

6. « Bigami, idest qui, obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint » (can. 2356).

7. « Laici legitime damnati ob delicta contra sextum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium » (can. 2357, § 1).

Ex defectu lenitatis. « 6° Iudex, qui mortis sententiam tulit. »

« 7° Qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiae. »

Non incurrunt irregularitatem iurati, non enim iudices sunt[2]. Probabiliter requiritur mors secuta[3]. Irregulares non sunt milites qui suo munere coguntur in damnatum explodere.

c) **Irregularitates ex delicto** recensentur in can. 985. Iuxta **762** hunc, « Sunt irregulares ex delicto » :

Ob delictum contra fidem. « 1° Apostatae a fide, haeretici, schismatici. »[4].

Dispensatione egent ad suscipiendos ordines conversi, etsi in haeresi fuerint bona fide; siquidem haec bona fides probari non potest in foro externo, in quo tamen constat de re, quae

---

1 *S.C.C.* 19 aug. 1890 (*A.S.S.* XXIII, p. 234). Cf., sis, epist. Leonis XIII, *Pastoralis officii* 22 sept. 1891 (*A.S.S.* XXIV, p. 203).

2 Verm.-Creus. n. 256, 6°; Gén.-S. n. 639, VI; Ferr. n. 890, 6°.

3 Secus enim deficit concursus ad mortem, quae est irregularitatis huius fundamentum, ut bene notat Gén.-S. loc. cit.; sic quoque Verm.-Creus. loc. cit. Contrarium tradit Blat, *Comment. text. Cod.* l. 3, pars 1, p. 429. Sed prior sententia inde etiam suaderi potest, quia vocem « mortis » strictiore sensu accipit facti vere in exsistentia positi, quod conformius est regulae interpretationis in odiosis.

4 « Post receptum baptismum si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, haereticus; si a fide christiana totaliter recedit, apostata; si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat, schismaticus est » (can. 1325, § 2).

ex se est peccatum grave. Facile excusari possunt conversi infra aetatem 14 annorum [1].

Ob malam baptismi susceptionem. « 2° Qui praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt. »

Non agitur de baptizatis in infantia vel amentia, quia requiritur ipsa baptizandi voluntas [2]; « quovis modo », id est hoc vel illo ritu aut absque ullo ritu.

Ob bigamiam. « 3° Qui matrimonium attentare aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta. »

Hi casus iis affines sunt, qui bigamia interpretativa et similitudinaria in veteri iure vocabantur, quamvis ab iisdem non parum differant.

Sufficit ut unus matrimonium (etsi civile) attentantium ligatus sit matrimonio valido, aut votis religiosis, quamvis mere temporaneis, aut sit in ordine sacro.

Requiritur matrimonii attentati consummatio [3]. Si tamen attentatur matrimonium, quod vocant civile, sufficit hunc actum ponere.

« Ausi sunt», ideoque cum plena cognitione ac deliberatione.

« Votis religiosis »; non solo castitatis voto post cetera vota dispensata.

763 *Ob homicidium.* « 4° Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes. »

---

1 Sub dubio tradit hanc exceptionem Gén.-S. n. 633, I. Bene tamen videtur haec sustineri posse. Nam, quamvis irregularitas, etiam ea quae ex delicto provenit, ex se non sit poena, ideoque ab illa impuberes nequeant excusari vi canonis 2230, qui eos (intellige impuberes 14 annis minores cuiusvis sexus, cf. Verm.-Creus. III, n. 424) ab omnibus poenis latae sententiae excipit; id tamen indicat eos a iure non praesumi capaces gravissimorum delictorum. Si igitur in foro externo gravissmi criminis haereseos, in qua nati sunt, rei non sunt praesumendi, eorum bona fides in externo foro admittenda erit, et consequenter vi canonis 986 erunt excusandi.

2 Non agi de baptizatis ab infideli docet Verm.-Creus. n. 257; contrarium tradit Blat, loc. cit. p. 432. Aptior videtur opinio prior, utpote quae verbum « acatholici » accipit sensu strictiore; nam quod huic vocabulo duplicem sensum, alium nempe latiorem, agnoscat ipse Codex, confirmat clarus Verm.-Creus. loc. cit., allegans canonem 1099 loquentem de « acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis ».

3 S. Alph. l. 7, n. 443 448; Wernz, *Ius decr.* II, n. 120.

Attingitur homicidium quodlibet graviter culpabile, etsi occulte patratum, etsi solum ex gravi diligentiae omissione ortum, v. gr. in officio medici obeundo. Requiritur mors secuta; sed in dubio serio num tuae actioni vel omissioni debeatur, irregularitas non censeri debet contracta.

« Fetus humani » etiam minimi, nulla distinctione facta (quae fiebat olim) animati et inanimati.

« Cooperantes », ideoque, dummodo abortus secutus fuerit, irregularitatem contraxere qui consilium efficax, aliamve operam in crimen influentem praestiterunt[1].

Non inducitur irregularitas ex homicidio involuntario, v. gr. fortuito, vel commisso in iusta defensione, servato tamen possibili inculpatae tutelae moderamine.

Ob mutilationem. « 5° Qui seipsos vel alios mutilaverunt vel sibi vitam adimere tentaverunt. »

Mutilatio est ablatio membri alicuius, id est, partis corporis quae proprium officium habet ab aliis divisum; huiusmodi est oculus vel manus; non vero auricula, dentes, unus alterve digitus[2]. Irregularis tamen fieret qui « sibi » auriculam voluntarie abscinderet, etsi non sufficeret si id « in alio », v. gr. rixando faceret[3].

Ob exercitium medicinae clericis prohibitum. « 6° Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur. »

Incurrit irregularitatem clericus, etiamsi omnem diligentiam ad sanitatem procurandam adhibuerit; sufficit enim quod graviter prohibitionem artis medicae et chirurgicae exercendae transgressus fuerit et mors secuta sit « exinde », id est, ex remediis a clerico praescriptis vel ex operatione chirurgica ab eo peracta.

Ob exercitium ordinis indebitum. « 7° Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro constitutis reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab eius exercitio poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti. »

Irregularitate plectitur sacri ordinis (saltem subdiaconatus) usurpatio, id est, ordine non suscepto actum ponere qui sine eo invalidus est (v. gr. absolvere), vel eum ponere cum iis insignibus eoque modo, quo ab ordinatis poni solet (v. gr. epistolam canere in Missa indutum sericis cum manipulo).

---

1 Placet sententia VERM.-CREUS. n. 257, 4° et GÉN.-S. n. 634, excusantium cooperatores negativos, nempe eos qui officii adimpletionem omiserunt. Contrarium significat BLAT op. cit. p. 439, dum mere remittit ad can. 2209.

2 S. ALPH. l. 7, n. 379; WERNZ, *Ius decret.* II, n. 148.

3 Cf. WERNZ, op. et loc. cit., nota 423.

Quare, irregularis non esset subdiaconus qui evangelium caneret sine stola, vel clericus minor qui subdiaconum ageret, dummodo aquam ante offertorium in calicem ne infunderet, pallam e calice non removeret, calicem non abstergeret, sed tantummodo more solito componeret[1].

Irregularitas respicit etiam laicos, nulla enim fit distinctio; proinde eam incurrit laicus confessionem excipiens.

Praeterea incurritur non tantum ob violationem censurae, sed etiam poenae mere vindicativae, v. gr. si quis ordinem exercet, a cuius exercitio suspensus fuerat per tres menses.

764 *d*) **Impedimenta** sic recenset can. 987:

« Sunt simpliciter impediti »:

Filii acatholicorum. « 1° Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent. »

Acatholicos intellige in sensu stricto, id est, haereticos vel schismaticos, non infideles. Sed impeditis adnumerandus est is, cuius tantum pater vel mater est acatholicus, alter parens catholicus, etiamsi matrimonium mixtum datis cautionibus cum dispensatione contractum fuit[2].

An sit habenda ratio parentis in errore demortui, non liquet[3].

Uxorati. « 2° Viri uxorem habentes. »

Reddenda ratione adstricti. « 3° Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam cuius rationes reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint. »

Quaenam officia et administrationes clericis sint vetita, diximus n. 399, 5°. Nequit igitur ordines recipere qui iis nondum renuntiaverit aut de iisdem rationem adhuc reddere debeat.

Servi. « 4° Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem. »

Militiae servitio adstricti. « 5° Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint. »

---

1 Ex causa rationabili posset ita adhiberi in Missa sollemni clericus minor vel simpliciter tonsuratus, dummodo manipulum non gereret et a praedictis peragendis abstineret, ut respondit *S.R.C.* 14 mart. 1906 (decr. auth. n. 4181).

2 *Comm. I.C.* 16 oct. 1919 (*A.A.S.* [1919] p. 478).

3 Id affirmat Blat, *Comment. text. Cod.* l. 3, pars 1, p. 446, interpretans congruenter iuri praecedenti; negat Verm.-Creus. n. 259, 1° et Gén.-S. n. 640, quia Codex praesentem tantum ordinandi condicionem respicit. Adde quod verba « quamdiu in suo errore permanent » viventes potius denotant.

Intellige servitium quod vocant « activum » in usu armorum praestitum, non in militum infirmorum cura[1]; et servitium quidem « ordinarium », non extraordinarium, quod v. gr. tempore belli, etsi ex legis praescripto, subeundum sit[2].

Qui ad illud lege « adstringitur », non qui ab eo qualibet de causa exempti sunt. Dummodo exempti fuerint absolute; impediti enim sunt qui, vel propter defectum aetatis vel quia, examine rite peracto inhabiles declarati ad tempus, nondum quidem sunt vocati ad militiam, sed forsan vocabuntur[3].

Neophyti. « 6° Neophyti, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint. »

Neophyti, id est, recenter baptizati in aetate adulta. Prudenti Ordinarii iudicio committitur decernere, quandonam sint iam sufficienter firmi in fide.

Infames. « 7° Qui infamia facti laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat. »

Infamia facti contrahitur, quando quis, ob patratum delictum vel ob pravos mores, bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit, de quo iudicium spectat ad Ordinarium (can. 2293, § 3). Delictum vel morum pravitas debet esse publice nota.

Sicut Ordinario committitur iudicare de exsistentia infamiae facti, sic etiam de eius cessatione quoad recipiendos ordines.

e) **Probitas ordinandi.** Ad utilitatem confessarii praetermitti non potest quaestio magni momenti, iamdiu inter moralistas agitata: num absolvi possit clericus in vitio turpi occulto habituatus, qui continentiae experimento non praemisso velit sacram ordinationem suscipere. Negative respondent fere omnes, communiter asserentes non sufficere ad receptionem sacri ordinis statum gratiae, sed requiri, ut conveniens castitatis probatio praecesserit, secus, proprie loquendo, ne in statu quidem gratiae esse illum clericum, si sacrum ordinem suscipere contendat, et consequenter absolutione donari non posse, nisi prius hanc voluntatem deponat. Iam vero, si quaeras unde proveniat haec prohibitio *stricta* et *gravis*, ne clericus habituatus accedat statim ad ordines, aliqui eam ex ipsa rei natura quodammodo oriri non negantes, praecipue tamen eam repetunt ex lege Ecclesiae sanctitati status clericalis consulentis, **765**

---

1 Multo minus si loco servitii militaris lex admittit quasdam occupationes clericorum proprias.

2 Pro servitio ordinario habenda non sunt exercitia annua, quae quibusdam in regionibus praescribuntur post peractum servitium activum.

3 *Comm. I.C.* 2-3 iun. 1918 (*A.A.S.* [1918] p. 344).

quam, pluribus allegatis sacrorum canonum locis, ostendere contendunt[1]. Verum legem Ecclesiae, saltem quae obligationem imponat ordinando, manifestam quidem non videmus, cum textus allegati vel legem contineant pro Episcopo ordinem collaturo vel loquantur de iis, qui delinquent post ordinem iam susceptum, vel versentur circa qualitates, quas habere debent qui sacris iam promoti sunt, vel intelligi possint de probatione castitatis per extrinseca indicia seu de castimonia exterius apparente. Fatendum quidem est ex praedictis sacrorum canonum locis satis colligi arguitive voluntatem Ecclesiae, ne ad sacros ordines accedat non tantum qui probitate externa careat, sed etiam qui sola interna, maxime si de castitate sermo sit; sed haec voluntas non satis aperte ordinando intimatur tamquam lex.

Restat igitur, ut prohibitionem accedendi ad ordines, qua tenetur clericus in vitio turpi habituatus, castitate non probata, ex ipsa rei natura et circumstantiis repetamus. Et sacri canones quidem, ut colligitur ex iis, quae *S. Alph.* disserit, malitiam huius prohibitae actionis non tam creant, quam ex ipsa rei natura praesupponunt, eamdemque prohibitionem naturalem, multo magis quam ullam legis positivae, sonare videntur locutiones SS. Patrum et Doctorum.

Sed in hac ipsa obligatione naturali magis determinate assignanda, non penitus inter auctores convenit. Nam *S. Alph.*[2] eam inde repetit, quod sacra ordinatio natura sua *praeexigit*, ultra statum gratiae, etiam *bonitatem quamdam praecellentem*. Porro, cur seu quomodo hanc bonitatem, et quidem sub gravi *praeexigat* ordinatio natura sua, non satis evolvit, sed tantum ex allatis ab ipso testimoniis colligitur id nasci aliquo modo ex sublimitate huius gradus. Nec satis explicat, in quo consistat illa bonitas praecellens et in quo gradu sub gravi requiratur; satis tamen intelligitur debere esse pietatem quamdam solidam aut firmam constantemque virtutem[3] aut, quaecumque sit, saltem esse bonitatem eiusmodi, quae excludatur per habitum incontinentiae nondum superatum[4]. Alii *, quorum

---

[1] Ita S. Alph. l. 6, n. 63 seqq.; Villada, *Casus* t. 3, p. 26-30. Immo Gén.-S. II, n. 27 legem Ecclesiae tamquam rationem unicam admittit.

[2] S. Alph. l. 6, n. 67, d. 8 et 803.

[3] Villada, *Casus* t. 3. p. 28.

[4] In quo consistat specialis bonitas huiusmodi, quam praeexigit sacra ordinatio *natura sua*, non satis investigatur ab iis auctoribus, qui inde totam prohibitionis rationem repetunt. Aliquid tamen conabimur coniicere.

Imprimis, si bonitas aliqua specialis ab ordinatione praeexigitur *natura sua*, seu praescindendo a qualibet canonica lege, eiusmodi debebit esse, quae praeexigi debeat etiam in clerico

* Vide, sis, notam asterisco (*) distinctam in pag. 400.

sententiae adstipulamur, ordinationem in casu sub gravi prohi-

---

orientali uxorato ad ordinem sacrum accedente. Ergo haec bonitas non consistit praecise in actuali observantia castitatis perfectae. Deinde nec consistit in ulla alia virtute *particulari*, quae in ordinando in sacris praeexigi debeat in certo quodam gradu; nemo enim aliquam aliam virtutem particularem assignat. Aliunde tamen, in eo bonitatem *quandam* prae quibuslibet christianis maiorem, in genere seu in confuso exigunt theologi omnes; ideoque quandam specialem reapse exigi tenendum est. Nihil ergo restat, nisi ut dicamus hanc bonitatem, quae *natura sua* a sacra ordinatione praeexigitur, consistere in quadam recte agendi firmitate, seu consolidatione in recte agendo, vi cuius morali quadam certitudine ordinandus putari possit sacro suscepto characteri dedecus non fore et fidelibus nulli scandalo futurus, neque id solum, sed etiam futurus exemplo, utpote qui statum profiteatur, cui incumbit tractare divina et praelucere hominibus, ut eos ad virtutem dirigat. Porro, patet huiusmodi saltem non posse censeri de clerico, de quo putari non possit quod votum castitatis servabit iam a tempore suscepti ordinis sacri, si latinus est, aut, si orientalis, quod castitatem matrimonio conformem sancte servabit, si est uxoratus, perfectam vero, si contigerit viduari. Ergo bonitas illiusmodi, quaecumque debeat esse, saltem ea est quae in nullo casu componi possit cum actuali habitu incontinentiae.

Dices 1°. Praedicta supponunt legem Ecclesiae iubentem servari castitatem perfectam ab ordinato in sacris sine vinculo matrimoniali, ab orientali autem uxorato post solutum vinculum matrimoniale; praesens autem quaestio erat de bonitate praerequisita ab ordine sacro natura sua seu praescindendo a quavis lege Ecclesiae. — *Resp.*: Praedicta supponunt illam legem tamquam fundamentum prohibitionis remotum, non proximum; quaestio autem erat de bonitate quae non sit proxime praerequisita ab ulla lege Ecclesiae, quamvis aliquam forte praesupponeret, seu in ea fundaretur remote.

Dices 2°. Si tantum praeexigitur ea bonitas, quae cum actuali habitu incontinentiae stare non potest, ne ordinandus credatur prava exempla daturus; tunc sufficit ut is in periculo proximo non sit transgrediendi suas obligationes graves, et proinde duae rationes, de quibus mox fiet mentio supra, non sunt diversae, sed prior in alteram coalescit. — *Resp.*: Non est verum praeexigi *tantum*, ut ordinandus non credatur (negative) prava exempla daturus, sed praeexigitur etiam ut credatur (positive) prava exempla non daturus, immo futurus exemplo, quod quidem multo plus requirit. Immo, etsi dixerimus neminem assignasse ullam particularem virtutem in certo gradu praerequisitam in accedente ad sacros ordines, facile tamen ex dictis erui potest praerequiri in eo adhaesionem voluntatis ad res divinas, seu *pietatem*, in maiore gradu, quam quae in communibus fidelibus ad vitandum peccatum est necessaria; profitetur enim statum, cuius est tractare divina et praelucere exemplo.

Dices 3°. Omnia quae supra requiri dicuntur coexsistere possunt cum pravo habitu omnino privato et secreto. — *Resp.*: Etsi iste secreto habituatus possit per aliquod tempus miserum suum statum tegere, tamen spem satis firmam non dat, quod in peius non ruet postea, vel saltem quod exterius bono exemplo diu futurus sit; quo enim inveteratior fit habitus, ideoque quo magis deest illa firmitas voluntatis in recte agendo, eo minus fieri potest, ut diu haec firmitas fingi possit exterius.

beri dicunt praecipue ob *temeritatem* gravem, qua clericus ita habitualiter constitutus vult aggredi statum, cuius graves obligationes se servaturum satis probabiliter praesumere non potest; aliis verbis, ideo ab ordinatione prohibetur sub gravi, quia se exponit periculo *proximo* transgrediendi obligationem gravem [1]; ordinaria enim hominis condicio ea est, ut semel contracto habitu turpi, saltem aliquatenus intenso, relapsus, nisi fortiter et diu emendatio procuretur, ocius serius sequatur [2].

Sit igitur conclusio, sacros ordines clerico habituato ex ipsa rei natura ob duplicem rationem prohiberi: et quia huius status sublimitas *praeexigit* bonitatem quamdam cum malo habitu insociabilem, et (praecipue) quia periculo proximo se exponeret ille clericus transgrediendi obligationes graves.

766 His positis, sequentia possunt statui:

1° Accessus ad sacros ordines non erit licitus, nisi duabus rationibus allatis satisfiat. Porro secundae satisfit, quando, omnibus perpensis, relapsus in futurum non videtur moraliter certus; v. gr. si habitus nondum est aliquatenus intensus et poenitens firmiter dispositus est ad remedia serio adhibenda. At priori rationi non satisfit quamdiu habitus, etsi nondum intensus, tamen revera adest; haec enim ratio requirebat firmam quandam virtutem, quae in iis adiunctis videtur non subsistere. Quare, habitu contracto [3], certum tempus requiritur donec censeri possit exstirpatus.

2° Quantum tempus requiratur, regula generali definiri nequit. Nihilominus non displicet, quam dat satis benignam *P. Ferreres* apud *Gury*: « vix unquam prohibendum accessum

---

✻ Lehmk. n. 760; Ball.-P. n. 12 13.

1 Manifestum est, quod haec ratio, praesupposita lege Ecclesiae obligationem continentiae ordinationi sacrae adnectente, oritur immediate ex ipsa rei natura, seu e lege naturali de non subeundo temere periculo peccandi. Quare, cum negamus prohibitionem pro clerico habituato accedendi ad ordines sacros oriri e lege Ecclesiae, non quamlibet Ecclesiae legem excludimus, sed eam, quae sit huius prohibitionis fundamentum proximum. Nempe, praesupposita lege ecclesiastica de continentia ordinatis in sacris observanda, negatur dari ulterius aliam legem Ecclesiae clerico directe prohibentem accedere, qui illam se observare posse non putet.

2 Contra huius temeritatis assertionem obiicit Génicot, votum, si adesset illa temeritas, non fore de meliore bono et consequenter fore nullum, quod nemo admittet. Sed negatur consequentia, quia votum esset adhuc de meliore bono et consequenter validum, quamvis in casu vovere non esset melius bonum. Praeterea, etsi votum diceretur nullum, temeritas non disparet, quia clericus ad castitatem teneretur, si non ex voto, saltem ex lege Ecclesiae.

3 Quandonam censeatur habitus contractus, cf. n. 692 nota.

ei, qui per sex menses perfectam castitatem servaverit, vix unquam concedendum habituato[1], nisi saltem post tres menses». Unde tempus ad habitus emendationem forsan non inepte assignaveris ordinarie circiter 4 menses.

3° Huiusmodi casus facilius sese offerre possunt iamiam instante ordinatione, tuncque clericus habituatus praetendit infamiae metum. Sed huiusmodi homini necesse erit ante oculos ponere non modo aeternam salutem esse quovis humano respectu potiorem, sed etiam nihil infamiae esse, si quis dicat se velle maturius cogitare de ineundo statu, qui gravia secum fert onera, quique semel susceptus dimitti non potest[2]. *Si tamen reapse infamia oritura est*, censemus distingui posse num habitus adhuc aliquatenus intensus sit, ita ut relapsus moraliter certo praevideatur, an secus. In primo casu (secundae rationi supra positae non satisfit) infamia patienter toleranda est, nec permitti potest accessus ad sacros ordines, quod valet tum in suscipiendo subdiaconatu, quia in eo votum primo emittendum est, tum in suscipiendo presbyteratu, quia in eo habitus turpis valde multiplicat pericula peccandi graviter ob exercitium indignum ministerii sacri. Nec sinat se confessarius moveri lacrimis atque iteratis obtestationibus; semel enim superato periculo sequetur relapsus. In suscipiendo diaconatu, quoniam pericula parum augentur, secunda ratio minus urget. In altero casu, id est, quando habitus quidem exsistit, quia nondum transiit tempus sufficiens ad eum exstirpandum, sed tamen non est adeo intensus[3], ut relapsus videatur moraliter certus (tunc satisfit secundae rationi, at non primae) et poenitens firmissimam ostendit voluntatem adhibendi media ad emendationem, videtur infamia gravis esse causa sufficiens suscipiendi ordines non obstante defectu bonitatis praerequisitae; si enim urgente gravi infamia licet accedere ad sacramentum sine statu gratiae[4], a fortiori cum solo huius bonitatis defectu. — Ut huiusmodi angustiae vitentur, necesse est ut Seminariorum directores et confessarii alumnos, quos vitio turpi diu irretitos et inemendabiles deprehenderint, moneant tempestive de alio vitae genere assumendo.

---

1 Agitur de habituato. Proinde cavendum ne sub gravi ab ordine arceatur quicumque recenter peccavit, sed videndum, iuxta auctorum regulas, an habitus exsistat.

2 Bened. XIV, *De syn. dioec.* l. 11, c. 2.

3 Quod potest evenire in duplici casu: 1°, si habitus non fuerat cum intensitate contractus, v. gr. poenitens solum peccavit quantum satis erat ad habitum contrahendum; 2°, si habitus fuerat quidem cum intensitate contractus, sed cum iam parum desit ad complendum tempus emendationis, nunc saltem intensus non est.

4 Cf. supra in n. 478, nota ult. sub finem.

4° Excipit quidem *S. Alph.*[1] casum, in quo Deus poenitenti dat tantam extraordinariam compunctionis gratiam, ut eum reddat iam ex nunc satis emendatum. Sed haec exceptio satis rara est, ideoque non debet, nisi manifesta sit, attendi.

5° Quae hucusque de vitio luxuriae dicta sunt, intelligi etiam debent de alio vitio occulto, v. gr. ebrietatis.

---

1 S. Alph. l. 6, n. 64 69-77.

TRACTATUS VIII.

DE MATRIMONIO

Caput 1. SPONSALIA

Sponsalia, seu promissio mutuo data et acceptata de **767** futuro matrimonio ineundo, si valida sunt, obligant ex iustitia, ideoque natura sua impediunt quominus matrimonium licite ineatur cum alia persona praeter eam, cui facta est promissio; promissiones enim iure naturae adimplendae sunt. Idem dic de promissione non mutua seu unilaterali, ab una tantum parte data et ab altera acceptata; nam, quamvis hac possit quis ex sola fidelitate se obligare, vere tamen obligationem importat, quae adimpleri debet (cf. dicta de promissione n. 306).

Attamen, ex dispositione novi iuris canonici[1] tum sponsalia, tum promissio unilateralis, invalida omnino sunt pro

---

[1] Sequentia statuit can. 1017: « § 1. Matrimonii promissio sive unilateralis, sive bilateralis seu sponsalitia, irrita est pro utroque foro, nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario, vel a duobus saltem testibus. — § 2. Si utraque vel alterutra pars scribere nesciat vel nequeat, ad validitatem id in ipsa scriptura adnotetur et alius testis addatur qui cum parocho aut loci Ordinario vel duobus testibus, de quibus in § 1, scripturam subsignet. — § 3. At ex matrimonii promissione, licet valida sit nec ulla iusta causa ab eadem implenda excuset, non datur actio ad petendam matrimonii celebrationem; datur tamen ad reparationem damnorum, si quae debeatur. »

Qui igitur sponsalibus validis ligatur, ea adimplere tenetur quidem in conscientia, sed in ea tantum; nam ex hoc can. 1017, § 3 apparet non concedi illi ius, ut promissionis exsecutionem urgere possit in foro externo. Quae quidem iuris canonici dispositio modernis iuribus omnino cohaeret: *arg.* a. 165, *chil.* a. 98, *col.* a. 110 (in iure *gall.* mentio non fit promissionis sponsalitiae, sed consideratur nulla ob causam bono communi contrariam a. 1133), *hisp.* a. 42, *lus.* a. 1067, *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 14, *ur.* a. 81, quae omnem prorsus actionem circa sponsalia denegant; immo *arg.*, *chil.*, *col.*, *ur.*, aa. cc., eam ne ad petendam quidem damnorum ex sponsalibus non adimpletis provenientium reparatio-

utroque foro, nisi facta fuerint per scripturam cum subsignatione *a*) partium et *b*) parochi vel Ordinarii loci vel duorum testium; quod si aliqua pars subscribere nesciat vel nequeat, id adnotari debet alio teste addito[1]. Ad validitatem sponsalia subsignanda sunt unico contextu ab omnibus, quin sufficiat, ut una pars cum testibus eam subsignet et alteri parti remittat cum testibus pariter subsignandam. Apponendus est ad validitatem dies cum mense et anno. Scripturam subsignare potest parochus quilibet, dummodo intra eiusdem territorii limites contractus celebretur, non tamen potest celebratio fieri coram parochi aut Ordinarii delegato. Quoad testes autem sufficit, ut usum rationis habeant et subscribere sciant, mares vel feminae sint, catholici vel secus[2].

---

nem concedunt. Dispositiones tamen iuris civilis in hac materia, quae ad Ecclesiam suapte natura pertinet, pro effectibus tantum civilibus valere possunt, obligationem vero promissionis in conscientia tollere aut ullo modo regere non possunt.

Diximus sponsalia, si in forma canonica celebrantur, valida quidem esse, sed in conscientia tantum. Si quis igitur ius suum reclamet ex sponsalibus valide contractis contra partem inituram matrimonium cum alio, matrimonium non ideo suspendendum erit a parocho vel Ordinario; nec suspendendum erit, etsi reclamet tantum reparationem damnorum, ad quam tamen ius habet. *Comm. I.C.* 2-3 iun. 1918 ad IV (*A.A.S.* [1918] p. 345).

Actio ad reparationem damnorum indifferenter ad ecclesiasticum vel civile forum pertinet (*Comm. I.C.* ibidem).

[1] Ex ipso tamen canonis 1017, § 2 tenore liquet, quod sufficit unum testem addere, etsi subscribere nesciant ambae partes.

[2] Praedicta constant ex declarationibus *S.C.C.* 28 mart. 1908 ad 6 et 7, et 27 iul. 1908 ad 1 et 2 (*A.S.S.* XLI, p. 288 et 510) et *S.C. de Sacr.* 12 mart. 1910 ad 4 (*A.A.S.* [1910] p. 193) datis super decr. « Ne temere », cuius articulum 1.um fere ad verbum refert can. 1017. Quare, cum iuxta can. 6, 3°, ius novum, quatenus cum veteri congruat, ex eo aestimandum sit, canon 1017 iuxta declarationes praedictas omnino intelligendus est. Praeterea, eaedem declarationes, quamvis latae super decr. « Ne temere », in quo de sponsalibus tantum seu de promissione tantum *bilaterali* sermo erat, applicari tamen debent nunc promissioni etiam *unilaterali;* pro hac enim et pro sponsalibus easdem condiciones ad validitatem novum ius requirit.

Attamen, in novo iure ad validitatem necessariam esse appositionem *datae*, seu diei, mensis et anni negant aliqui (Noldin n. 533 nota; Verm.-Creus. tom. 2, pag. V, lin. 4; Schaepman apud De Smet, *De sponsal. et matrim.* n. 10 nota 3; quibus accensendus videtur Ferr., qui hoc requisitum, cuius meminerat n. 723 IV post decr. « Ne temere » in editionibus ante Codicem, delevit n. 932 in editionibus post Codicem), quia, aiunt, in iure novo de hac condicione non fit mentio. Eam tamen ad validitatem requirunt Blat p. 506; De Smet op. cit. n. 10; Gén.-S. n. 441, quibus assentimur; etsi enim eorum mentio expressa non fiat in Codice, satis tamen fieri videtur implicite, eo ipso quod documentum in forma sollemni exigat. Nec alia videtur fuisse ratio, cur *S.C.C.* responderit

Quoniam igitur deficiente praedicta sollemnitate formae, sponsalia invalida sunt in foro etiam interno[1], ideo ad praxim in sponsalibus catholicorum servandam, aliqua puncta, quae hoc loco ab auctoribus tractabantur, obsoleverunt, v. gr. num valeant sponsalia a parentibus inita pro liberis. Sunt tamen aduc notanda quae sequuntur:

1° Invalida sunt *sponsalia posteriora*, prioribus sponsali- **768**
bus validis non solutis contracta; sunt enim promissio de re, quae sine peccato praestari non potest.

2° Sponsalia inita ex *metu gravi et iniuste incusso* probabiliter sunt invalida[2], ut opinatur *S. Alph.*[3] ea ratione nixus, quae adhuc valet in praesenti iure: scilicet, quod matrimonio sic contrahendo resistit ius. Probabiliter idem censeri

---

27 iul. 1908 ita intelligendum esse decr. « Ne temere » (ubi data non requirebatur expresse), ut eruitur ex votis Consultorum, quae vide in *A.A.S.* XLI, p. 513 et 527; quamquam, hanc Consultorum suorum rationem a *S.C.C.* habitam fuisse ut certam, plene affirmari non possit, praesertim sum illa responsio edita fuerit cum Papae ratihabitione specifica sub hac formula: « contrariis non obstantibus quibuscumque ».

Significant praeterea aliqui (Verm.-Creus. n. 281, De Smet n. 10 nota 2; Noldin n. 533, 1 *f*) sponsalia valide iniri posse per procuratorem. Rectius putamus opinari qui id negant (Prümmer, *Man. iur. can.* n. 326; Ferreres, qui in opusc. *Los espons. y el matr.* n. 203 id iam opinabatur iuxta decr. « Ne temere »), etenim can. 1017 requirere videtur ut partes ipsae subsignationem apponant.

Certe non obstaret quod textus contractus aliena manu exararetur.

Denique, in *Hispania*, vi consuetudinis occasione pragmaticae Carolinae anni 1803 introductae, iam diu ad validitatem sponsalium requirebatur scriptura publica, id est coram notario, idque plusquam semel declaraverat *S.C. Concilii.* Idem requirendum concessit Leo XIII *Americae Latinae* 1 ian. 1900 in perpetuum (Cf. *Acta et Decreta Conc. Plen. Am. Lat.* a. 592 nota et pag. CVIII ad V). Verum huiusmodi *Hispaniae* et *Americae Latinae* disciplina iam abrogata fuit anno 1908 per decr. *Ne temere*, ut patet tum ex eiusdem decreti dispositione finali, quae illud vim ubique habere voluit non obstante quavis consuetudine vel indulto generali, tum ex resp. *S.C. de Sacr.* 12 mart. 1910 ad 7 (*A.A.S.* [1910] p. 193). Quamquam, si quis adhuc in iis regionibus sponsalium scripturam conficeret coram notario, generatim valide ea iniret, solent enim ubique leges civiles ad scripturam publicam requirere subsignationem duorum testium.

1 Si tamen Caius Semproniam avertit a nuptiis honestis cum alio ineundis, ei promittens matrimonium, sciens tamen promissionem esse nullam (Sempronia id nesciebat) et propterea animum gerens resiliendi, si deinde expediret; debebit *vel* promissis stare *vel*, si resilit, damna compensare (adsunt enim omnes condiciones ut teneatur de damnis; cf. n. 261 et n. 297 *b*).

2 Certe sunt rescindibilia per iudicis sententiam ex can. 103, § 2.

3 S. Alph. l. 7, n. 844.

potest iure naturae de sponsalibus initis ex metu levi iniuste incusso, si quis ea aliter noluisset inire[1].

3° Sponsalia inita *inter personas habentes impedimentum*, inita tamen cum intentione condicionata seu contrahendi quando impedimentum cessaverit, valida sunt, si impedimentum sine dispensatione cessare debet, v. gr. adepta debita aetate, vel transacto tempore ad quod votum fuit emissum, vel parte haeretica ad catholicam Ecclesiam conversa; ideoque, impleta condicione seu cessante impedimento, consensum renovare opus non est. Invalida sunt, si impedimentum non possit aut non soleat a Summo Pontifice dispensari, aut si contrahentes causam dispensationis non habent; contractus enim habet obiectum impossibile. Si denique impedimentum a S. Pontifice dispensari soleat, sufficientesque adsint dispensandi causae, quaestio controvertitur[2], aliis affirmantibus huiusmodi sponsalia esse ab initio omnino nulla, et obtenta dispensatione novo consensu indigere, eo quod partes paciscebantur circa rem tempore contractus impossibilem, cum tunc inhabiles essent ad contrahendum, aliis vero negantibus invaliditatem, cum condicio apposita nec turpis esset nec impossibilis.

769 4° Sponsalia *dissolvuntur*, ita ut sine novo consensu non reviviscant: *a*) mutuo consensu, ut ceteri contractus generatim; *b*) per susceptionem ordinis sacri vel professionem religiosam, aut probabilius per votum ea suscipiendi; intelligitur enim promissio sponsalitia sub tacita condicione: nisi meliorem statum elegero[3]; *c*) si tempus matrimonio contrahendo praefixum fuit ad obligationem f i n i e n d a m, nisi forte alteruter mala fide rem distulerit; *d*) probabiliter matrimonio inito cum tertia persona, etsi probabilior sententia sit quod tunc obligatio maneat tantum suspensa[4]; *e*) per dispensationem Summi Pontificis (non alius inferioris).

5° A sponsalibus *resilire* licet notabili rerum mutatione vel adveniente, vel prius exsistente et nunc detecta, ad quam promissio non censebatur extendi, id est quae si a principio cognita fuisset, iudicio prudentum a sponsalibus ineundis de-

---

1 Ita opinantur Ball.-P. n. 114; Lehmk. n. 838, alii.

2 Cf. de hac quaestione Wernz, *Ius decr.* IV, n. 95, III; Lehmk. n. 840; Gén. 442; Ball.-P. n. 96 seqq.; Gasparri, *De matrim.* n. 102-104.

3 Cf. S. Alph. n. 869-873. Nec ad dissolutionem necessarium videtur, iuxta rationem allatam, votum emittere, sed sufficit statum ecclesiasticum vel religiosum suscipere ingrediendo novitiatum vel Seminarium, dummodo non animo experiendi, sed cum seria et firma voluntate statum amplectendi.

4 S. Alph. n. 875.

terruisset; v. gr. si parentes ita dissentiant, ut gravia mala timeantur[1]; si alteruter fornicetur[2]; si sponsa detegitur corrupta, etsi id per vim accidisset[3]; si tanta detegitur morum discrepantia, ut infelix matrimonii exitus plane timeatur; si sponsus comperitur ebrietati aut ludo deditus; si impedimentum superveniat ex culpa alterius[4] etc. *S. Alph.*[5] eum damnare non audet, qui resiliat oblata comparte excedenter meliore. Denique, sponsalia, utpote publica, dissolvi debent, si causa resiliendi est occulta, per interventum ecclesiastici iudicis[6].

6° Ante vel post inita sponsalia obligatio est *manifestandi defectus* occultos et alteri perniciosos, cuiusmodi sunt praegnatio, gravis infamia familiae, morbus contagiosus, sterilitas[7] etc. Non vero defectus, qui nuptias faciunt minus quidem appetibiles, non tamen nocent, praesertim si aliquam infamiam inducunt, v. gr. quod puella falso putetur virgo; quamquam puellae consulendum est, ut id sincere manifestet, ad vitandas dissensiones graves quae, cum comperiatur, facile exsurgent.

---

1 Lehmk. n. 851 sponsalia dicit n u l l a, si parentes ex gravi et i u s t a causa dissentiant.

2 Quod liceat sponso resilire, si *post sponsalia* sponsa fornicetur aut cum alio turpes tactus habeat, indubium est. Idem teneri potest pro sponsa respectu sponsi, non solum si is datam fidem per fornicationem frangat, sed etiam si tactus cum aliis adeo foveat, ut de fidelitate suo tempore servanda merito timeri possit. Probabile iudicat S. Alph. n. 862 quod idem ius uterque habet, etsi uterque in fornicationem incidat.

3 Quod sponsus resilire possit, si detexerit sponsam *ante sponsalia* sive voluntarie sive per vim passam fuisse violationem, affirmatur communiter; item quod resilire possit sponsa, si detexerit sponsum prolem habuisse aut fornicationis vitio fuisse deditum; non autem si mere detexerit eum fornicatum fuisse, quia id nec nuptias facit notabiliter minus appetibiles nec eas infamia notat; attamen in hoc casu quidam (Ball.-P. n. 299; Gén.-S. n. 447) ius concedunt « virgini honestae », quae, si id novisset, consensum non dedisset.

4 In hoc casu, si altera pars resilire non vult, dispensationem impedimenti procurare debet pars culpabilis.

5 S. Alph. n. 876.

6 S. Alph. n. 878. Arrhae, seu ea quae sponsi sibi invicem dant ea condicione, ut qui iniuste resiliat, data amittat et accepta restituat, restituenda invicem sunt, si sponsalia iusta causa dissolvuntur. Idem puta de muneribus datis intuitu matrimonii, nisi pro fortuna donatoris sint minoris momenti; tunc enim condonatio praesumi potest.

7 V. gr. si sponsa ovariorum excisionem subiit.

Caput 2. MATRIMONII NATURA

770 *a*) **Matrimonium ut contractus.**

Matrimonialis contractus ille est, quo uterque contrahens, mas et femina, mutuo sibi tradunt et acceptant ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem (can. 1081, § 2).

Essentia contractus matrimonialis consistit consequenter in mutua traditione- acceptatione praedicti iuris; perficitur ergo per consensum validum rite datum et acceptum, sicut quilibet contractus bilateralis.

Finis matrimonii primarius est procreatio atque educatio prolis; secundarius mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae (can. 1013, § 1). Cum enim natura concupiscentiae ardorem ponat ut homines, dum eam sedare quaerant, generent, sicut famem ut, dum eam sedare intendant, necessaria vitae corporali praebeant; planum est quod ad illius sedationem invitat, ideoque eam ut quemdam finem proponit, secundarium tamen, cum hunc nonnisi ut medium ad ulteriorem finem instituerit[1].

Proprietates matrimonii essentiales sunt unitas ac indissolubilitas (can. 1013, § 2). Unitas; etenim polyandria, sterilitati parans viam, procreationem multum impedit, et propter patris incertitudinem educationem prolis totaliter tollit[2]; polygamia autem principaliter obstat fini secundario, id est, vitae domesticae felicitati et, propter inevitabiles uxorum aemulationes et rixas, valde etiam obest debitae prolis educationi. Indissolubilitas; nisi enim matrimonium indissolubile esset, valde amicitiam mutuam minueret timor futuri divortii, et non parum detrimenti prolis educatio ex instabilitate subiret, praeterquam quod ansa daretur matrimoniis leviter ineundis[3].

---

1 Consonat Psychologia reponens dolorem sensibilem in affectione operationis (aut abstentionis ab operando) naturae non conformis, voluptatem in affectione operationis naturae conformis (cf. Urráburu, *Instit. Phil.* V, p. 786-790; Vaissière, *Phil. nat.* II, n. 146 ad 149; Zöllner, *Curso de Psicol.* [ed. 4] n. 74, 76). Secundum naturam (sensibilem) ergo fit quod intrinsecam habet voluptatem; si igitur operatio a natura expetitur, delectatio operationi intrinseca nequit ab eadem implicite, seu tamquam quid necessario consequens, ac proinde secundarie non expeti.

2 S. Thom. 4, dist. 33, q. 1, a. 1.

3 De matrimonii finibus et proprietatibus adiri possunt tum philosophi morales, qui ea iuxta rationis principia tractant, v. gr. Meyer, *Instit. iuris nat.* (*Philos. Lacensis*) n. 94 seqq.; Cathrein, *Phil. mor.* n. 512 seqq.; Costa-Rosetti, *Instit. eth. et iur. nat.* p. 3, s. 1; Castelein, *Droit nat.* p. IV; tum etiam dogmatici qui de iisdem

Matrimonium legitimum dicitur, si contractus fuit validus, id est, si nullo laboravit vitio, quod sive de lege naturali, sive divina positiva, sive humana competente, illum annullare potuisset. *Putativum*, si fuit invalidum, sed ab una saltem parte bona fide celebratum, nec eius invaliditas adhuc utrique parti innotuit[1].

b) **Matrimonium ut sacramentum.** Inter baptizatos contractus ipse sacramentum est, nam Christus Dominus non alia ratione matrimonii sacramentum instituit, nisi ipsi contractui valido efficientiam gratiae adnectendo, unde inter baptizatos contractus validus et sacramentum una eademque res sunt indivisibiliter[2]. Hinc est quod matrimonium christianorum legitimum, id est, validum, vocatur « ratum », quia contractus istam confirmationem sacram a Christo factam habet. **771**

Propterea matrimonium baptizatorum nullo alio iure (praeter naturale et divinum positivum) regitur, nisi canonico; nec potestas civilis aliam competentiam in illo habet, nisi circa effectus eiusdem mere civiles (can. 1016)[3]. Propterea etiam, id est propter ratihabitionem a Christo factam, vi cuius sacramentum est, in matrimonio christiano unitas ac indissolubilitas peculiarem obtinent firmitatem (can. 1013, § 2).

---

agunt et rationis et praesertim fidei lumine, v. gr. Wirceb. X, diss. 2, c. 4; Perrone, *De Matr. christ.* III; Sasse, *De sacram.* II, p. 350 seqq.; Hurter, *Theol. dogm. comp.* III, tract. 10, pars 2, sect. 7; cf. etiam Wernz, *Ius decr.* IV, n. 26 seqq.; De Smet, *De spons. et matr.* n. 75 seqq., 296 seqq.; Castillon in *Dictionn. d'Apolog.*, v. Mariage.

1 « § 3. Matrimonium inter non baptizatos valide celebratum, dicitur *legitimum*. — § 4. Matrimonium invalidum dicitur *putativum*, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat (can. 1015, §§ 3 et 4).

2 « § 1. Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexit ipsum contractum matrimonialem inter baptizatos. — § 2. Quare inter baptizatos nequit matrimonialis contractus validus consistere, quin sit eo ipso sacramentum » (can. 1012).

3 Omnino igitur nullae sunt, quatenus subditos baptizatos respiciunt, leges civiles statuentes matrimonia his vel aliis condicionibus esse valida vel invalida, nec huiusmodi legibus illi stare possunt in conscientia, nisi quoad effectus mere civiles; illorum enim causae matrimoniales, sponsalia etc., ad Ecclesiam, non ad forum civile, ipsa sua natura pertinent, ut fuse videri potest apud theologos dogmaticos. Quare, plenam iniuriam Ecclesiae inferunt Codices civiles, qui canonicae matrimonii celebrationi validitatem denegant, nec aliam validam formam agnoscunt, nisi quam ipsi nulla potestate statuunt, novamque iniuriam simul et contradictionem faciunt, dum catholicis ministris sub quibusdam poenis ritus celebrationem prohibent, cui nullam efficaciam agnoscunt.

Materia et forma huius sacramenti est ipsa materia et forma constituens contractum; nempe, materia remota sunt contrahentium corpora, materia proxima est traditio iuris matrimonialis ab utroque posita; forma est utriusque acceptatio. Id tamen non importat duplicem cuiusque partis actum diversum pro traditione et acceptatione, utramque enim unus idemque consensus implicite manifestat (n. 297 *c*).

Minister non est sacerdos, sed ipsi contrahentes. Hi igitur, quoniam sacramentum et digne ministrare et fructuose suscipere debent, sub gravi tenentur versari in statu gratiae (n. 471 478). Et quamvis hunc, seclusa particulari lege dioeceseos, procurare sibi possint per contritionis actum, vehementer tamen adhortandi sunt, ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur (can. 1033).

Attamen, qui contrahit cum comparte, quam novit esse in statu peccati mortalis, non praecise ideo peccat, quod teneatur sacramentum ministrare et alterius peccato non cooperari. Nam ministrare dignis, eorum proprium est, qui ministri sunt ex ordinis officio, cooperatio vero vix non semper excusabitur propter impossibilitatem aliter agendi absque gravi incommodo.

Ratum vocatur matrimonium validum inter baptizatos, ut diximus. *Ratum tantum*, si nondum fuit consummatum; *ratum et consummatum*, si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis[1], id est, si post matrimonium validum iam semen viri in vas mulieris transfusum est[2]. Porro, consummatio locum habuisse praesumitur, ait can. 1015, si coniuges post matrimonii celebrationem simul cohabitaverint.

772 *Effectus* matrimonii, praeter eos qui lege naturali aut positiva divina oriuntur, quales sunt vinculum inter coniuges

---

[1] « § 1. Matrimonium baptizatorum validum dicitur *ratum*, si nondum consummatione completum est; *ratum et consummatum*, si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro. — § 2. Celebrato matrimonio, si coniuges simul cohabitaverint, praesumitur consummatio, donec contrarium probetur » (can. 1015, §§ 1 et 2).

Matrimonium inter duos infideles non est ratum, et non fit ratum usque post baptismum utriusque; posito autem utriusque baptismo, fit ratum ipso facto. Matrimonium initum a parte baptizata cum alia infideli (cum dispensatione a disparitate cultus) probabiliter non est ratum. Cf. De Smet n. 157 178 179 613 nota 4; Sasse II, p. 390-392 nota; Pesch, *Prael. dogm.;* Gén.-S. n.. 505 III; Gasparri n. 41.

[2] S. Alph. n. 958. An huiusmodi actus censeri possit *natura sua* matrimonialis seu ad quem natura sua contractus matrimonialis ordinatur, si mulier utero atque ovariis careat, non est hic disputandum. Cf. inferius, ubi de imped. impotentiae.

perpetuum et exclusivum, gratiae donum, si obex non opponitur (can. 1110), ius et officium quoad actus proprios coniugalis vitae, obligatio prolis educationem tum religiosam et moralem, tum physicam et civilem pro viribus curandi et etiam temporali eorum bono providendi (can. 1113), ex iure ecclesiastico recensentur hi[1]:

1° *Uxor*, circa canonicos effectus, particeps efficitur status mariti[2].

2° *Filii*[3] sive concepti sive solum nati ex matrimonio valido vel tantum putativo[4], sunt legitimi[5]. Lex praesumit

---

1 « Nisi iure speciali aliud cautum sit, uxor, circa canonicos effectus, particeps efficitur status mariti » (can. 1112).

« Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus tempore conceptionis fuerit usus matrimonii antea contracti » (can. 1114).

« § 1. Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur. — § 2. Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis » (can. 1115).

« Per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, legitima efficitur proles, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis » (can. 1116).

« Filii legitimati per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit » (can. 1117).

2 V. gr. domicilium viri retinet, nisi a viro sit legitime separata (can. 93), atque ad ritum viri transire potest (can. 98, § 4).

3 Filii alii dicuntur *legitimi* alii *illegitimi*. Legitimi quinam sint, iure canonico, dicitur supra, iuxta can. 1114; ceteri illegitimi sunt, nisi rite legitimati fuerint, tunc enim dicuntur *legitimati*.

Porro *illegitimi* alii sunt naturales, alii spurii. *Naturales*, iure canonico, dicuntur filii parentum matrimonio non iunctorum, ne putativo quidem, qui tamen vel tempore conceptionis vel praegnationis vel nativitatis potuissent absque dispensatione cuiusvis impedimenti dirimentis contrahere. *Spurii*, filii parentum, qui ob aliquod impedimentum dirimens toto tempore a conceptione ad nativitatem inhabiles erant ad contrahendum inter se.

Spurii dicuntur *adulterini*, si ex adulterio; *sacrilegi*, si e patre vel matre sollemniter professa vel e patre in sacris constituto; *incestuosi*, si e parentibus consanguinitate collaterali vel affinitate inter gradus matrimonio obstantes coniunctis; nefarii, si e parentibus consanguinitate lineae rectae sibi devinctis, v. gr. a patre et filia, sunt geniti.

4 Ideoque manent legitimi, etsi postea matrimonium deprehendatur fuisse invalidum.

5 Excipe, si tempore conceptionis parentes ob sollemnem professionem religiosam vel ordinem sacrum, prohibitum habebant usum matrimonii antea contracti; filii sic nati non habentur legitimi.

legitime conceptos eos, qui nascuntur post sex menses a die celebrati matrimonii vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis [1].

Legitimantur, iure canonico, filii illegitime nati, eo ipso quod parentes ipsorum matrimonium contrahant, dummodo iidem tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis, contrahere potuissent absque dispensatione ullius impedimenti dirimentis; legitimantur ergo hoc modo filii naturales, non spurii. Filii huiusmodi in omnibus [2] aequiparantur legitimis [3], quoad effectus canonicos [4].

---

[1] Nam cum lex eum, qui cum prolis matre matrimonium iniit, verum esse prolis patrem agnoscat, donec contrarium « evidenter » probetur (can. 1115, § 1), consequenter legitime conceptam praesumit prolem ex illius viri uxore natam, nisi ex tempore, quo nativitas a legitima cohabitatione distet, omnino evidens fiat, quod proles ex legitimo illius viri consortio concipi non potuit (vix enim unquam fetus visus est nasci viabilis ante sex menses, aut nasci post decem), aut nisi idem evidens fiat aliunde, v. gr. ex illius viri morbo vel absentia.

Non tamen obstat, ut proles legitima sit, quod haec legitime concepta non fuerit (excepto obice professionis sollemnis aut ordinis sacri inter matrimonio ligatos), 1° si pater prolis cum eiusdem matre matrimonio iunctus sit quando filius nascitur; aut 2° si pater et mater, prole iam nata, alquando matrimonium contrahant, dummodo ambo vel tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis contrahere potuissent, id est, dummodo non detinerentur aliquo impedimento *dirimente* per totum tempus quod a conceptione ad nativitatem cucurrit.

Eruuntur haec ex iis, quae, iuxta can. 1114 et 1116, dicuntur supra.

[2] Dicuntur legitimis, quoad effectus canonicos, aequiparari in omnibus; addit tamen can. 1117 « nisi aliud expresse cautum fuerit »; expresse enim can. 232 320 331 illegitimos, etiam post subsequens parentum matrimonium, inhabiles volunt ad Cardinalatum, Episcopatum, Abbatis dignitatem et Praelaturam nullius.

[3] Ac proinde censentur legitimi a tempore nativitatis vel conceptionis, id est fictione iuris retrotrahitur matrimonii validitas ad illud tempus.

[4] Quoad effectus civiles, Codices cuiusque nationis consulendi sunt, qui aliter saepe legitimationis condiciones et effectus agnoscunt. Nam:

Filii *legitimi* intelliguntur, iure *arg.* a. 274 280 393, *br.* a. 337 338 340, *chil.* a. 35 179 180 185, *col.* a. 51 (cuius loco habetur a. 6 legis 57 anni 1887), 214 220, *gall.* a. 312 314 315, *hisp.* a. 108, *lus.* a. 101 103, *mex.* « Ley sobre relaciones familiares » a. 143 144, *ur.* a. 189 191 193, qui nascuntur post 180 dies a die matrimonii iuxta leges civiles validi, vel ante 300 dies a die eius dissolutionis, nisi probetur maritum non potuisse ad uxorem accedere per 120 dies (C.C. *br.* et *lus.* aiunt 121 dies) priores e 300 nativitati antecedentibus. Praedicti C.C. matrimonium putativum, seu bona fide cum impedimento civili initum, matrimonio valido, quoad hunc effectum, aequiparant; quod si aliquis Codex, ut *gall.*, id expresse non dicit, in hoc tamen sensu communius ab interpretibus accipitur.

Legitimationis concessio includitur nonnumquam in ipsa impedimenti dirimentis dispensatione, ut dicetur alibi (n. 824 825).

Obtineri denique potest legitimatio spurii, quoad effectus canonicos, per rescriptum Sanctae Sedis, si eius iudicio concedi posse videatur.

Caput 3. PRAEMITTENDA CELEBRATIONI MATRIMONII

a) **Examen sponsorum** praemittendum est, nam « antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae et licitae celebrationi obsistere » (can. 1019, § 1). Ad hunc finem Codex iuris sequentia investiganda vel monenda statuit[1] a parocho « cui ius est assistendi matrimonio » (can. 1020, § 1): **773**

Filii *naturales*, seu ii qui extra matrimonium gignuntur, ex consortio tamen iuxta leges civiles non adulterino aut incestuoso, *legitimantur* per subsequens parentum matrimonium, et legitimis omnino aequiparantur a die celebrati matrimonii. Ita iuxta C.C. *arg.* a. 345 353 393 (qui tamen a. 348 legitimationem non concedit, si parentes tempore celebrationis matrimonii domicilium in Republica nec habebant nec unquam habuerant, nisi in adiunctis de quibus in a. 349), *br.* a. 352 353, *chil.* a. 206 207 214, *col.* a. 40 236 237 238 245, *gall.* a. 331 333, (qui tamen non dicit expresse a qua die computanda sit legitimatio), *hisp.* a. 120 122, *lus.* a. 119 121, *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 176 177 182, *ur.* a. 204 205. Plerumque tamen Codices legitimationem non concedunt « ipso iure » per subsequens matrimonium, sed exigunt ut parentes filium naturalem certis sub condicionibus recognoscant seu suum esse declarent. Praeterea, iure *hisp.* a. 120 125-127, obtinetur etiam legitimatio per rescriptum Regis quibusdam in adiunctis.

Adulterini non possunt legitimari; *arg.* a. 376, *br.* a. 358, *chil.* a. 270, *col.* a. 54 legis 153 anni 1887 ad Codicis a. 318, *gall.* a. 335 (possunt tamen legitimari quibusdam in adiunctis iuxta a. 331), *hisp.* a. 119, *lus.* a. 122, *ur.* a. 222; sed iure *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 176 177 legitimari possunt etiam adulterini per subsequens matris et complicis matrimonium.

Fusius de his C.C. *arg.* a. 269 271 274-297, 345-378 (sed quoad filios sacrilegos cf. a. 269 iuxta suum tenorem ab anno 1889), *br.* a. 337-367, *chil.* a. 35-38 179-218 270-275 280-292, *col.* a. 40 51-59 213-249, et leges, quae suffectae sunt articulis 318-334, *gall.* a. 312 ad 342, *hisp.* a. 108-138, *lus.* a. 101-136, *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 143-219, *ur.* a. 189-223.

1 « § 1. Antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere. — § 2. In periculo mortis, si aliae probationes haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio iurata contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento » (can. 1019).

« § 1. Parochus cui ius est assistendi matrimonio, opportuno antea tempore, diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet. — § 2. Tum sponsum tum sponsam etiam seorsum

1° Opportuno antea tempore diligenter investiget num matrimonio contrahendo aliquid obstet (can. 1020, § 1).

Haec tamen *investigatio generalis* apud alios, quam ipsos nupturientes, necessaria non est, quando nulla prorsus habetur alicuius obstaculi suspicio. Quomodo autem procedendum, si dubium de aliquo impedimento exoriatur, vel impedimentum aliquod certum detegatur, dicetur paulo inferius, ubi de proclamationibus.

2° Sponsum et sponsam seorsim et caute interroget *a*) num aliquo detineantur impedimento; *b*) an consensum libere, praesertim mulier, praestent; *c*) an in doctrina christiana sufficienter instructi sint; *d*) an, si minores sint, consensum parentum habeant (can. 1020, § 2 et 1034).

Sponsi interrogandi sunt praesertim, *an impedimento detineantur* consanguinitatis, affinitatis, vel ligaminis. Eos teneri impedimenta quaelibet revelare, nisi dispensationem ante matrimonium impetrent, manifestum est; possunt tamen ea revelare intra confessionem, dummodo licentiam concedant ad dispensationem procurandam. Quomodo autem constare debeat parocho de morte coniugis, si aliquis illorum viduus sit, dicetur infra, ubi de impedimento ligaminis.

De libero consensu interroganda est praesertim mulier, quia facilius et frequentius huius libertas laeditur quam viri.

Interrogandi etiam sunt, nisi ex eorum condicione inutilis interrogatio appareat, *an sufficientem doctrinae christia-*

---

et caute interroget num aliquo detineantur impedimento, an consensum libere, praesertim mulier, praestent, et an in doctrina christiana sufficienter instructi sint, nisi ob personarum qualitatem haec ultima interrogatio inutilis appareat. — § 3. Ordinarii loci est peculiares normas pro huiusmodi parochi investigatione dare » (can. 1020).

« § 1. Nisi baptismus collatus fuerit in ipso suo territorio, parochus exigat baptismi testimonium ab utraque parte, vel a parte tantum catholica, si agatur de matrimonio contrahendo cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus. — § 2. Catholici qui sacramentum confirmationis nondum receperunt, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipiant, si id possint sine gravi incommodo » (can. 1021).

« Ne omitat parochus, secundum diversam personarum condicionem, sponsos docere sanctitatem sacramenti matrimonii, mutuas coniugum obligationes et obligationes parentum erga prolem; eosdemque vehementer adhortetur ut ante matrimonii celebrationem sua peccata diligenter confiteantur, et sanctissimam Eucharistiam pie recipiant » (can. 1033).

« Parochus graviter filiosfamilias minores hortetur ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius Ordinario » (can. 1034).

nae instructionem habeant, quia in ea filios suos debebunt instruere[1]. — Quod si sponsus vel sponsa inveniantur in ea ignari, sedulo edoceantur prima saltem doctrinae christianae elementa; quod si edoceri renuant, non est tamen locus eos a matrimonio respuendi[2].

Quod ad parentum consensum attinet, certe matrimonii **774** validitati non obstaret, quod ii dissentirent; illicite tamen inirentur nuptiae parentibus insciis aut rationabiliter invitis, ut dicemus alibi. — Propterea parochum monet Codex, ne minorum matrimonio assistat in hoc casu, nisi consulto prius Ordinario loci.

3° A sponsis inquirat, *a*) ubinam domicilium habeant vel quasi-domicilium; *b*) an alio in loco per sex saltem menses commorati sint post adeptam pubertatem.

Haec parocho nota debebunt esse, ut videat, cuinam competat assistere matrimonio et quibus in locis publicationes faciendae sint.

4° Exigat attestationem baptismi a nupturientibus eosque moneat, ut interea sacramentum confirmationis recipere curent, si non receperint.

Attestationem baptismi ab utraque parte parochus petere debet, si in sua paroecia non sunt baptizati. Si attestationem ipsi non habent, haec procuranda erit generatim per cancellariam Ordinarii loci[3]. Si matrimonium contrahendum est cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, patet attestationem exigendam esse tantum a parte catholica.

Confirmationem sponsi nondum confirmati ante matrimonium recipiant, si tamen id possint, addit can. 1021, sine gravi incommodo.

5° Doceat sponsos, secundum diversam eorum condicionem, sanctitatem sacramenti matrimonii, mutuas coniugum obligationes, obligationes parentum erga prolem.

6° Vehementer eos adhortetur ut matrimonium celebraturi confiteantur et sanctissimam Eucharistiam recipiant.

7° *In periculo mortis* sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio iurata contrahentium, se baptizatos fuisse et nullo detineri impedimento.

---

1 *Rit. Rom.* tit. 7, c. 1, n. 1.

2 *Comm. I.C.* 2-3 iun. 1918 ad IV, 3 (*A.A.S.* [1918] p. 345).

3 Instruct. *S.C. de Sacram.* 4 iul. 1921, n. 3 (*A.A.S.* [1921] p. 348; VERMEERSCH, *Period.* X, p. 352, n. 3.

775 *b*) **Publicationes**[1] matrimonii contrahendi faciendae iubentur, ut facilius possint impedimenta detegi; debent tamen fieri,

---

1 « Publice a parocho denuntietur inter quosnam matrimonium sit contrahendum » (can. 1022).

« § 1. Matrimoniorum publicationes fieri debent a parocho proprio. — § 2. Si pars alio in loco per sex menses commorata sit post adeptam pubertatem, parochus rem exponat Ordinario, qui pro sua prudentia vel publicationes inibi faciendas exigat, vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribat. — § 3. Si aliqua sit suspicio de contracto impedimento, parochus etiam pro breviore commoratione consulat Ordinarium, qui matrimonium ne permittat, nisi prius suspicio, ad normam § 2, removeatur » (can. 1023).

« Publicationes fiant tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto in ecclesia inter Missarum sollemnia, aut inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat » (can. 1024).

« Potest loci Ordinarius pro suo territorio publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis, aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur » (can. 1025).

« Publicationes ne fiant pro matrimoniis quae contrahuntur cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis, nisi loci Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, eas permittere opportunum duxerit, dummodo apostolica dispensatio praecesserit et mentio omittatur religionis partis non catholicae » (can. 1026).

« Omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelare » (can. 1027).

« § 1. Loci Ordinarius proprius pro suo prudenti iudicio potest ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare. — 2. Si plures sint Ordinarii proprii, ille ius habet dispensandi, in cuius dioecesi matrimonium celebratur; quod si matrimonium extra proprias ineatur dioeceses, quilibet Ordinarius proprius dispensare potest » (can. 1028).

« Si alius parochus investigationem aut publicationes peregerit, de harum exitu statim per authenticum documentum certiorem reddat parochum, qui matrimonio assistere debet » (can. 1029).

« § 1. Peractis investigationibus et publicationibus, parochus matrimonio ne assistat, antequam omnia documenta necessaria receperit, et praeterea, nisi rationabilis causa aliud postulet, tres dies decurrerint ab ultima publicatione. — § 2. Si intra sex menses matrimonium contractum non fuerit, publicationes repetantur, nisi aliud loci Ordinario videatur » (can. 1030).

« § 1. Exorto dubio de exsistentia alicuius impedimenti: 1° Parochus rem accuratius investiget, interrogando sub iuramento duos saltem testes fide dignos, dummodo ne agatur de impedimento ex cuius notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit, ipsas quoque partes; — 2° Publicationes peragat vel perficiat, si dubium ortum sit ante inceptas vel expletas publicationes; — 3° Matrimonio ne assistat, inconsulto Ordinario, si dubium adhuc superesse prudenter iudicaverit. — § 2. Detecto impedimento certo: 1° Si impedimentum sit occultum, parochus publicationes peragat vel absolvat, et rem deferat, reticens nomina, ad loci Ordinarium vel

etsi moralis certitudo habeatur de absentia impedimentorum, nullatenus enim iudicio privatorum relinqui potest, an utilis vel inutilis sit legis adimpletio, ex cuius omissione consectaria oriri possent adeo gravia. Tantummodo pro matrimoniis, quae ineuntur cum parte non baptizata aut non catholica, praetermittendae sunt, nisi eas Ordinarius loci permittendas duxerit (can. 1026).

1. *Publicationes faciendae sunt*:

a) Tres, non tamen unius omissio censetur gravis, si non adest probabile periculum impedimenti [1].

β) Tribus festis continuis, seu, ut ait can. 1024, « tribus continuis diebus dominicis aliisque festis de praecepto » [2].

---

ad sacram Poenitentiariam; — 2° Si sit publicum et detegatur ante inceptas publicationes, parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiae tantum obtentam norit; si detegatur post primam aut secundam publicationem, parochus publicationes perficiat, et rem ad Ordinarium deferat. — § 3. Demum si nullum detectum fuerit impedimentum, nec dubium nec certum, parochus, expletis publicationibus, ad matrimonii celebrationem partes admittat » (can. 1031). « Matrimonio vagorum de quibus in can. 91, parochus, excepto casu necessitatis, nunquam assistat, nisi, re ad loci Ordinarium vel ad sacerdotem ab eo delegatum delata, licentiam assistendi obtinuerit » (can. 1032).

[1] S. Alph. n. 990. Immo si moraliter certum sit impedimentum abesse, gravem non esse omissionem *duarum* publicationum opinatur Gén.-S. n. 449, qui pro eadem opinione citat D'Annibale III, n. 453 et Salmant. tr. 9, c. 8, n. 78. D'Annibale id dixisse non reperimus (in ed. 4ª), nisi dicatur id significasse, valde tamen obscure, sub his verbis: « omnes praetermittere grave est ». Sed neque Salmanticenses id tradunt satis clare. Nam ad quaestionem: « an sit mortale *unam* vel *alteram* praetermittere denuntiationem », respondent: « Affirmative respondent Aversa etc., quia unius omissio materia levis non est; probabilius tamen dicendum est, quod si moraliter sit certum impedimentum non adesse, non erit grave delictum *aliquam* praetermittere denuntiationem, cum *haec* in casu dicto levis materia videatur», usurpantes modum loquendi Sanchezii l. 3, d. 5, n. 7 (quem citant), qui manifeste locutus fuerat de omissione *unius*. De cetero, quoniam S. Alph. n. 990 Salmanticenses locutos intellexit de omissione *duarum* nec eorum sententiam improbat, et aliunde unus alterve, eadem sententia (iure vel erronee) fisus, idem tradit, id signum est non tam clare apparere gravem *duarum* publicationum omissionem in hypothesi, quod moralis certitudo habeatur de cuiusvis impedimenti absentia.

[2] Festa de praecepto intelliguntur sive universalia sive particularia regionis. Publicationes fieri posse in festis recens suppressis, si frequens populus adhuc Missae assistat, dicit unus alterve, sed id non concedimus, cum verba legis sint expressa; fatendum tamen non fore grave. Certe non conceditur ut fiant in diebus feriatis, etsi magnus sit populi concursus.

γ) In ecclesia (can. 1024), nempe parochiali seu quasi-parochiali, nisi v. gr. aliquo die festo populus ad aliquod sanctuarium confluxerit; magis enim frequentia populi attendenda est quam locus.

δ) Inter Missarum sollemnia (can. 1024), seu in Missa principali. Concedit tamen can. 1024, ut fiant inter alia divina officia (v. gr. in officio Vesperarum vel tempore concionis), ad quae populus frequens accedat.

Praedicta forma publicationes ante Codicem fieri consueverant et post Codicem adhuc faciendae sunt, nisi Ordinario melius videatur (nunc datur ipsis haec facultas) publicationibus substituere publicam affixionem nominum contrahentium ad valvas ecclesiae per octo dies, modo duo festa de praecepto comprehendantur (can. 1025).

ε) A proprio parocho (can. 1023, § 1), id est, ab eo, in cuius territorio sponsi, vel utrique vel seorsim, domicilium aut quasi-domicilium[1] habent; quod si alteruter plura habet domicilia, aut domicilium simul et quasi-domicilium, in singulis publicationes faciendae sunt; in parochia autem actualis commorationis, si agitur de vagis[2]. Si nupturientes alio in loco[3] per sex menses commorati sint[4] post adeptam pubertatem, parochus rem deferat Ordinario, cuius erit vel publicationes ibi exigere[5] vel alias probationes seu coniecturas super status libertate colligendas praescribere[6].

776 2. *Omnes tenentur impedimenta revelare*, ante matrimonii celebrationem, parocho vel loci Ordinario (can. 1027), etiam omnino occulta, sub obligatione certe gravi, et quamvis quis impedimentum ipse solus noverit et consequenter probare non possit.

---

1 Quid sit domicilium et quasi-domicilium in novo iure, cf. dicta n. 38.

2 Cf. can. 94, § 2, vel dicta n. 38.

3 « Alio in loco », ait can. 1023, ut comprehendantur etiam regiones, in quibus forte paroeciae non sint.

4 Et quamvis per brevius tempus commorati sint, si suspicio sit de contracto impedimento (can. 1023, § 3).

5 Trinas vel unicam, id enim totum Ordinarii prudentiae relinquitur.

6 Propterea et propter facultatem quam Ordinariis dat can. 1028, *Comm. I.C.* 2-3 iun. 1918 ad IV, 4 (*A.A.S.* [1918] p. 345) interrogata circa casum, quo aliqua « pars post adeptam pubertatem plusquam per sex menses commorata fuerit in longissimis et dissitis oris, a quibus ut habeatur regularis attestatio libertatis status longius tempus requiritur, cum tamen urgeat celebratio matrimonii », respondit: « rem remitti prudenti iudicio Ordinarii, qui alias probationes, non excluso iuramento suppletorio praescribere potest ad normam canonis 1023, § 2 ».

Excipe *α*) si illud noverit secreto consilii commisso ratione officii publici, v. gr. medici, advocati etc.; debet tamen monere partes, ut a proposito desistant vel dispensationem petant[1]; — *β*) si e revelatione magnum sibi vel aliis damnum probabiliter timeat; — *γ*) si auditu tantum noverit, a persona fide non digna[2]; — *δ*) si denuntiationem inutilem credat ob nullam spem fructus vel ob iam petitam dispensationem.

3. *Dispensare a publicationibus*, etiam a faciendis in aliena dioecesi, potest ex legitima causa Ordinarius loci proprius[3]; si Ordinarii plures sunt, ille in cuius dioecesi matrimonium celebratur; si extra eorum dioeceses celebratur, eorum quilibet (can. 1028).

Facilius ab una alterave publicatione, quam ab omni, dispensatur; quod si fit, nuntiari debet illam publicationem fieri loco trium, vel secundam tamquam ultimam.

Dari d e b e t dispensatio, si immineat infamia duorum, qui legitime coniuncti censebantur; si timor est ne matrimonium ab aliis malitiose impediatur; si periculum est ne sponsus mutato animo puellam gravidam dimittat etc. Dari p o t e s t dispensatio, si moraliter certo constet nullum esse impedimentum[4].

Si tempus non suppetit adeundi Episcopum et periculum est in mora, publicationes omitti possunt, v. gr. si moribundus ducere debeat concubinam ad prolem legitimandam, vel si scandalum aut infamia oritura sit ex matrimonii dilatione.

4. *Peractis investigationibus et publicationibus*, de harum exitu statim certior fieri debet parochus qui matrimonio assistere debet; is autem matrimonio ne assistat antequam omnia documenta receperit et tres dies decurrerint ab ultima publicatione (can. 1029 1030, § 1).

5. *Si intra sex menses matrimonium contractum non fuerit*, publicationes repetendae sunt, nisi aliud loci Ordinario videatur (can. 1030, § 2).

6. *Exorto dubio de aliquo impedimento*, res accuratius investiganda est interrogando sub iuramento duos testes fide dignos, si absque partium infamia fieri possit, et, si necesse

---

1 Non excusat secretum, quod ratione officii commissum non sit; a fortiori non excusat secretum promissum vel tantum naturale. Sánchez l. 3, d. 13, n. 5; S. Alph. n. 994; Lehmk. n. 868; Gasparri n. 223; Gén.-S. n. 454, III.

2 Tenetur vero, si audierit a persona fidedigna, quae illud non sub dubio, sed ut certum narraverit.

3 Ordinarius loci proprius dicitur eodem sensu ac parochus; cf. can. 94 vel dicta n. 38.

4 S. Alph. n. 1006 1007.

est, ipsas quoque partes; publicationes perficiantur, et si dubium supersit, deferatur res ad Ordinarium (can. 1031, § 1).

7. *Detecto impedimento certo*, si id sit occultum, publicationes perficiantur et res deferatur, tacitis nominibus, ad loci Ordinarium vel ad *S. Poenitentiariam*. Si sit publicum, publicationes ne fiant donec impedimentum removeatur, etiamsi in foro conscientiae fuerit dispensatum; si tamen publicationes coeptae sunt, perficiantur, et res ad Ordinarium deferatur (can. 1031, § 2).

8. *Matrimonio vagorum*[1] parochus extra necessitatem ne assistat, nisi licentia ab Ordinario loci aut eius delegato obtenta[2] (can. 1032), quae tamen ad liceitatem tantum, non ad validitatem matrimonii, requiritur.

Caput 4. IMPEDIMENTA IN GENERE

Art. 1. Impedimenti notio.

777 **Impedimentum**[3] est circumstantia matrimonium antecedens, lege divina vel humana obstans eius celebrationi *.

---

1 Quinam vagi, cf. n. 38.

2 Vagis, quoad hunc effectum, aequiparari debent opifices ad exteras dissitasque regiones demigrantes, difficulter enim abest dubium de exsistentia impedimenti; propterea, et propter commorationes ultra sex menses saepissime in aliis locis habitas, iubet *S.C. de Sacram.* in instruct. 4 iul. 1921 (*A.A.S.* [1921] p. 348) parochos huiusmodi emigrantium matrimoniis non assistere, excepto casu necessitatis seu potissimum periculo mortis, inconsulto Ordinario loci.

3 De impedimentis in genere agunt sequentes canones:

« Omnes possunt matrimonium contrahere, qui iure non prohibentur » (can. 1035).

« § 1. Impedimentum *impediens* continet gravem prohibitionem contrahendi matrimonium; quod tamen irritum non redditur si, non obstante impedimento, contrahatur. — § 2. Impedimentum *dirimens* et graviter prohibet matrimonium contrahendum, et impedit quominus valide contrahatur. — § 3. Quamquam impedimentum ex una tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum (can. 1036). »

« Publicum censetur impedimentum quod probari in foro externo potest; secus est occultum (can. 1037).

« § 1. Supremae tantum auctoritatis ecclesiasticae est authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat. — § 2. Eidem supremae auctoritati privative ius est alia impedimenta matrimonium impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituendi per modum legis sive universalis sive particularis » (can. 1038).

« § 1. Ordinarii locorum omnibus in suo territorio actu com-

* Vide, sis, notam asterisco (*) distinctam in pag. 421.

Impedimentum vocatur mere *impediens* matrimonium, quando graviter id contrahere prohibet, irritum tamen ipsum non reddit si, non obstante impedimento, contrahatur; vocatur autem *dirimens*, si matrimonium et graviter prohibet et impedit quominus valide contrahi possit. Monet can. 1036 impedimenta, sive impedientia sive dirimentia suam retinere vim, etamsi ex parte unius tantum contrahentium se habeant; v. gr.

---

morantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii vetare possunt matrimonia in casu peculiari, sed ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante. — § 2. Vetito clausulam irritantem una Sedes Apostolica addere potest » (can. 1039).

« Praeter Romanum Pontificem, nemo potest impedimenta iuris ecclesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare, aut illis derogare; item nec in eisdem dispensare, nisi iure communi vel speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit » (can. 1040).

« Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis exsistentibus contraria reprobatur » (can. 1041).

* Impedimenta quae *solo naturali iure* obstant matrimonio, sive licite tantum, sive etiam valide, contrahendo, sub nomine impedimentorum non veniunt, nisi *lato sensu*. Huiusmodi sunt v. gr. sponsalia valida, quae prohibent nuptias licite iniri cum alia persona, praeter eam, cui data est promissio adhuc valida; morbus contagiosus, matrimonium vetans cum persona cui nocere possit; dissensus rationabilis parentum, illud prohibens cum persona quavis, ad quam rationabiliter extendatur.

Impedimenta *stricte dicta* ea sunt, quae supra definivimus, per *divinam legem vel humanam* constituta (v. gr. ordo sacer, vel defectus aetatis), etiamsi simul iure naturali vim habeant (v. gr. impotentia antecedens et perpetua). Impedimenta stricte dicta vocantur etiam *canonica*.

Definitio impedimenti canonici, quam supra dedimus, exigit ut id constitutum sit per *legem;* propterea huiusmodi non sunt quae, etsi auctoritate ecclesiastica statuantur, non tamen per editam legem, sed per modum praecepti (n. 29), v. gr. Ecclesiae vetitum, quod vocant, id est prohibitio contrahendi alicui facta ad tempus ab Ordinario iuxta can. 1039. Haec impedimentis late dictis accensenda erunt.

Exigit praeterea, ut sit *circumstantia matrimonio antecedens*. Propterea impedimenta canonica vocari nequeunt eae circumstantiae (vel potius earum absentia), quae, cum ipsam contractus celebrationem sive de iure naturali sive positivo constituant, sua absentia efficiunt, ut ipsa contractus celebratio non exsistat; v. gr. defectus consensus (quia fictus, vel quia errore substantiali vitiatus), vel defectus formae legalis. Propterea Codex defectum consensus, sive is iure naturae sive ecclesiastico vitietur, et contractus matrimoniales clandestinos catholicorum saltem latinorum, inter impedimenta non recenset. Haec igitur etiam impedimentis late dictis accensenda erunt. Ante Codicem clandestinitas a plerisque inter impedimenta canonica recensebatur, sed non recte, ut patet ex dictis; metus tamen inter ea recte poterat recenseri, quatenus, cum ab extrinseco incuti debuisset, satis per circumstantias contractui antecedentes prodebatur.

si alteruter aetatem canonicam non habeat, vel si una tantum pars votum emiserit amplectendi statum religiosum [1].

Impedimentum dicitur *publicum*, si probari potest in foro externo [2], secus est *occultum* (can. 1037). Est ergo publicum

---

1 In antiqua disciplina clandestinitatis impedimentum (quod vocabant) matrimonio valide contrahendo non obstabat, si ex una tantum parte se haberet, nempe, si contrahentium alteruter lege tridentina non ligaretur. In praesenti iure id sustineri iam non potest, nec relate ad impedimenta, ut diserte patet ex citato can. 1036, § 3, nec relate ad formam contrahendi, ut patebit ex can. 1099, § 1, de quo dicendum erit postea.

2 Proinde, impedimentum est *publicum*:

1° Si de eo exstat *documentum* aliquod authenticum, ecclesiasticum vel civile (v. gr. inscriptio filiationis illegitimae a tali patre in libris parochialibus), vel depositio alicuius testis qualificati (v. gr. parochus deposuit se adstitisse priori matrimonio), vel depositio iurata duorum testium omni exceptione maiorum. Haec enim instrumenta rem probare possunt in foro externo (can. 1791 1812 ad 1818).

Nec refert quod factum ignoretur et constet tantum in documento (v. gr. in libro parochiali vel in archiviis notarialibus), quod nemo inspiciat nec inspecturus sit (Blat, *Comm. text. Cod.* III, p. 536); per se enim vere probari posset res in foro externo, ideoque impedimentum constituit publicum, iuxta can. 1037.

2° Si est *notorium*, notorietate sive iuris sive facti, v. gr. si constat ex sententia iudicis firma, vel si factum ita est publice notum talibusque in adiunctis commissum, ut nulla tergiversatione celari possit; huiusmodi enim notorietas iam excusat a quavis alia probatione in foro externo (can. 1747 et 2197).

Quaeri posset quid sentiendum in novo iure de impedimentis natura sua publicis, sed de facto occultis, vel de impedimentis non natura sua, de facto tamen publicis, dummodo non notoriis, nempe, utrum inter publica an inter occulta numeranda sint. Nam impedimentum dicitur *natura sua publicum*, si oritur ex facto de se publico, v. gr. aetas, consanguinitas, ordo sacer, cognatio spiritualis vel legalis, sollemnis professio; secus est *natura sua occultum*, v. gr. consanguinitas illegitima, votum ingrediendi religionem. Vocatur *de facto publicum*, si divulgatum est aut prudenter iudicetur facile divulgatum iri (can. 2197, 1°), secus est *de facto occultum;* dicunt autem esse de facto occultum, si tenetur a sex personis in oppido, ab octo in civitate; nulla tamen tutior regula quam attendere ad periculum ne divulgetur; totum enim pendet a garrulitate vel tenacitate eorum paucorum, qui rem norunt. Quaeri ergo potest an impedimentum publicum in sensu canonis 2197, 1°, censeri etiam debeat publicum in sensu canonis 1037, seu *in ordine ad dispensationes*.

Si impedimentum est de facto occultum, sed *natura sua publicum*, patet habendum esse ut publicum, etiam in sensu canonis praedicti (publicum habebatur ante Codicem; Sánchez l. 2, d. 37, n. 11; Gasparri n. 260, p. 163; Wernz LV, n. 216 V cum nota 9, et 609 II, idemque publicum post Codicem habent De Smet n. 465; Verm.-Creus. n. 297); esto enim nunc ab omnibus ignoretur et nullum documentum exstet, sed id per accidens evenire dicendum est, per se enim et natura sua est publicum atque ad forum externum pertinet, praeterquam quod semper aliquod habetur periculum, ne facta huiusmodi aliquando comperiantur; adde quod, si impedi-

si sit « notorium », id est, si nulla possit tergiversatione celari, aut si de eo exstat aliquod documentum, quod rem probare possit in iudicio.

---

menta « natura sua publica », ex eo solum nondum essent publica in sensu canonis 1037, perperam videretur Codex usurpasse illam denominationem (quae occurrit in can. 1971, § 1, 2°); non enim possunt aliter a Codice impedimenta vocari publica, nisi quatenus in iis verificetur definitio quae datur in can. 1037. — Evenire quidem potest, ut impedimentum natura sua publicum ita occultum sit, ut nullum prorsus sit periculum quod probari possit in foro externo; puta consanguinitatem, legitimam quidem, duorum in regione barbara, quorum filiationem ipsi soli norunt. Forte non censeret aliquando *S. Poenitentiaria* huiusmodi casus occultos esse extra suam competentiam (cf. S. ALPH. n. 1111; GASPARRI n. 260, p. 164); id tamen non probaret esse « occultos » in sensu canonum, quia condicio absentiae omnis periculi publicitatis eatenus solum a *S. Poenitentiaria* requirenda est, quatenus ipsi incumbit dispensationes largiri pro foro « interno » tantum. Videntur igitur, propter rationes allatas nuper, etiam ii casus venire in novo iure inter « publicos » et consequenter, etiam pro iis non valere facultates dispensandi, quae sive a Codice sive a S. Sede concedantur pro casibus « occultis » tantum.

Si impedimentum, quod non est natura sua publicum, sit *de facto publicum* (etsi non notorium, cf. can. 2197), ante Codicem quidem censebatur etiam « publicum » in ordine ad dispensationes (S. ALPH. n. 1111; GASPARRI n. 260; WERNZ n. 216 V; BALL.-P. n. 1306 seqq). Post Codicem idem docet DE SMET n. 465 466; sed potius putamus distinguendum; totum enim videtur inde pendere, utrum impedimentum in foro externo probari posset, necne (VERM.-CREUS. n. 297, 5°). Nam si v. gr. consanguinitatem adulterinam nossent plures eo quod pars hanc suam condicionem notam fecisset uni, a quo ceteri acceperunt, vel si eam bene nossent tres perditae famae, qui fidem non mererentur in iudicio, a quibus fuit divulgatus rumor, impedimentum, etsi de facto publicum, censeri deberet « occultum », non enim in iudicio probari posset. E contra, si verbera et minas graves, quibus parentes filiam nubere coegerunt, probe nossent aliqui, etsi perpauci, qui v. gr. ea viderant, impedimentum, etsi de facto occultum, censendum esset « publicum »; probari enim posset in foro externo (cf. causam *S.C.C.* 9 iul. ad 10 sept. 1881, quam Codex adducit ut fontem canonis 1037 [*A.S.S.* XIV, p. 458; cf. etiam *A.S.S* XII, p. 422 nota]).

Quaeritur 1°. An censendum sit publicum impedimentum, quod publicitatem habet alibi, v. gr. Tarracone, non autem in loco inde valde dissito, v. gr. Bonis Auris, ubi partes degunt et dispensandae sunt. — *Resp.*: Auctores ante Codicem solutionem certam non dabant, sed contenti erant consulere, ut abstineretur in casu ab exsequenda dispensatione, quae concessa esset cum clausula « dummodo impedimentum sit occultum » (GASPARRI n. 260, p. 166, in quo videntur inspirari ea, quae post Codicem tradit hac super re VERM.-CREUS. n. 257, 5°). Nec ratio specialis occurrit, cur aliter dicendum sit post Codicem, si agatur de p u b l i c i t a t e. Sed si agatur de n o t o r i e t a t e, id est, si impedimentum sit notorium, in novo iure videtur censendum « publicum », vere enim probari posset in foro externo; nam notorietas, si ostenderetur alicubi exsistens, ad probationem admitteretur ubilibet (cf. can. 1747), non minus ac documentum, quod solummodo in remoti cuius-

Solius supremae Ecclesiae auctoritatis est tum authentice declarare impedimenta iuris divini, tum impedimenta canonica, sive impedientia sive dirimentia, pro baptizatis constituere aut tollere; nec potest quisquam haec valide facere, etsi vi cuiusvis consuetudinis, aut in impedimentis dispensare, nisi facultate iure aut indulto ab illa accepta. Licet tamen Ordinariis locorum suis subditis matrimonium iusta de causa, eaque tantum perdurante, ad tempus prohibere, non autem irritare (can. 1038-1041) [1].

778 **Legibus Ecclesiae de impedimentis omnes baptizati [2] ligantur, etiam haeretici.** Idque certum est, omnium enim baptizatorum matrimonia reguntur iure divino et canonico, ait can. 1016, nec pro haereticis aut schismaticis fit ulla in huiusmodi legibus exceptio [3]. Tantummodo ius exceptionem pro iis facit quoad formam contrahendi, ut dicetur alibi. Casu tamen, quo baptismus vere dubius sit, matrimonium inter haereticos iam contractum cum impedimento iuris tantum ecclesiastici, in foro externo censeri debet validum, ut videtur ex can. 1014 [4].

---

dam loci archiviis asservaretur. Illud tamen concedendum est: impedimentum evasurum fore occultum, si notorietas aut publicitas ob labilem memoriam hominum longo annorum tractu evanesceret, non minus ac rursus evaderet occultum, si documentum unicum, unde constare posset, periisset, v. gr. si consanguinitas illegitima aut acatholicitas unius partis nosci posset tantum ex libris Curiae dioecesanae, qui incendio perierunt, vel si coniugicidium a multis annis patratum, nosci tantum potuisset ex processu iudiciali, qui amplius non exstat.

Quaeritur 2°. An « publicum » censeri debeat impedimentum, quod materialiter tantum sit publicum (vel notorium), non formaliter, id est, si factum quidem publicum sit, sed perpauci tantum norint inde exsurgere impedimentum. — *Resp.*: Negabant antea plerique auctores habendum esse « publicum »; nunc autem esse « publicum » censent probabilius (Gasparri n. 260, p. 167; De Smet n. 465; Verm.-Creus. n. 297, 5°; causa *S.C.C.* 29 ian. 1881 [*A.S.S.* XIV, p. 155]), forte ob responsum quoddam, quod refertur datum a *S. Poenit.* (1875), quod vide, sis, *A.S.S.* XIV, p. 157, vel ap. Gasparri n. 260, p. 169 in nota.

[1] Iuris etiam privativi Ecclesiae sunt causae circa ea, quae matrimonium immediate et per se praeparant, aut ab eo immediate consequuntur, cuiusmodi sunt sponsalia, legitimatio prolis, separatio coniugum. Doctrinam de potestate Ecclesiae in matrimonia cf. fuse ap. Pesch, *Prael. dogm.* VII, n. 874 seqq.; Perrone, *De matrim. christ.* tom. 2; Hurter, *Theol. dogm. comp.* III, n. 626 seqq.; Gasparri, *De matrim.* I, n. 272 seqq.; Wernz, *Ius decret.* IV, n. 52 seqq. An autem potestas civilis possit impedimenta constituere pro matrimoniis infidelium, cf. apud Perrone op. cit.; Gasparri n. 290 seqq.; Wernz op. cit. IV, n. 67 seqq.; Lehmk. n. 951 nota.

[2] Catholici tamen orientales peculiari disciplina canonica reguntur; cf. can. 1.

[3] Wernz, *Ius decret.* n. 456 nota 52; De Smet n. 468; Verm.-Creus. I, n. 50; Noldin n. 560; cf. etiam can. 87 et supra n. 36.

[4] Attamen, de hoc postremo puncto dubitat Gén.-S. n. 492.

Novae leges de impedimentis vim rectroactivam non habent[1]. Quare, de matrimoniis contractis ante diem Pentecostes anni 1918 (qui dies fuit 19 maii), quo Codex vigere coepit, iudicandum est iuxta impedimenta tempore celebrationis matrimonii vigentia. Quae igitur nulla fuerunt ob impedimentum aliquod (v. gr. consanguinitatis in quarto gradu, affinitatis ex copula illicita etc.), etsi id a Codice sublatum sit, nulla post Codicem permanserunt, nec a suo vitio purgantur, nisi convalidentur modo ordinario, nempe obtenta dispensatione (si impedimentum adhuc viget), vel renovato consensu iuxta normas alibi tradendas (si impedimentum iam abolitum est), vel per sanationem in radice.

Art. 2. Impedimentum dirimens ignoratum, moraliter inauferibile, dubium, existimatum.

Varias huiusmodi hypotheses circa statum conscientiae **779** contrahentis de exsistentia impedimenti interest expendere, quia diversas reclamant solutiones ad praxim.

a) **Matrimonium cum impedimento dirimente initum, etsi ignorato,** est prorsus invalidum. Leges enim impedimenta dirimentia statuentes, sunt irritantes (can. 1036, § 2 et can. 11); atqui nulla ignorantia legis irritantis ab ea excusat, nisi aliud expresse dicatur (can. 16); porro, de nullo impedimento quidquam in Codice expressum reperitur in contrarium.

b) **Nec cessat impedimentum, etiamsi urgeat incommo-** **780** **dum** in casu particulari, quamvis magnum[2].

Nihilominus, propter extraordinariam incommodi magnitudinem, quaerebant auctores ante Codicem, an cessaret impedimentum in « *casu perplexo* », ut vocabatur, nempe, quando omnibus ad nuptias paratis, detegit parochus[3] (ordinarie in confessione) impedimentum dirimens occultum haeretque anxius quid faciat, eo quod matrimonium nequeat iam sine scandalo et infamia differri, nec adiri possit qui dispensationem

---

1 Cf. resp. *Comm. I.C.* 2-3 iun. 1918 IV, n. 6-8 (*A.A.S.* [1918] p. 346); De Smet n. 475; Vermeersch, *Periodica* IX, p. 153, 6°.

2 Clausula canonis 1045 « quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias », non necessario intelligi debet stricto sensu, scilicet quod impedimentum antea omnino ignotum fuerit et tunc resciatur; sed potest etiam intelligi eo sensu quod, quamvis antea cognitum, tunc solum tamen ad notitiam parochi aut Ordinarii sit delatum (*Comm. I.C.* 1 mart. 1921 *A.A.S.* [1921] p. 178).

3 Cf. Gasparri, *De matrim.* I, n. 311; Wernz n. 616 nota 61.

tribuat[1]. Casus iste antea non raro occurrere poterat, cum tam facile posset detegi copula aliqua illicita, ex qua oriretur affinitas, aliunde autem facultates in his adiunctis extraordinariae nullae exstabant. Propterea hunc casum *S. Alph.* « facilem eventu, difficilem solutione » tunc vocare poterat, et non deerant auctores, qui putarent posse in his adiunctis confessarium, vel alium, declarare quod impementum cessat[2].

Ast hodie, cum affinitas e copula illicita e numero impedimentorum expuncta sit, vix iam occurrere potest casus nisi circa impedimentum criminis, quod sat rarum est; quod si in urgentissimis hisce adiunctis aliquando occurreret, canon 1045 abunde parocho vel confessario tribuit opportunas facultates. Unde perplexitas fere totaliter sublata est[3].

Ut autem cuilibet possibilitati occurramus, utile erit breviter hoc loco dicere, quid agendum, si aliquod impedimentum, dirimens vel impediens, in casu urgenti detegeretur, sive publicum sive occultum.

Si impedimentum detegitur quando nequit iam pro dispensatione recurri ad S. Sedem, eo quod *a*) omnia sunt parata ad nuptias, et *b*) matrimonium nequit sine probabili periculo gravis mali differri, sic procedendum:

1° Si impedimentum est *publicum*, nullum dubium quin nihilominus matrimonii celebratio interim suspendi debeat[4];

---

1 S. Alph. l. 6, n. 613 ita describit casum perplexum, ut forte quis putaret necessarium ut iam «sponsi accedant ad Ecclesiam ad contrahendum ». Profecto, ad usum facultatum non erit id necessarium; canon enim 1045 nihil amplius poscit, nisi ut « iam omnia sint parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usque dum » vel Ordinarius ad S. Sedem, vel parochus aut confessarius ad Ordinarium, personaliter vel per litteras (non per telegraphum), recurrere possit. Id autem, in locis a sede episcopali remotioribus, pluribus etiam ante nuptias diebus obtingere potest. Nec amplius quid requirunt alii auctores.

2 De casu perplexo cf. S. Alph. l. 6, n. 613 et 1122, et in *Prax. Conf.* n. 8 et 84; Gasparri n. 246 seqq.; Lehmk. n. 1053-1055; Ball.-P. n. 1409 seqq.; Wernz IV, n. 616-619 cum notis; De Smet n. 837-839; Verm.-Creus. n. 353, II.

3 Casus perplexus, etsi nequeat hodie non esse rarissimus, in rigore tamen adhuc est possibilis. Nam, cum facultates canonis 1045 tribuantur tantum parochis, confessariis in actu confessionis et sacerdoti qui matrimonio assistit in adiunctis, quibus per mensem assistere non poterit sacerdos competens; posset adhuc sacerdos, qui matrimonio ex delegatione assistit, extra confessionem detegere impedimentum criminis, quod occultum erat; is certe speciales facultates non haberet, nisi partem culpabilem ad confessionem secum instituendam induceret.

4 Si parochus impedimentum detexisset ex confessione sacramentali alicuius sponsorum, isque a matrimonio nollet desistere, patet illum notitia confessionis uti non posse, sed ad matrimonii celebrationem procedere debere.

potest enim suspensionis causa sine scandalo manifestari, et propterea speciales facultates non dantur; adeatur tamen Ordinarius loci, qui his in adiunctis dispensationem, iuxta modum in can. 1045, § 1 praescriptum [1], dare poterit (can. 1045, § 1), dummodo tamen nupturientes non egerint mala fide, ut dicetur mox; tunc enim non prodessent extraordinariae huiusmodi facultates Ordinarii.

2° Si impedimentum est *occultum* et non potest sine spon- **781**
sorum infamia revelari, distinguendum est.

a) Si sponsi non egerant mala fide, adeatur Ordinarius loci, qui praedictis utetur facultatibus.

Si tamen casus ne moram quidem patiatur adeundi Ordinarium, vel si adiri non posset sine periculo violationis secreti, tunc parochus, vel in actu confessionis confessarius, vel sacerdos matrimonio assistens ad normam canonis 1098, 2° [2], facultate donantur dispensandi ab eisdem casibus (dummodo occultis), quibus Ordinarius loci (can. 1045, § 3).

Quod si in his adiunctis, in quibus celebratio omnino urget et nequit sine gravi damno differri ad adeundum Ordinarium loci, sacerdos non est parochus, nec potest sine rei secretae revelatione vel ob defectum temporis recurrere ad parochum ad obtinendam ab eo dispensationem, nec potest partem culpabilem seorsim audire ad dispensationem tribuendam in confessione, nec assistit in adiunctis, de quibus can. 1098, 2°, is, inquam, sacerdos nulla facultate pollet. Tunc igitur: — 1° Si sponsi impedimentum ignorant, expedit ut taceat; deinde, matrimonio contracto, recurratur quamprimum ad S. Sedem, vel, si periculum sit in mora, ad Ordinarium loci, qui tunc poterit praedictis facultatibus uti etiam ad convalidationem matrimonii iam contracti (can. 1045, § 2); et concessa dispensatione, convalidetur matrimonium modo inferius exponendo, ubi de convalidatione agemus. Vel poterit partem culpabilem de impedimento ab ipsa ignorato monere et simul declarare legis cessationem, ut nunc dicetur. Prior via est potius eligenda. — 2° Si sponsi, vel horum aliquis, impedimentum iam non ignorat, eo quod tunc ex inopinato illud

---

1 Nempe dispensare potest in quibuslibet impedimentis, sive publicis sive occultis, iuris ecclesiastici, excepto sacro presbyteratus ordine et affinitate in linea recta matrimonio consummato, et dummodo consuetae cautiones praestentur, si dispensatio conceditur ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis (can. 1043-1045).

2 Id est sacerdos matrimonio assistens in periculo mortis in defectu sacerdotis competentis, vel in aliis adiunctis, in quibus sacerdos competens sine gravi incommodo haberi vel adiri non poterit per mensem.

obstare comperit, sacerdos declarare poterit quod impedimentum iuris ecclesiastici in tantis angustiis cessat[1]; etsi enim sententia, quae id asserit, vix potest rationibus intrinsecis sustineri, tamen propter auctoritatem eorum, qui id probabile habuerunt, et *S. Alphonsi*, qui illam data opera exponens non improbat, ad praxim deduci poterit.

β) Si sponsi, vel eorum alteruter, egerant mala fide, id est, si bene impedimentum noverant et materialiter et formaliter[2], atque ad contrahendum libere se disposuerunt cum spe obtinendi in urgentibus adiunctis dispensationem[3], tunc locus dispensando non est[4], nec declarando legis cessationem; si enim hoc actu posset dispensatio vel cessatio legis extorqueri, plana pateret via, qua possent facile vitari impedimenta[5]. Ad summum permitti posset ut, si aliter nequiret fieri sine periculo infamiae aliusve gravis mali, pars quae in mala fide erat, si eam nunc facti poenitet, matrimonii celebrationem simulet interimque a matrimonio consummando abstineat donec dispensatio impetretur; ad hanc quantocius recurrendum erit.

---

1 Ut autem, hoc in casu, impedimentum reapse cesset, censemus opus esse ut eius cessatio declaretur aut aliter sponsis innotescat. Ratio est, tum quia sententia, quae cessationem tuetur, fundatur in eo quod lex, propter summas rei angustias, evaderet nociva — iam vero haec ratio non subsistit, si propter cessationis legis ignorantiam eaedem manerent angustiae et proinde nocumentum legis non tolleretur — tum quia, si cum celebratio iam instat proxime, propter obiectivas tantum casus circumstantias lex impedimenti cessaret, quin necesse esset illius cessationem cognoscere, cessare dici deberet quoties quis ad contrahendum accederet cum impedimento ignorato, aut etiam, animo sereno, conscius impedimenti, sed cum intentione praevalenti contrahendi; haec autem dicere absurdum esset.

2 Id est, si impedimentum noverant ut impedimentum.

3 Nam, si sponsorum aliquis ad contrahendum se disposuisset plene conscius se esse impeditum, sed id non egisset cum spe obtinendi dispensationem, is potius ad contrahendum accessisset cum animo non contrahendi, quia sciebat se nihil valide acturum, ideoque tunc potius ageretur de defectu consensus.

4 Loquimur de dispensatione tribuenda vi facultatum concessarum ad casus urgentes, in quibus recurri non possit ad S. Sedem, cuiusmodi sunt facultates, quas tribuit can. 1045. Nam, quoad facultates concessas sine restrictione ad casus urgentes, quales sunt facultates quaedam temporaneae Ordinariis tributae, praesertim ad dispensanda impedimenta minoris gradus, patet quod iis Ordinarii uti possunt etiam quoad sponsos, qui conscii egerint in fraudem legis; sicut enim ii possent quovis tempore, ita tunc possunt dispensationem impetrare.

5 Oietti, *Synops.* v. « Impedimenta », § « Nec placet », censet malam fidem non obstare; sed non possumus assentiri.

Matrimonio bona fide iam contracto, si impedimentum ex inopinato detegitur et tantae superveniunt angustiae, ut pars quae illud comperiit, non possit sine gravis infamiae aut gravissimae discordiae periculo debito coniugali reddendo se subducere, sic agendum erit: **782**

1° Si impedimentum est *publicum* et tempus non est recurrendi ad Sanctam Sedem, adeatur Ordinarius loci, qui facultatibus nuper dictis uti potest, etiam ad convalidandum matrimonium iam contractum.

Quod si mala adeo proxime instent, ut ne tempus quidem sit ad Ordinarium recurrendi, pars innocens nihilominus comparti impedimenti conscio consentire non poterit; sed, si ad copulam sub gravissimis minis compellatur, gerere se poterit sicut persona vi oppressa, de qua diximus in n. 3.

2° Si impedimentum est *occultum* et non potest sine infamia revelari, nec tempus suppetit recurrendi ad S. Sedem, adeatur Ordinarius loci.

Quod si tempus id non patiatur, dispensare poterit parochus, vel in actu confessionis confessarius (can. 1045, § 3).

Quod si ne tempus quidem sit ad haec media recurrendi, non tenetur pars innocens impedimentum cum sui infamia revelare, etsi gravissimas minas praevideat ex parte coniugis qui impedimentum ignorat; sed probabiliter poterit huiusmodi minis iam instantibus debitum reddere; probabiliter enim in huiusmodi adiunctis cessat lex ecclesiastica impedimenti et convalidatur matrimonium[1]; manebit tamen obligatio recurrendi ad S. Sedem aut Ordinarium, tum ut matrimonium possit haberi validum postquam impedimentum cognoscatur, tum ne proli noceatur, quae haberetur illegitima, tum etiam ad poenitentiam criminis, si locus est, recipiendam.

c) **Matrimonium inire cum impedimento dubio** non licet antequam debita veritatis inquisitio peracta sit. **783**

Post idoneam inquisitionem et persistente dubio, si de impedimento agitur mere *impediente*, stare licet pro libertate,

---

1 Ita etiam LEHMK. n. 1054; BALL.-P. n. 533; GÉNICOT (in editionibus ante Cod.) n. 468, qui merito putant sententiam de cessatione impedimenti in casu urgentissimo applicari etiam posse post matrimonium nulliter contractum. Tunc, bene advertit GÉNICOT, matrimonium convalidatur per ipsam copulam (supponitur impedimentum stare tantum ex parte coniugis qui illud comperit).

Attamen, sententia haec benignior applicari non posset post factum, id est, si coniux in praedictis angustiis debitum reddidisset nesciens quod impedimentum cessaret (nisi nunc iterum in eisdem angustiis versaretur). Si enim id nesciebat, nulla fuit necessitas cur lex ecclesiastica cessaret, ac proinde nequit matrimonium, transacto illo eventu, haberi pro probabiliter convalidato.

iuxta principia moralia generalia, agitur enim de sola licitudine; sin autem dubium versatur circa impedimentum *dirimens*, distinguendum est:

1° In materia *iuris naturalis vel divini*, sive agatur de dubio iuris sive facti, theoretice quidem (id est praescindendo ab hoc vel illo impedimento) liceret stare pro libertate contrahendi; sed in praxi libertas non subsistit nisi in dubio de impotentia[1]. Consonant canones 1068, § 2, 1069, § 2, 1076, § 3.

---

[1] Profecto, in materia impedimentorum *ex iure naturali vel divino*, dubia *iuris* occurrunt tantum circa impotentiam et consanguinitatem; sed quoad consanguinitatem haec dubia in praxi non subsistunt, eo quod impedimenta de iure naturali dubia, certa sunt de iure ecclesiastico. Dubia autem *facti* occurrere possunt tantum circa impotentiam, ligamen et consanguinitatem; sed in ligamine debet lex naturalis prohibere, ne cum dubio novae nuptiae ineantur, secus innumerae inirentur praepropere propter effrenatas passiones hominum; in consanguinitate autem obstat caritas vetans exponere compartem et prolem, si impedimentum detegeretur, periculo gravis damni absque necessitate: nulla enim necessitas urget contrahendi cum hac determinata persona, cum contrahi possit cum quavis alia; praeterea, cum natura ius tribuat *generale* ad contrahendum, non praecise intendendo ut contrahatur cum hac determinata persona, non posset invocari ex principiis probabilismi possessio iuris seu libertatis ad contrahendum praecise cum ea determinata, ut liceret se exponere periculo fornicationum.

Ergo in praxi libertas contrahendi cum dubio iuris naturalis non subsistit in impedimentis diversis ab impotentia; in dubio autem de impotentia, cum nulla ratio specialis obstet, standum est pro libertate contrahendi. Consonat ius canonicum: « § 3. Nunquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis » (can. 1076, § 3). — « Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit » (can. 1069, § 2). — « Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum » (can. 1068, § 2).

His in compendium dictis, liceat hoc loco praesens punctum de contrahendo matrimonio cum impedimento dubio tractare paulo fusius, lectio enim auctorum nonnullas suggerit difficultates, quas oportet solvere.

Profecto difficultatem facessunt dicta auctorum. Etenim sat communiter in eo conveniunt, quod non licet matrimonium attentare cum dubio circa impedimentum iuris *naturalis aut divini*, non solum si dubium negativum sit, sed etiam si positivum (S. Alph. l. 6. n. 902; Lehmk. n. 956; Gasparri n. 269; Wernz, *Ius decr.* IV, n. 216 nota 13; Gén.-S. n. 481; Ferr. n. 994, *resp.* 2°; De Smet n. 472; Noldin n. 557). Sed:

1° Haec assertio non cohaeret cum doctrina generali de usu opinionum probabilium, quae quidem valida etiam est in materia iuris naturalis et divini (n. 21 NB. 2°). — Nec dicas probabilismum applicari hic non posse, eo quod non agatur de mera licitudine actionis, sed de valore matrimonii. Ne, inquam, id dicas; nam, in praesenti materia, tota quaestio de valore matrimonii reducitur

2° In materia *iuris ecclesiastici* tantum, iterum distingui

ad quaestionem de licitudine futurae copulae. Profecto, probabilismus non impeditur applicari in omnibus casibus quomodocumque versantibus circa valorem actionum, sed tantum in iis, in quibus *aliunde constat finem aliquem esse obtinendum absolute* et dubitatur de conducentia seu valore alicuius actionis ad obtinendum illum finem. At vero, nullus finis in praesenti casu probatur obtinendus absolute, siquidem non probatur matrimonium absolute ineundum esse valide; rationes enim, quae ad id videntur afferri, ut nunc dicemus, non satisfaciunt. Nequit ergo ab hac materia excludi applicatio probabilismi.

2° Rationes, quibus auctores assertum illud probare conantur, non videntur indubitabiles. Alii enim *a*) hanc rationem generalem afferunt, quod non licet sacramentum ministrare aut conficere aut recipere cum dubio de eius valore (S. Alph. n. 902; Gén.-S. n. 481; Ferr. n. 994, resp. 2°; Noldin n. 557); *b*) alii, quod cum Ecclesia in casu supplere non possit, periculum esset fornicationis (Lehmk. n. 956; Gén.-S. loc. cit.); *c*) alii, quod huiusmodi matrimonium scandalum pareret, sensum moralem offenderet, infelicissimos in prole exitus habere solet (Gasparri n. 269); *d*) alii denique nullam suo asserto rationem subiungunt (Wernz, Ferr., De Smet locis cit.).

Non videtur ratio prima concludere. Nam 1° ministratio aut confectio dubia, quae ut illicita solet tradi, est ea ministratio quae consistit in usu aut porrectione materiae aut formae dubiae, v. gr. hostiae dubie consecratae, aut absolutionis cum iurisdictione dubia; in praesenti autem casu nihil evenit huiusmodi; si enim impedimentum seu incapacitas contrahendi adest, nullus contractus fit, ideoque nihil prorsus ponitur, nec valide nec invalide, quod constituere posset sacramentum. 2° Ratio cur illicita sit ministratio aut confectio sacramenti dubii est irreverentia illata sacramento, eadem ratio videlicet, ob quam illicita est quoque sacramenti simulatio. Atqui simulatio matrimonii permittitur, praecise quia, deficiente contractu et consequenter materia et forma sacramenti, deficit ratio irreverentiae (S. Alph. l. 6, n. 60 et 62; Gén.-S. n. 124 *c*). Ergo, deficiente contractu ob incapacitatem, deficit ratio irreverentiae, ideoque non est sacrilega ministratio aut confectio sacramenti. 3° Iidem auctores, qui hoc inconveniens allegant ad vetandas nuptias cum impedimento dubio, eiusdem inconvenientis videntur obliti fuisse cum alibi (S. Alph. l. 6, n. 62) tam clare dixerunt non esse *sacrilegum* accedere ad matrimonium cum conscientia impedimenti.

Nec valet altera ratio; quaestio enim de periculo fornicandi, si forte adesset impedimentum, est quaestio de mera actionis licitudine, quae directe solvitur ex doctrina probabilismi, quando opinio solide probabilis sustinet non dari impedimentum, proindeque nec fore fornicationem.

Nec valet denique ratio tertia. Imprimis enim est ratio particularis, quae ad summum valeret pro impedimento consanguinitatis (et pro eo tantum a suo auctore affertur), utilis vero non est ad probandum universaliter, quod non licet contrahere cum dubio iuris naturalis. Deinde, ne pro impedimento quidem consanguinitatis dubio satis efficaciter invocatur inconvenientia scandali et offensionis sensus moralis; de his enim dubitare debent quicumque dubitent certos consanguinitatis gradus constituere impedimentum naturale; nec inconvenientia prolis debilis; nam cum melius sit proli sic esse quam non esse, vim non haberent erga eum, qui secus a matrimonio vellet abstinere, praeterquam quod qui sic

debet. Nam si agitur de dubio *iuris*, id est, dubium inter auc-

---

contrahit, incusari nequit de peccato iniuriae, quam inferre non potest proli nondum exsistenti. Demum, rationes huiusmodi non valerent pro regione, v. gr. barbara, in qua inter consanguineos certi gradus, circa quem ius naturale controvertitur, matrimonium iniretur absque dictis inconvenientibus.

Quibus perpensis, putamus quaestioni sub terminis generalibus ita propositae: an liceat contrahere cum dubio (nempe insolubili) circa impedimentum iuris naturalis aut divini, respondendum esse affirmative ex doctrina generali probabilismi.

Iam diximus tamen, quod haec responsio theoretice contraria responsioni auctorum, non obstat, quominus in praxi cum eorumdem doctrina omnino coincidamus. Nam dubia occurrere tantum possunt in impedimentis consanguinitatis, impotentiae et ligaminis; in duobus quidem prioribus dubia sive iuris sive facti, in tertio dubia tantum facti; et iam ostendimus alias aliunde rationes *speciales* exsistere in singulis hisce impedimentis, quae obstant quominus liceat contrahere cum dubio circa ea, nisi excipiatur impedimentum impotentiae. Omnino igitur cum doctrina practica auctorum convenimus.

Adhuc tamen non convenimus in rationibus *specialibus*, quas eorum aliqui afferunt relate ad praedicta impedimenta, praesertim pro matrimonii celebratione cum dubio facti de impotentia. Eas rationes percurramus breviter.

Circa consanguinitatem. Dicunt nuptias ideo vetandas esse in casibus dubiis dubio *iuris* naturalis vel divini, quia hi casus consanguinitatis cadunt certo sub impedimentum ecclesiasticum, ideoque practice tollitur dubium; quod est omnino verum, nec quidquam habemus advertendum. Sed in dubio *facti*, vel nullam rationem assignant pro hoc impedimento specialem (S. Alph., Lehmk., Gén.-S., Ferr. etc.); vel dicunt impediendas tunc nuptias, quia non omne matrimonium propter hoc dubium absolute excluditur (De Smet n. 472), non tamen addunt, cur nuptiae impediendae sint, quando ob aliquod dubium non omne matrimonium excluditur. Putamus hanc rationem reddi posse: hominem possidere quidem ius naturale ad matrimonium, atque hoc illi non posse denegari ob quodlibet dubium in contrarium; dummodo tamen rite intelligatur quodnam sit ius illud naturale quod habet. Nempe, natura dat homini modo generali ius ut contrahat, nullo tamen respectu speciali habito ad personas determinatas. Si ergo dubium grave insurgit circa factum, an matrimonium cum hac determinata persona sub impedimento certo iuris naturalis cadat, v. gr. an haec mulier orta sit ex copula quam homo habuerat cum eius matre, nequit invocari possessio iuris ad contrahendum, siquidem non ideo spoliatur iure suo generali.

Circa ligamen. In dubio de morte prioris coniugis, ideo matrimonium impediendum est, aiunt auctores, quia possidet prius matrimonium, donec certo constet fuisse solutum (S. Alph. n. 901, § « Advertendum »; Gasparri n. 270); vel quia stante dubio prioris matrimonii dubius semper esset valor secundi (Wernz IV, n. 371 ad finem); vel quia obstat reverentia prioris sacramenti (Lehmk. n. 1076); vel quia si quis cum dubio contraheret et in dubio perseveraret, numquam posset agere ut legitimus possessor (S. Alph. n. 906; Lehmk. n. 1076); vel quia obstat ius probabile tertii (De Smet n. 472 nota 3; Vermeersch, *Theol. mor.* III, n. 763); vel quia quis praesumitur vivere donec mors probetur (Gasparri n. 723).

tores agitatur num exsistat lex constitutiva impedimenti, atque

---

Verum haec argumenta vim quidem habent, si dubium est negativum; quando enim, semel inito matrimonio, constat ius libere contrahendi fuisse amissum, et per se quidem in perpetuum, non potest censeri recuperatum propter superveniens dubium mere negativum. Sed vim habere non videntur, si dubium est positivum, id est, si omni morali investigatione peracta, non potuerint solvi rationes, quibus cum solida probabilitate iudicetur prior coniux obiisse.

Etenim tunc erronee invocatur prioris matrimonii possessio, quia ratio suadens coniugis mortem simul suadet cessationem illius possessionis (cf. dicta n. 21, 3° et n. 26). Praeterea illud principium de possessione matrimonii, cum ius naturale exprimat, aeque valet pro homine privato ut non possit inire novas nuptias, ac pro Summo Pontifice ut non possit eas permittere; quoties ergo desit sufficiens de morte coniugis certitudo, vel adhuc obstat illud principium et Pontifex nequit nuptias permittere, vel non obstat et homo non indiget eius permissione; numquam ergo in hac materia opus esset interventu Pontificis. Cum autem id, generaliter prolatum, falsum videatur, ut mox dicemus, solvatur difficultas a sustinentibus illud principium.

Nec valent ceterae rationes in dubio positivo post debitas investigationes inutiliter peractas. Non enim valor secundi matrimonii esset tunc practice dubius quoad coniugalem usum, quia dubium prioris evanesceret in praxi propter principia probabilismi. Nec practice reverentia obstaret sacramenti, quia legitime opinaretur homo nullam fieri irreverentiam. Neque actus in conscientia esse validi impedirentur ob initium possessionis cum dubio speculativo, si istud reflexe depulsum fuerat ope principiorum probabilismi (n. 259). Nec obstat ius probabile tertii, si probabiliter probetur tertium habere nullum ius, aut non exsistere tertium habentem ius; probabilismus enim semper applicari potest, nisi aliunde probetur ius illud tertii eiusmodi esse, ut certo perseveret contra quaslibet rationes probabiles, aut nisi probetur certo servandum esse illud ius quando tantum probabiliter iudicetur a nemine possideri; quae quidem de quolibet universim iure non probantur, ut patet ex dictis n. 26 et 283. Denique, quoad principium illud « vivere praesumitur quis donec eius mors probetur », praeterquam quod confictum videtur ob necessitatem sustentandae theseos, opus esset probare quod illa praesumptio sustineri deberet quoad quoslibet effectus, v. gr. ut heres obligaretur adhuc singulis mensibus pensionem solvere pro persona absente, quam probabiliter decessisse iudicat, aut mater solvere quod voverat propter incolumitatem filii in bello, non obstante quod eum probabiliter occubuisse putat; ergo vel probetur principium illud valere in materia qualibet, vel saltem probatio detur specialis ad praesentem materiam.

Relictis igitur probationibus praecedentibus, sequentem putamus specialem rationem reddere posse, cur in dubio sive negativo sive etiam positivo de morte coniugis non liceat contrahere. Quia, cum tam vehementes sint libidinosi appetitus hominum, ut numquam deficiant coniugati innumeri qui novas inhient nuptias, vel quia propriae uxoris iam eos taedet, vel quia certae mulieris amore depereunt, vel quia novis amplexibus incoercibilem suam concupiscentiam satiare cupiunt; cumque tam facile huius passionis impetus obcaecare valeat mentem, innumeris hallucinationibus

opinio docens impedimentum non adesse est vere probabilis,

daretur ansa, si propter rationes tantum probabiles de morte coniugis novum matrimonium permitteretur; quin etiam, excitata ob eventualem huiusmodi permissionem omnium coniugatorum cupidine, multo magis augeretur adhuc numerus hallucinatorum. Innumerae igitur novae nuptiae inirentur praepropere, quarum pleraeque deinde, comparente priore coniuge, dissolvendae essent, cum gravissima atque ingenti naturalis iuris vulneratione et consequenti damno tot uxorum et liberorum. Debuit igitur ius ipsum naturale subtrahere *privatis* personis potestatem iudicandi de probabilitate rationum, quibus sibi coniugis mortem persuadere viderentur, atque omnino vetare, ne absque plena mortis certitudine novas nuptias moliantur aut saltem quin status sui iudicium competenti auctoritati deferant (modum ratiocinandi huic similem invenies non raro, nominatim v. gr. apud SÁNCHEZ l. 7, d. 11, n. 9). Haec porro auctoritas alia esse non potest, nisi S. Sedes, cui soli materia matrimonialis incumbit pro baptizatis. Pro infidelibus autem, etsi aliqua principibus potestas in validitatem matrimonii ab aliquibus concedatur, non tamen videtur haec auctoritas concedenda ob periculum hallucinationis in ipsis ob pecuniam datam, amicitiam, imperitiam etc., et praesertim quia constituti non sunt interpretes authentici iuris naturalis.

Ex dictis profecto apparet cur, non obstante tam stricta naturalis iuris prohibitione, possit Summus Pontifex quibusdam in adiunctis novum matrimonium permittere, quando absque eius interventu ob defectum plenae certitudinis prorsus non liceret. Quod ius, etsi eidem non videatur competere ad permittendum cum mera probabilitate matrimonium in casu particulari — sic enim dispensationes privatae multiplicari possent sine termino cum consequente delusione illius prohibitionis naturalis, mera enim probabilitas non tollit spem de vita coniugis; — tamen omnino ipsi agnoscendum est quando omnis spes amissa est, quin tamen possit plena illa certitudo comparari, quae alias exigeretur; sive haec impossibilitas proveniat ex causa aliqua generali, ob quam, magna hominum multitudine a suis compartibus avulsa, spem nullam rationabilem habent de earum vita, ideoque si tam multi innupti manere cogerentur, magnum ipsi societati esset malum; sive impossibilitas ex specialibus adiunctis proveniat casus alicuius particularis; aliunde in his casibus ius naturale sartum tectum sufficienter servatur per requisitum amissae omnis spei de vita compartis. Sic Summus Pontifex uxoribus providit militum, qui apud Aduam pugnaverant (*A.S.S.* XXXI, p. 252), superstitibus post terraemotum Messanensem (*A.A.S.* [1910] p. 196), cuidam mulieri post bellum Russico - Iaponicum (*A.A.S.* [1911] p. 26, et nuper alii casui particulari (*A.A.S.* [1922] p. 96). Neque in his casibus matrimonium a Pontifice concessum fuit cum dubio negativo de morte coniugis; spei enim amissio non fundabatur negative in mera de coniugis vita nescientia, sed positive in complexu adiunctorum, quae moraliter persuadebant eum non esse superstitem.

Circa impotentiam. E contra, circa impotentiam sententia communis est (excipe ANTONELLI *Med. past.* II, n. 176, congerentem argumenta nuper refutata, qui tamen aliud sine dubio docuisset post Codicem can. 1068, § 2) licere contrahere matrimonium cum dubio insolubili, sive agatur de dubio iuris, v. gr. si mulier certo caret ovariis, sive facti simul et iuris, v. gr. an mulier fuerit perfecte excisa. Attamen parum videntur curare auctores, quo pacto id cohaereat cum illo asserto suo generali, quod nempe nefas sit

licet contrahere, ut immediate oritur ex principiis probabi-

---

contrahere cum impedimento dubio iuris naturalis, propter periculum ministrandi sacramentum dubium, propter periculum patrandi perpetuo actum intrinsece malum, ceterasque rationes, quas alibi ad assertum illud suadendum adduxerant. Ab hac inconsequentia sese non extricant LEHMK. n. 975; NOLDIN n. 573, 4°, qui tantum asserunt in dubio de impotentia matrimonium non esse impediendum, saltem praemonita comparte, nulla particulari addita ratione; nec S. ALPH. n. 1102 et GÉN.-S. n. 487, qui pro ratione allegant quod licet sacramentum dubium conficere sub condicione ob iustam causam, ne quis caelebs perpetuo manere cogatur; non perspicientes hanc rationem, si valeret, valere quoque pro dubio circa ligamen, quando quis timet, ne secus caelebs perpetuo manere debeat, quod quidem ipsi non admitterent; nec DE SMET n. 471 et post eum FERR. n. 994 NB., aientes assertum suum generale valere pro dubio, quod a matrimonio excluderet paucas personas, non si excluderet omnes atque a matrimonio penitus arceret; debuissent enim rationem reddere huius restrictionis, quam nunc suo asserto apponunt, praesertim cum FERR. loc. cit. illud roborasset invocando vetitam confectionem sacramenti dubii, quasi liceret videlicet sacramentum dubie conficere in uno casu, non in altero, nisi reddatur ratio huius differentiae; nec prodest, ut facit FERR., addere condicionem quod accedat declaratio Summi Pontificis, quasi is videlicet dispensare unquam posset ad conficiendum sacramentum dubium; aliunde vero eius declaratio nequit probari necessaria in dubio de impotentia.

Ratio cur in dubio, facti vel iuris, de impotentia liceat inire nuptias (praemonita tamen comparte, ius enim habet ne huic periculo exponatur) est, quia homo ius omnino possidet ad matrimonium; a quo spoliari nequit donec certo constet illud amisisse; aliunde vero nulla ratio specialis in hoc impedimento occurrit, ob quam certitudo de absentia impotentiae exigi debeat. Sicut igitur homo possidet suam naturalem libertatem, a qua spoliari nequit per merum dubium negativum, immo nec per probabilitatem ullam quae eum obligare intendat, donec de obligatione constet saltem moraliter certo; ita et de ipsius iure ad nubendum iudicari debet, quod eidem a natura tam intime insitum est quam ipsa libertas. Haec ratio certissime concludit, et alia, censemus, satisfactoria reddi non potest. Hanc reperimus, etsi obiter insinuatam, apud GASPARRI n. 269; WERNZ, *Ius decret.* n. 345 nota 35; DE SMET n. 472; FERRERES in ephem. *Razón y Fe* XXXIV, p. 502 518 (vel in opusc. *De vasect. dupl.* n. 157 232); ESCHBACH, *Disp. phys.-theol.* disp. 2, p. 210.

Duo sunt tamen casus, in quibus specialis ratio occurrit, ut non possit iniri matrimonium cum dubio de impotentia.

Prior casus est, si agatur de impotentia tantum relativa ad determinatam personam. Iam enim significavimus supra ius naturale ad matrimonium esse generale, non praecise relativum ad personas singulas et determinatas. Quare si dubium adest de impedimento ad contrahendum cum hac determinata persona, nequit invocari possessio iuris quod a natura non constat esse datum; tunc enim solum dubia circa impedimenta vi omni carere debent, quando secus hominem caelibem manere cogerent tollerentque ius quod constat ab eo possideri. Ceterum, non posse matrimonium iniri cum impotentia dubia relativa insinuant DE SMET n. 472 et

lismi *; aliunde vero Ecclesia tunc supplet, id est, impedimen-

---

Vermeersch, *Theol mor.* III, n. 763, quin tamen rationem reddant huius restrictionis; is postremus immerito hanc exceptionem tradit nonnihil anceps.

Alter casus est, si quis impotentiam data opera procuravit ponendo factum, e quo exsurgat dubium *iuris;* v. gr. si mulier absque vera necessitate, cum intentione vitandae deinde prolis, excidere sibi faciat ovaria. Facile ostendi potest ius naturale ad matrimonium in casu amissum esse, non obstante quod, seclusa illa intentione, haberetur dubium iuris. Si enim ius ad matrimonium etiam tunc possidere pergeret, facilis pateret via ad procurandas sibi licite voluptates coniugii absque liberorum onere; licite, inquam, semel deplorato ad summum peccato in causa, seu mutilatione patrata contra quintum Decalogi praeceptum. Debuit igitur natura ipsa ius ad contrahendum auferre ab eo, qui cum nefaria huiusmodi intentione induxit hoc dubium iuris. Praeterea, non debet esse melior condicio eius qui malitiose apponit semel pro semper impedimentum generationi, quam illius, qui idem apponere vellet toties quoties, v. gr. praemisso in uterum liquido spermatozoida perempturo (sic enim copula adhuc esset normalis et tantum vitaretur prolificatio, qui est casus dubii iuris, quem consideramus), vel si oviductus ad tempus ligarentur, aut si os uteri medicamine unctum firmiter occluderetur.

Si tamen dubitatur de ipso facto, etsi cum tam scelerata intentione posito, v. gr. an ovaria reapse excisa fuerint totaliter, ius contrahendi non periit; tunc enim dubium cadit uper ipsam cessationem illius iuris, quod in possessione praesumi debet donec de eius cessatione constet certo.

Confirmatur nostra sententia ex doctrina auctorum qui, cum docent impotentiam perpetuam matrimonio supervenientem, v. gr. si marito testes ablati sunt, probabiliter ei non vetare petitionem debiti (Sánchez l. 7, d. 102, n. 7; Gén.-S. n. 543; Ferr. n. 1004, 3°), hanc rationem afferunt, quod impeditio generationis tunc evenit per accidens; porro « per accidens » hoc loco sonat idem ac « non voluntarie », ut clare ait Gén.-S. loc. cit. Sentiunt ergo auctores quod, si maritus sibi testes auferri iuberet consulto ad impediendam prolem, eo ipso ius petendi amitteret in perpetuum (maneret tamen officium reddendi ob ius perseverans in comparte). Igitur, etiam ii videntur huius esse sententiae, quod ex intentione impediendae prolis oriri potest amissio iuris, quae forte non oriretur, si impedimentum positum fuisset materialiter tantum, non formaliter.

Contra productam sententiam videmus obiici posse ex Vermeersch, *De castit.* n. 60, p. 58 ad 5: *a*) non esse necesse ut, ad vitandas malitiosas abscisiones natura ius auferat ad matrimonium, eorum enim frequentiam iam impedivit gravi mutilationis prohibitione et horrore satis communi scalpelli; *b*) hunc abusum minus timendum esse ante, quam post matrimonium; *c*) semel factis legitimis nuptiis, plerosque adversarios usum coniugii permittere mulieri excisae. Vermeersch quidem loc. cit. doctrinam a

---

* Sánchez l. 8, d. 6, n. 18; Castropalao tr. 28, d. 23, punct. 4, § 4, n. 4. Alii (Viva, *In prop. I damn. ab Innoc XI* n. 29 et Mazzotta tr. 7, d. 1, q. 1, c. 3) inde eruunt, quod matrimonium gaudet favore iuris, probantque hoc principium (quod nunc sancitum habetur per can. 1014) non solum pro matrimonio contracto valere, sed etiam pro contrahendo. Cf. etiam S. Alph. n. 901.

tum aufert, si forte aderat, ut iam ante Codicem tradebant

---

nobis propositam non impetit, sed aliam sententiam plane diversam, prohibentem matrimonium cuiuslibet mulieris excisae. Sed cum ea proferat respondens ANTONELLIO obiicienti occasionem malitiosarum abscisionum, videmus posse eadem et contra nos obiici. Immo vero, sententiam nostrae oppositam videtur ille plane tradere alibi in n. 231 (eamdem obiter tradit DE SMET n. 557, 3°). Sequentia praeterea obiici possent ex GASPARRI n. 923: *d*) illam mulierem validum consensum posse ponere; nihil enim obstare, quin velit tradere-acceptare ius coeundi absque ulla restrictione quoad prolem; *e*) secus dicendum fore hanc mulierem iam non posse habere consensum matrimonialem, quod est absurdum, quia consensus matrimonialis est actus, qui a nostra pendet voluntate.

Respondetur ergo ad *a*). Non agitur hic de impeditione prolis procurata praecise per mutilationem atque interventum scalpelli, sed de actione ad illum finem quovis modo posita, quae et materialiter impediat et formaliter cum intentione impediendi ponatur, quaeriturque, an eo ipso et ex hoc solum, iam quis contrahendi vel debiti petendi iure privetur; poterunt enim inveniri aliquando media suaviora obtinendi sterilitatem perpetuam, quin quaestio immutetur. — Ad *b*). Quaestio eodem modo de inito matrimonio fit ac de ineundo. — Ad *c*). Non loquuntur auctores ex hypothesi, quod tam malitiosa intentione excisio procurata sit, sed quaerunt tantum, an factum carentiae ovariorum inducat eo ipso, nullo alio requisito, impedimentum. — Ad *d*). Illa mulier non ponit consensum validum, vel potius non contrahit valide, quia non tradit materiam debitam, sicut non valide vendit, qui tradit rem ex defectu intrinseco absolute inutilem; immo nec vult tradere materiam debitam, quia praecise ne illam traderet, castrationem procuravit. — Ad *e*). Obiectio manifeste retorqueri potest quoad eum, qui vellet contrahere laborans impotentia perpetua et certa, v. gr. eunuchus; nimis ergo probat. Deinde, respondendum, quod non sufficit actus voluntatis intendentis contrahere, sed debet etiam necessario haberi materia contractus; unde, sicut absurdum non esset dicere quod, qui scit rem non esse suam, non potest ponere consensum validum, quo velit alteri transferre verum ius proprietatis, quamvis consensus sit actus pendens a nostra voluntate, ita nec est absurdum dicere, quod illa mulier non potest ponere consensum matrimonialem, quo tradat ius ad generationem.

Denique eadem sententia hisce argumentis fulciri potest:

1° Non licet marito copulam peragere, etsi modo normali, si consulto aliquam diligentiam praemisit (quaecumque haec fuerit), qua hanc copulam generatio subsequi non possit; et quoties talem diligentiam praemittat, toties ipsi copula prohibetur. Ergo etiam, si semel pro semper diligentiam praemiserit cum intentione, ut impediat generationem semper. Nec refert quod, praemissa diligentia in perpetuum irreparabili, deinde eum poeniteat; sicut, si diligentiam praemisisset, quae per quindecim dies aut mensem esset irreparabilis, non sufficeret deinde poenitere, sed deberet per integrum illud tempus a copula onanistica abstinere. Similiter dic de eo qui id faciat ante matrimonium.

2° Si post illam excisionem malitiose peractam omnia iura ad contrahendum vel matrimonio utendum integra atque absque ulla diminutione manerent, non apparet cur dicenda esset mala, saltem graviter, mutilatio illa voluntaria. Nam gravis malitia mutilationis minus consistit in materiali alicuius *organi* ablatione

auctores, et nunc constat omnino ex can. 15, aiente quod « leges, etiam irritantes atque inhabilitantes, in dubio iuris non urgent ».

784 Si vero agitur de dubio facti, matrimonium nullum est, si impedimentum adest, nec tunc Ecclesia quidquam supplet, ut patet ex eius praxi separandi coniuges si dein impedimentum detegitur; ideoque non poterit matrimonium cum hoc dubio contrahi [1], sed dispensatio obtinenda est, haec autem in dubio facti ab Ordinario obtineri potest, ut constat ex eodem can. 15, si agitur de impedimento, in quo Romanus Pontifex dispensare solet [2].

Matrimonium initum cum dubio de impedimento dirimente, est validum, si impedimentum reapse non exsistit. Dubium enim de exsistentia impedimenti non est insociabile cum voluntate contrahendi meliore modo, quo quis possit, aut cum voluntate condicionata sub condicione « si impedimentum non adest ». Si quis ergo, non coactus, sed voluntarie, ad contrahendum accedit non obstante dubio, is censendus est omnino consensum posuisse de se sufficienter validum.

785 *d*) **Matrimonium initum cum existimatione impedimenti dirimentis,** potuit esse invalidum, etiamsi impedimentum non exstiterit, persuasio enim de eius exsistentia potuit tollere con-

---

(quae ablatio aliunde vitari posset v. gr. interrumpendo tantum oviductus per *simplicem* sectionem), quam in privatione ipsius *facultatis;* iam vero privatio facultatis proliferae non tanti momenti dicenda esset, si eius absentia, etiam quando consulto absque ulla alia causa procuratur, nullam in iuribus et officiis hominis illam respicientibus immutationem induceret.

3° Ex Vermeersch op. cit. n. 231, voluntas sterilitatis, v. gr. ligandi oviductus, honesta esse non potest, nisi cum proposito abstinendi interea coniugii; unde, si mala fuit, honesta nunc fieri debet per propositum abstinendi. Haec doctrina, quam de impedimento temporaneo post coniugium apposito tradit clarus auctor, non est cur applicari non debeat impedimento perpetuo apposito post vel ante coniugium.

1 Excipiunt quidam casum dubii prorsus insolubilis (supponitur dubium versari circa impedimentum quod hominem inhabilem redderet erga omnes generatim; nam si erga paucos tantum, nulla potest esse ratio dubitandi de necessitate abstinendi si non obtinetur dispensatio). At in praxi, vix concipitur, loquendo de impedimento ecclesiastico inhabilitante erga omnes, dubium facti insolubile, si diligens inquisitio fiat; sed potius, si forte occurrat casus, negari debet, dum dubium non solvatur, facta fuisse inquisitio sufficienter diligens.

2 « Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet » (can. 15).

sensum. Generatim quidem qui impedimento se detineri existimat, persuasionem firmam non habet quod et revera impediatur et nihil valide conficere possit, atque ad matrimonium accedit hoc animo, ut contrahat « quantum valide contrahere possit », unde, matrimonium valet, si revera impedimentum non aderat. Si tamen firmam persuasionem haberet matrimonium nullum fore, non matrimonium vellet, sed concubinatum, ideoque contractus nullus esset ex defectu consensus (cf. alibi dicenda specialiter de consensu).

e) **Si matrimonium detegitur fuisse invalidum** quavis ex causa (v. gr. ob exsistentiam consanguinitatis, vel ob metum de iure positivo invalidantem), et illud contractum fuerat in facie Ecclesiae, id est, in forma quae, saltem apparenter, in foro ecclesiastico fuit valida, non licet ad novas transire nuptias, nisi postquam pronuntiata fuerit sententia declaratoria nullitatis in foro externo[1], ut constat, post Codicem, ex can. 1069. **786**

Tota res igitur deferenda est legitimo iudici, qui in hac materia est Ordinarius loci vel Sancta Sedes, qui in re controversa iudicium instituunt, servatis sollemnibus normis, quae traduntur in can. 1960 seqq.[2]. Non licet novas inire nuptias donec de nullitate obtenta sit duplex sententia conformis. Cf. can. 1902 1903.

Si tamen constat ex documento certo et authentico, cuius vis a nemine in dubium vocatur, matrimonium contractum fuisse cum impedimento disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis aut cognationis spiritualis et pari certitudine constat de dispensatione non data, potest statim Ordinarius, nullo iuris tramite servato, nullitatem declarare cum interventu defensoris vinculi, qui tamen poterit, si id prudenter existimaverit, contra hanc sententiam provocare ad iudicium (can. 1990 1991). Si ad iudicium non provocatur, licet, nullitate sic ab Ordinario declarata, inire novas nuptias.

---

1 Can. 1069, § 2: « Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit » (cf. Wernz, *Ius decret.* IV, n. 721; Verm.-Creus. II, n. 319; Gén.-S. n. 489, quaer. II; De Smet n. 564; Gasparri n. 723).

2 De modo procedendi in causis matrimonialibus nullitatis cf. Wernz, op. cit. IV, n. 724-750; Gasparri n. 1452-1516, simul cum novo iure l. 4, tit. 20 et *S.C. de Sacram.* 7 maii 1923 (*A.A.S.* [1923] p. 389-436). Cf. etiam De Smet n. 702-712.

Caput 5. IMPEDIMENTA IMPEDIENTIA

787 Impedimenta canonica mere impedientia a novo iure recensentur tria: votum, cognatio legalis, mixta religio (can. 1058-1064). Matrimonium tamen aliis de causis illicitum reddi potest non solum de iure naturali, sed etiam de iure positivo; prohibitionis de iure naturali exemplum habes in ipso Codice can. 1065-1066, ob periculum abiiciendae fidei aut gravis scandali; prohibitionis de iure positivo in can. 1039, ob vetitum ab Ordinario interpositum. Et generatim quaevis causa, ob quam matrimonium sive universaliter sive cum determinata tantum persona, sive in perpetuum sive ad tempus, absque peccato iniri non liceat, lato sensu impedimentum matrimoniale vocari potest. Nos hoc loco, post tria impedimenta canonica, praecipuas huiusmodi causas, seu quae frequentius usuveniunt, recensebimus sub nomine impedimenti late dicti.

Art. 1. Impedimenta canonica.

Impedimenta canonica recensentur tria, quae sequuntur:

a) **Votum** simplex[1] virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum[2]. Haec vota, etiam seclusa prohibitione canonica, matrimonium impedire manifestum est; tertium enim violaretur per ipsam matrimonii celebrationem, duo posteriora in statu coniugali adimpleri non possent, duo autem priora in matrimonio nisi cum abstinentia a consummatione, ideoque sine compartis iniuria perpetua, observari non possent, aut saltem, quamvis compars iuri suo renuntiaret, iugiter exponerentur proximo violationis periculo. Prohibitio igitur de iure naturali exsistens impedimenti sanctionem a iure canonico accepit.

1. *Votum virginitatis* saepe castitatem perfectam ex intentione voventis includit. Potest tamen per illud promitti sola virginitas; quae consistit in illa corporis integritate, quae amittitur in viro per voluntariam seminis effusionem, etsi solitariam, in femina per primum actum venereum consummatum.

Qui ergo eo voto ligatus matrimonium iniit, debitum non potest petere, quamdiu integritatem illam nondum amisit per matrimonii consummationem, adulterium, aut

---

[1] Nam vota professionis sollemnis constituunt impedimentum dirimens.

[2] « Nullum votum simplex irritat matrimonium, nisi irritatio speciali Sedis Apostolicae praescripto pro aliquibus statuta fuerit » (can. 1058, § 2).

voluntariam pollutionem; tenetur tamen reddere, si compars exigit, habet enim ius. Integritate iam amissa, exsecutio voti, saltem quatenus eam incolumem servare obligabat, iam evasit impossibilis; ideoque, si votum aliam obligationem non includebat, iam qui voverat, suo voto non tenetur, et debitum deinceps libere petere potest; sin autem simul voverat perfectam continentiam (ita vovisse praesumi debet)[1], eam, quantum a sua voluntate pendet, servare debet, et consequenter debitum coniugale, etsi reddere tenebitur, petere numquam poterit[2].

2. *Votum castitatis perfectae* impediens matrimonium[3] **788** intelligitur quidem votum se abstinendi ab omni actu venereo sive completo sive incompleto[4], non tamen necessario alias condiciones habere debet, quae requiruntur ut eius dispensatio S. Sedi reservetur (n. 158); matrimonium enim impedit, etiamsi ad tempus tantum emissum fuerit, hoc tempore adhuc perdurante, et in quavis aetate fuerit emissum, dummodo cum sufficienti deliberatione, et quamvis sub condicione, dummodo haec verificata sit[5].

Quomodo autem ab usu coniugii impediatur qui ligatus castitatis voto inierit nuptias, patet ex dictis. Nempe, debitum

---

1 Sánchez, *In Decal.* l. 4, c. 21, n. 22; *De Matrim.* l. 9, d. 33, n. 7; Verm.-Creus. n. 302. Si dubium est, et nequeat solvi interrogando quid reapse voverit, interrogetur de motivo seu fine, quo impulsus voverit. Nam si votum emiserit amore colendae perfecte castitatis, aut eximiae pulchritudinis quae relucet in ea virtute numquam laesa, virginitatem vovit stricte dictam, quae perfectam castitatem includit; si vero motus desiderio vitandi matrimonium, solam corporalem integritatem promisisse censendus est. Lehmk. n. 946.

2 Sánchez, *De Matrim.* l. 9, d. 33, n. 7; Gén.-S. n. 511; Verm.-Creus. n. 302.

3 Speciali Apostolicae Sedis privilegio votum simplex castitatis coadiutorum, spiritualium vel temporalium, et scholasticorum Societatis Iesu matrimonium contrahendum irritat.

4 Si abstinentia tantum ab actu completo promissa sit, impedimentum canonicum adhuc habetur; promissio enim includit votum non nubendi. Sed matrimonio non obstaret votum, quo quis intenderet servare castitatem eo sensu, quod non vult committere peccata; sic enim voluisset tantum servare castitatem sui status propriam quamdiu in eo perseveraret, dummodo tamen non intendisset vovere perseverare in eo statu, coelibatus vel viduitatis.

5 Si condicio nondum verificata sit, sed verificari adhuc possit, v. gr. si quis castitatem se perfecte servaturum vovit sub condicione « si intra annum feliciter ad meos pervenire potero », vovens tenebitur quidem exspectare tempus, quo condicio adhuc verificari ideoque et votum impleri possit et consequenter matrimonium inire impeditur *iure naturae;* sed putamus non detineri impedimento *canonico,* quia nondum ad castitatem servandam obligatur ex voto.

reddere tenebitur propter ius alterius, petere vero non poterit quia votum, quantum a seipso pendet, servare debet; quare, nec petere nec reddere poterit, si compars ius amisit, v. gr. ob adulterium (sed haec fusius postea, ubi de usu matrimonii). Matrimonio per compartis mortem soluto, ad votum plene servandum obligatur.

3. *Votum non nubendi* de se ad manendum in caelibatu tantum, non vero ad castitatem obligat; unde, si castitas laeditur, peccatum quidem contra sextum praeceptum, non laesio voti committitur. Qui ergo illiusmodi ligatus voto nuptias iniit, votum quidem graviter transgressus est, sed iam non impeditur quominus debitum et reddat et petat[1]. Mortua comparte novae nuptiae iniri non poterunt, nisi constet aliam fuisse voventis intentionem.

4. *Votum suscipiendi ordines sacros* ad hunc tantum actum obligat; unde qui eo voto ligatus matrimonium init, votum quidem violat, sed a debito petendo aut reddendo non prohibetur, ab hoc enim se abstinere directe non obligabatur, sed tantum consequenter ex hypothesi quod votum observasset. Voti adimpletio suspensa manet durante coniugio; quare, hoc soluto, ad ordines suscipiendos iterum tenetur.

5. *Votum amplectendi statum religiosum*, ut impedimentum canonicum constituat, non necessario eas condiciones requirit, quae opus sunt ad eius dispensationis reservationem (can. 158); v. gr. non est necesse ut vovens intenderit ingressum in Ordinem, sed sufficit in Congregationem religiosam. Qui, spreto voto, coniugium init, tunc peccat graviter, si Congregationem ingredi voverat, quia id durante coniugio adimplere non poterit (can. 542, 1°); si Ordinem vovit, peccat cum matrimonium primo consummat, etenim usque ad illud instans Ordinem ingredi posset, per cuius vota sollemnia matrimonium tantum ratum solveretur (can. 1119); generatim tamen peccatum iam ipsa matrimonii celebratione committitur ob propositum illud comsummandi. Deinde, nihil iam prohibet coniugii usui vacare; sed recuperata libertate, votum adimpleri debet, si adhuc adimpleri possit, suspensum enim tantum manserat.

b) **Cognatio legalis** ex adoptione orta, impedimentum canonicum constituit mere impediens in iis regionibus, ubi ex lege civili impedimentum eadem constituit mere impediens[2].

---

[1] Sánchez, *De Matrim.* l. 9, d. 33, n. 21, d. 34, n. 7; idem, *In Decal.* l. 4, c. 21, n. 26; Blat, *Comment. text. Cod.* III, p. 565.

[2] « In iis regionibus ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit illicitas, iure quoque canonico matrimonium illicitum est » (can. 1059).

c) **Mixta religio** matrimonium impedit[1]; id est prohiben- **789**

Qua ratione vigebat hoc impedimentum ante Codicem, dicetur infra, ubi agetur de eadem cognatione ut impedimento dirimente.

Adoptio legalis est assumptio legitima in filium vel filiam, personae quae natura filius vel filia non est. Cf. GASPARRI n. 851 seqq.; WERNZ IV, n. 467 seqq.; DE SMET n. 491 seqq. Ut sit legitima, id est, legaliter valida, fieri debet iuxta condiciones et normas a lege impositas. De adoptione pro suis respectivis nationibus agunt *C.C. br.* a. 336 368-378, *col.* a. 269-287, *gall.* a. 343-361, *hisp.* a. 154 166 173-180, *ur.* a. 224-232.

Iure canonico (can. 1059 et 1080) impedimentum cognationis ex adoptione ortae viget in singulis regionibus ut mere impediens vel ut dirimens, prout a lege civili ut impediens vel ut dirimens constitutum sit. Videndum ergo est quid Codices Civiles statuerint.

Iure civili *br.* adoptio constituit impedimentum *dirimens* inter adoptantem et adoptatum (cf. *C.C. br.* a. 183 I, a. 207 336 376, et cf., quoad a. 183 III, V, dicenda inferius in n. 820 nota); iure *col.* inter personam adoptantem et adoptatam, inter filium adoptivum et viduam adoptantis (cf. *C.C. col.* a. 140, 11° et a. 50 270 273 275); iure *hisp.*, inter personam adoptantem et adoptatam eiusque coniugem superstitem, inter personam adoptatam et coniugem adoptantis superstitem et, durante adoptione, inter personam adoptatam et descendentes adoptantis legitimos (cf. *C.C. hisp.* a. 84, 5° et 6°, et a. 101).

Iure civili *gall.* adoptio constituit impedimentum inter adoptantem et adoptatum eiusque coniugem et descendentes, inter adoptantem et adoptantis coniugem et descendentes, qui eidem post adoptionem advenerint; inter adoptatos eiusdem adoptantis (cf. *C.C. gall.* a. 348). Porro, utrum lex matrimonium mere prohibeat, an etiam irritet, res in controversia est, quam exponit DE SMET n. 495. Cf. etiam WERNZ n. 480 nota 79; GASPARRI n. 869. Probabilius videtur matrimonium a lege mere prohiberi, siquidem nusquam reperitur ab eadem haberi ut nullum. Dubitari ergo posset consequenter, utrum canonice hoc impedimentum censendum sit impediens, an vero dirimens. Sed practice omnis dubitatio tollitur, quoniam ex can. 15 leges irritantes in dubio iuris non urgent.

Iure civili *ur.* adoptio nec cognationem civilem parit nec matrimonium impedit (cf. *C.C. ur.* a. 231).

Iure civili *arg.*, *chil.*, *lus.*, *mex.* adoptio legalis non exsistit.

Canonice igitur impedimentum cognationis legalis ex adoptione ortae non exsistit in *Rebuspubl. Arg.*, *Chil.*, *Lusit.*, *Mex.*, et *Ur.*; est mere impediens in *Gallia;* dirimens in *Brasil.*, *Columb.* et *Hisp.* intra limites eosdem, quos lex civilis praefinivit.

Leges civiles prohibent aliquando matrimonium inter personam pupillam et tutorem eiusque descendentes, saltem durante tutela, aut non permittunt nisi reddita administrationis ratione eaque approbata; huiusmodi accidit iure *arg.* a. 169, *br.* a. 183 XV, *col.* a. 14 legis 57 anni 1887 ad a. 140 *C. C.; lus.* a. 1058, 2°, *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 24, *ur.* a. 113. Sed hoc civile impedimentum a iure canonico non est recognitum. Cf. WERNZ n. 480 ad finem.

1 « Severissime Ecclesia ubique prohibet ne matrimonium ineatur inter duas personas baptizatas, quarum altera sit catholica, altera vero sectae haereticae seu schismaticae adscripta; quod si adsit perversionis periculum coniugis catholici et prolis, coniugium ipsa etiam lege divina vetatur » (can. 1060).

tur nuptiae inter duas personas baptizatas, quarum una catholica, altera haeretica vel schismatica; et prohibentur quidem ubique et severissime, ut ait can. 1060, in memoriam simul revocans coniugium ipsa lege divina vetari, si periculum adsit perversionis partis catholicae vel prolis; iterumque canon 1064 inculcat, ut fideles a mixtis nuptiis, quantum possint, absterreantur. Revera enim mala innumera ex mixtis coniugiis profluunt: pericula fidei, communicationis in divinis, indifferentismi, discordiarum inter coniuges. Propterea ea vehementer Ecclesia detestatur, nec super hoc impedimento dispensat, nisi urgeant graves causae et sequentes cautiones (in scriptis) obtineantur[1], quae non ecclesiastico tantum iure, sed ipsa quoque naturali ac divina lege exiguntur; nempe a parte acatholica de amovendo periculo perversionis coniugis catholici, et ab utraque parte de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda, insuperque moralis certitudo habeatur de futura

---

« § 1. Ecclesia super impedimento mixtae religionis non dispensat, nisi: — 1.° Urgeant iustae ac graves causae; — 2.° Cautionem praestiterit coniux acatholicus de amovendo a coniuge catholico perversionis periculo, et uterque coniux de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda; — 3.° Moralis habeatur certitudo de cautionum implemento. — § 2. Cautiones regulariter in scriptis exigantur » (can. 1061).

« Coniux catholicus obligatione tenetur conversionem coniugis acatholici prudenter curandi » (can. 1062).

« § 1. Etsi ab Ecclesia obtenta sit dispensatio super impedimento mixtae religionis, coniuges nequeunt, vel ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, adire quoque, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum uti sacris addictum, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. — § 2. Si parochus certe noverit sponsos hanc legem violaturos esse vel iam violasse, eorum matrimonio ne assistat, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario. — § 3. Non improbatur tamen quod, lege civili iubente, coniuges se sistant etiam coram ministro acatholico, officialis civilis tantum munere fungente, idque ad actum civilem dumtaxat explendum, effectuum civilium gratia » (can. 1063).

« Ordinarii aliique animarum pastores: — 1.° Fideles a mixtis nuptiis, quantum possunt, absterreant; — 2.° Si eas mpedire non valeant, omni studio curent ne contra Dei et Ecclesiae leges contrahantur; — 3.° Mixtis nuptiis celebratis sive in proprio sive in alieno territorio, sedulo invigilent ut coniuges promissiones factas fideliter impleant; — 4.° Assistentes matrimonio servent praescriptum can. 1102 » (can. 1064).

Canon autem 1102 refertur ad formam in celebratione matrimonii mixti servandam.

De matrimoniis mixtis cf. Litt. encycl. Leonis XIII 10 febr. 1880 *Arcanum*, de matrimonio christiano; instruct. *S. Off.* 15 nov. 1858 et 12 dec. 1888 (*A.S.S.* VI, p. 456 et XXII, p. 636); *Conc. Plen. Am. Lat.* n. 591; Gasparri n. 485 seqq.; Wernz IV, n. 574 seqq.; De Smet n. 500 seqq.; Mach-Ferr., *Tesoro del sac.* II, n. 668.

[1] Non tamen exigitur iuramentum de iisdem servandis.

horum promissionum impletione, super qua Ordinarii aliique animarum pastores, etsi nuptiae alibi celebratae fuerint, invigilare debent (can. 1061 et 1064, 3°).

Debet igitur parochus fideles, qui nuptias mixtas contrahere petunt, a suo proposito avertere. Si tamen in irritum omnes conatus cedunt et graves causae dispensationem suadeant, eaque impetrata fuerit, necessariaeque cautiones a sponsis datae sint, in forma catholica matrimonium omnino celebrari debet, in eaque tantum. Nec licet sive ante sive post eius celebrationem ministrum acatholicum uti ministrum sacrum adire, sive ad praestandum sive ad renovandum consensum (de excommunicatione, qua id plectitur, vide inferius ubi de censuris); non tamen eum partes adire vetantur uti officialem mere civilem, si eum uti talem lex constituerit atque ad civiles effectus adiri iussisset. Quod si parochus sponsos eum uti ministrum sacrum adiisse vel adituros noverit, matrimonio assistere prohibetur, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto prius Ordinario (can. 1063).

Matrimonia mixta celebranda sunt extra ecclesiam (can. 1102, § 3), ideoque in sacristia, vel potius in loco omnino profano, sed decenti; prohibenturque omnes ritus sacri (can. 1102, § 2); quae assistentia est mere passiva. Proinde assistat sacerdos sine ulla veste sacra; debet tamen consensum interrogare et excipere contrahentium (can. 1102, § 1). Nihilominus facultas Ordinario datur, si graviora mala timentur, ut matrimonium contrahatur in ecclesia, sed absque ullo ritu sacro (can. 1109, § 3), aut, si aliter fieri non posse iudicat, cum aliqua ex consuetis caeremoniis ecclesiasticis, semper tamen exclusa Missae celebratione[1] (can. 1102, § 2).

Pars catholica tenetur coniugis conversionem prudenter curare (can. 1062).

« Catholici qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire ausi fuerint, ipso facto ab actibus legitimis ecclesiasticis et sacramentalibus exclusi manent, donec ab Ordinario dispensationem obtinuerint » (can. 2375); non tamen a sacramentis prohibetur catholicus qui ita agere fuit ausus, si eum vere poeniteat et cautiones debitas praestet.

Art. 2. Impedimenta late dicta.

Impedimenta late dicta censendae sunt quaecumque aliae **790**
causae, praeter dirimentes, quae de iure naturali vel positivo matrimonio contrahendo obstent in conscientia; cuiusmodi esset

---

1 Excluditur Missa quaelibet, quae habeatur tamquam complementum caeremoniae matrimonii, etiamsi non sit Missa pro sponsis. De matrimonii mixti celebratione cf., sis, *A.A.S.* (1912) p. 442 seqq.; Gasparri n. 489 seqq.; Lehmk. a. 912- 914; De Smet n. 509-512.

defectus status gratiae, omissio proclamationum, sponsalia contracta cum alia persona in forma valida [1], ignorantia doctrinae christianae [2], iuramentum non nubendi aut ingrediendi religionem [3], mors prioris coniugis adeo recens ut propter circumstantias non possint sine scandalo novae nuptiae iniri statim [4] etc. Nonnullas ex his causis nominatim expendemus, quia particularem merentur considerationem.

a) **Impietas compartis** contrahentem periculo perversionis exponit, et consequenter cum illiusmodi contrahere ius ipsum naturale vetat; sub gravi quidem, si adeo notabilis sit illius impietas aut perversitas, ut periculum censendum sit proximum.

Quapropter parochus, si quis coniungi petit cum comparte, *quae notorie catholicam fidem abiecit* (etsi ad sectam acatholicam non transierit) *aut notorie ad aliquam societatem ab Ecclesia damnatam pertineat*, eum absterreat; quod si ab huiusmodi nuptiis averti non possit, iis assistere non debet donec Ordinarium consuluerit, qui assistentiam non permittet, nisi gravi urgente causa et remoto periculo perversionis coniugis (can. 1065).

Pariter, si quis coniungi petit *cum publico peccatore aut censura notorie innodato*, parochus conetur enixe, ut is prius

---

1 Cf. dicta in n. 767.

2 Cf. dicta in n. 773. GASPARRI n. 537; WERNZ n. 131.

3 Iuramenta huiusmodi impedimentum *canonicum* vocari non possunt; canon enim 1058 vota de his materiis in impedimentum constituit, non iuramenta, siquidem leges impedimentorum strictae interpretationis sunt, ut constat ex can. 19. Quoad effectus tamen conscientiae huiusmodi discrimen non tanti refert. Cf. SÁNCHEZ l. 7, d. 11, n. 6.

4 Lege romana prohibebatur viduae transitus ad novas nuptias intra annum luctus; hanc prohibitionem Ecclesia sustulit; convenit tamen rationabiles servare consuetudines. SÁNCHEZ l. 7, d. 87, n. 21; WERNZ n. 721; GASPARRI n. 1274.

Iura *arg.* a. 250, et *br.* a 183 XIV, novum matrimonium viduae prohibent intra decem menses; si tamen fuerit praegnans, contrahere potest peracto partu; *chil. C.C.* a. 128, « Ley de Matrim. civil » a. 39, et *col.* a. 173, intra 270 dies, e quibus tamen deduci possunt dies immediate coniugis morti praecedentes, in quibus accessus coniugalis fuisset absolute impossibilis; sed potest etiam contrahere post partum si praegnans remanserit; *gall.* a. 228 vidua prohibetur nubere intra decem menses; *hisp.* a. 45 intra 300 dies, potest tamen contrahere post partum, si praegnans remanserat; *lus.* a. 1233, intra 300 dies, nisi probetur non esse praegnans; *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 140, intra 300 dies; *ur.* a. 114, intra 301 dies, post partum tamen contrahere poterit, si manserat praegnans.

Huiusmodi civiles leges, quatenus « directe » matrimonii prohibitivae sunt, valore in conscientia carent; servari tamen debent ob poenas adiectas, quas in ipsis Cod. locis circiter citatis reperies. Cf. WERNZ n. 338 339.

ad sacramentum confessionis accedat aut absolutionem a censura obtineat; quod si obtinere non possit, nuptiis ne assistat, nisi urgente gravi causa, de qua, si fieri potest, prius consulere debet Ordinarium (can. 1066) [1].

b) **Dissensus parentum** [2] matrimoniumm quidem non **791** invalidat, illud tamen illicitum reddit, si est rationabilis. Nam:

Imprimis *filii*, sive cum matrimonium, sive cum valide sponsalia inire intendunt, ex reverentia suis parentibus debita tenentur (per se sub gravi) eorum consilium *petere*, praesertim si minores sint; contemptui enim verteretur, si parentes praetermitterentur, in re tam gravi; posset nihilominus omissio excusari ex iusta causa, v. gr. si matrimonium praevidetur iniuste impediendum, vel si parentes, parum solliciti de filio iamdiu absente, omissionem non aegre laturi censentur. Sed parentum consilium vel praeceptum filii in hac materia *sequi* non tenentur, nisi ad id obligentur aliunde, v. gr. ex pietate, caritate etc.; quod accideret v. gr., si matrimonium cum determinata persona, quam ducere iubeant parentes, unicum medium foret sublevandae gravis eorum inopiae vel exstinguendi graves inimicitias; excipe tamen, si filius insuperabilem sentiret repugnantiam; pietas enim vel caritas cum tanto incommodo non obligat.

Sed *parentes* non possunt impedire matrimonium filiorum eosque forte periculo turpiter peccandi exponere sine gravi causa. Esset quidem causa impediendi, si persona matrimonio ducenda a vera religione esset valde aliena, vel si tam perditis moribus aut tam mala fama, ut gravis familiae infamia secutura sit, vel si valde gravia scandala et inexstinguibilia odia timerentur; non vero ex eo solum, quod persona divitiis multo

---

1 « § 1. Absterreantur quoque fideles a matrimonio contrahendo cum iis qui notorie aut catholicam fidem abiecerunt, etsi ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt. — § 2. Parochus praedictis nuptiis ne assistat, nisi consulto Ordinario, qui, inspectis omnibus rei adiunctis, ei permittere poterit ut matrimonio intersit, dummodo urgeat gravis causa et pro suo prudenti arbitrio Ordinarius iudicet satis cautum esse catholicae educationi universae prolis et remotioni periculi perversionis alterius coniugis » (can. 1065).

« Si publicus peccator aut censura notorie innodatus prius ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recusaverit, parochus eius matrimonio ne assistat, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium » (can. 1066).

Conferri potest S. Alph. l. 6, n. 54-56; Gasparri n. 526 seqq.; De Smet n. 194-196.

2 De hac materia videri potest Sánchez l. 4, disp. 22 et 23; S. Alph. n. 849 850; Gasparri n. 538-541; Wernz n. 334-339; Ball.-P. n. 191 seqq.; Lehmk. n. 951; De Smet n. 518-522.

inferior sit, vel quod aliqua odia et contentiones, ut saepe accidit, timeantur.

Atque haec quidem sive de filiis legitimis agatur respectu suorum parentum, sive de illegitimis, sive etiam, proportione servata, de adoptivis. Reverentia etiam postulat ut, in defectu parentum, ascendentium consilium petatur, aut saltem ipsis futurum matrimonium notum fiat.

Nec amplius, quam haec quae de iure naturali obligant, Ecclesia requirit; ea tamen sic requirit, ut iis non servatis prohibeat parocho assistere matrimonio quin prius consuluerit Ordinarium [1].

Plura solent leges civiles circa hanc materiam requirere, pressiusque statuere solent quinam, intra quam aetatem, a quibus, consensum exquirere teneantur [2], quae tamen obliga-

---

1 « Parochus graviter filiosfamilias minores hortetur, ne nuptias ineant, insciis aut rationabiliter invitis parentibus; quod si abnuerint, eorum matrimonio ne assistat, nisi consulto prius loci Ordinario » (can. 1034).

2 *C. C. arg.* a. 167 168 170 tamquam matrimonii impedimentum (etsi mere impediens) recenset, sub quibusdam poenis observandum, quod minorennis post 12 aetatis annos si sit femina, post 14 si vir, non obtinuerit consensum patris legitimi (aut naturalis, qui illum recognoverit), aut in huius defectu, matris, ea deficiente, tutoris (vel curatoris), in defectu omnium iudicis.

C. C. br. a. 183 XI, 185-188 212: qui patriae potestati, tutelae aut curatelae subiiciuntur, patris, tutoris aut curatoris consensu indigent, sine quo matrimonium esset, his petentibus, civiliter annullabile; filii 21 annis minores, si legitimi sint, consensu indigent utriusque parentis, praevalente voto patris, si hi inter se dissentiant; si illegitimus, consensu eius, qui eum recognoverit; si illegitimus non recognitus, sufficit consensus matris; in omni autem casu, consensus iniuste denegatus suppleri potest a iudice, servato tamen iure recurrendi ad tribunal superius.

C. C. chil. a. 105-115: ante expletos 25 aetatis annos, filiis legitimis opus est consensus patris, vel matris, vel ascendentis aut ascendentium magis propinquorum (praevalente voto favorabili, si paria inter se contraria fuerint), vel curatoris, horum unoquoque ad consentiendum advocato in defectu praecedentium; ante praedictam aetatem filio naturali opus est consensus patris, si eum recognoverit, aliter consensus matris, si eum recognoverit, secus curatoris; ante filii aetatem 21 annorum, nemini (praeter curatorem) imponitur obligatio declarandi denegationis causam, sed post dictam aetatem causa exprimi debet, eaque non poterit alia esse, nisi aliqua ex iis quae enumerantur in a. 113.

C. C. col. a. 117-125: viri ante expletos 21 aetatis annos, feminae ante expletos 18, sive filii legitimi sint sive naturales, consensu egent parentum in scriptis obtento; uno ex his deficiente, sufficit consensus alterius; si inter se dissentiant, praevalet voluntas patris; deficientibus parentibus, opus est consensu ascendentium (ut colligitur ex aa. 118 120, qui parvam aliquam quoad a. 117 omissionem in editione anni 1914 commissam produnt, eademque omissio confirmatur ex locis parallelis Codicis chilensis), in horum defectu, consensu curatoris; solus is postremus denegationis cau-

tiones, quatenus de iure naturali non sunt, ab Ecclesia non imponuntur. Sed non inde sequitur, censemus, nullam filiis

---

sam exprimere debet, sed aliam allegare non potest, nisi aliquam ex assignatis in a. 122.

C. C. gall. a. 148-160: iuxta reformationem factam per leges 20 iunii 1907 et 10 martii 1913, filii ante aetatem 21 annorum expletam, sive viri sive feminae, consensu egent parentum legitimorum vel illegitimorum qui eos recognoverunt; iis tamen inter se dissentientibus praevalet assensus patris (pro filiis naturalibus recognitis praevalet assensus parentis qui patriam potestatem exercet), et uno eorum deficiente vel ad manifestandam voluntatem impedito, sufficit consensus alterius; in defectu amborum, si agitur de filiis legitimis, exquiritur consensus ascendentium (praevalente consensu avi, si avia eiusdem lineae dissentiat, et praevalente consensu, si ambae lineae inter se discrepent), secus consilii familialis; si vero de filiis naturalibus, sive recognitis sive non recognitis, in defectu parentum exquirendus est consensus consilii familialis. Post expletam aetatem 21 et ante expletam 30 annorum, sufficit ut filii, sive legitimi sint sive naturales, si parentum consensum non obtinuerint, matrimonium contrahendum notum faciant eis vel ei, qui consensum denegaverit; matrimonium autem post 30 dies a notificatione transactos celebrari poterit; deficientibus parentibus, sufficit eorum defectum attestari et ad matrimonium procedi potest.

C. C. hisp. a. 45, 1°, a. 46-50: minorennes consensum obtinere debent patris, in eius defectu, matris, secus avi paterni et materni; in omnium defectu, consilii familialis; filii naturales recogniti consensu egent eorum, a quibus fuerunt recogniti, in horum defectu, ascendentium vel consilii familialis, iuxta ordinem nuper dictum; ceteri illegitimi consensu matris, si fuit legaliter manifestata; in huius defectu, avorum maternorum, secus consilii familialis. Maiorennes sollicitare debent consensum a suo patre, in huius defectu a matre; eo non obtento aut denegato, post tres menses a sollicitatione computandos, ad matrimonium procedi poterit.

C. C. lus a. 1058, 1°, a. 1059-1062: minorennes nubere non possunt absque consensu parentum vel eorum, qui parentum locum tenent; si parentes inter se dissentiant, praevalet votum patris, et deficiente patre, sufficit consensus matris (nisi novas nuptias contraxerit et administrationem bonorum filii non obtinuerit), in eius defectu, avi tutelam habentis, in omnium defectu, consilii familialis.

C. C. mex. « Ley sobre rel. fam. » a. 19-23: ante expletos 21 aetatis annos filii utriusque sexus consensum obtinere debent parentum, aut parentis superstitis, etsi novas nuptias inierit; ambobus deficientibus et nullo tutore ab iisdem constituto, consensum avorum paternorum aut qui ex iis fuerit superstes; in amborum defectu consensum avorum maternorum aut horum superstitis, in omnium defectu, consensum tutoris, secus iudicis.

C. C. ur. a. 107-112 117: filii legitimi ante 25 aetatis annos expletos, si viri sint, ante expletos 23, si feminae, consensu egent patris, hoc deficiente, matris, in amborum defectu, ascendentium in gradu propinquiore, praevalente in hoc postremo casu voto favorabili si paria vota inter se contraria tulerint; omnibus deficientibus opus est, ante 21 annos, tum pro viris tum pro feminis, consensum obtinere tutoris. Filii naturales recogniti, ante 25 annos expletos, si viri sint, ante 23, si feminae, consensu indigent patris, si eos recognoverit; in eius defectu, matris, pariter si eos recognoverit.

esse obligationem, etiam in conscientia, servandi huiusmodi praescriptiones civiles. Etsi enim hae invalidae omnino sunt, quatenus sunt matrimonii directe prohibitivae — matrimonium enim baptizatis impedire vel permittere solius est Ecclesiae — potest tamen civilis potestas valide in conscientia iubere cives actum ponere quem ipsa iudicet ad fines civiles societatis non parum expedire[1]. Tum igitur ob hanc rationem, tum ut conflictus cum civili potestate, quantum fieri potest, vitentur, parochus ad matrimonium ne procedat, nisi servatis etiam iis requisitis civilibus, aut quin prius consuluerit Ordinarium.

792 *c*) **Morbus contagiosus** matrimonium per se iure ipso naturali prohibet; nemo enim potest alii grave vitae periculum creare, sicut nec seipsum exponere simili periculo per matrimonium cum persona contagioso morbo affecta.

Per se, inquam; nam ex gravi causa licet homini periculum subire, quod gravitati causae moraliter censeatur proportionatum; et consequenter licet etiam ex gravi causa alii periculum proponere, ut is illud scienter et sponte, non ignoranter aut deceptus, subire velit. Porro causa sufficiens contrahendi cum periculo contagii censetur imminens incontinentiae periculum, quod facile aderit, si homo in caelibatu perpetuo invitus manere cogeretur. Licet ergo contagioso, propter bonum tam necessarium animae, matrimonium inire. Licet etiam personae sanae cum eo contrahere, si ipsa aliam sanam sibi convenientem reperire non possit, aut si ille secus matrimonio privari deberet; quod si propter hoc ultimum motivum faceret, nempe ad vitanda spiritualia pericula aegri contagiosi, qui aliter caelebs manere cogeretur, opus faceret insigne caritatis.

Hucusque dicta intelligenda sunt de contagio, quod alteri morbum creare potest qui non soleat de brevi et facili mortem inferre; nam si infectio proxime mortem causatura sit, non licebit matrimonium; nam in casu ferme aequivaleret suicidio[2].

---

[1] Qui ergo praescriptum civile iure naturali non impositum praetermittere vellet, is nulla lege a matrimonio *directe* impediretur; impediretur vero indirecte iure naturae, quatenus haec obedire iubet praeceptis legitimis; legitime autem lex civilis actum quem bono communi putet conveniens praecipere potest, sicut legitime praecipere potest, ut matrimonia canonice contracta in regestis civilibus inscribantur.

Nec dicendae sunt huiusmodi leges esse mere poenales; etsi enim graves poenas statuunt, determinant tamen pressius obligationem magis minusve indeterminatam iuris naturalis, et consequenter conscientiam immediate ligare intendunt.

[2] Praedicta omnia confirmantur ex iis, quae tradebant theologi de matrimoniis leprosorum, aut adhuc tradunt de liceitate debiti coniugalis durante morbo periculoso. Cf. Sánchez l. 9, d. 24; S. Alph. l. 6, a. 909 950; Ball.-P. n. 541-545 664; Wernz n. 253-256; Lehmk. n. 1083, V; Payen, *Déontologie méd.* n. 249-250.

Advertendum quod matrimonium hominis contagiosi cohonestatur tantum ex causa; ideoque triplex ei limitatio observanda est. Nempe, aeger: 1° consciam facere debet compartem de suo morbo, si incurabilis sit aut nondum disparuerit; gravissima enim ei iniuria fieret, si periculum occultaretur[1]; — 2° si morbus incurabilis sit, quaerere debet sedulo aliam personam eodem morbo infectam et pariter incurabilem cui nocere non possit, et cum qua sine nimia difficultate possit vivere; — 3° si morbus sit curabilis, sedulo tenetur curationem procurare ante matrimonium, atque ad istud ineundum exspectare curationis terminum, donec periculum inficiendi compartem evanescat.

Morbi huiusmodi frequentius occurrentes sunt blenorrhagia seu gonorrhea (inflammatio quaedam canalis urethralis guttam purulentam distillans), syphilis (n. 218) et phthisis, de quibus ordinarie sequentia videntur tenenda ex sententiis medicorum. **793**

Blenorrhagia nocumenta gravissima infert feminae. Vir, dum ea laborat, ab ineundo matrimonio abstinere debet donec plane sanus evaserit; est enim morbus, quamquam plus minusve difficulter, tamen sanabilis; facile nihilominus videtur reapparere[2].

Syphilis maxime est infectiosa aptaque est nocumentum causare comparti valde grave. Matrimonium syphilitici cum persona sana prohibendum est quamdiu ille nondum perfecte a suo morbo sit liberatus. Perfecte autem liberatus censeri non potest (si unquam potest; sunt enim qui id evenire non putent), nisi saltem a tribus annis, per quos assidua et diligens medicatio adhibita fuerit, nullum morbus signum dederit. Sunt tamen auctores qui hoc tempus paulo brevius assignent, sunt qui illud protrahant, immo qui notabiliter protrahant, nec ulla dari potest regula generalis. Aggrediatur igitur aeger sui curam

---

1 Eo vel magis, quod ordinarie huiusmodi morbi fere necessario post matrimonium comparti patefiunt, aut saltem compars, si contagio ignoranter inficitur, facile originem detegit aut vehementer suspicatur; inde gravissimae dissensiones, iurgia, aversiones, petitiones divortii (vide dicenda paulo post de manifestandis defectibus nocivis); solent enim iura civilia, propter morbum contagiosum tempore celebrationis matrimonii exsistentem, vel matrimonium habere nullum (v. gr. *C. C. mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 17 VIII, et 107), vel annullabile (v. gr. *br.* a. 218 219 III), vel saltem concedere vitae communis dissolutionem (v. gr. *C. C. chil.* « Ley de matr. civil » a. 19 et 20, 10°).

2 Dr. Le Gendre, *Déontologie méd.* (1920) p. 281-282; Dr. Surbled, *La morale dans ses rapports etc.* t. 2, p. 77 seqq.; Dr. Ravaut, *Les mal. vén.* p. 27-29 151-157; Dr. Féré, *L'inst. sex.* p. 325-326; Vermeersch, *De cast.* n. 47.

assidue sub directione alicuius medici, a quo deinde discet, an moraliter iam certo censeri possit sanus et matrimonium inire[1]. Si tamen homo valde diu innuptus manere cogeretur nec posset se continere reperiretque compartem, quae ad bonum ipsius animae tantum periculum conscia adire vellet, coniugium, iuxta praedicta, prohibendum non esset.

Phthisis sine dubio compartem haud spernendo periculo infectionis exponit, quae tamen non ex communicatione per copulam, sed ex communis vitae consuetudine timenda est. Sed cum huiusmodi periculum diligentibus observatis cautelis possit satis removeri et valde grave sit abstinere se a coniugio; aliunde vero, nisi infirmitas in gradu sat benigno sit, a comparte ignorari non soleat, ideoque ab ea vitari possit, non apparet periculum nocendi comparti causam esse quae urgeat prohibere coniugium. Potius prohibitionem imponet periculum ipsius phthisici, si notabiliter morbi gravitas progressa sit; valde enim ei noceret usus coniugii viribus exhaustis, aut labor gestationis, si sit femina; debebit igitur in casu matrimonium ad prudens tempus differre, donec sufficienter se refecerit, iuxta dictamen medici[2].

Ex principiis paulo superius traditis inferri potest, quid dicendum de aegris, qui nullum comparti malum minantur, ipsi tamen grave ex usu coniugii nocumentum timere possunt, cuiusmodi sunt cardiopathae. Si valetudinem recuperare possunt, tempus pro gravitate periculi arcendi plus minusve diuturnum exspectare debent, ut absque serio periculo matrimonium ineant; secus, pericula diuturnae et coactae abstentionis, sufficienter eos excusant[3], nisi tam imminens certumque esset mortis periculum ex copula, ut directa mortis intentatio esse videretur[4].

---

1 Dr. Le Gendre op. cit. p. 279-280; Dr. Ravaut op. cit. p. 157 ad 166; Ferr. I, n. 503-506, II, n. 1144, 6°; Dr. Blanc y Benet, *La sifilis* p. 97; Vermeersch op. cit. n. 48.

2 Dr. Le Gendre op. cit. p. 276-277; Dr. Schreiber, *Eugén. et mariage.*

3 Obiicies forte malum comparti obveniendum, quia haec maturae viduitati devovetur. — Respondet Payen, *Deont. méd.* p 287 nota, matrimonium in casu nec virtuti iustitiae adversari, siquidem morbus infectiosus non est, nec virtuti caritatis, quia haec non iubet gravissimum onus privationis coniugii sibi imponere, ut proximo maturae viduitatis malum vitetur. Nihilominus, ad vitandas graves dissensiones, oportebit generatim (obligatio tamen non est, ut dicetur mox de defectibus manifestandis) haec aliquo modo parti alteri significare; cum enim haec facile comperiantur, solet partis sanae familia de iniuria et dolo deinde graviter conqueri.

4 Solent medici in interdicendo coniugio criterium satis severius habere quam quod praefuit decisionibus supra traditis. Nempe, videntur in eo permittendo aut vetando respicere tantum ad

d) **Defectus alii nocivi, si non manifestantur.** Nempe debet 794
homo ante matrimonium manifestare comparti defectus, qui alteri graviter nocere possunt, uti nuper dictum de morbo contagioso; vel qui, etsi accidentales sunt contractui, quia substantiam ipsius non mutant, tamen, si occultantur dant causam contractui (n. 299) aequivalentque gravi dolo; v. gr. si sponsa facta est ab alio praegnans, vel si est sterilis ob excisum uterum vel ovaria, vel si impotentia temporali laborat, qua diu impedietur reddere debitum [1]. Huiusmodi defectus manifestandi sunt (n. 322), secus, si quis eos manifestare nolit, a matrimonio est ei supersedendum [2].

Non tamen datur obligatio manifestandi defectus, quorum ignorantia non dat causam contractui, sed nuptias tantum facit minus appetibiles, v. gr. si sponsa reputatur dives, nobilis, aut virgo, cum sit pauper, ignobilis, aut corrupta, tum ob receptam consuetudinem non obligandi ad huiusmodi defectuum revelationem, tum ob infamiam secus incurrendam, quae hic vitari potest sine iniuria alterius; nec obligatur eo quod post matrimonium defectus cognosci possit, indeque graves discor-

---

damnum aegro vel comparti vel proli secuturum, et facile dicere omnes syphiliticos a matrimonio arcendos, omnesque eos, a quibus proles misera et infecta oritura esset. Verum moralistae rationem etiam habere debent causarum malo proportionatarum, ob quas malum indirecte secuturum permitti postet; huiusmodi autem sunt onus et pericula caelibatus coacti et valde diuturni. Praeterea erronee illi putare solent obligationem adesse vitandi matrimonii ob solam rationem cavendae procreationis vitiosae sobolis; certe vitari haec debet si absque gravi causa vitari potest; et propterea non licet habere copulam iis in adiunctis in quibus haec vitiosa orietur, si absque gravi incommodo aliud tempus aut alia occasio exspectari potest; sed si aliter se res habere non potest, nisi ut vel proles procreetur vitiosa vel nullatenus procreetur, tunc manifeste valet illud: « melius est illi sic esse quam prorsus non esse. »

Immo, si quosdam medicos audires, (cf. PINARD ap. FÉRÉ, *L'inst. sex.* [ed. 3] p. 55), omnes epileptici a procreando excludi deberent, omnes phthisici, omnes appetitu sexuali inversi, omnes alcooli dediti, omnes difformes, omnes debiles, eoque aberrationis perveniunt, qualem prodit Dr. CH. RICHET in sua elucubratione *La sélection humaine* in op. *Eugén. et sél.* p. 50 nota; ne opus citemus *La quest. sex.* medici FOREL, hominis omni sensu morali expertis, cuius opus putidissma iniuria est catholicae religionis atque ethicae naturalis.

1 SÁNCHEZ l. 7, d. 92, n. 5.

2 Emptori enim, qui finem suum declarat, iniustitia est rem vendere non manifestato vitio accidentali occulto, quod rem inutilem reddit ad illum finem (n. 322). Atqui qui matrimonium proponit, eo ipso suam voluntatem manifestat procreandi prolem, haec enim intentio supponenda est. Ergo debet mulier ob uteri vel ovariorum carentiam sterilis, hunc defectum declarare. Absque *iniustitia* tunc tantum ipsum occultaret, si sponsus voluntatem contrariam manifestasset, v. gr. nefarium propositum postulasset vitandae prolis.

diae exsurgant; caritas enim non obligat cum tanto incommodo, ut homo vel se infamet vel maneat innuptus [1].

Adverte quod, etsi hi defectus dissimulari possint, non tamen possunt aperte negari roganti. Dicunt tamen auctores sponsam corruptam, si interrogetur an fuerit ab alio cognita, id posse etiam, si opus est, aperte negare; quivis enim novit feminam non esse id detecturam, ideoque restrictionem esse pure mentalem [2].

e) **Ecclesiae vetitum** est prohibitio nubendi ab auctoritate ecclesiastica alicui facta ad tempus, iusta de causa (v. gr. ob impedimenti suspicionem). Huiusmodi prohibitionem facere possunt locorum Ordinarii tantum, non parochi [3], solummodo in casu peculiari et causa perdurante, sed non possunt prohibitioni apponere clausulam irritantem; haec enim potestas uni reservatur S. Sedi (can. 1039).

Caput 6. IMPEDIMENTA DIRIMENTIA

795 Tredecim impedimenta dirimentia a can. 1067 ad 1080 enumerat ius novum canonicum: defectum aetatis, impotentiam, ligamen, disparitatem cultus, ordinem sacrum, votum sollemne, raptum, crimen, consanguinitatem, affinitatem, honestatem publicam, cognationem spiritualem et legalem.

Si tamen sub generica cognationis appellatione cuiusvis speciei cognationes e quolibet vinculo derivatas complectaris, sive eam (naturalem et proprii nominis), quae vel arctissima ex communi origine seu sanguinis vinculo, vel minus arcta ex affinitate seu ex matrimonii validi vinculo oritur, sive eam (minus propriam, in ipsa tamen rei natura magis minusve fundatam), quae eo ipso per matrimoniale vinculum existimatum, aut per communis vitae ad instar coniugalis coniunctionem censetur induci, sive eam (similitudinariam), quae propter legale baptismi vel adoptionis vinculum canonice statuitur; si denique votum sollemne et ordinem sacrum cum ipso matrimoniali vinculo ad communem *ligaminis* cuiusdam rationem reducas, eo quod, sicut istud inseparabiliter devincit cum coniuge vivente, ita primum cum Deo, alterum cum Ecclesia in perpetuum homines coniungit; illa, inquam, si ita ad uni-

---

[1] Supponitur proinde defectus, cuius manifestatio hominem cogeret manere innuptum, proindeque defectus non huic personae aut paucis relativus; si enim paucos tantum respiceret, a contrahendo cum his desistendum esset (nisi quis defectum manifestare mallet) et alia persona quaerenda.

[2] De revelandis defectibus cf. SÁNCHEZ l. 1, d. 68, l. 6, d. 27, n. 7-11; SALMANT. tr. 9, c. 2, n. 97-99; S. ALPH. n. 864 865.

[3] VERM.-CREUS. n. 299, 2°.

versaliores rationes referas, sequentia enumerabis impedimentorum dirimentium genera: defectum aetatis, impotentiam, ligamen, cultus disparitatem, raptum, crimen, cognationem.

Dirimunt quoque matrimonium error et metus, quae vicissim ad *consensus vitium* reduci possunt; sed hi, sicut et *vitium formae* seu clandestinitas, impedimenta proprie dicenda non sunt, ut supra (n. 777 nota) animadvertimus, ideoque de iis inferius distincto loco, sicut id in iuris Codice actum videmus, agendum erit.

Art. 1. Defectus aetatis.

796 **Defectus aetatis** impedimentum non est iure naturali dirimens, quavis enim aetate de iure naturali matrimonium initur valide, dummodo sufficiens habeatur rationis discretio ad consensum rite ponendum; siquidem ad contractus huius valorem non requiritur, ut iam statim perfici possit copula, sed sufficit eius spes, potest enim valide tradi ius ad rem futuram (n. 293, 2°).

Sed iure canonico[1] vir non potest matrimonium inire *valide*, nisi sexdecim aetatis annos expleverit, mulier nisi qua-

---

1 « § 1. Vir ante decimum sextum aetatis annum completum, mulier ante decimum quartum item completum, matrimonium validum inire non possunt. — § 2. Licet matrimonium post praedictam aetatem contractum validum sit, curent tamen animarum pastores ab eo avertere iuvenes ante aetatem, qua, secundum regionis receptos mores, matrimonium iniri solet » (can. 1067).

Ius civile *arg.* a. 166, 4°, 242, 1° « annullabile » declarat matrimonium initum ante completum aetatis annum 14 viri, 12 feminae; *br.* a. 183 XII, 209 215 « annullabile », si contrahatur ante annos 18 viri, 16 feminae, excepto casu, quo haec gravida evaserit; *chil.* « Ley de Matrim. civ. » a. 4 29 « nullum » habet matrimonium impuberum, id est, (*C. C.* a. 26) initum a viro ante expletum aetatis annum 14, a femina ante expletum 12; *col.* a. 140, 2° « nullum » dicit, si contrahatur a viro ante expletos annos 14, a femina ante 12; attamen matrimonium contractum ritu catholico validum est quoad omnes effectus civiles et politicos (Lex 57 anni 1887 art. 12; lex 153 eiusdem anni art. 19; lex 35 anni 1888, quae vigent loco art. 139 *Codicis Civilis*); *gall.* a. 144 184-187 « annullabile » habet matrimonium ante expletos annos 18 a viro, 15 a femina; *hisp.* a. 42 75 76 matrimonium iuxta Ecclesiae canones valide contractum validum habet quoad omnes effectus civiles; matrimonium autem mere civiliter initum a. 83 tamquam nullum habet ante expletos annos viri 14, feminae 12, sed illud, ea aetate adepta, ipso facto convalidatum dicit si contrahentes uno die simul convixerint quin circa invaliditatem reclamaverint, vel si femina praegnans evaserit ante eam aetatem vel antequam reclamaret; *lus.* a. 1073, 4°, 1074 1089 seqq. annullat matrimonia inita a viro ante expletos annos 14, a femina ante expletos 12; matrimonia tamen iuxta canones Ecclesiae in natione receptos celebrata valida sunt etiam civiliter, nec possunt irrita declarari nisi a tribunali ecclesiastico (a. 1057 1069 1070

tuordecim, quamvis in utroque pubertas iam aliquanto antea plerisque in regionibus apparuerit[1].

Neque tamen inde sequitur posse matrimonium iniri eique vacari *licite*, protinus ac adepta est aetas, qua iniri possit valide; nam si praepropere vires generativae exerceantur, natura extenuatur prolesque vel nulla vel miserrima gignitur. Plerumque enim non sequitur generatio ante annum circiter 18 pro viris, 15 pro feminis, nec plenam maturitatem homo solet adipisci, nisi circiter aetatis anno 23 et 20 respective; haec tamen pro diversitate regionum paulo diverse computari debent. Opus est igitur, adepta aetate canonica valide contrahendi, annos aliquot exspectare[2]; propterea monet can. 1067, § 2, ut pastores animarum a matrimonio avertant iuvenes ante aetatem, qua id secundum regionis receptos mores iniri soleat.

1086 1087); *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 171 18 et 108 (cf. a. 258 Codicis pristini in a. 108 citatae legis ex parte inclusum) matrimonium contractum ante expletos annos 16 a viro, 14 a femina habet quidem nullum, non tamen, si coniuges iam habeant filios, aut si, deficientibus filiis, minor ad 21 aetatis annum pervenerit quin ipse vel compars nullitatem intentaverit; *ur.* a. 93 176 177, matrimonium a viro contractum ante expletos annos 14, a femina ante 12, impedimento afficit dirimente; attamen declarari non potest nullum transactis diebus 180 post adeptam ab ambobus pubertatem, aut si femina conceperit ante pubertatem legalem vel ante transactos illos 180 dies.

[1] Aetas pubertatis (n. 184) ea est, qua in viro incipit elaborari semen, in femina phaenomenon incipit ovulationis, quae se per menstruationem prodit. Advenit in viro pubertas in 14.o circiter aetatis anno, in femina versus 12.um; non tamen eadem est ubique, acceleratur enim in regionibus calidis, retardatur in frigidis, attamen intra certos limites; nam in femina ex. gr. maxima retardatio (usque ad 18-20 annos) observatur in quibusdam regionibus borealibus, maxima acceleratio (anno iam 11) in quibusdam intertropicalibus (maior quidem acceleratio narratur evenisse aliquando, sed in casibus admodum raris); immo, in eadem regione quaedam amplitudo advertitur pro personarum indole et occupationibus. Procreandi aptitudo desinit in femina versus annos 45-50; in viro seminis secretio minuitur gradatim ab anno circiter 50, sed videtur in provecta etiam aetate non exstingui, etenim non raro masculi expletis adhuc annis 70 et ultra generarunt.

Cf. QUATREFAGES, *Introd. à l'étude des races hum.* (ed. 2) p. 228; Dr. SURBLED, *La morale* I, p. 119-120 130-138; *Encicl. univ. Espasa*, v. Pubertad p. 6, col. 2; Dr. FÉRÉ, *L'inst. sex.* p. 8; ANTONELLI, *Med. pastor.* I, n. 188 205-206, II, n. 361; ESCHBACH, *Disp. phys.-theol.* (ed. 3) I, p. 35 nota, p. 54; FERR. n. 1001; VERMEERSCH, *De cast.* n. 54 55; WERNZ IV, n. 311 nota 6.

[2] Aetatem pubertatis nullatenus putandam esse eamdem ac aetatem nubilitatis, sed hanc sat serius evenire post illam, cf. sis apud Dr. SURBLED, *La morale* I, 130-138; Dr. LE GENDRE, *Déontologie méd.* p. 276, *Encicl. univ.* ESPASA, v. Matrimonio p. 1066; PAYEN, *Déontol. méd.* n. 268 269; ANTONELLI op. cit. II, n. 358-363; ESCHBACH op. cit. p. 35 107-109; VERMEERSCH op. et loc. cit.

Art. 2. Impotentia.

Impotentia, quae confundenda non est cum sterilitate (n. 217), impedimentum dirimens constituit non de iure solum ecclesiastico[1], sed etiam naturali, si est *perpetua* et *certa*[2]. **797**

---

1 « § 1. Impotentia antecedens et perpetua, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive alteri cognita sive non, sive absoluta sive relativa, matrimonium ipso iure naturae dirimit. — § 2. Si impedimentum impotentiae dubium sit, sive dubio iuris sive dubio facti, matrimonium non est impediendum. — § 3. Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit » (can. 1068).

Iuxta pleraque iura quoque civilia impotentia matrimonii validitatem vitiat. Nam iure *arg.* a. 242, 4°, impotentia absoluta, aperta et matrimonii celebrationem antecedens istud reddit « annullabile »; *br.* a. 219, III matrimonium est « annullabile », si initum fuit cum ignorantia defectus alicuius physici perpetui, quo compars laborabat; *chil.* « Ley de matrim. civil » a. 4 et 29 ex impotentia perpetua et irremediabili matrimonium est « nullum »; *col.* a. 113 140, 1°, 1502 1508 1510 1511 contractus considerari potest nullus ob errorem consensum vitiantem; *gall.* impotentia non recensetur inter causas matrimonium annullantes idque confirmatur ex a. 313; cf. etiam *A.S.S.* X, p. 504; Eschbach, *Disp. phys.-theol.* disp. 1, c. 8, a. III; Ball.-P. VI, n. 1298; Wernz n. 354; Vermeersch, *De cast.* n. 68, et consule, si lubet, De Smet II, n. 562, ubi exponit legislationem Belgii; *hisp.* a. 83, 4° quoad matrimonium civile, incapaces sunt illud contrahendi qui impotentia laborant physica, absoluta vel relativa, antecedente, aperta, perpetua et incurabili; *lus.* impotentia non recensetur inter causas matrimonium annullantes, sed allegari tantum potest ad recusandam prolis legitimitatem et dummodo fuerit consequens, ut habet a. 105; quoad matrimonia tamen catholicorum ratas habet sententias nullitatis a tribunali ecclesiastico pronuntiatas a. 1088; cf. etiam Vermeersch, *De cast.* n. 68; *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 17 VIII, 107, impotentia physica incurabilis matrimonium subiicit nullitati; *ur.* impotentia non recensetur inter causas matrimonium annullantes, idque confirmatur ex a. 194, posset tamen matrimonii validitas impugnari, sub quibusdam restrictionibus ob defectum consensus, ut habes ex a. 93, 2°, et 175.

Declarata igitur matrimonii nullitate ob impotentiam in tribunali ecclesiastico, ex eodem capite obtineri poterit deinde nullitas in foro civili apud plerasque nationes (saltem si agatur de impotentia coeundi, de hac enim sola seu in sensu medicorum verendum est ne iudices accipiant impotentiam a lege civili agnitam); in ceteris, ubi lex civilis impotentiam non recenset inter causas nullitatis, recurri debebit ad alium titulum, v. gr. ad defectum consensus vel errorem. Circa distinctionem inter matrimonium « nullum » et « annullabile », ab aliquibus Codicibus admissam, cf. Lehmk., *Das bürgerliche Gesetzbuch etc.* (1911) p. 357 358 366. Huiusmodi annullationes saepe terminum peremptorium habent, cum Codicem assignant ubi de praescriptione actionum personalium.

2 Adiungunt alii, quod sit *antecedens*, id est, quod matrimonium praecesserit; sed iam patet nos loqui de impotentia *antecedente*, siquidem agimus hic de impedimentis matrimonium contrahendum dirimentibus; quae autem impotentia matrimonio iam contracto superveniat (vocatur impotentia subsequens vel *consequens*), illud annullare non poterit, quoniam illius vinculum

Impotentia[1], ut matrimonium contrahendum dirimat, de-

est, durante vita coniugum, indissolubile. An autem impotentia consequens impediat coniugii usum, dicetur inferius, ubi de usu matrimonii.

[1] Etsi in n. 217 aliquam definitionem dederimus impotentiae et sterilitatis, accuratiorem hic notionem dare oportet.

Impotentia in genere est incapacitas gignendi, sive quia non potest peragi copulatio, sive quia non obstante copula obtineri nequit generatio, idque vel ex defectu ipsius copulae, quae eius naturae non est, e qua generatio sequi possit, vel alia quavis de causa.

Hinc duplicis speciei impotentia distinguitur. Nempe:

Altera est *impotentia coeundi* seu peragendi copulationem. Haec, si perpetua est aliasque habet condiciones supra recensitas, iure naturali matrimonium dirimit, iuxta omnes.

Altera est *impotentia generandi* tantum, quae tunc habetur cum potentia coeundi non deest, vitium tamen aliquod habetur impediens quominus de facto sequatur generatio; vocatur quoque *sterilitas*.

Impotentia generandi seu sterilitas rursus duplex distingui potest, prouti vitium in ipsa copula residet, quae per se apta non est ad generandum vel secus.

Nam, si peragi quidem potest copula per se apta ad generationem, generatio autem aliis de causis plus minus occultis impediatur quominus obtineri possit (*sterilitas* presse dicta), matrimonium nec iure naturali dirimit nec canonico. Sin autem potentia quidem habeatur coeundi, vitium vero eiusmodi sit, ut copula non sit « per se apta ad generationem » (*sterilitas* latiore sensu), matrimonium iure naturali dirimit, dummodo perpetua sit aliasque habeat condiciones supra recensitas; non tamen consentiunt omnes ut nunc dicetur, circa omnia requisita ad constituendam copulam « per se aptam ad generationem », saltem si simul dicenda sit matrimonialis, id est, apta simul ad constituendum matrimonium iure naturae validum.

Porro, ut habeatur copula « per se apta ad generationem », quae dicitur copula perfecta, requiritur:

1° *Seminatio viri*, quae omnino proprie intelligenda est, id est, effusio in qua contineatur verum « semen », seu humor elaboratus a testiculis; proinde copulam non efficiunt per se aptam ad generationem qui, etsi vaginam penetrent, ut saepe eunuchi, humorem tantum effundere possunt, quem moralistae dicunt distillationis, seu a prostata aliisve glandulis provenientem. Non est tamen necesse, ut semen sit prolificum, ut patet ex praxi Ecclesiae (et iuristarum civilium) admittendi ad matrimonium senes quantumcumque provectos, dummodo vaginam penetrare atque humorem testicularem deponere valeant, qui tamen iam non est prolificus.

E contra, humores vaginales non requiruntur, utpote qui ad generationem non sunt necessarii (Antonelli I, n. 214; Eschbach, *Disp. phys.-theol.* I, p. 70; Vermeersch, *De cast.* n. 12, 2°, 83; Dr. Surbled, *La morale* I, pg. 108; Dr. Forel, *La question sex.* c. 8, § 3, p. 251; propterea copula per se apta esset ad generandum, quamvis in ea deesset forte ex parte mulieris humorum effusio, quam improprie vocant seminationem femineam; improprie, inquam, quia seminationi virili proprie respondet ex parte feminae ovulatio, non secretiones vaginales, siquidem ex semine et ovulo resultat fecundatio.

Requiri ad copulam perfectam « verum semen », sententia est indubitata theologorum et canonistarum: Sánchez l. 7, d. 92, n. 6

bet esse *perpetua* (can. 1068, § 1); nam, si tantum temporanea,

---

et 17; S. Alph. n. 1095; Ferreres, *De vasect. dupl.* n. 21-32, 88-110; Gasparri n. 573; Wernz n. 342; Antonelli II, cap. 1 et 2; Eschbach op. cit. I, c. 3, prop. IX, p. 204 seqq.; De Smet n. 550; adeo ut, fatente Vermeersch, *De cast.* n. 59 60, p. 49 53 57 theologi, qui usque ad tempora Sixti V impotentiae impedimentum simpliciter dicebant incapacitatem coeundi, inde ab huius Pontificis declaratione (hanc integram affert Gasparri n. 602) aliam formam magis expressam communiter adoptaverint, nempe copulae « perfectae, seu per se aptae ad generationem », idque non ad alium finem, nisi ad negandum eunuchis matrimonium, ideoque ad significandam expresse necessitatem veri seminis.

Subdubitat quidem Vermeersch (ut legimus apud Verm.-Creus. n. 315 alludentem forte ad illius opus *De cast.* [ed. 1] n. 59, p. 49 nota 7; n. 60, p. 57 58 60 61 cum nota; n. 61, p. 63 sub initium) num verum semen requiratur « iure naturae ». Fundamenta dubitationis videntur esse haec:

a) Theologi ideo persuasi sunt ad valide contrahendum requiri iure naturae verum semen, quia Sixtus V nulla declaravit matrimonia eunuchorum sic contracta. Atqui potuit ea declarare nulla ex sua potestate dissolvendi matrimonia nondum consummata. Ergo non necessario id debuit facere ex eo quod nulla fuissent iure naturae (Vermeersch, *De cast.* [ed. 1] p. 49 nota, 61 nota).

b) Hinc nova ratio intelligendi impotentiam inducta est, quasi formalis ratio in eunuchis esset ineptitudo ad generandum, cum usque ad illud tempus formalis ratio impotentiae reposita fuisset in ineptudine ad coeundum (ibid. p. 50 53 60).

c) Eunuchi ideo impotentes dici possunt, non quia carent vero semine, sed quia perpetuam copulae facultatem non habent; matrimonium enim, cum sit indissolubile, perpetuam poscit corporum traditionem (ibid. p. 58 60).

d) Qui potentiam admittunt mulieris excisae et simul impotentem dicunt virum ob defectum veri seminis, aliquam difficultatem experientur, ne videantur ad potentiam plus exigere in viro quam in femina. Praeterea parum consequenter ad copulam per se aptam generationi exigunt semen virile, dum feminam dispensant ab ovulatione, quae generationi non minus necessaria est (ibid. p. 58 59).

e) Certe vera copula dici nequit, nisi in seminis effusionem desinat. Sed cum semen partim e testibus, partim ex aliis glandulis confluat, dubitari potest num sufficiat ut ab his subministretur (ibid. p. 63).

Ad *a*) Incredibile est Pontificem adeo magnam perturbationem provocare voluisse tot matrimonia dissolvendo, si ea valida relinquere potuisset. Dicendum est ergo ea fuisse inita nulliter iure naturae.

Praeterea advertendum est non potuisse ea dissolvere, nisi quatenus inconsummata essent. Vidit ergo Pontifex nondum in his matrimoniis posita fuisse omnia de iure naturae requisita ad consummationem. Ergo verum semen requiritur de iure naturae ad consummationem, ideoque et ad valide contrahendum. Nec dicas forte Pontificem ea matrimonia dissolvisse propter ius ecclesiasticum praecedens, quod tunc declarabatur verum semen requisiisse; non enim ulla tunc erat lex ecclesiastica specialis, quae sub hoc respectu declaratione egeret, ut patet ex iis qui, cum ante Sixtum V invaliditatem matrimonii eunuchorum in dubium vocarent, non ullam legem ecclesiasticam invocabant, sed rationes plane alias (cf. apud Sánchez l. 7, disp. 92, n. 15).

contractus valori non obstat, valet enim contractus circa mate-

---

Responsi denique instar sint tot theologi et canonistae, qui post SIXTUM V sine ulla haesitatione intellexerunt verum semen requiri de iure naturali (cf. ARENDT, opusc. *Matrim. fem. recisae* n. 130); nam cum argumentis olim in contrarium adductis respondebant, non legem a SIXTO V statutam opponebant (eam opposuisse fuisset satis, si semen de iure ecclesiastico tantum, non de iure naturae necessarium fuisset), sed alias prorsus rationes (cf. apud SÁNCHEZ ibid. n. 17, porro n. 7 et 18).

Ad *b*) Ratio formalis impotentiae non coepit reponi, post SIXTI V decretum, in incapacitate generandi, sed reposita fuit in incapacitate exercendi copulam continentem in se elementa ad generationem necessaria (quod si sententia severior requirit praeterea exsistentiam ceterorum organorum, quae sunt ad generationem necessaria, non heic rationem formalem ponit, cum ea tantum exigat indirecte et in obliquo).

Sed nec ante SIXTUM V istam rationem formalem excludebat illa formula « impotentia coeundi » ab antiquioribus usurpata, sed tantum eam rationem explicite non exprimebat. Immo, hanc formulam sat communiter in sensu praedictae rationis formalis acceptam fuisse a theologis ante SIXTUM V ex eo colligi potest quod iam plerique eunuchis matrimonium denegabant.

Ad *c*) Imprimis supponi debent a claro auctore nulli esse aut omnino rarissimi eunuchi conservantes perpetuam potentiam coeundi (si enim tam rari non essent et sola ratio imperpetuitatis potentiae ut ipse putat, matrimonium irritasset, non potuisset Pontifex omnia indiscriminatim eunuchorum matrimonia dissolvere); hanc autem incapacitatem perpetuam esse adeo generalem forte egeret probatione.

Deinde ad matrimonii validitatem non sufficere potentiam, quae praevidetur post tempus diuturnum, maxime si plane indefinitum, cessatura, non videtur admittendum. Immo, in contrarium sunt senes, qui ad matrimonium admittuntur valde provecti, dummodo actualiter sint potentes, cum tamen proxima praevideatur frigiditas, ideoque potentia certo praevideatur parum duratura, quamvis protrahatur vita. In contrarium quoque, qui iam nunc signa morbis incurabilis prae se ferret ex quo praevideretur certo necessaria post tempus diuturnum castratio. Et ratio a priori est, quia indissolubilitati matrimonii, quam obiicit clarus auctor, solum opponi posset traditio restricta ad certum tempus. Iam vero, ubi impotentia cum certitudine tantum morali praevidetur non perpetuo duratura, nihil impedit quominus consensus complectatur etiam casum physice possibilem, ideoque ponatur ex se perpetuus. Propterea valet consensus, quem omnes solent ponere, quamvis moraliter certo praevideant se impotentes fore in extrema senectute; dum e contra non valeret, si quis omnino serio contrahere vellet tantum pro tempore « donec in senectute impotens efficiar ».

Praeterea, etsi eunuchi impotentes dicerentur ob rationem a laudato auctore assignatam, id non obstaret quominus impotentes simul deberent dici ob aliam rationem, nempe ob defectum veri seminis (cf. ARENDT opusc. *Matrim fem. recisae* n. 132).

Denique opponatur omnium testimonium, qui matrimonia eunuchorum non ob defectum perpetuitatis potentiae irrita fuisse intellexerunt, sed ob carentiam veri seminis, quam allegaverat declaratio pontificia.

Ad *d*) Nullum est inaequalitatis vitium, si tam a viro quam a femina exigitur ut quisque ad « actum » copulae perfectae conferat, quod, sive multum sive parum sit, ipse solus afferre potest,

riam futuram *. Perpetua dicitur, quae nec removeri nec tractu

et ad eum est necessarium. Loquimur, ut patet, in sententia eorum, qui matrimonium mulieris excisae defendunt, nam in contraria sententia nulla difficultas.

Ad *e*) Quod a glandula prostatica subministratur, non est semen; estque eius pars, quatenus est eiusdem vehiculum necessarium. Unde, si seorsim a secretione testiculari consideratur, tam parum vocari potest semen, quam aqua sola vocari potest vinum, cuius est pars, aut vaselina medicamen, cum sit vehiculum multorum medicaminum.

Invocandum rursus commune theologorum testimonium, qui praecise locutionem illam « verum semen » usurparunt, ut, ad exemplum Sixti V, per *τό* « verum », semen a testibus ortum opponerent falso semini eunuchorum, significarentque hoc ultimum ad potentiam non sufficere

2° *Penetratio vaginae.* Nam copula, qua semen effundatur extra ad vaginae ostium, etsi generationem provocare possit, si forte aliquam eius partem vagina absorbeat, et propterea matrimonium iam contractum vere possit ita consummari; tamen non est habenda tamquam *per se* apta ad generationem, quia generationem, etsi possibilem, non tamen probabilem facit; praeterea, non est naturalis copula, ad quam matrimonium ordinatur, immo nec vere copula. Quare, qui eam hac solum ratione perficere possit, impotens est, et matrimonium valide non contrahit. *A.S.S.* XXVIII, p. 463; Gasparri n. 576; Wernz n. 342 cum notis 2 et 4; Vermeersch, *De cast.* n. 72; De Smet n. 550; Gén.-S. n. 484. Denique, si sufficeret semen ad vaginae os apponere, vanum esset impedimentum ex vaginae arctitudine constanter a theologis et canonistis agnitum, et pessum irent decisiones nullitatis ex hoc capite a *S.C.C.* datae.

Contrarium probabile tradidit Ball.-P. n. 1269, nixus dictis Vallisnierii et quibusdam hodiernis medicinae dictionariis referentibus quosdam casus conceptionis ex copula ad os vaginale habita. Sed ex nuper dictis apparet non sufficere quod generatio « fortuito possit » sequi. Praeterea id quod sufficere potest ad matrimonium « contractum » *consummandum*, potest non sufficere ad constituendam potentiam pro matrimonio valide « contrahendo », ut notat Wernz loc. cit. nota 4 (ubi Sánchezium defendit, quem erronee de contradictione accusavit Gasparri n. 1032 et alii ab ipso Wernz *citati*). Erravit ergo Ballerini eiusque auctoritate deceptus fuit D'Annibale III, n. 431 nota 10, nimisque in eadem, suspicamur, confisus fuit Gén.-S. n. 484, 3°, ubi rem controversiae subiectam dixit.

Significavimus supra non eadem esse requisita ex parte copulae ad matrimonium contractum consummandum, atque ad constituendam potentiam in ordine ad illud contrahendum. Sed haec sub aliquo dubio dicta sunto; videntur enim communiter auctores copulam, qua coniuges « fiant una caro » (cf. de hac re Antonelli, *De Matrim.* II, cap. 1 et 2; Vermeersch, *De cast.* n. 77 seqq.) in eodem sensu accipere ad matrimonium consummandum atque ad illud contrahendum, nec de distinctione ulla sub hoc respectu cogitare. Attamen, pro distinctione statuenda, *a*) bene allegari posset cum Wernz loc. cit. testimonium Sánchezii, qui ita distinguit; asserit enim is l. 2, d. 21, n. 2 matrimonium iam con-

* Prohiberi tamen debet ut matrimonium contrahatur donec impotentia evanuerit et copulatio fieri possit; secus enim gravissimum periculum peccandi impenderet pro neoconiuge potente.

temporis cessare potest; perpetua quoque habetur, quae, etsi absolute removeri posset, non tamen mediis licitis, vel non sine

---

tractum consummari « quacumque ratione » semen recipiatur, etsi daemonis ministerio, et tunc iam coniuges dici posse facti una caro; asserit vero l. 7, d. 92, n. 7 et d. 99, n. 37 potentiam seminandi ad os vasis non sufficere ad contrahendum valide, sed matrimonium manere irritum, quia non sufficit ad eius valorem quod semen casualiter possit recipi; aliunde vero virum et feminam fieri unam carnem per copulam qua ille seminet intra vas; quare videtur, in doctrina Sanchezii, ad duorum coniunctionem, qua fiant una caro, essentialem quidem semper esse seminationem ex parte viri et seminis receptionem ex parte feminae, insuper requiri aliquam utriusque *coniunctionem* in ordine ad generationem; ideoque quovis modo semen a femina recipiatur, totum hoc iam verificari, si accidat quando ambo iam coniuncti sunt per *vinculum* matrimoniale validum; non haberi autem hoc totum, quando non praeexsistit coniunctio per vinculum matrimoniale; tunc enim, cum seminatio nondum intelligitur cum matrimonialis vinculi coniunctione, necessario intelligenda erit cum physica copulae coniunctione, nimirum intra vas. — *b*) Auctores seminationem coniugum extra vas habent, extra necessitatem, pro gravi peccato (Vermeersch, *De cast.* n. 240, 4°); ergo qui aliter seminare non posset, est impotens (hanc vocant impotentiam ex caliditate), ideoque non sufficit haec copula ad contrahendum valide; aliunde iidem tradunt (Vermeersch ibid. n. 86) hanc sufficere ad matrimonium consummandum.

3° *Non sufficeret fecundatio artificialis* post seminationem seorsim peractam (haec seminatio utique esset mortalis, ut est manifestum). Si enim penetratio vaginae ita requiritur, ex praedictis, ad copulam per se aptam ad generationem, ut non sufficeret seminatio ad eius os, multo minus substitui poterit per artificialem translationem seminis ad mulierem seorsim a viro; deest enim prorsus omnis corporum commixtio, ad quam matrimonium ordinatur et ex qua fieri deberent una caro. Quare, etsi forte dubitari possit utrum hac ratione vere possit consummari matrimonium forte valide contractum, certissimum tamen est impotentem esse ad illud valide contrahendum eum qui aliter, atque hoc modo graviter illicito sperare non posset mulierem reddere fecundam (Gasparri n. 608 1302; Wernz n. 342 nota 4; De Smet n. 560). Sed de fecundatione artificiali alibi erit sermo.

4° *Utrum copula per se apta ad generationem relationem transcendentalem habeat ad uterum et ovaria*, utique ad concipiendum non impedita, ideoque coexsistentiam necessario importet horum organorum, quaestio est quam sub terminis aequivalentibus agitant theologi et canonistae, disceptantes de impotentia mulieris excisae. De hac fusius in una notarum subsequentium.

NB. — Denique adverti oportet, aliter accipi saepe apud medicos vocabula *sterilitatis* atque *impotentiae*. Nam steriles saepe vocant eos qui, cum feminam penetrent, seminare tamen non possunt, v. gr. eunuchos aut vasectomiacos (cf. v. gr. Féré, *L'inst. sex.* [ed. 3] p. 52; Dr. Surbled, *La morale* II, cap. 20-22), impotentiae nomen reservantes incapacibus penetrandi, id est, frigidis.

Discrimen ergo inter medicos et theologos in eo est, quod illi ad potentiam exigant tantum capacitatem physice coeundi, theologi requirant praeterea in viro capacitatem seminandi. Cf. supra, n. 217 nota.

probabili vitae periculo[1]. Debet quoque esse *certa* (can. 1068, § 2), in dubio enim standum est pro libertate naturali contrahendi (n. 783 nota).

Sunt igitur matrimonii contrahendi incapaces: 1° Eunu- **798**
chi, utpote qui, utroque testiculo orbati, semen producere non possunt, etsi vaginam penetrare[2] possint liquidumque distillationis (n. 184) immittere. — 2° Vasectomiaci, seu quibus utrique canales deferentes secti sunt; nam etsi ii quoque penetrare valeant et forte aliquid seminis producant, id tamen deponere non possunt, intersecta via, qua ad extra conducatur; qui defectus videtur hodierna arte medica irreparabilis[3]. — 3° Frigidi, seu qui, ob nullam aut insufficientem erectionem, vaginam penetrare non valent, si nulla sit spes fore, ut huiusmodi imbecillitas auferatur[4].

---

1 Cf. Sánchez l. 7, d. 93, n. 7 seqq.; Gasparri n. 591; Wernz n. 343 III.

Ex supra dictis colliges: 1° Nullum est matrimonium, etsi quis, dum illud init, intentionem habeat se reddendi postea potentem mediis illicitis; vere enim impotens erat in sensu supra definito dum contrahebat, ideoque valide contrahere non poterat. — 2° Si deinde fit potens mediis illicitis, vel cum periculo vitae, potest nunc matrimonium aliud contrahere, quia iam est potens, nec obstat prius matrimonium, quia fuit nullum; excipe, si dolus intercesserat, quem nonnisi contrahendo cum priore coniuge reparare possit; excipe quoque, si impotentia sublata fuit per operationem, in qua nullum periculum subiit, tunc enim evidens fit quod non erat perpetuo impotens. Cf. Sánchez l. 7, d. 93, n. 8 20; Wernz n. 343 nota 7; Lehmk. n. 976. — 3° Si frigidus fornicetur, restaurari debet prius matrimonium; experientia enim patefecit eum falso putatum fuisse perpetuo frigidum. cf. Sánchez l. 7, d. 99, n. 2.

2 Eunuchi, in adulta aetate castrati, diu potentiam copulationis servant; saepe tamen post spatium plus minus longum, ne id quidem possunt. Ita, ut videtur, ex Sánchez l. 7, d. 92, n. 15-17; Dr. Surbled, *La morale* I, cap. 13, II, p. 116; Antonelli I, n. 287, II, n. 124 125; Ferreres, *De vasect. dupl.* n. 130 seqq., n. 172 seqq.; Vermeersch, *De cast.* n. 51 60 (pag. 60) 84 328 *b*.

3 Cf. Ferreres, qui eximie de vasectomiacis scripsit in opusc. *De vasect. dupl.*; Eschbach, *Disp. phys.-theol.* (ed. 3) I, disp. 1, c 2, a. 7 et commentariolum additum ad finem voluminis; De Smet n. 550, p. 67 nota 1; Vermeersch, *De cast.* n. 52 73 84; Gén.-S. n. 484 NB.

4 Causas nullitatis matrimonii ex capite impotentiae in Tribunalibus Curiae Romanae agitatas videsis in voluminibus *Acta Sanctae Sedis*: ob frigiditatem sive ob incapacitatem erectionis, aut ob erectionem insufficientem aut nimis breviter perdurantem, cuius vitium, attenta aetate, sperari non potest ut corrigatur: vol. IV, p. 374, X, 435, XVI, 215, XVII, 322, XVIII, 242, XIX, 272, XXI, 453, XXIII, 277, XXIV, 331 et 397, XXVI, 85 470 et 585, XXIX, 454, XXXI, 196, XXXII, 218 et 641; ob atrophiam testiculorum: XI, 134, XXVIII, 543, XXXI, 480; ob impotentiam seminandi post penetrationem: XI, 427; ob caliditatem, seu ob nimis properam seminationem extra vas: XI, 53; ob genitalium viri parvitatem: XVII, 3; ob vitiosam genitalium viri conformationem: XXIII, 465, XXIX, 400; ob

At matrimonii contrahendi incapaces non sunt: 1° Senes[1], etsi valde provectae aetatis, integra enim habent organa, veram-

absentiam vaginae et uteri: XIV, 58; ob nimiam vaginae arctitudinem, sive absolutam, sive relative ad compartem tantum: XXIV, 167, XXV, 542 et 726, XXVIII, 455; ob atresiam mulieris, seu imperforationem, seu vitiosam vulvae conformationem: XXIX, 552, XXXII, 658; ob vaginismum incurabilem, seu hyperaesthesiam vulvae intolerabiles spasmos ex levi contactu producentem: XXVIII, 154, XXIV, 234 (de vaginismo cf. Dr. SURBLED, *La morale* II, p. 100-104; ANTONELLI op. cit. II, n. 299).

[1] Operae pretium est accuratius perpendere, cur senes censeantur potentes, cum certum sit non esse proliferos, praesertim cum solutio valde intersit ad quaestionem postea tractandam de potentia mulieris excisae.

Auctores uno ore rationem reddunt, quia semen senum, contra ac humor eunuchorum, est « verum semen » (SÁNCHEZ l. 7, d. 92, n. 17 19-22; BUS. ap. S. ALPH. n. 1095; BALL.-P. n. 1299; FERRERES, *De vasect. dupl.* n. 28 seqq., 97 seqq., 194 seqq.); et propterea potentes eos dicunt, si coire valent semenque intra vas deponere (secus vero, si constaret id non posse; SÁNCHEZ l. 7, d. 92, n. 23 24; FERRERES op. cit. n. 30; ARENDT, opusc. *De matrim. fem. recisae* n. 60; quod aliunde manifestum est; a matrimonio enim arcendi essent sicut omnes frigidi).

Difficultas vero est, cur sufficiat eorum semen esse verum semen, si, de cetero, tam inutile sit ad generandum quam semen eunuchorum.

Pro responsione saepe legitur apud auctores « per accidens » esse quod semen senum non sit prolificum. Responsio prima facie obscura; dato enim quod id senibus sit per accidens, quaeri potest cum VERMEERSCH, *De cast.* n. 60, p. 54, n. 63, 5°, n. 69, cur, si eunuchi a matrimonio arcentur per se, eo quod sint per se infecundi, senes non arceantur per accidens, si improlifici sunt per accidens (similia leges apud SÁNCHEZ l. 7, d. 92, n. 13). Eo vel magis, quod ad matrimonium non admitteretur is, cui testes casu ablati essent, v. gr. morsu animalis, cum tamen aliquo modo vocari posset eunuchus per accidens, eiusque humores, quos emittit, improliferi per accidens.

Alias respondent auctores, quod senes non prohibentur nubere, eo quod aliquando visi sunt in maxima etiam senectute generare, citanturque casus qui fere in proverbium transiere, tum virorum decrepitorum tum etiam, quod magis mirum est, mulierum (casus cf. apud FERRERES, *De vasect. dupl.* n. 97 seqq., 196 seqq.; ESCHBACH, *Disp. phys.-theol.* disp. 1, c. 2, a. 4, et disp. 2, c. 2, a. 2; GASPARRI n. 566 567; ANTONELLI II, n. 174; Dr. FÉRÉ, *L' inst. sex.* p. 12; Dr. SURBLED, *La morale* I, p. 120). Verum huiusmodi rarissimae exceptiones spem nullam fundant, nec certitudinem infirmant, quae saepe habetur de infecunditate senum nupturientium; nam etsi definiri nequeat, qua praecise aetate desinat vis prolifica (BALL.-P. n. 889), certe tamen est aetas, in qua certo asseri potest ea desiisse; v. gr. certo licet asserere hunc senem octogenarium, vel hanc septuagenariam vetulam, nullam prolem fore genituros. Nec possent ii admitti ad matrimonium tantummodo ob miras illas exceptiones. Revera enim ineptum esset ad remotissimas, levissimas, fere evanescentes possibilitates in contrarium respicere, ut iudicia practica efformarentur. Nequit ergo admitti, quod praecise in probabilitate tam contemptibili fundetur praxis Ecclesiae ad concedenda senibus quibuslibet matrimonia, eunuchis deneganda.

que copulam cum emissione veri seminis, etsi non prolifici, habere valent. — 2° Mulieres menstruationem non habentes,

Vera igitur ratio, cur ad matrimonium senes admittantur non obstante certitudine de ipsorum infecunditate, est quia eorum copula, etiamsi infecunda sit, est tamen *eiusdem omnino naturae* ac copula per se apta ad generationem, id est constat iisdem constitutivis, eiusdemque prorsus est speciei ac illa copula; est ergo illa copula, ideoque ad valide contrahendum utilis. Quod quidem in vetula manifestum est, siquidem ex parte mulieris essentiale tantum est quod passive se habeat semen recipiendo; eius enim humores vulvo-vaginales, etsi ad coitus facilitatem et maiorem satietatem valde inserviant, ad generationem directe nihil conferunt. Sed nec in viro, si penetrat et seminat, est difficultas; si enim humorem seminat (etsi infecundum) vere e testiculis procedentem, humorem emittit eiusdem naturae, ac emittit adultus quilibet. E contra, eunuchi copula eiusdem naturae non est ac copula per se apta ad generationem; deest enim, quod maxime est praecipuum, semen testiculare; non enim quilibet humor sufficit ad constituendam copulam per se aptam ad generationem, ut patet si quis penetraret et (supponatur) mere sanguinem eiacularet.

Dices forte: In senis semine deest quod est praecipuum, spermatozoides, vel saltem hi sunt prorsus imperfecti aut alterati. Ergo semen diversae est compositionis, ideoque et naturae diversae. — *Resp.*: Quod spermatozoides desint in sene etiam provecto, verum non est, nam communiter contrarium evenit (Ferreres, *De vasect. dupl.* n. 98-102; Dr. Féré op. cit. p. 11-12; Dr. Surbied op. cit. I, p. 120), ideoque contrarium semper praesumendum erit. Quod autem sint imperfecti aut alterati, eorum naturam non mutat, spermatozoides enim sunt, non aliud.

Immo nec quidquam referret quod in semine a sene emisso portio e testiculis procedens pauca esset eaque spermatozoidis constaret prorsus inutilibus; etenim id immutationem seminis importaret physice tantum, non eius naturae physiologice consideratae; ad hanc enim sufficit origo alicuius portionis ex iisdem glandulis ac semen normale — sicut physiologice eiusdem naturae est succus gastricus normalis ac succus gastricus in sua compositione alteratus, immo etiam forte digestioni noxius, urina diabeticorum ac urina normalis — sufficit enim physiologice quod secretio eamdem originem habeat. Ratio a priori est, quia glandulae functionem habent specificam, et cum physiologiae sit considerare functiones, physiologice secretio eiusdem manet naturae dummodo ab eadem procedat glandula, quin physiologicam suam naturam amittat, quamvis pathologice immutetur; propterea secretio prostatica et testicularis diversae sunt naturae, quia a diversis glandulis procedunt. Secretio ergo testicularis naturam suam physiologice non amitteret, etsi ob functionis debilitatem aut morbum spermatozoides contineret paucos et inutiles.

Ex dictis elucet verissimam esse rationem illam quam auctores a tempore Sixti V tradiderunt, cur senes copulae perfectae, secus ac eunuchi, potentes sint: quia nempe eorum semen est « verum semen », id est, quia eamdem naturam habet ac semen normale testiculare, eunuchorum vero semen, cum aliam originem habeat, naturam non habet eamdem; hinc esse, quod senum copula eiusdem naturae sit ac ea, quae per se apta est ad generandum, utpote quae elementis iisdem constat, secus copula eunuchorum. Atque hunc esse sensum locutionis « quia est verum semen », qua passim utebantur, ipsi auctores plus minus aperte, suo quisque modo, declarabant (cf. v. gr. Sánchez l. 7, disp. 92,

menstruatio enim non est phaenomenon ad generandum necessarium.

---

n. 7 17; SALMANT. tr. 9, c. 12, n. 114; GASPARRI n. 580-582 602; FERRERES, *De vasect. dupl.* n. 28 29 105 seqq.).

Elucet quoque ex dictis sensum verum latere sub illa subobscura distinctione, quod semen eunuchorum sit infecundum per se, senum vero « per accidens ». Illud enim « per accidens » non debet accipi quasi « quod evenit praeter intentionem », ut in eviratione ex animalis morsu, sed « quod seminis naturam non mutat », reapse enim affectio senilis vel pathologica secretionis eius naturam non mutat, ideoque « ei accidit » tantum (cf. etiam ANTONELLI II, n. 204).

Nec deest omnis vis rationi alii ex raris casibus provectae fecunditatis desumptae. Quamvis enim nullam spem fundent fructuosi coniugii, ostendunt tamen fecundationem esse physice possibilem, idque sufficit ut senum consensus, dum contrahunt, vere possit ferri in matrimonii finem primarium, etsi moraliter certi sint se illum non obtenturos; eunuchi vero, cum probe norint eumdem esse sibi physice impossibilem, tam parum in illum consentire possunt quam in alendam prolem, si forte adveniet ex generatione spontanea.

Aliam viam init P. ARENDT in opusc. *De matrim. fem. recisae* ad explicandum cur senes, etiam provecti, ad contrahendum matrimonium dicendi sint habiles. Nimirum, quia potentia generandi praesumenda est semper, praesumptione quidem *iuris* et *de iure*, quae proinde elidi in nullo casu potest, nisi ob contrariam evidentiam facti (opusc. cit. n. 10 11 15 30 31). Senes ergo praesumendi sunt potentes generandi in quacumque aetate, quin obstet praesumptio contraria nixa in lege communiter observata, solum enim illiusmodi praesumptioni obstare posset evidentia facti contrarii, v. gr. carentia organi, vel seminis.

Verum enimvero, praesumendam esse potentiam generandi, nisi contrarium certo constet, indubium est, concedique ab omnibus debet. Eam autem praesumendam esse cum praesumptione *iuris* et *de iure*, id probatione eget, videturque gratis a claro viro assumi unice ad eam praesumptionem sustinendam contra certitudinem moralem ex facto constanti contrario exsurgentem; qua praesumptione admissa, nullo negotio sequeretur sua explicatio, videlicet, senes, utcumque decrepitos, ideo ad matrimonium admitti, quia, quantumcumque moraliter certi simus eos esse generandi impotentes, adhuc tamen de iure praesumuntur ad generandum potentes (ibid. n. 12 15 31 32 139 140).

Revera, cum praesumptio iuris et de iure ea sit, quae « ita sancitur, ut contrarium probari non possit », quae « contrariam probationem non admittit » etc. (ibid. n. 25), ostendi deberet huiusmodi praesumptionem exsistere in praesenti materia. Eius exsistentiam inde videtur auctor eruere, quia Ecclesia ad matrimonium admttit senes quoslibet (ibid. n. 13 29 32 33 34 133); verum haec videtur petitio theseos, quae probanda erat. Ex praxi enim Ecclesiae erueretur, si ex hac tantum praesumptione explicari posset; at vero eius praxis optime explicatur, atque ab omnibus explicatur, ex eo quod senes emittunt verum semen.

Denique, quod in senibus subsistat generandi potentia summe debilitata, sed non totaliter absit, videtur a laudato auctore solide non asseri, saltem in ordine ad praxim, quando aetas ea est, quae moraliter certo suadeat contrarium (cf. v. gr. VERMEERSCH, *De cast.* n. 60, p. 53, § « Verum cum non agatur »); rarissimi enim casus contrarii morale hoc iudicium in praxi mutari non sinunt;

Si *dubium* occurrit insolubile, sive facti[1], sive iuris, matrimonium impediri non debet[2], ut diximus, idque constat ex can. 1068, § 2. **799**

Dubium iuris occurrit praesertim circa mulierem ovariis vel utero carentem, nondum quidem solutum, quoniam pars asserens eam esse tantum « sterilem » et consequenter habilem ad contrahendum, probabilis est in praesenti controversiae statu nobilesque habet patronos. Putamus tamen eam esse « impotentem », quoniam, deficientibus organis ad generationem essentialibus, copula eiusdem naturae non est ac ea, ad quam matrimonium ordinatur; non enim sufficit penetrare et seminare, si id fiat in apparatu mutilo, qui ne generativi quidem nomen retinere potest[3].

---

recurrere autem ad praesumptionem iuris et de iure, ut illa summa deminutio, non absentia totalis, in praxi admittatur (ibid. n. 33), recursus est ad id, quod probandum erat.

1 Ob facti insolentiam praecipue citari meretur dubium circa determinationem sexus; nam occurrit aliquando (vide causas hoc super dubio habitas apud *S.C.C.* [*A.S.S.* XXI, p. 480 et XXVI, p. 223]), est tamen valde rarum. Nempe initio embryo utriusque sexus germina rudimentarie intra se continet, sed paulatim unius sexus tantum partes sese evolvunt, alterius partibus atrophiatis, atque ad extra respondentem formam construunt (cf. KEITH, *Human Embryology* [1921] p. 358 seqq.; PUJIULA, *Embriol. del hombre* II, n. 69 seqq.; *The Encycl. Brit.* v. Sex, v. Reprod. System p. 133); anomaliae inde provenire possunt, quod evolutio imperfecte fiat, vel non sit unius germinis exclusive. Nihilominus veri hermaphroditae reiiciuntur hodie a scientificis; reapse enim in ipsis unus sexus praevalet, etsi non semper facile determinetur. De hermaphroditismo cf., sis, SÁNCHEZ l. 7, d. 106; PUJIULA S.I. op. cit. II, n. 82; Dr. SURBLED, *La morale* II, p. 148-155; Dr. KEITH op. cit. p. 401; Dr. CAPELLMANN, *Med. past.* litt. D, c. 4, a. 5; VERMEERSCH, *De cast.* n. 31; ANTONELLI I, n. 266-282, II, n. 310-326; WERNZ n. 353; BALL.-P. n. 1273-1284.

2 Cf. etiam S. ALPH. n. 1102; WERNZ n. 345 nota 35.

Cf. tamen supra n. 783 nota, ubi diximus impediendum esse matrimonium, si dubium versatur circa impotentiam mere relativam; item, si quis consulto posuit causam dubio iuris.

Post contractum matrimonium, exorto dubio de impotentia perpetua illud antecedente, si dubium aliter dissipari non poterat, imponebatur a iudice, in iure antiquo, experimentum triennale. Hoc tamen experimentum in novo iure est abolitum, et iam diu ante huius promulgationem abierat in desuetudinem. De eo cf. SÁNCHEZ l. 7, d. 107-112; S. ALPH. n. 1103; GASPARRI n. 1499; WERNZ n. 351 nota 53, p. 514.

De modo procedendi in iudiciis de impotentia, cf. WERNZ n. 348 seqq. simul cum novo iure l. 4, tit. 20.

3 Fusiorem explicationem merentur praedicta, sicut et adversa sententia accuratius examen.

De castratione feminea seu de ovariorum vel uteri ablatione, conferri potest Dr. SURBLED, *La morale* I, p. 215 seqq. 229 289; ANTONELLI, *Med. past.* I, n. 234; P. V., *Casus consc.* (1887) III, p. 267 seqq. Ad praesentem controversiam circa mulierem recisam, cf. 1-3, *A.S.S.* XXXII, p. 449 seqq.; ANTONELLI op. cit. II: *De matrim.* c. 1-3;

. . . . . .

Eschbach, *Disp. phys.-theol.* disp. 2, cap. 3; Dr. Capellmann, *Med. past.*: *De Sacram.* IV, 5, 2°; Gasparri n. 577-585; Lehmk. n. 975; Wernz n. 345 nota 34; P. V. op. cit. p. 269 seqq.; Ferreres, *De vasect. dupl.* n. 233-276; De Smet, *De spons. et matrim.* n. 554-557; Arendt, opusc. *Matrim fem. recisae;* Vermeersch, *De cast.* n. 58-64.

Ratio cur mulier recisa impotens sit atque inhabilis ad matrimonium, ea est, quam supra indicavimus. Nam finis matrimonii primarius, ex omnium consensu, est generatio; et cum unicum medium huius obtinendae sit copula, dicendum est matrimonium esse ordinatum ad habendam eam copulam, cuius generatio sit finis primarius. Unde, etsi non opus sit, ut a contrahentibus is finis intendatur explicite, debet tamen intendi saltem exercite seu implicite, quatenus nempe vere illum statum assumant, qui generationem ut finem primarium habet, in quo proinde ea copula exercenda sit, quae ex se respiciat illum finem primarium. Iam vero absurdum esset ad huiusmodi copulam exercendam assumere apparatum, in quo partes essentiales desunt ideoque nullum in se ipso ordinem habet ad generandum. Huiusmodi copula non esset matrimonialis copula, seu ad quam ordinatur natura sua status matrimonii, sed alius speciei, quoniam a fine primario ex ipsa sua natura aberrat.

Adversarii, ut copulam mulieris recisae dicant per se ordinatam ad generationem, attendunt tantummodo ad phaenomenon, quod physice in vagina peragitur videntque idem esse ac in vagina mulieris normalis. Verum non sufficit considerare quid peragitur, sed considerari etiam debet ubinam peragitur, id enim est in praesenti materia essentiale; statimque apparet, in priore casu rem non peragi in ullo apparatu generativo; huiusmodi enim dici nequit sola fistula vaginalis, sicut apparatus videndi non est solitarie oculus, sed is simul cum nervo et cerebri lobulo respondente. Respiciendus est ergo coitus, non ut actio materialis et mechanica, sed ut functio physiologica, quae proinde exerceatur in apparatu ita anatomice conformato, ut physiologice generativi nomen mereatur. Coire igitur in solitaria vagina non est coire matrimoniale, sed alius speciei, v. gr. quidam modus satisfaciendi libidini.

Atque, ut in comparatione proposita insistamus, fingamus hominem, cui nervus opticus intersectus fuerit; si is dein contorqueret oculos, eamdem actionem *materialiter* perageret ac quilibet oculos dirigens ad intuendum; patet tamen actionem non eiusdem esse speciei sub respectu psycho-physiologico, quia ex se sola nullam relationem habere tunc posset ad visionem. Pariter, coitus in sola vagina non est, sub respectu matrimoniali, eiusdem speciei ac coitus normalis, quia non est id, ad quod matrimonium ordinatur.

Alia liceat comparatio. Insufflare in fistulam, actio est, quam et operarii vitrarii peragunt et tibicines et pueri exspuentes in aera leves globulos; quare actio est ad ea omnia plane indifferens, per se nullum ordinem habens ad hunc finem prae alio. At vero insufflare in fistulam, cuius in extremitate posita est viscosa massa vitrea, intrinsece dicit ordinem ad mutandam massae formam, et propterea est, ex ipsa sua natura, opus fabri vitrarii. Pariter, seminare in vagina, actio est materialiter indifferens, quae relationem potest habere vel non habere ad generationem; sed seminare in vagina excisa, non magis per se ad generationem ordinatur quam insufflare in fistulam vacuam ordinatur ad confectionem ampullarum; seminare vero in vagina, cuius in extremitate adsunt cetera ad generandum necessaria, actio est per se matri-

. . . . . .

monialis. Nullam ergo coitus cum muliere excisa relationem habet ex ipsa sua natura ad finem primarium matrimonii.

Incassum igitur inculcant adversarii distinctionem finis operis et finis operantis, finis rei institutae et finis institutionis, dicuntque bene posse praedictam copulam respicere ex se ipsa finem operis et proinde per se aptam esse ad generationem, quamvis non obtineatur finis a natura intentus seu institutionis. Incassum, inquam; etenim primarius finis, generatio, ab ea copula respicitur, ne ut finis quidem operis. Et re quidem vera, finalitas operis (quam alii dicunt rei intrinsecam) ad certum finem, cum relatio sit, saltem fundamentum in re supponit (c. Lossada, *Cursus phil.* III, p. 114 seqq.; Pesch-Frick, *Instit. log. et ontol.* II, n. 522 seqq.), seu aliquid in re obiective exsistens, quod fundamentum intellectui praebeat, ut eam relatam videat ad illum finem; ubi igitur fundamentum deest, de finalitate operis ad illum finem sermo esse non potest. Exemplo sit cochlear, cuius finis operis seu intrinsecus est haustus liquidorum, eius enim manubrium et concavitas sunt fundamentum obiective exsistens, ex quo intellectus dictum finem in re comperit; nec desineret cochlear eumdem finem intrisece habere, quamvis is non obtineretur, v. gr. quia alius esset finis operantis, qui eo uteretur instar mallei ad figendos clavos; at ubi abesset concavitas, finis ille operis cessaret; solum enim manubrium non est fundamentum pro intellectu sufficiens, quoniam pluribus rebus aut nulli aptari posset (de finalitate interna seu operis, cf. Garrigou-Lagrange in *Dict. d'Apolog.* v. Dieu, col. 998-999 1065-1073; Hontheim, *Instit. theod.* n. 959; Lahr, *Cours de phil.* [ed. 23] II, p. 485-486; Sortais, *Traité de Phil.* [ed. 4] I, p. 398; Regnon, *La métaph. des causes* [ed. 2] p. 341-348 371-374; Lossada, *Cursus phil.* V, p. 193). Similiter dicendum de coitu in vagina, in cuius extremitate desunt organa generativa; coitus est, sed non matrimonialis, quia non adest fundamentum obiectivum sufficiens ad illam ralationem; insufflatio in vacuam fistulam insufflatio est, sed non opus fabri vitrarii.

Luculenter Arendt in opusc. *De matrim. mulieris recis.* n. 44 45: « Operatio generativa, cum suapte natura sit complexa et in quadam functionum subordinatione constituta per copulam initio promovenda sit, habet has varias partes potentiales et ipsas relatione transcendentali invicem connexas; fere sicut connectuntur in systemate hominis intellectivo sensus, phantasia, intellectus agens et possibilis. Tolle autem intellectum agentem, aut intellectum possibilem, et eo ipso phantasia et facultas sensitiva destituuntur relatione transcendentali ad intellectionem et verbum mente concipiendum, quantumvis in se suaque functione perfecte compleantur. Similiter ergo, si positive exclusa fuerit aliqua ex potentiis illis intermediis operationis generativae, copula, qua ipsa sumit initium, utut complete in seipsa perfecta, ipso facto exspoliatur relatione transcendentali ad generationem. »

Nec, denique, specialem difficultatem facessunt senes, quorum seminatio fit in apparatu inutili. Nam quod apparatus senuerit, quod debilis evaserit, quod emarcuerit, id « ei accidit »; quod autem « accidit », naturam rei non mutat, et propterea membrum hominis frigidi, etsi impotens seminandi, naturam suam non amisit, estque adhuc proprie membrum generativum, etsi non generet; pari ratione uterus atque ovarium vetulae membrum generativum proprie est, etsi non ovulet. Revera senectus apparatum vetulae non destruxit, sicut eveniret si is putrefactus, si rudimen-

. . . . . .

tarius ob atrophiam, si massa carnea informis factus fuisset; nulla adest laesio organica, quae illum substantialiter mutaverit; non est defectus anatomicus, sed debilitas tantum *functionalis*, quae fundamentum obiectivum non sustulit, vi cuius intrinsecam relationem adhuc servat ad generationem. Propterea apparatus ille, etsi debilis et senilis, physiologice nomen adhuc generativi cum omni proprietate retinet, quia finalitatem intrinsecam seu operis retinet adhuc relate ad illum finem.

Dicet fortasse quis, quod debilitas functionalis supponit necessario immutationem anatomicam, et substantialem quidem, siquidem apparatus eam immutationem subiit, qua impotens ad generandum evasit; et sic omnem sterilitatem esse impotentiam. Verum haec difficultas tantum probat apparatum factum esse ineptum ad finem institutionis seu naturae operantis, eiusque immutationem esse substantialem quoad istum finem de facto obtinendum, sed non probat amisisse finem intrinsecum seu operis; et sane, finem operis non amisit, eius enim conformatio anatomica sufficiens fundamentum obiectivum praebet intellectui, ut videat adhuc hunc esse apparatum ad generandum a natura destinatum. — Porro adversarii nihil amplius postulant ad copulam matrimonialem seu per se aptam ad generationem, nisi ut in ea servetur saltem relatio ad generationem quatenus haec est finis operis.

Sed iam ad accusationes veniamus, quas adversarii congerunt contra sententiam affirmantem impotentiam feminae recisae, simulque ad argumenta, quae ad sententiam suam fulciendam promunt.

Contra sententiam affirmantem impotentiam dicunt:

1. Haec sententia, dum negat copulam in casu habere ordinem ad generationem, confundit finem institutionis et finem rei institutae (Vermeersch, *De cast.* [ed. 1] p. 52, 1° et p. 56 ad 1; De Smet n. 554, § « Pariter ».

2. Negat copulam, de qua sermo, esse per se aptam ad generationem. Sed imprimis id negat, quia eam locutionem accipit in sensu qui congruat suae interpretationi decreti Sixti V. Deinde, immerito id negat quia, cum ovulatio non sit pars copulae, illius defectus non impedit huius aptitudinem ad generationem (Vermeersch p. 58, 2° et p. 57 ad 2).

3. Requirit ovulum, ne minus requiratur a muliere quam a viro, a quo exigitur seminatio (Vermeersch p. 58, 3°).

4. Ad consensum contrahentium requirit obiectum quod saltem praesumi possit aptum ad generationem. Sed copula, de qua sermo, sufficientem habet aptitudinem; quod si haec aptitudo non sufficeret, contrahi non posset cum muliere quinquaginta annorum, in qua aptitudo ad generandum praesumi non potest (Vermeersch p. 52, 4° et p. 58 ad 4).

5. Inaniter verentur aliqui ut, si haec matrimonia dicantur valida, foveantur abscisiones voluntariae (Vermeersch p. 53, 5° et p. 58 ad 5).

6. Afferuntur *S.C.C.* decisiones quatuor, quae apparenter tantum contrariae sunt (Vermeersch p. 53, 6° et p. 59 ad 6).

7. Corrumpunt formalem rationem impedimenti impotentiae, quam classici auctores reposuerunt in impotentia coeundi (Vermeersch p. 53 1°; Gasparri n. 582).

8. Ne impotentem declarare cogantur mulierem ultra 50 annorum, confugiunt ad praesumptionem capacitatis generandi in

omni aetate; haec est perversa praesumptionis notio (VERMEERSCH p. 53, 2°).

9. Patroni istius sententiae logice prohibere deberent copulam durante praegnatione, utpote quod eo tempore nova generatio moraliter certo sit impossibilis (VERMEERSCH p. 54, 3°).

10. Sententia ista aegre componi videtur cum quinque S. Sedis responsis, in quibus iudicatum fuit mulieris istius matrimonium non esse impediendum (VERMEERSCH p. 55, 4°).

Ad propugnandam validitatem contractus cum muliere recisa affertur:

a) Generatio, quamvis est finis primarius matrimonii, non est tamen eius obiectum *immediatum*. Immo nec est finis *unicus;* datur enim alius secundarius, propter quem proinde coniuges nuptias legitime appetere possunt. Nec est finis necessarius *omnis* matrimonii. Sicut potest satisfactio famis per se quaeri, naturae relinquendo ut cibis deinde utatur vel non utatur ad functiones nutriendi, sic in copula cum muliere recisa appeti per se potest satisfactio libidinis, naturae relinquendo posteriores functiones, dummodo nihil positive efficiatur, quo istae impediantur (VERM. n. 62).

b) Actio humana consistit in coitu, cetera quae consequuntur sunt actiones naturae. Iam vero, cum matrimonium sit contractus humanus, sufficit ut versetur circa actionem humanam, quae de se et secundum speciem actus idonea sit ad generationem, licet forte inepta sit per accidens ob defectum organorum postvaginalium (VERMEERSCH n. 63 in 1; GASPARRI n. 580).

c) Cum contractus matrimonialis sit contractus socialis, oportet ut eius exsistentia et validitas diiudicari possit. Necesse est ergo, ut nonnisi talia impedimenta constituantur, de quibus constare valeat ex facto obvio et perceptibili (VERMEERSCH n. 63 in 2; GASPARRI n. 581; DE SMET n. 554 conf. 2°).

d) S. Thomas et S. Bonaventura matrimonium senibus in remedium concupiscentiae simpliciter concedunt (VERMEERSCH n. 63 in 3).

e) Auctoritas aliorum, qui indicant sufficere ut matrimonium assumatur tamquam remedium. Sánchez, elementa matrimonii numerans, indicat corporum traditionem et obligationem reddendi debiti; de prole tacet (VERMEERSCH n. 63 in 4; GASPARRI n. 585).

f) Haec sententia sibi constat, dum sententia contraria deberet inhabiles ad matrimonium habere quoscumque generandi impotentes, omnem immedicabilem sterilitaten impotentiae aequiparare, copulam evirati post coniugium innaturalem dicere (VERMEERSCH n. 63 in 5; GASPARRI n. 584; DE SMET n. 554 conf. 3°).

g) Repugnare videtur ut ex elemento per tot saecula ignorato dependeat valor matrimonii (VERMEERSCH n. 63 in 6).

Respondetur:

Ad 1. Responsio abunde data est in praecedentibus.

Ad 2. Illa copula negatur esse per se apta ad generationem, non propter rationes ab adversario existimatas, sed quia, cum non fiat in apparatu generativo, per se non habet relationem ad generationem. Deinde, ovulatio non est pars copulae, siquidem eam subsequitur, sed utique ad copulam matrimonialem requiritur praesentia ovarii, etsi non ovulet.

Ad 3. Requiritur, non praecise ovulum, sed ovarium; hoc autem requiritur, non praecise ad aequandam viri et mulieris contributionem, sed ut ex parte utriusque functio fiat physiologice generativa, ideoque in apparatu generativo, non in apparatu essen-

. . . . . .

tialiter mutilo, in quo finis generationis, ne ut finis quidem operis, detegi potest.

Ad 4. Negari debet copulam, de qua sermo, sufficientem aptitudinem per se habere ad generationem, si fiat in loco nullam iam relationem intrinsece servante ad ipsam: id patet ex hucusque expositis. Nec inde sequitur invalide contrahi cum muliere quinquagenaria; non enim exigitur aptitudo ad generandum seu fertilitas, sed apparatus integritas, ut in copula non desit necessaria relatio operis ad illum finem.

Ad 5. Ad nos non attinet difficultas, quoniam non exinde rationes petivimus nostrae theseos. Aliunde vero, iam probavimus (n. 783 nota) quod, si abscisio voluntarie fieret ad finem praepediendi generationem, omne ius ad copulam amitteretur, etiam post matrimonium valide contractum.

Ad 6. Praescindimus ab istis decisionibus, utrum vim habeant necne ad probandam nostram thesim; has non adducebamus.

Ad 7. Classici auctores formalem rationem impedimenti reposuerunt in impotentia coeundi. — *Distinguo*: Ita tamen ut coitus intelligeretur habere intrinsece eam saltem relationem ad generationem, quam vocamus finem operis, *concedo;* etiamsi hac relatione careret, *nego;* vel aliter: classici auctores contenti fuere potentia coeundi, etiam supponentes id fieri in apparatu substantialiter mutilo, *nego;* tacite supponentes id fieri in apparatu relationem intrinsecam habente ad generationem, *concedo;* saltem enim supponebant coitum ita fieri, ut in ea actione generatio esset finis operis.

Veteres, cum casum mulieris recisae aliumve parem non novissent, eius meminisse non potuerunt. Coitus solummodo mentionem fecerunt, quia, dummodo in eo non deesset seminatio viri, suspicari non poterant quod posset adhuc in aliquo casu deesse relatio operis ad generationem, et iam omnia ad hanc relationem necessaria posita esse putabant, quia mechanismum conceptionis penitus ignorabant. Cum igitur nihil de hypothesi, super qua discutimus, cogitare potuerint, perperam supponerentur in sua locutione de « potentia coeundi » ad illam ne in confuso quidem respexisse, et immerito in favorem sententiae adversae allegarentur. E contra, si veteres ideo rationem impedimenti in impotentia coeundi reposuerunt, quia cum ea viderunt servari non posse finem operis, dicendi sunt sufficienter in confuso ad omnem casum respexisse in quo non adsit ille finis operis, eumque habuisse tamquam casum impotentiae; cum igitur iam probaverimus in praesenti casu non adesse finem operis, potius dicendi erunt auctores classici stare in favorem sententiae nostrae.

Ad 8. Ut mulierem quinquagenariam non declaremus impotentem, non confugimus ad ullam praesumptionem fecunditatis, sed ad integritatem suorum organorum.

Ad 9. Videtur adversarius aequiparare copulam mulieris praegnantis copulae mulieris recisae. Sed aequiparandae non sunt; mulier recisa apparatu generativo caret, mulier praegnans eumdem integrum habet, immo fecundum, ut probat praegnatio (etsi non actualiter paratum ad novam generationem de facto ponendam). Unde copula cum priore relationem operis non habet ad generationem, secus vero copula cum altera.

Potius potuisset adversarius aequiparare copulam mulieris recisae copulae habitae cum uxore, cui (sit fictio) supervenisset occlusio uteri, qui nulla arte aut non sine vitae periculo perforari

posset. Adhuc tamen marito licitum dicimus accedere ad uxorem hac impotentia laborantem, quin ideo putemus difficultatem creari nostrae thesi; diversa enim sunt adiuncta ante et post matrimonium. Nam ante matrimonium, mulier imperforationem habens uteri immedicabilem, materiam aptam contractui matrimoniali non afferret, quia coitus in huiusmodi apparatu relationem operis non habent ad generationem. At vero, iure ad copulam semel acquisito per contractum validum, eius usus fit modo tunc possibili; nec in eius usu deest tunc relatio operis ad generationem, est enim usus illius ipsius iuris natura sua relationem habentis ad generationem (quod aliis verbis alii exprimunt, aientes obtineri tunc adhuc posse finem matrimonii secundarium). Forte idem declarari poterit in materia aliorum contractuum. Qui operarios conducit ad excolendum et conserendum agrum, adhuc posset, si deinde inundatio aliudve infortunium advenisset, quod seminationem reddidisset impossibilem, eorumdem opera uti ad occandum et excolendum agrum, idque vi iuris acquisiti, eo enim uteretur quoad partem tunc possibilem; contractus tamen ab initio fuisset invalidus, si ad excolendum agrum et serendum sese obtulissent operarii qui tantum occare scivissent. Ratio a priori est, quia, quando aliqua actio alios habet fines praeter primarium, contractus circa eam est invalidus si finis primarius, circa quem partes paciscuntur, ab initio est impossibilis; deinde vero, contractu valide inito, validus perseverat relate ad obtinendos adhuc fines alios minus principales, si primarius iam non possit obtineri.

NB. — Hinc colligitur quod, cum dixerimus plusquam semel copulam cum muliere excisa non esse matrimonialem, eo quod nulla ibi relatio adsit ad generationem, huiusmodi copula intelligenda est quatenus materia matrimonii valide ineundi, non quatenus exercitium matrimonii valide initi.

Ad 10. Responsiones allegatae non dicunt matrimonium huiusmodi mulieris esse validum, sed « non esse impediendum », quod bene dici potuit supposita controversia circa eius potentiam; ius enim naturale ad matrimonium praesumitur exsistere donec certo probetur exstinctum. Nisi adversarii probent certo aliam fuisse causam responsionis, nihil conficiunt.

Ad *a*) *Distinguo* 1am prop.: Obiectum immediatum matrimonii non est generatio, sed mutua corporum traditio ad copulam quamcumque, *nego;* ad copulam intrinsece respicientem generationem, ideoque factam in apparatu essentialia generativa habente, *concedo.*

Distinguo 2am prop.: Generatio non est finis unicus, datur enim alius finis secundarius propter quem appetantur nuptiae, ita tamen ut finis secundarius non sit unicus finis operis (quamvis forte sit principalis finis operantis), sed simul opus respectum habeat ad primarium, *concedo;* ita ut finis secundarius sit finis unicus et operantis et operis, *nego;* secus enim concedi posset matrimonium eunuchis (possunt enim et eunuchi satietatem quamdam experiri; cf. CAPELLMANN, *Med. past.* [1901] p. 169, § « Alia » ubi agit « de impotentia mulieris »); immo seclusa iam necessitate cuiusvis respectus ad generationem etiam in ipso opere, licita esset fornicatio, licita copula onanistica, sufficeret enim actus respiciens finem secundarium, libidinis satisfactionem.

Distinguo 3am prop.: Generatio non est finis necessarius, ut appetendus ab operante, ideoque non necessario extrinsecus in

opere omnis coniugii, at certe primarius et intrinsecus semper in opere coniugali, *concedo;* secus *nego.*

Quoad *paritatem*: Cum prima pars sit vera, etiam in casu quo quis praevie sumpserit medicamen ad impediendam ciborum efficaciam ad nutriendum, non apparet cur adversarius apponat in altera parte restrictionem ut nihil fiat ad impediendum copulae effectum. Nam si licitudo satisfactionis libidinis inferenda sit simpliciter ex paritate cum licitudine satisfactionis famis, paritas licitudinis tenere debet in omni casu.

Deinde, in allato exemplo, homo, qui famen suam sedat, supponitur habere non os tantum et guttur, sed oesophagum quoque et stomachum; quod quidem ad paritatem non inservit, secus enim supponenda esset mulier pariter cum apparatu integro, contra hypothesim.

Nam si ad paritatem sustinendam fingeretur homo solo ore praeditus et gutture, carens oesophago et reliquis, tunc dicendus esset is, dum cibos transglutit, intendere non posse satisfactionem famis, sed sedare tantummodo gutturis ardorem; ardor enim ille vocari iam non posset proprie fames, sed improprie tantum et quasi abusive seu ex defectu novi vocabuli; non enim esset tendentia respectum intrinsece habens ad repletionem stomachi non exsistentis, sed tendentia, quae originem quidem habuit ex necessitate naturae nutritionem appetentis, nunc vero intrinsecam relationem amisit ad illum finem, sicut locomotrix machina intrinsecam relationem habuit ad sese loco celeriter movendam, nunc vero avulsis axibus et rotis relationem intrinsecam ad id amisit. Pariter ergo, coitus in vagina ab organis post-vaginalibus separata, erit satisfactio libidinis, originem quidem trahentis a tendentia generativa, sed non erit actus hic et nunc relationem intrinsece servans ad generationem. Atque his quoque responsum esto comparationi cum manducatione, allatae ab Eschbach, *Disp. phys.-theol. disp.* 2, c. 3, p. 203.

Ad *b*) Coitum cum recisa muliere esse actionem humanam non negatur; eam vero posse esse materiam contractus matrimonialis saepe negavimus, praecise quia secundum speciem actus, prout peragitur in concreto, non est actus intrinsece relatus ad generationem.

Ad *c*) Quod matrimonium nequeat esse invalidum ob defectum imperceptibilem, de quo directe diiudicari non possit, non videtur verum; exemplo sit consensus internus, vel condicio apposita, de qua plerumque impossibile est scire utrum intenta fuerit tamquam praevalens; vel defectus baptismi in uno ex contrahentibus ob defectum malitiosum intentionis in baptizante impio; vel coniugium initum ab hermaphrodita, qui a comparte existimatus fuerat vir, sed reapse sit femina, de cuius tamen sexu impossibile sit, nisi exciderétur, ferre iudicium certum; vel coniugium ignoranter initum cum sorore, quae habita fuit a vitrico dum simul et uxore utebatur et adulteros fovebat amores, nam impossibile est discernere ex qua copula nata sit; vel coniugium initum sub condicione « si non es affectus syphilide », quae revera exsistat, sed tempore contractus nequeat comperiri. Nec difficulter exempla traherentur ex aliis contractibus socialibus, v. gr. acceptio legati vi testamenti holographi, exarati in actu accidentalis amentiae vel somnambulismi, quem vel ipse defunctus ignoravit. Sine dubio in allatis casibus contractus fuit invalidus, etsi de causa invaliditatis nihil possit societas diiudicare.

Praeterea, difficultas parum vis habere potest, non enim

agimus de casibus, in quibus defectus anatomicus organorum internorum ab ipsa parte vitio affecta per totam vitam ignorabitur (in quibus, ut patet ex praedictis, matrimonium est reapse invalidum; sed quaenam tunc difficultas practica?), sed de casibus ordinariis, in quibus excisio non ignoratur. Quod si, matrimonio iam contracto, vitium mulieris forte comperiatur occasione aperitionis necessariae et probetur antecessisse, contractus declarandus erit nullus; nec opportunum erit tunc loqui de inefficacia vitii imperceptibilis ad invalidandum contractum socialem, cum vitium fuerit manifeste perceptum.

Ad *d*) Concedunt, dummodo remedium quaeratur per actum respicientem generationem ut finem operis; propterea non concedunt eunuchis simile remedium.

Ad *e*) Idem responsum esto.

Ad *f*) Putamus satis superque his omnibus responsum fuisse in praecedentibus.

Ad *g*) Obiectio proposita necessario refertur ad mulieres, quae temporibus ante actis exstiterunt et perpetuo suum defectum ignorarunt; sed in hoc quaenam difficultas? Nam operatio, qua artificialiter causatur iste defectus, nostris temporibus inventa est.

Praeterea, per plura saecula ignoratum fuit impedimentum vaginismi immedicabilis.

P. ARENDT, opusc. *Circa controversam validitatem matrimonii feminae recisae*, peculiari modo quaestionem praesentem tractat et solvit, eiusque solutionem sic in compendium videmur complecti posse:

1° Consensus, quo positive excludatur finis primarius matrimonii, generatio, est invalidus. Atqui mulier, quae norit se recisam ideoque generationem sibi physice impossibilem, consensum ponit excludentem finem primarium. Ergo eius consensus est invalidus (opusc. cit. n. 17). Eius porro matrimonium est invalidum titulo vitiati consensus, nec ullo alio (ibid. n. 35). Et patet hunc titulum non reduci ad errorem substantialem circa obiectum, nam ratio cur consensus vitietur est exclusio generationis (ibid. n. 51).

2° Absentia generationis vocari debet sterilitas, sive proveniat ex defectu substantiali sive tantum ex functionali. Ratio, quia est idem effectus (ibid. n. 20).

3° Causa cur absit generatio, praesumenda est mere functionalis, nisi evidens sit oppositum, quia defectus naturae non praesumuntur. Ergo mulier defectum suum organicum internum ignorans, absentiam generationis ex defectu mere functionali oriri praesumere debet et consequenter capax est rite consentiendi et valide contrahendi (ibid. n. 20). Quod si quando praesumptio fallit, ipse ordo socialis postulat, ut matrimonium contractum in sua validitate impugnari nequeat (ibid. n. 12), nam nihil amplius exigi poterat, nisi illa praesumptio (ibid. n. 10).

Ad 1. *Resp.*: *a*) Concedimus matrimonium in casu esse invalidum titulo subiectivo vitiati consensus; sed negamus non dari alium quoque titulum obiectivum: defectum materiae circa quam; inutilis est enim, quae relatione intrinseca caret ad generationem.

b) Immo, titulus vitiati consensus reducitur in casu ad defectum materiae circa quam, ideoque ad errorem substantialem circa obiectum. Profecto, consensus vitium, iuxta principia auctoris huius theoriae, consistit in hoc, quod consensus in contrahentis intentione non ponitur cum relatione ulla ad generationem, quia haec, attenta materia, cognoscitur physice impossibilis. Ergo in

. . . . . .

contrahendo circa illam materiam ideo nequit intentio referri ad generationem, quia materia cognoscitur nullam habere intrinsecam relationem ad generationem. Atqui, si materia nullam intrinsecam relationem habet ad generationem, non est materia circa quam matrimonialis contractus.

Fateri ergo debet auctor, ex suis etiam principiis, materiam in casu esse in se ipsa ineptam ad contractum matrimonialem; si enim ita non esset, appareret, cum cognoscitur, non esse ineptam, possetque poni consensus validus. Si ergo in se ipsa est inepta, inepta esse non desinit dum ignoratur, ideoque etiam tunc non fit contractus, quod ille negaverat.

Ad 2. *Resp.*: Non est idem effectus. Nam sine fundamento obiectivo nequit exsurgere relatio (cf. initio huius notae). Quare ex defectu substantiali tollitur ab organo, ideoque et a copula in eo peragenda, relatio intrinseca ad generationem, ex defectu mere functionali non tollitur. Ergo non est idem effectus.

Ad 3. Hoc 3.um punctum est praecipuum sententiae ARENDT. Non enim difficultas est, quod excisio, si cognoscitur, impediat consensum, sed quod, si ignoratur, matrimonium non invalidet.

Sed *resp.*: *a*) Iam nuper ostendimus defectum organicum, de quo sermo, tollere aptitudinem materiae ad contractum eumque invalidare, etiamsi defectus ignoretur. Dicere autem cum ARENDT, quod ordo socialis postulat, ut matrimonium in casu, si ex ignorantia ineatur, sit ratum, est arbitrarium; nec maius inconveniens est, quod reapse maneant perpetuo invalida huiusmodi matrimonia ex defectu substantiali organico, quae legitima existimantur, quam alia quamplurima legitima existimata, sed perpetuo invalida ex impedimento iuris positivo, v. gr. ex gravi metu, ob quem diremptum fuisse contractum ignoratur saepe, vel ex defectu formae canonicae, qui antea facile et saepissime incurrebatur; nec quispiam putavit ordinem socialem exigere ut ius positivum exceptionem suae legis agnoscat pro casu bonae fidei. Et sicut dissolvitur matrimonium, si quando comperitur metum gravem adfuisse, sin autem vivunt coniuges in bona fide, nec ulla hinc apparet laesio ordinis socialis: ita, si quando defectus organicus substantialis comperiretur, separarentur coniuges, utpote qui erronee existimabantur legitimi, sin autem in pace bona viverent, nec esset in hoc speciale inconveniens.

Quod autem defectus praesumi debeat functionalis, non substantialis, est verum; sed hoc tantum probat mulierem debere « praesumi » contrahendi capacem, non vero « esse » capacem.

Quod nihil amplius exigi debeat quam illa praesumptio, *distinguo*: amplius non debet exigi ad nuptias in conscientia licitas, *concedo;* ad nuptias obiective validas, *nego.*

b) *Iuxta* ARENDT defectus naturalis occultus non praesumitur, et proinde, si tempore contrahendi ignoratur, contractus valet, nam ordo socialis id poscit, et proinde, quamvis dein defectus detegatur, non poterit matrimonii validitas impugnari.

Ergo pariter, iuxta ARENDT, frigiditas, quoniam exterius non apparet, sed defectus occultus est (*A.S.S.* IV, p. 375 376, XI, p. 62 429-431, XVIII, p. 245, XXIV, p. 399) potestque ab ipso frigido ignorari tempore contrahendi (SÁNCHEZ l. 7, d. 114, n. 4), non obstat quominus contractus valeat, si tempore contrahendi ignorabatur, nec poterit deinde, si detegatur, dissolvi matrimonium. Et tamen Ecclesia matrimonia huiusmodi dissolvit.

Pariter, iuxta ARENDT, si hermaphrodita, reapse ad unum

Art. 3. Ligamen.

Ligamen dicitur vinculum matrimonii (etsi nondum consummati) adhuc subsistens cum aliqua persona Vinculo manente novum matrimonium irritum est iure naturali et divino[1]. (n. 770). **800**

Ad novum matrimonium ineundum *certitudo moralis* requiritur de morte coniugis[2], sola autem absentia, quanta-

---

determinatum sexum pertinens, bona fide crederet se diversi sexus talisque crederetur a ceteris (res quandoque adeo latet, ut nequeat determinari) iniretque nuptias cum persona eiusdem sexus, matrimonium esset validum.

c) Numquam in theologorum mentem venerat defectum, quo prolificatio impossibilis redderetur, impedimentum dicere si cognosceretur, secus vero si ignoraretur; neque id oblivioni tribui potest, nam de diversitate casuum impotentiae cognitae et ignoratae certe cogitarunt, siquidem expresse quaesierunt, utrum consensus valeret, si impotentia a comparte cognosceretur (cf. SÁNCHEZ l. 7, d. 97, n. 2 3; SALMANT. tract. 9, c. 12, n. 108; S. ALPH. n. 1095, § « Dicitur »; WERNZ, n. 345 nota 32), nempe propter absentiam doli, numquam autem quaesierunt utrum consensus valeret si impotentia ignoraretur. Immo, ubi illi quaestioni responderunt, eam rationem dederunt, qua et haec alia quaestio manifeste solvebatur contra ARENDT; dixerunt enim (cf. loca citata) « quia traditio corporum ad generationem est de essentia matrimonii, hanc autem potestatem impotens non potest tradere, cum non habeat ». Non ergo sufficit, iuxta auctores, velle tradere, existimare aut praesumere tradere, consensum tradendi habere etc., quod potest facere ignorans impotentiam; sed opus est « tradere », quod non potest facere impotens « cum non habeat »; porro, non habet, etsi ignoret non habere.

[1] « § 1. Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei. — § 2. Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit » (can. 1069).

Circa ligaminis impedimentum adiri possunt SÁNCHEZ l. 7, d. 80 81; LEHMK. 970-972; GASPARRI n. 713-726; WERNZ n. 356-372; DE SMET II, n. 563-566; GÉN.-S. n. 488-490.

Impedimentum istud tamquam dirimens admittitur ab omnibus Codicibus subsistente ligamine matrimonii civilis. Ita Ius *arg.* a. 166, 5°, a. 238 241; *br.* a. 183 VI, 207; *chil.* « Ley de matrim. civil » a. 4, 1°, a. 29; *col.* a. 140, 12°, lex 57 anni 1887 ad a. 146 et 147, sed a lege agnoscitur indissolubilitas vinculi matrimonii catholici, lex 57 anni 1887 ad a. 151; *hisp.* a. 83, 5°, a. 101, sed a lege agnoscitur indissolubilitas vinculi matrimonii catholici, a. 42 75 76; *lus.* a. 1073, 5°, a. 1074, sed lex agnoscit indissolubilitatem matrimonii catholici, a. 1057 1086. In nationibus autem, in quibus admittitur divortium absolutum, vinculum subsistit et novas nuptias dirimit tantum donec vel eveniat mors compartis vel iudicialiter obtineatur vinculi dissolutio; ita proinde intelligendi sunt Codices Civ. *gall.* a. 147 227; *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 17, IX, 107 117 75; *ur.* a. 93, 3°.

[2] Cf. dicta superius in nota ad n. 783.

cumque sit, a iure pro sufficienti probatione non habetur. Ut quis ad novas nuptias admittatur [1], opus est documento authentico de morte coniugis ex libris paroeciae, hospitalis, militiae etc., deprompto; huius defectus suppletur per testimonium de obitu, iuratum et immediatum, duorum testium fide dignorum, qui apud iudicem ecclesiasticum (vel apud parochum de eius commissione) deponant [2]; his deficientibus, admittitur probatio ex coniecturis, indiciis aliisque adiunctis, quae moralem certitudinem gignant; sed iudicium super his Ordinario reservandum erit [3].

Qui vinculo matrimoniali adstrictus novum matrimonium attentat, etsi tantum civile, fit irregularis ex delicto (can. 985, 3°), ipso facto infamis (can. 2356), et, commisso adulterio, subest impedimento criminis (can. 1075, 1°); insuper, si ita cum scandalo vivit, a sacramentis, utpote publicus peccator, publice repellendus erit et sepultura ecclesiastica privandus.

De dissolutione matrimonii rati non consummati, vel matrimonii infidelium in favorem fidei, dicetur inferius, ubi de separatione coniugum.

Item de usu coniugalis debiti, exorto dubio de vita prioris coniugis, dicetur ubi de matrimonii usu.

---

1 Iuxta *C. C. chil.* « Ley de matrim. civil » a. 38 « *Se disuelve también el matrimonio por la muerte presunta de uno de los cónyuges, si cumplidos diez años desde las últimas noticias que se tuvieren de su existencia, se probare que han trascurrido setenta desde el nacimiento del desaparecido. Se disolverá, además, trascurridos que sean treinta años desde la fecha de las últimas noticias, cualquiera que fuere, a la expiración de dichos treinta años, la edad del desaparecido, si viviere.* » Attamen huiusmodi solae coniecturae, nisi alia accedant adiuncta, ad concedendas novas nuptias sufficere non possunt, ut supra diximus.

2 Cf. can. 1019, § 2, 1020, § 3, 1023, § 3. De Smet, *Praxis matrimonialis* (1920) n. 12 13.

3 De probatione status liberi cf. instruct. *S. Off.* data anno 1868 (*A.A.S.* [1910] p. 199 vel Appendix ad *A.S.S.* VI, p. 346), instruct. *S. Off.* 1 febr. 1865 et 29 aug. 1890 (*A.S.S.* XXXI, p. 408, XXIII, p. 189); resp. *S. Off.* 6 maii 1891 et 30 nov. 1898 (*A.S.S.* XXIV, p. 747, XXXI, p. 407); instruct. *S.C. de Sacram.* 6 mart. 1911 (*A.A.S.* [1911] p. 102 et Vermeersch, *Period.* VI, p. 23); instruct. *S. C. de Sacram.* 4 iul. 1921 (*A.A.S.* [1921] p. 348 et Vermeersch, *Period.* X, p. 351); causas agitatas apud *S. C. de Sacram.* (*A.A.S.* [1910] p. 196, [1915] p. 235, [1915] p. 476, [1916] p. 151, [1917] p. 120, [1922] p. 96) et apud *S. C. C.* (*A.S.S.* XXII, p. 546).

Si qui non poterant valide matrimonium contrahere clandestinum, et matrimonium tantum civile vel protestanticum contraxerunt, et postea, obtento civili divortio, novas nuptias in Ecclesia celebrare desiderant, casus nullum iudicialem processum requirit neque interventum defensoris vinculi, sed resolvi potest ab Ordinario ipso, vel parocho, consulto Ordinario, in praevia investigatione ad matrimonii celebrationem (*Comm. I.C.* 16 oct. 1919; *A.A.S.* [1919] p. 479 ad 17).

Art. 4. Disparitas cultus.

Disparitas cultus est impedimentum iuris tantum ecclesia- **801**
stici [1], matrimonium dirimens inter personam non baptizatam et alteram in Ecclesia catholica baptizatam [2] (vel ad Ecclesiam catholicam ex haeresi vel schismate conversam) [3]. Quare, non habetur hoc impedimentum inter infidelem et haereticum, qui nec in Ecclesia catholica baptizatus fuit nec ad eam unquam pertinuit; habetur vero inter infidelem et haereticum, qui catholicus factus fuerat et iterum haeresim amplexus est. Inter partem catholicam et haereticam intercedit impedimentum mere impediens, ut diximus n. 789.

Si baptismus sit dubius [4], matrimonium, quod contractum iam fuerit [5], in foro externo * praesumitur validum **, donec

---

[1] Nempe non exsistit de iure naturali hoc impedimentum ut dirimens; de iure tamen naturali matrimonium est illicitum ob periculum fidei tum partis baptizatae tum liberorum, nisi graves urgeant causae et periculum sufficienter removeri possit. Cf. WERNZ n. 505 nota 23.

[2] In Ecclesia catholica baptizati sunt et haberi debent infantes, qui ex parentum vel tutoris voluntate ad Ecclesiae catholicae fontes deferuntur, item qui usum rationis iam adepti, propria voluntate sese ministro catholico baptizandos obtulerunt (DE SMET n. 140). Item infantes, parentum catholicorum filii, qui a laicis in necessitate sunt baptizati (idem, ibid.). Immo, regulariter in Ecclesia catholica baptizati sunt, omnes a catholicis baptizati, nam catholicus baptizans intendit baptizatum aggregare Ecclesiae catholicae (GÉN.-S. n. 491).

[3] « § 1. Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata in Ecclesia catholica vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa. — § 2. Si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est, ad normam can. 1014, pro valore matrimonii, donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam » (can. 1070).

« Quae de mixtis nuptiis in canonibus 1060-1064 praescripta sunt, applicari quoque debent matrimoniis quibus obstat impedimentum disparitatis cultus » (can. 1071).

Cf. *A.A.S.* (1911) p. 398. Ante novum Codicem impedimentum disparitatis cultus vigebat, quamvis pars baptizata baptismum extra Ecclesiam catholicam suscepisset neque ad eam unquam conversa fuisset.

[4] Intellige, si dubium habeatur sive utrum fuerit collatus, sive an valide collatus, sive an in Ecclesia catholica collatus etc., agitur enim de baptismo inducente impedimentum.

[5] Sive agatur de matrimonio canonice *contracto*, sive extra Ecclesiam a personis impedimento ecclesiastico non subiectis.

Canon 1070, § 2 agit de matrimonio contracto. Nam si de *contrahendo*, dubium depelli praevie debuisset per iterationem condicionatam baptismi, post seriam inquisitionem de eius collatione et valore peractam, vel, si hoc modo tolli non posset (quia dubium non afficit partem certo catholice baptizatam, sed alteram partem,

* Vide, sis, notam asterisco (*) distinctam in pag. 480.

** Vide, sis, notam duobus asteriscis (**) distinctam in pag. 480.

initum fuisse inter partem baptizatam [1] et aliam non baptizatam, probetur certo [2] (can. 1070, § 2); nam principium iuris est in dubio standum esse pro valore matrimonii [3].

Quae superius (n. 789) de mixtis nuptiis dicta sunt, nempe, ab iis absterrendos esse fideles, cautiones circa removendum a parte catholica perversionis periculum et universam prolem catholice tantum baptizandam et educandam esse scripto praestandas, partem catholicam teneri ad conversionem compartis

---

v. gr. iudaeum, quae converti renuit), ad dispensationem occurrendum esset (Ordinarius eam dare posset tantum in adiunctis, de quibus can. 1045, § 1, cf. supra in n. 780-782, vel etiam, vi canonis 15, dummodo ex gravi urgente causa et debitis acceptis cautionibus, non enim aliter ab hoc impedimento dispensat S. Sedes. Cf. De Smet n. 588 nota).

* In foro externo, inquam, nam in foro interno res pendet ab exsistentia obiectiva baptismi validi, non enim Ecclesia impedimentum obiective tollit in huiusmodi dubio circa factum. Quare, exorto dubio post contractum matrimonium, de iure ad actum coniugalem iudicandum erit sicut alibi dicemus exorto dubio circa impedimentum ligaminis (Gén.-S. n. 492).

** Ante Codicem, non matrimonium, sed baptismus, in casu dubii, a iure praesumebatur validus in ordine ad diiudicandum de matrimonii valore, et proinde, stante dubio de baptismo, matrimonium praesumebatur modo validum (v. gr. si initum inter partem certo baptizatam et dubie baptizatam), modo invalidum (v. gr. si inter infidelem et partem dubie baptizatam).

Nunc vero, post Codicem, non baptismus, sed matrimonium praesumitur in foro externo validum. Proinde validum praesumetur in foro externo sive initum fuerit inter partem certo baptizatam et alteram dubie baptizatam, sive inter utramque dubie baptizatam, sive inter certo non baptizatam et dubie baptizatam. Quare, in hoc postremo casu, ut matrimonium valeat, baptismus, quoad hunc effectum, praesumitur invalidus, et matrimonium habetur tamquam initum inter duos infideles (De Smet n. 587; Verm.-Creus. n. 321; Gén.-S. n. 492). Exstinctae sunt ergo controversiae antea vigentes circa praesumptionem validitatis baptismi quoad praesentem effectum, de quibus cf., sis. Gasparri n. 686 seqq.; Wernz n. 507 seqq. cum notis; De Smet n. 587 nota.

1 Id est inter partem *catholice* certo baptizatam et alteram certo non baptizatam; nam si certo probaretur unam partem esse ab haereticis baptizatam, alteram non baptizatam, matrimonium initum post Codicem non deberet iudicari invalidum, quoniam post Codicem casum hunc non respicit impedimentum disparitatis cultus.

2 Cum canon 1070, § 2 aperte dicat « donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam », patet matrimonii contracti validitatem praesumi praesumptione iuris tantum; admittitur enim probatio directa in contrarium, non praesumptione iuris et de iure (cf. De Smet n. 587 nota; Verm.-Creus. n. 321 et can. 1825 1826).

3 « Matrimonium gaudet favore iuris; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur, salvo praescripto can. 1127 » (can. 1014). Canon autem 1127 exceptionem facit in favorem privilegii fidei de quo alibi.

prudenter procurandam, ministrum non catholicum uti sacris addictum non posse adiri; haec omnia a fortiori de matrimoniis inter cultu dispares intelligenda sunt (can. 1071), et, cum in iure naturali et divino fundentur, exigi semper debent [1]. Immo invalida esset dispensatio, quae super hoc impedimento, cautionibus illis non requisitis vel a parte non catholica denegatis, ab habente delegatam a S. Sede potestatem concederetur [2].

Art. 5. Ordo sacer.

802 **Ordo sacer** impedimentum dirimens constituit de iure ecclesiastico [3], dummodo susceptus fuerit absque metu gravi [4] et cum notitia obligationis servandae continentiae [5].

---

[1] Si matrimonium iam fuerat attentatum illudque ob valde graves causas convalidandum magis videatur quam dissolvendum, et pars non catholica cautiones dare nolit, recurratur ad S. Sedem. Gén.-S. n. 493.

[2] Etiamsi daretur dispensatio vi canonis 1043 1044, vel 1045, daretur enim vi facultatis delegatae.

Invalidam fore huiusmodi dispensationem constat ex declaratione *S. Off.* 21 iun. 1912 (*A.A.S.* [1912] p. 442 443), quae, vi can. 6, vim retinet post Codicem.

[3] « Invalide matrimonium attentant clerici in sacris ordinibus constituti » (can. 1072).

Cf. dicta supra, in n. 409.

De origine et natura huius vis irritativae sacro ordini adnexae, cf. Sánchez l. 7, d. 27-30; Gasparri n. 665 seqq.; Wernz n. 391-395; De Smet n. 573 seqq.

Invalidum est proinde matrimonium attentatum post susceptum subdiaconatum a clerico Ecclesiae Latinae. Ad orientales iste canon non attingit, ut constat ex can. 1; attamen, ex peculiaribus suarum Ecclesiarum canonibus, etiam apud ipsos matrimonium contrahere non possunt saltem valide et licite (apud plerosque certo nec licite nec valide), qui in ordine sacro (sacer ordo apud eos non habetur subdiaconatus) constituti sunt, quamvis matrimonio ante sacros ordines iam contracto permittantur uti, praeterquam Episcopi.

Impedimentum ordinis sacri agnoscunt, et quidem ut dirimens. *C. C. col.* pro matrimoniis canonicis, lex 57 anni 1887 ad a. 151; *hisp.* a. 75 pro matrimoniis canonicis et a. 83 101 pro mere civilibus; *lus.* a. 1058, 5° et 1059 pro matrimoniis quibuslibet et speciatim a. 1069 1070 pro canonicis. Non reperitur huiusmodi impedimentum in iure *arg.* (immo implicite negatur in a. 269, iuxta tenorem, quo viget ab anno 1889), *br., chil.* (post latam legem de matrim. civ. anno 1884), *gall., mex., ur.*

[4] Nisi dein, remoto metu, clericus ordinationem habuerit ratam. Cf. can. 214 et dicta in n. 409.

Metus gravis ordinationem validam non impedit, non enim tollitur absolute voluntarietas (n. 4 et 300), impedit tamen subsistere obligationes, quae ex lege humana consequentes forent (can. 103 214).

[5] Nam in casu, nunc fere impossibili, quo ordines maiores suscipiat qui hanc obligationem inculpabiliter ignoret, videtur Ecclesia hoc impedimentum sustinere nec velle nec posse. Cf. Wernz n. 394 nota 53; De Smet n. 571 nota; Gasparri n. 310 674.

Qui ordine sacro ligatus matrimonium, etsi mere civile, attentat, excommunicationem ipso facto incurrit S. Sedi reservatam (can. 2388) et fit irregularis (can. 985, 3°).

Art. 6. Votum sollemne.

803 **Votum sollemne** castitatis, seu in professione sollemni emissum, dirimit matrimonium de iure ecclesiastico[1].

Votum simplex perfectae castitatis constituit impedimentum mere impediens (n. 788), nisi ei S. Sedes ex speciali privilegio vim dirimendi matrimonium alligaverit, ut accidit in votis simplicibus emissis post novitiatum in Soc. Iesu[2].

Qui voto sollemni ligatus matrimonium, etsi mere civile, attentat, excommunicationem ipso facto incurrit S. Sedi reservatam (can. 2388) et fit irregularis (can. 985, 3°).

Art. 7. Raptus.

804 **Raptus** impedit, de iure ecclesiastico[3], quominus matrimonium valide ineatur inter raptorem et raptam; sed cessat

---

1 « Item invalide matrimonium attentant religiosi qui vota sollemnia professi sint, aut vota simplicia, quibus ex speciali Sedis Apostolicae praescripto vis addita sit nuptias irritandi » (can. 1073).

De hoc impedimento plura apud Sánchez l. 7, d. 32 seqq.; Gasparri n. 652 seqq.; Wernz n. 378 seqq.; De Smet n. 568 seqq.

Impedimentum hocce agnoscitur a iure civili *col.* pro matrimoniis canonicis (lex 57 anni 1887 ad a. 151), *hisp.* a. 75 83 etiam ut dirimens pro matrimoniis civilibus, *lus.* a. 1058, 5° etiam pro matrimonio mere civili, habetur tamen a lege ut impedimentum mere poenale, cf. a. 1059.

2 Vota simplicia post novitiatum emissa sive a scholasticis sive a temporalibus coadiutoribus in Soc. Iesu, matrimonium subsequens (non vero praecedens) dirimunt ex speciali privilegio a Greg. XIII concesso, quod, utpote exorbitans ad alios Ordines per communicationem non transiit; vis dirimendi cessat, si scholasticus vel coadiutor a laudata Societate fuerit legitime dimissus. Cf. const. Greg. XIII, *Ascendente Domino* 25 maii 1584 « Ad haec dictam »; Suárez, *De Relig. Soc. Iesu* l. 4, c. 1; Ramière, *Comp. Inst. S. I.* n. 135 136.

3 « § 1. Inter virum raptorem et mulierem, intuitu matrimonii raptam, quandiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium. — § 2. Quod si rapta, a raptore separata et in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, impedimentum cessat. — § 3. Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet » (can. 1074).

Fusius de hoc impedimento Sánchez l. 7, d. 12; Gasparri n. 613 seqq.; Wernz n. 276 seqq.; Lehmk. n. 1010 1011; De Smet n. 646 seqq. Cf. etiam causas Romanae Curiae in *A.S.S.* IX, p. 519, XXIII, p. 451, XXIV, p. 209, XXVII, p. 457; *A.A.S.* (1918) p. 207.

Cum hoc impedimentum latum non fuerit in odium criminis raptus (nam etiam ante libertatem raptae restitutam non dirimit

impedimentum quando mulier, in loco tuto constituta et suae libertati restituta, in matrimonium cum raptore ineundum consenserit [1].

Raptus, ut impedimentum dirimens constituat, sequentes condiciones exigit [2]:

1° Ut persona rapta sit mulier.

2° Ut per vim, fraudem vel metum in alium locum abducatur vel in eodem retineatur. Non est tamen necesse, ut raptor eam abducat aut detineat per se ipsum, sed sufficit ut id faciat per alium.

3° Ut rapiatur vel detineatur intuitu matrimonii [3], etiamsi mulier hunc finem ignoret. Non ergo sufficit eam rapere ad finem tantum satisfaciendae libidinis; si tamen deinde raptor illius detentionem protrahit intuitu matrimonii, impedimentum incipit [4].

4° Ut mulier invita sit in matrimonium, vel saltem in eius abductionem vel detentionem [5].

---

matrimonium cum alia persona praeter raptam), sed ad tutandam consensus libertatem, et tam aperte et absolute ius dicat inter raptorem et raptam, durante raptu, nullum posse matrimonium consistere, inhabilitas ad contrahendum subsistit, etiamsi raptor sit infidelis et mulier fidelis et quamvis haec libere consentiat, si tamen nondum est pristinae suae libertati restituta (cf. etiam GASPARRI n. 650).

Recensetur hoc impedimentum in *C. C. br.* (matrimonium habetur ut « annullabile », iuxta a. 209), *chil.* « Ley de matrim. civ. » a. 32 33, 3°, *col.* a. 140, 6° (et cf. a. 145), *hisp.* a. 101 (et cf. a. 102), *mex.* « Ley de rel. fam. » a. 17, VII, 107. In ceteris non recensetur expresse, matrimonii tamen validitas erit impugnabilis ex capite defectus libertatis consensus, iuxta ius *arg.* a. 173 (cf. etiam a. 242, 3°), *gall.* a. 146 180 (et cf. a. 181 183), *lus.* a. 666, *ur.* a. 93, 2° (et cf. a. 175).

1 Non cessat ergo impedimentum eo solum, quod mulier ad suam libertatem plene restituatur, si nondum cum raptore contrahere consentit. Immo nec cessat, etiamsi durante abductione vel sui detentione amore raptoris capiatur et perlibenter contrahere consentiat, nondum enim est ad locum liberum restituta.

2 Accipi enim debet impedimentum iuxta sensum, quo ante Codicem accipiebatur (can. 6, 2° et can. 18) adiectis tamen modificationibus a Codice introductis.

3 Id est ad obtinendum mulieris consensum in matrimonium.

4 Ita in novo iure, ut patet ex can. 1074, § 1, cum tamen is postremus casus ante Codicem controverteretur (VERM.-CREUS. n. 326, 3°).

5 Nam, ut non exsurgeret impedimentum, esset necesse, ut mulier in utrumque consentiret: et in matrimonium et in sui abductionem (vel detentionem). Non datur ergo impedimentum, si mulier libenter cum viro aufugit ad finem contrahendi.

Si mulier minor consentiens abducitur, invitis parentibus vel tutoribus (raptus vocatur seductionis), controvertebatur ante Codi-

Raptor ab actibus legitimis ecclesiasticis ipso iure excluditur vi canonis 2353, si mulierem abduxerit (non si mere detinuerit) [1].

Art. 8. Crimen.

805 **Crimen,** quod impedimentum dirimens de iure ecclesiastico [2] inducit, tripliciter intelligitur, nempe *a*) adulterium cum

---

cem, utrum inde exsurgeret impedimentum; nunc certum est non adesse, cum e novo iure casus fuerit omnino praetermissus.

Raptus, qui fit per vim aut graves minas, vocatur raptus violentiae. Ex condicionibus supra appositis apparet non quodlibet crimen raptus, etiam violentiae, impedimentum inducere.

[1] Nam etsi praedictus canon raptum plectat adhuc latiore sensu acceptum quam supra (v. gr. raptum plectit etsi solo fine libidinis patratum), non tamen casum comprehendit simplicis retentionis, quippe quod vox « raptus » stricte sumpta (can. 18 19) abductionem sonat, ideoque sic tantum accipi debet in odiosis, nisi aliud ius declaret (prouti declaratur quoad impedimentum inducendum can. 1074, § 3).

[2] « Valide contrahere nequeunt matrimonium: — 1° Qui, perdurante eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt et fidem sibi mutuo dederunt de matrimonio ineundo vel ipsum matrimonium, etiam per civilem tantum actum, attentarunt; — 2° Qui, perdurante pariter eodem legitimo matrimonio, adulterium inter se consummarunt eorumque alter coniugicidium patravit; — 3° Qui mutua opera physica vel morali, etiam sine adulterio, mortem coniugi intulerunt » (can. 1075).

Cum impedimentum iuris sit ecclesiastici, non ligat infideles, qui post conversionem cupiunt inter se contrahere, si crimen uterque in infidelitate commiserat; at si illud una pars fidelis incurrit, v. gr. si fuit coniugicida et adulteravit cum infideli, matrimonium impeditur cum eo, ut patet ex can. 1036, § 3; e contra vero, si infidelis coniugicidium patravit et pars fidelis adulteraverat tantum; tunc enim fidelis nec directe impedimentum incurrit, nec indirecte ex infideli, nam is, utpote talis, impedimentis ecclesiasticis non est obnoxius.

Criminis impedimentum plus minus diverse ab omnibus fere Civilibus Codicibus agnoscitur, atque ut dirimens quidem. Sic dirimitur matrimonium iure *arg.* a. 166, 6° et 241, si quis auctor vel complex fuit homicidii alicuius coniugum; *br.* a. 183 VII, VIII et a. 207 inter eos, qui inter se adulterii crimen patrarunt, si eorum aliquis sententiam huius criminis condemnatoriam subiit, item inter coniugem superstitem et reum damnatum de homicidio aut de homicidii attentatione contra compartem; *chil.* « Ley de matrim. civ. » a. 6 7 29 inter coniugem superstitem et auctorem vel complicem homicidii in compartem patrati, item inter adulteram et reum adulterii cum ea commissi; *col.* a. 140, 7°-8°, inter adulteram et complicem, si antecesserit sententia adulterii declaratoria, item inter eos, quorum saltem unus proprium suum coniugem occidit aut occidere fecit (haec pro matrimoniis mere civiliter contrahendis; nam pro catholice contrahendis ius civile agnoscit leges canonicas, ut constat ex diversis articulis legum datarum annis 1887 1888, quos vide in *C. C.* sub a. 139 et 151); *gall.* nec coniugicidii nec adulterii impedimentum meminit; adulterii enim impedimen-

promissione vel attentatione matrimoni, vel *b*) coniugicidium ab una parte patratum cum adulterio, vel *c*) coniugicidium patratum ab utrisque nupturientibus. Haec tamen secundum veteris iuris sensum et doctorum interpretationes[1], adiectis novi iuris modificationibus, intelligendo prout sequitur:

a) **Adulterium cum promissione vel attentatione matrimonii** impedimentum dirimens constituit inter partes, si sequentes verificantur condiciones:

1° *Adulterium* debuit esse *verum*, *utrimque formale*, *consummatum*.

Verum, id est non mere existimatum; proinde requiritur, ut una saltem pars sit matrimonio valido ligata; sed non requiritur, ut matrimonio teneatur utraque pars, quia non est necesse ut patretur duplex adulterium.

Utrimque formale, id est debet utraque pars esse conscia adulterii; immo debet unius saltem partis coniugium esse notum utrique parti, secus non fieret formaliter iniuria ab utraque parte eidem coniugio[2].

---

tum, quod olim ut mere impediens agnoverat, suppresit anno 1904 (cf. a. 298); *hisp.* a. 84 101, inter adulteros sententia firma damnatos et inter auctores vel inter auctorem et complicem occisionis in quemlibet eorum coniugum patratae (haec pro matrimoniis mere civilibus, nam pro celebrandis a catholicis agnoscuntur a Codice leges canonicae, a. 42 75 76); *lus.* a. 1058 3°-4°, inter adulteros praecedente sententia adulterii damnatoria, item inter damnatum ut auctorem vel complicem occisionis proprii sui coniugis et auctores vel complices eiusdem criminis (hoc impedimentum afficit coram lege civili matrimonia etiam catholica, quamvis pro iis Codex agnoscat, quoad cetera, leges canonicas); attamen, iure lusitano a. 1059 1063 1064 est impedimentum mere impediens, transgressorem reddens incapacem dono aut testamento recipiendi quidquam a comparte sub regimine separationis bonorum (cf. supra in n. 229); *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 17, VI, 107, inter attentantem contra vitam unius coniugum et alterum ex his superstitem; *ur.* a. 93, 6° inter reos adulterii inter se patrati, si adulterium causa fuit sententiae divortii, item inter auctorem, attentatorem vel complicem occisionis unius coniugum et alterum ex his superstitem.

1 De hoc impedimento, iuxta ius vetus, cf. Sánchez l. 7, d. 78 89; S. Alph. l. 6, n. 1033-1043; Gasparri n. 727-749; Wernz n. 515 ad 539; iuxta ius novum: De Smet n. 657-671; Blat, *Comment. text. Cod.* III, p. 594-596; Noldin III, n. 57 584-588; Gén.-S. n. 497-500; Verm.-Creus. n. 327; Ferr. n. 1021-1026.

2 Quare non contrahitur impedimentum, si solutus peccat cum coniugata, quam putat solutam; huius enim coniugium non est utrique notum; nec incurritur, si peccant duo coniugati, quorum quisque scit tantum se ipsum esse coniugatum; sic enim suo quisque tantum coniugio iniuriam infert, sed neutri coniugio iniuria infertur ab utroque, cum neutrum ab utroque cognoscatur; incurritur vero, si solutus peccat cum coniugata, quam uti talem noverat.

Sed non excusaretur ab impedimento solutus qui, cogitans mulierem (reapse coniugatam), ad quam accedit, esse forte coniu-

Consummatum, ideoque requiritur copula cum seminatione intra vas peracta[1].

806 2° *Promissio* debuit esse *mutua*, *acceptata*, *absoluta*, *de nubendo post mortem coniugis*.

Mutua[2], et consequenter bilateralis ad modum sponsalium, quin sufficiat si unus promittat, etsi alter acceptet.

Acceptata, quin probabiliter[3] sufficiat silentium alterius, etsi interne consentientis; sed acceptatio iam adest, si ambo sibi matrimonium promittant eodem moraliter tempore, unius enim promissio est simul acceptatio promissionis alterius.

Absoluta, sive ex se, sive aequivalenter propter condicionem iam verificatam[4].

De nubendo post mortem coniugis; nam promissio contrahendi eo vivente[5] ad machinandam eius occisionem, ob cuius periculum hoc impedimentum constituitur, minus incitaret.

3° *Promissioni aequivalet attentatio matrimonii*. Sufficit, nimirum, ut ambo speciem quamdam veri matrimonii ineant, etsi clandestine, aut coram magistratu civili[6].

---

gatam, noluisset quidquam inquirere, sed statuisset peccare « sive soluta sit sive coniugata »; sic enim coniugio reapse exsistenti iniuria vere fit. Non excusat ergo ignorantia affectata.

1 Non tamen onanistice peracta.

Plerique auctores hanc condicionem consummationis declarant requirendo copulam « per se aptam ad generationem », quae declaratio difficultatem non creat quoad eos, qui putant huiusmodi copulam non desinere esse talem si habeatur cum muliere excisa. Sed cum nos sustinuerimus copulam cum huiusmodi muliere non posse vocari « per se aptam generationi », aliam formulam maluimus usurpare, ut comprehenderetur casus adulterii patrati cum muliere coniugata utero vel ovariis carente; hanc etiam formulam usurpant Gasparri n. 736; Verm.-Creus. n. 1327, etsi oppositam sententiam tenuerint.

2 Id nunc aperte constat ex can. 1075, 1°, quod ante Codicem controvertebatur, putantibus quibusdam sufficere promissionem unilateralem.

3 Cf. S. Alph. n. 1038.

4 Valet ergo promissio sub condicione de praesenti vel praeterito, statim ac constet condicionem exsistere; valet etiam sub condicione de futuro, statim ac verificetur, dummodo ante mortem coniugis.

Induci iam nunc impedimentum, etiamsi condicio de futuro nondum verificata sit, docuit Sánchez l. 7, d. 79, n. 11, quem tamen deserit Wernz n. 524 nota 36 cum aliis.

5 V. gr. post obtentum civile divortium.

6 Ii proinde, qui matrimonium civile contrahunt scientes vivere alterutrius coniugem (contrahunt v. gr. post obtentum civile divortium), hoc impedimentum incurrunt, quando attentatum matrimonium consummant, nisi consummatio exspectanda non sit propter adulterium iam antea patratum.

4° *Adulterium et promissio (vel attentatio) debuerunt exsistere durante eodem matrimonio.* Non ergo sufficit, ut quis adulterium commiserit in primo matrimonio, deinde complici promissionem det in altero; a fortiori non sufficit, si adulterium commiserit solutus, deinde complici det fidem coniugatus; dummodo in neutro casu adulterium et promissio constiterint durante eodem matrimonio complicis[1].

Denique perinde est, si promissio (vel attentatio) adulterium praecesserat ac si posteriore tempore facta est; impedimentum enim exsurgit in instanti, quo ambo iam simul exsistunt.

b) **Adulterium cum coniugicidio ex una saltem parte** 807
patrato. Impedimentum istud vocari solet «utrumque simul», eo quod utrumque, et adulterii et coniugicidii, crimen importat. Sequentes impleri debent condiciones:

1° *Adulterium verum, utrimque formale, consummatum,* ut nuper explicatum est.

2° *Coniugicidium* patratum *ab una parte, ex intentione contrahendi.*

Coniugicidium, ita ut coniugis mors secuta sit, quin sufficiat machinatio mortis vel attentatio. Nihil tamen refert, utrum actione physica patratum, an morali (v. gr. per mandatarium[2], vel per medicinarum denegationem); nec refert, utrum proprium coniugem occiderit, an alterius. Coniux debuit esse matrimonio valido iunctus, non mere existimato[3].

Ab una saltem parte; id enim sufficit, etiamsi altera sit machinationis ignara, vel eidem contradicat.

Ex intentione contrahendi[4], scilicet cum com-

---

1 Propter similem rationem impedimentum non oritur, si promissio revocata fuerit quando patratur adulterium; sic enim numquam ambo simul exstiterunt. Non tamen sufficit, si revocatur postea; iam enim impedimentum ortum fuit, ubi et promissio valida et adulterium constiterunt simul.

2 Immo per solum consilium, dummodo in necem influxerit (SÁNCHEZ l. 7, d. 78, n. 7; GASPARRI n. 733; WERNZ n. 527); sed non sufficeret, si mors sequeretur tantummodo ex imperitia medici vulnus leve male curantis; nec sufficeret mera occisionis ratihabitio.

3 Can. 18 19; WERNZ n. 527, III.

4 Non casu, vel ex ira aliave intentione, etsi prava.

Haec condicio, quae in veteri iure communiter subintelligebatur, subintelligi etiam debet in iure novo; etsi enim directe non insinuetur in can. 1075, § 2, non tamen excluditur, et aliunde satis eruitur ex ipso impedimenti fine, nempe, ne spes contrahendi cum alia persona ansam praebeat machinandi contra vitam coniugis. Est ergo retinenda (can. 18 et can. 6). Ita etiam DE SMET n. 663 664; VERM.-CREUS. n. 327; NOLDIN n. 585; GÉN.-S. n. 498; FERR. n. 1024 1025, contra LEHMK. opusc. *Quaest. praecip. mor.* (1918) p. 67, et BLAT, *Comment. text. Cod.* III, p. 596 597.

plice adulterii [1], quin necesse sit suam intentionem huic manifestare.

3° *Adulterium et coniugicidium* consistere debuerunt *stante eodem matrimonio*, ideoque tempore mortis debuit adulterium iam esse commissum [2].

808 *c*) **Coniugicidium ab utraque parte** patratum non requirit adulterium, ut matrimonium dirimatur inter utrumque complicem [3]. Requirit tamen sequentes condiciones:

Coniugicidium debuit patrari *ab utraque parte*, *ex intentione contrahendi*.

Coniugicidium, sive in proprio sive in alterius coniuge (vero tamen, non mere existimato) patratum, sive mediis physicis sive moralibus, ut supra explicatum est. Nec sufficit attentatio, sed mors sequi debuit ex actione posita (non ex alia causa extranea), ut supra quoque dictum est.

Ab utraque parte, quin sufficiat partis unius actio, quando non praecesserat adulterium; sed debuit alia quoque pars concurrere, quin sufficiat mortis secutae approbatio.

Ex intentione contrahendi cum complice coniugicidii.

809 **Advertenda.** 1° *Ignorantia* impedimenti non obstat, quominus istud ab horum criminum reis incurratur [4]; quod, cete-

---

1 Si quis proprium coniugem occidit ex intentione denuo contrahendi, cum incerta tamen persona, impedimentum non incurrit; sed, si cum intentione contrahendi cum una ex pluribus determinatis (supposito adulterio cum iis patrato), impedimentum oritur respectu earum omnium. Sánchez l. 7, d. 78, n. 18.

2 Secus enim non potuissent simul occisio et adulterium subsequens iniuriosa esse eidem matrimonio, siquidem copula subsequens superveniret postquam coniugium cum persona occisa iam esset solutum.

Non est tamen necesse, ut adulterium committatur ante coniugicidii machinationem vel attentationem. ut patet; sed sufficit, ut praecesserit momento mortis ex actione secutae (Wernz n. 532).

3 Matrimonium dirimitur cum quolibet ex complicibus coniugicidii, si intentio erat contrahendi cum aliquo, etsi incerto, ex pluribus certis et determinatis, ut nuper dictum fuit.

4 In veteri iure plures (v. gr. Ball.-P. n. 1044 seqq.; Lehmk. n. 1009 et alii) excusabant ab impedimento criminis ignorantes, eo quod putabant legem illud statuentem non esse mere irritantem, sed habere rationem poenae, et quidem extraordinariae; unde concludebant culpam requiri positam cum notitia tam gravis poenae, et consequenter matrimonium esse in conscientia validum si uterque contrahens eam ignoraverat. At in novo iure non amplius id sustineri potest, cum tam aperte et nulla facta exceptione dicat impedimenta dirimentia esse irritantia (can. 1036, § 2) legesque irritantes vim suam non amittere ob earum ignorantiam (can. 16, § 1). Merito proinde iam in hoc omnes concordes sunt post novum ius (Lehmk. opusc. *Quaest. praecip. mor.* [1918] p. 67;

roquin, tenendum esse diximus (n. 779) de omnibus impedimentis dirimentibus.

2° *Multiplicari* potest impedimentum criminis duplici modo:

α) Si ponantur variae impedimenti species nuper recensitae, distincta enim impedimenta sunt; v. gr. si duo adulterium consummarunt et data promissione matrimonii alteruter coniugicidium patravit[1].

β) Si omnia impedimenti constitutiva ponantur circa diversa matrimonia, v. gr. si duo coniugati adulterium committunt noscentes invicem coniugium alterius et mutuam promissionem ponant contrahendi post alterutrius coniugis mortem, duo exoriuntur impedimenta, formalis enim iniuria illata est duplici matrimonio[2].

De Smet n. 668; Verm.-Creus. n. 327; Gén.-S. n. 500, V; Noldin III, n. 584) ipseque Ferreres, qui paulo post editum Codicem id adhuc probabile docuerat (in edit. 1918) n. 1026, in posterioribus editionibus levem quamdam subdubitationem tantummodo exprimit (edit. 1919).

1 Concurrit in casu impedimentum primum cum secundo, quae vocari etiam solent respective « neutro patrante » et « uno patrante » (secundum vocatur quoque « utrumque simul », ut diximus).

Non multiplicantur impedimenta ob multiplicata adulteria cum eadem persona, neque ob repetitas promissiones non retractatas; novam enim obligationem non inducerent, dummodo haec omnia fiant constante eodem matrimonio; at certe multiplicantur, si cum eadem persona ponitur et promissio matrimonii et attentatio, vel si cum eadem repetitur attentatio (v. gr. obtento divortio prioris matrimonii civilis attentati).

Quare, si Titius vivente sua uxore Bertha adulterium committit cum femina sub promissione mutua contrahendi post uxoris mortem, sed ante eius mortem iam matrimonium attentat, duplex incurrit impedimentum; nam bis impedimentum incurrit primae speciei « neutro patrante », et cum adulterium exstitit cum promissione et cum deinde exstitit cum attentatione. Quod si similia adulteria, promissiones et matrimonii attentationes successive cum tribus mulieribus intercessissent, tandem uxorem Bertham occidisset, novem exorta fuissent impedimenta: tria ob coniunctum adulterium cum promissione quoad tres personas, tria ob coniunctum cum attentatione matrimonii, tria ob coniunctum cum coniugicidio. Cf. Gasparri n. 740; De Smet n. 666. Quod si coniugicidium patratum fuerit ex mutuo consilio cum postrema ex praedictis feminis, novum impedimentum accessisset tertiae speciei, quod vocatur « utroque patrante ».

2 Idem dic, si Titius cum mutua promissione contrahendi post mortem suae uxoris, adulteravit cum coniugata in primo eius matrimonio, iterumque in secundo. Immo, si Titius semper novit feminam esse coniugatam, adulteria patrata fuerant cum mutua status coniugalis notitia, ideoque non duplex, sed triplex adfuit impedimentum ob tria matrimonia, quibus factae sunt iniuriae.

Bene parochos et confessarios admonet De Smet n. 667 nupturientes de criminis impedimento esse interrogandos (caute et a

3° Dispensatio data a S. Sede super matrimonio rato et non consummato, item permissio data ab eadem S. Sede ad ineundas novas nuptias ob praesumptam coniugis mortem, intelligi debet cum dispensatione implicita ab impedimento criminis « neutro machinante », seu primae speciei, si forte id impedimentum obstaret (cf. can. 1053).

Art. 9. Consanguinitas.

810 **Consanguinitas** intercedit, intra quosdam limites lege praefinitos, inter eos, quorum unus ab altero ducit originem (hi dicuntur esse in linea recta), vel qui a tertio, communi amborum stipite, ortum ducunt, non tamen unus ab altero (tunc dicuntur esse in linea obliqua, seu transversali, vel laterali, aut collaterali).

Gradus consanguinitatis computantur iuxta numerum generationum, sequenti modo[1]:

In linea recta, tot sunt gradus quot generationes. Hinc Petrus distat duobus gradibus a suis avis; item avus et neptis sunt secundo gradu lineae rectae.

In linea obliqua, si ambo aeque distant a communi stipite, tot sunt gradus quot generationes in una linea; si inaequaliter, tot quot generationes in linea longiore. V. gr. si Paulus distat a Ioanne tribus generationibus et Paula distat ab eodem Ioanne duabus, Paulus e Paula dicuntur consanguinei in tertio gradu lineae lateralis; si ambo essent fratres, dicerentur esse in primo gradu illius lineae; si avunculus et neptis, essent in secundo eiusdem[2].

---

longe, ratione habita condicionis personae ac offensionem vitando, sagaciter tamen, ut impedimentum detegatur), quando aliqua suspicio fundata habetur: v. gr. si vir, brevi post uxoris obitum, cupit nubere ancillae vel alii personae, cum qua noscitur familiariter conversatus, praesertim si uxor diu infirmata est vel exosa fuit marito; facileque hoc impedimentum nostris diebus incurri a divortio civili separatis, v. gr. si vir ab uxore divortio seiunctus matrimonium civile init cum alia muliere, quam, defuncta uxore, cupit coram Ecclesia ducere.

1 « § 1. Consanguinitas computatur per lineas et gradus. — § 2. In linea recta, tot sunt gradus quot generationes, seu quot personae, stipite dempto. — § 3. In linea obliqua, si tractus uterque sit aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno tractu lineae: si duo tractus sint inaequales, tot gradus quot generationes in tractu longiore » (can. 96).

2 Saepe, in enuntiatione gradus consanguinitatis in linea obliqua, mentio fit utriusque lineae, hoc modo: Si personae aeque distant a communi stipite, dicuntur esse in gradu aequali; si inaequaliter, dicuntur esse in gradu remotiore, addita mentione gradus propioris. Sic in primo ex allatis exemplis,

Consanguinitas eodem modo computatur, etsi origo ducatur ex communi tantum patre, vel matre; nec multiplicantur consanguinitates, quamvis origo ducatur ex iisdem patre et matre, hi enim censentur unus stipes. Proinde nulla, sub hoc respectu, distinctio facienda est inter fratres germanos et inter fratres mere consanguineos (eiusdem tantum patris) vel uterinos (eiusdem tantum matris).

Ad detegendum num duae personae sint consanguineae **811** in gradu aliquo matrimonium dirimente, v. gr. num Petrus et Maria sint necne a consanguinitate dirimente exempti, formetur utriusque series genealogica, id est, scribantur super nomen Petri nomina parentum, super nomina eorum rursus nomina suorum parentum, denique super hos postremos nomina suorum; deinde idem fiat pro Maria. Si inter utriusque ascendentium nomina, nullum invenitur commune, Petrus et Maria impedimentum consanguinitatis non habent. En v. gr. seriem genealogicam Petri usque ad 3um gradum:



Ad detegendum in quo gradu duae personae sunt consanguineae, sumatur stipes communis, seu nomen, quod in

---

Paulus et Paula sunt « in tertio gradu attingente secundum »; in secundo exemplo, sunt « in primo gradu aequali »; in postremo, « in secundo attingente primum ». Haec mentio saepe necessaria erat ante Codicem ad petitionem dispensationis, nunc vero aliter dicendum attento textu canonis 96. Quare, post novum Codicem, magis proprie quam ante, valet effatum: « gradus remotior trahit ad se propinquiorem. »

Iura civilia solent computare gradus lineae *obliquae* seu lateralis, gradus unius lineae gradibus alterius addendo, ac proinde

utriusque serie genealogica repertum est commune, et ab hoc stipite descendatur in una serie usque ad Petrum, in altera usque ad Mariam. — Si utriusque series efformata non fuit, poterit sequenti modo procedi ex aliqua notitia sufficiente ad rem comperiendam; v. gr., si habes notitiam p r o a v i a m Petri fuisse a v u n c u l a m p a t r i s Mariae, ascende imprimis ad communem stipitem p r o a v i a e et p a t r i s, ita ut illa sit avuncula istius (ut in schemate 1°), deinde rem perfice descendendo ab uno latere usque ad Petrum, ab altero usque ad Mariam (ut in schemate 2°) hoc modo:



schema 1.



schema 2.

ubi patet Petrum et Mariam esse consanguineos in quarto gradu lineae obliquae[1], et consequenter non impediri, iuxta mox dicenda.

---

eos duplicando, si lineae sunt aequales; v. gr. in priore exemplo Paulus et Paula dicerentur esse in quinto gradu, in altero in secundo gradu, in postremo in gradu tertio. Ita *C. C. arg.* a. 387, *br.* a. 333, *chil.* a. 27, *col.* a. 37, *gall.* a. 738, *hisp.* a. 918, *lus.* a. 1977, *mex.* a. 188 vel « Ley sobre rel. fam. » a. 39, *ur.* a. 991.

C. C. arg. a. 396 ait non esse sequendum modum computandi civilem «quod attinet ad matrimonia»; sed, cum in titulo *De matrim.* (l. 1, sect. 2, tit. 1) ab anno 1889 reformato matrimonia canonica non amplius agnoscantur et, quoad matrimonia civilia, impedimenta adeo restringantur, ut nullam sit necesse mentionem facere de gradibus, articulus ille 396 inutilis evasit, quin opus fuerit illum derogare. — *C. C. chil.* a. 34 ait non esse sequendam computationem civilem « quoad matrimonia canonica »; verum lex de matrimonio lata anno 1884 iniquissime abolet, sub a. 1, matrimonia canonica. Iura autem *col.*, *hisp.* et *lus.* omnino leges canonicas circa matrimonia agnoscunt.

[1] Seu, ut saepe dicebatur ante Codicem, in quarto gradu attingente tertium.

Consanguinitas potest esse multiplex, quae exsurgit, si multiplex est communis stipes, ad quem tum ex sponso tum ex sponsa ascenditur, quin attendi debeat, utrum ab uno nupturientium ad eumdem stipitem ascendi possit diversis modis[1]. 812

[1] Bene adverte: quin attendatur, utrum ab uno eodemque nupturiente ad communem stipitem ascendi possit diversis modis, transeundo vel non transeundo pluries per unam eamdemque personam; aliis verbis: attenditur tantum ad communes stipites, ad quos ascendi potest per diversam duplicem lineam (duplicem lineam vocamus, quae ducitur et a sponso et a sponsa). Nam neque multiplicatur consanguinitas, si ascenditur per eamdem duplicem, et propterea non sunt multipliciter consanguinei duo fratres eo quod habeant communes parentes, avos, proavos, etc.; nec si ascenditur per multiplicem lineam simplicem, id est, ductam a sponso tantum, vel a sponsa tantum, seu, ut olim dicebatur, si ad communem stipitem ascenditur per multiplices v i a s. Nam, etsi in hoc postremo casu consanguinitas multiplicabatur ante Codicem, nunc tamen, post Codicem, iste modus multiplicandi consanguinitates penitus sublatus est, ut clare patet ex can. 1076, § 2.

Exempla habes in subiunctis schematis, in quorum primo ad communem Petri et Mariae stipitem S, duplici diversa via ascenditur a Petro; in altero,triplici via ab eodem ascenditur ad S, communem nupturientium stipitem. In nullo horum multiplicatur nunc consanguinitas; in primo tamen, nupturientes detinentur impedimento tertii gradus, sed in altero nubere non prohibentur, quia sunt in quarto gradu (in veteri iure, in quo consanguinitas multi-



S tres habuit filios C, D, N, e quorum uno, N, descendit Maria; ceterorum duorum C, D filii A, B, inter se consobrini, nuptias duxerunt et ortum dederunt Petro.



F, G, H, K, quatuor fratres sunt, quorum parens S. Hi uxores duxerunt non sibi consanguineas. Sed C et D, inter se consobrini (utpote filii seorsim duorum fratrum G, H), nuptias inter se inierunt, e quibus nata est A, quae vicissim nupsit cum alio consanguineo suo B, atque ex his ortus est Petrus.

Porro haec communis stipitis multiplicitas bene detegitur quando series genealogica utriusque nupturientium usque ad 3um gradum completa habetur; nempe, si in utraque serie deteguntur earumdem personarum nomina, haec dabunt totidem communes stipites (duo tamen c o n i u g e s efformant u n u m stipitem), e quibus sive ad unum e nupturientibus sive ad alterum descendi potest, quin referat, utrum per eamdem personam in hoc descensu diversis modis transeatur[1].

813 *Multiplex consanguinitas in linea collaterali evenire potest* aliquo ex sequentibus modis:

a) Si aliquis ex communibus ascendentibus duxerat personam sibi consanguineam. Sic v. gr., si Bertha, avia Petri



schema 3.

Leopoldus et Bertha sunt coniuges e quibus natae sunt Anna et Martha.



schema 4.

Eugenius et Barbara coniuges sunt, genitores Annae; rursus Eugenius et Eulalia filium habuerunt Joannem.

Barbara et Eulalia sorores sunt, filiae Leandri.



schema 5.

Albertus et Adulphus filii sunt Sempronii; Caia et Theresia filiae Silverii; Albertus et Caia, genitores Petri; Adulphus et Theresia, genitores Mariae.

et Mariae, nupserat suo avunculo Leopoldo, Petrus et Maria consanguinei sunt tum in 2° gradu ob Leopoldum et Bertham,

---

plicabatur tum ex numero communium stipitum tum ex diversis viis, per quas ascendebatur, et in quo praeterea mentio fiebat gradus utriusque, et remotioris et propioris, Petrus et Maria dicerentur esse, in primo casu, « in triplici gradu tertio aequali », in altero autem, « in duplici gradu quarto et in tertio, attingentibus tertium »).

[1] Nihil ergo refert, si in una eademque serie eiusdem per-

communem stipitem, tum in 4° ob alium communem stipitem, nempe, Rosam, matrem Leopoldi [1] (*schema 3*).

b) Si aliquis ascendentium duxerat successive duas personas inter se consanguineas, e quarum singulis nupturientes procedunt. Sic v. gr. si Eugenius duxerat duas sorores, Barbaram et Eulaliam, e quibus procedunt Maria et Petrus respective, hi sunt consanguinei tum in tertio gradu ob communem stipitem, Eugenium, tum in quarto eiusdem lineae ob alium communem stipitem, Leandrum [2] (*schema 4*).

c) Si duo ascendentes inter se consanguinei duxerant duas personas inter se consanguineas. Cf. schema 5um, ubi, cum duo fratres, Albertus et Adulphus, duxissent duas sorores, Caiam et Theresiam, Petrus et Maria sunt consanguinei in duplici gradu secundo [3] ob duplicem stipitem communem, Sempronium et Silverium [4].

NB. — Consanguinitas multiplex in petitione dispensa- **814**
tionis ad validitatem exprimenda est, quia constituit impedimentum multiplex.

---

sonae nomen pluries reperiatur; hae enim totidem sunt viae, per quas ex illo stipite descendere licet, sed inde, ut diximus, consanguinitas non multiplicatur.

1 Seu, ut dicebatur in veteri stylo, consanguinei sunt tum in secundo gradu aequali, tum in quarto attingente tertium.

2 Seu, ante Codicem, consanguinei tum in tertio gradu attingente secundum, tum in quarto attingente tertium.

3 Iuxta veterem stylum in duplici gradu secundo aequali.

4 Cf. etiam schema 6um, in quo Petrus et Maria consanguinei sunt in duplici gradu secundo (ob communes stipites, Albertum et Adulphum) et in tertio (ob Titium.) — (Iuxta veterem stylum in duplici gradu secundo aequali et in tertio aequali).



schema 6.

Consanguinitas matrimonium dirimit de iure ecclesiastico[1] in quolibet gradu lineae rectae, in linea autem collaterali

---

1 « § 1. In linea recta consanguinitatis matrimonium irritum est inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales. — § 2. In linea collaterali irritum est usque ad tertium gradum inclusive, ita tamen ut matrimonii impedimentum toties tantum multiplicetur quoties communis stipes multiplicatur. — § 3. Numquam matrimonium permittatur, si quod subsit dubium num partes sint consanguineae in aliquo gradu lineae rectae aut in primo gradu lineae collateralis » (can. 1076).

Ante Codicem dirimebat consanguinitas lineae lateralis usque ad quartum gradum inclusive. Inter auctores, qui hoc impedimentum ante Codicem tractarunt, cf. praesertim SÁNCHEZ l. 7, d. 50-53; GASPARRI n. 751-775; LEHMK. n. 987-991; WERNZ n. 407-424 et causas Romanae Curiae (*A.S.S.* XVII, p. 178, XXII, p. 220 358, XXVI, p. 407; *A.A.S.* [1913] p. 201, [1922] p. 472; post Codicem vero BLAT III, p. 598-603; DE SMET n. 594-612; NOLDIN n. 589-596; VERM.-CREUS. n. 328-332; GÉN.-S. n. 501-503; FERR. n. 1027-1035.

Etsi impedimentis canonicis non subiaceant infideles, at certe iis subiacet matrimonium fidelis cum infideli, ut patet ex can. 1036, § 3.

Impedimentum consanguinitatis, quoad matrimonia civilia, statuunt omnes Codices inter ascendentes et descendentes quoslibet, sive legitimos sive illegitimos. In linea autem collaterali, matrimonium dirimitur inter sequentes gradus (computatione facta ad morem civilem seu additis gradibus utriusque lateris): Iure *arg.* a. 166, 2° et a. 84, inter fratrem et sororem, sive filios eorumdem parentum, sive eiusdem patris vel matris tantum, sive legitimos, sive illegitimos; *br.* a. 183 IV 207, inter fratrem et sororem, legitimos vel illegitimos, eorumdem vel tantum eiusdem parentis filios, itemque inter collaterales, legitimos vel illegitimos, usque ad tertium gradum civilem inclusive; *chil.* « Ley de matrim. civ. » a. 5, 2° et a. 29, usque ad 2um gradum civilem tantum, id est, inter fratrem et sororem; *col.* a. 140, 9°, inter fratrem et sororem tantum; *gall.* a. 162 163, inter fratrem et sororem, legitimos vel naturales, itemque inter patruum vel avunculum et neptem, et inter amitam vel materteram et nepotem, id est inter collaterales usque ad tertium gradum civilem inclusive, immo, « *on admet en général, que les expressions d' oncle et de nièce, tante et neveu, employées par ce dernier texte* (nempe, art. 163), *embrassent le grand-oncle et la petite-nièce, la grand' tante et le petit-neveu* » (COLIN et CAPITANT, *Cours de Droit civ. franç.* I, p. 144); *hisp.* a. 84 101, inter collaterales legitimos usque ad quartum gradum civilem inclusive et inter collaterales naturales usque ad secundum; *lus.* a. 1073, 2° et 3°, inter collaterales usque ad tertium gradum civilem inclusive; *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 17 IV et 107, inter fratrem et sororem, sive eorumdem sive eiusdem tantum parentis filios, itemque inter patruum vel avunculum et neptem, et inter amitam vel materteram et nepotem, id est, inter collaterales usque ad tertium gradum civilem tantum; *ur.* a. 93 5° inter fratrem et sororem, sive legitimos sive naturales.

Ut apparet, plerique Codices, impedimentum ad arctissimam propinquitatem restringentes, sat misere dignitati matrimoniorum bonisque moribus providere conati sunt. Sapienter ius canonicum paulo latius illud extendit; idque non tantum in bonum vergit honestatis, adempta potestate contrahendi inter eos, quorum fami-

usque ad tertium gradum inclusive [1]; porro in gradu collaterali inaequali attenditur tantum ad gradum remotiorem [2]. Impedimentum vim habet etiam inter illegitimos.

De iure naturali consanguinitas matrimonium etiam dirimit probabilius in quolibet gradu lineae rectae, certo autem tantum constat de primo gradu; quoad lineam transversalem, disputatur solum de primo gradu, id est inter fratrem et sororem.

NB. — Numquam Ecclesia dispensat in ullo gradu lineae rectae aut in primo lineae lateralis, ne in casu quidem dubii circa factum, v. gr. si dubitetur an haec sit Titii mater, vel si dubitetur an sit soror; idque retinendum est, ut cum his restrictionibus intelligantur facultates contentae in can. 1043 ad 1045 15 81.

Art. 10. Affinitas.

Affinitas est impedimentum iuris tantum ecclesiastici oriturque ex matrimonio valido [3] (etsi nondum consummato) inter 815

---

liaritas nimium praeberet incontinentiae incitamentum, sed etiam in bonum prolis. Constat enim noxia consectaria haud raro redundare ex consanguineorum coniugiis: sterilitatem, abortus, monstruositates, filiorum epilepsiam aut surdomutitatem, et saltem si plura successiva coniugia inter consanguineos inirentur, certum est prolem cito degeneratum iri. Cf. LEFÈBVRE, *Les mar. consanguins* in *Rev. des quest. scient.* I (1877) p. 240; Dr. SURBLED, *La morale* I, p. 244 seqq.; Dr. FOREL p. 182-184; Dr. SCHREIBER in *Eugén. et sél.* p. 185; *Dicc. encicl. hisp.-amer.* v. Matrimonio p. 593, col. 1 et 2; ANTONELLI II, n. 364 365; ESCHBACH diss. 1, c. 7, a. 1; VERM., *De cast.* n. 43; FERR. n. 1032 nota; GASPARRI n. 762; WERNZ n. 416; DE SMET n. 606 nota.

[1] Ex privilegio vi const. LEONIS XIII, *Trans Oceanum*, 18 apr. 1897 ad triginta annos toti *Amer. Latinae* concesso, Indi et Nigritae intra tertium tam consanguinitatis quam affinitatis gradum matrimonia contrahere possunt. Quinam veniant in hac const. nomine Indorum et Nigritarum, cf. declarat. *S.C. de Neg. Extr.* 24 maii 1898 (in Append. ad *Conc. Plen. Am. Lat.* n. CIV, p. 627, vel supra in n. 372 circa finem).

[2] Quare duo consanguinei in gradu quarto attingente tertium non impediuntur contrahere, secus vero duo consanguinei in gradu tertio aequali, vel in tertio attingente secundum.

[3] « § 1. Affinitas oritur ex matrimonio valido sive rato tantum sive rato et consummato. — § 2. Viget inter virum dumtaxat et consanguineos mulieris, itemque mulierem inter et viri consanguineos. — § 3. Ita computatur ut qui sunt consanguinei viri, iidem in eadem linea et gradu sint affines mulieris, et vice versa » (can. 97).

In veteri iure, radix affinitatis erat copula, sive licita sive illicita; unde quicumque cum alia quavis persona commercium habebat, contrahebat ipso facto affinitatem cum eius consanguineis; ideoque et ipse maritus, si rem haberet cum persona affini (id est cum aliqua ex uxoris consanguineis), affinitatem contrahebat

maritum et consanguineos uxoris, et inter uxorem et consanguineos mariti, prout repraesentari solet per schema hic appositum, exprimens maritum et uxorem coniungi affinitate cum consanguineis compartis:



Gradus et linea affinitatis computantur iuxta gradum et

---

cum propria uxore. Quare plurima ex huiusmodi copulis illicitis et incommoda in praxi et theologorum quaestiones exoriebantur, quae iam prorsus obsoleverunt. Etenim in novo iure non ex copula, sed ex matrimonio valido (non ex invalido, etsi bona fide existimato) oritur affinitas; atque haec est una ex praecipuis immutationibus, quod ad praxim attinet, a recentiore Codice inductis. De affinitate optime disseruerunt in veteri iure SÁNCHEZ l. 7, d. 64-67; S. ALPH. n. 1067-1077; GASPARRI n. 776-797; WERNZ n. 427-443; BALL.-P. n. 1162-1177; LEHMK. n. 997-1000; iuvatque conferre causas *S.C.C.* (*A.S.S.* XIV, p. 155, XV, p. 132 409, XIX, p. 20 34, XXI, p. 261, XXVI, p. 451, XXVIII, p. 97, XXXII, p. 596, XXXVI, p. 297, XXXVIII, p. 343).

Vinculum quo, propter copulam, ligatur una persona cum consanguineis alterius, cum qua rem habuit, non est mere iuridicum, seu lege positiva creatum, sed vere naturale, saltem si provenit ex copula legitima. Cf. SÁNCHEZ l. 7, d. 65; WERNZ n. 430 nota 43. Vim tamen dirimendi non habet iure naturae, si forte excipias affinitatem ex copula legitima quoad primum gradum lineae rectae, de quo disputatur; ideoque, in ceteris saltem casibus, copula vim dirimendi, pro matrimoniis baptizatorum, sortiri potest tantum e iure canonico. Porro a iure canonico nullam iam vim dirimendi accipit ulla copula, etsi licita, cum eam vim ius tribuerit *vinculo matrimoniali rato*, idque iam ante copulam exsistat. Ex dictis patet aliud esse affinitatem oriri de lege naturae, aliud esse impedimentum de lege naturae, ut bene notat SÁNCHEZ loc. cit. Profecto affinitas tam late extenditur quam consanguinitas; coniux enim affinis fit cum omnibus consanguineis compartis, ideoque

lineam consanguinitatis[1]. Sic v. gr., si *E* est consanguineus uxoris *N* in secundo gradu lineae rectae, *M* est affinis huius personae *E* in eodem gradu et linea; similiter maritus *M* est affinis cum *G* in primo gradu lineae transversalis, si *G* est soror mulieris *N*.

Ex definitione data patet: 1° maritum et uxorem non posse dici inter se affines, sed sunt radix affinitatis ad consanguineos dimanantis; — 2° nullam posse intercedere affinitatem inter duas personas, v. gr. *A* et *G*, si neutra matrimonio iuncta est cum aliquo consanguineo alterius; nec refert quod *M*, seu aliquis consanguineus prioris *A*, matrimonium inierit cum *N*, consanguinea alterius, et consequenter, quod ille prior *A* sit affinis cum *N*, consanguinea alterius *G;* nam affinitas inter *A* et *N* non producit affinitatem inter *A* et *G*[2].

Quare 1° Ad videndum, utrum duae personae sint affines, sufficit indagare, utrum una earum matrimonium inierit cum aliqua persona consanguinea alterius. — 2° Nihil obstat, quominus quis ducat affinem fratris sui, v. gr. ut duo fratres duas sorores ducant, vel pater et filius ducant matrem et filiam. Item nihil obstat, quominus Titius, qui duxerat Annam, sororem

---

usque ad tertium gradum lineae collateralis, non tamen cum iis omnibus matrimonium impeditur, sed tantum usque ad secundum gradum, ut paulo inferius dicetur.

Ex matrimoniis in infidelitate contractis non oriri, in novo iure, impedimentum affinitatis ad dirimenda matrimonia post baptismum contrahenda, docent De Smet n. 431 613; Gén.-S. n. 505; contra vero Ferr. n. 1038; Noldin n. 598.

Inclinant Codices civiles hodierni (v. gr. Germaniae et Italiae), ut affinitatem non admittant nisi *ex matrimonio valido*, sicut in antiquo iure romano affinitas vigebat, ad quod nunc ius canonicum hac in re regressum est. Idipsum statuit *C. C. arg.* a. 399. Multi tamen Codices affinitatem exoriri agnoscunt etiam ex copula illicita: sic *C. C. br.* a. 183, II, 332, *chil.* a. 31-33, *col.* a. 47-49, *hisp.* a. 84, *ur.* a. 93; id dubium est in *C. C. gall.* a. 161 162, non enim patet, num disiunctio, quae in prima parte articuli afficit consanguineos, applicanda quoque sit affinibus (cf. Wernz n. 443), eademque dubitatio transferri potest ad *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 17, IV-V; multo magis dubia res est in *lus.* a. 1073, ubi quaelibet legis insinuatio deest.

[1] Affinitatis gradus eodem modo (nempe iuxta stylum civilem) ac gradus consanguinitatis computari a iure civili expresse legitur in *C. C. arg.* a. 397, *chil.* a. 31, *col.* a. 47.

[2] Quare viduus contrahere potest cum vidua fratris defunctae uxoris vel cum vidua filii a defuncta uxore ex alio matrimonio habiti; nam, etsi praedictus viduus affinis erat cum consanguineis uxoris, sed non erat affinis cum affinibus eorum consanguineorum, id est cum praedictis viduis, nam, ut ait axioma: « affinitas affinitatem non parit. » Supponitur praedictus viduus non fuisse iunctus in aliquo praecedenti matrimonio cum aliqua consanguinea illarum viduarum.

Caii, possit, post mortem Annae et Caii, ducere Bertham, viduam Caii; vel denique, quominus quis ducat successive viduas duorum fratrum.

816 *Affinitas potest esse multiplex;* id autem evenit, si consanguinitas est multiplex, vel si matrimonium initum est successive cum pluribus inter se consanguineis [1].

Affinitas matrimonium dirimit [2] in quolibet gradu lineae rectae, in linea autem collaterali usque ad secundum gradum inclusive [3].

---

1 Exempla habes v. gr. in schemate 4 superius posito. Eugenius successive duxit duas sorores, Barbaram et Eulaliam, unde Anna et Martha consanguineae sunt in 2° gradu propter stipitem communem, Eugenium, et in 3° gradu propter alium communem stipitem, Leandrum. Suppone igitur Annam nubere viro cuidam Martino. Martinus affinis erit cum omnibus consanguineis suae uxoris Annae, et nominatim cum Martha affinis erit affinitate duplici, scilicet secundi et tertii gradus. Nemo ex nominatis in schemate praeter Annam, affinis erit cum Martini consanguineis. Aliud exemplum v. gr. in schemate 6. Albertus et Adulphus, filii sunt Titii, quorum singuli filios habent in eodem schemate descriptos (pro praesenti exemplo adde Adulpho tertium filium Robertum); unius filii sunt proinde consobrini filiorum alterius. Nunc, si qua mulier, Carmela, nuberet Caio, affinitatem contraheret cum filiis Alberti in primo gradu, sunt enim consanguinei in primo gradu cum marito Caio; cum filiis autem Adulphi in secundo gradu, quia hi sunt Caii consanguinei in hoc gradu. Si deinde, mortuo Caio, nuberet Roberto, fieret e contra affinis cum filiis Alberti in secundo gradu, cum filiis Adulphi in primo. Post secundum ergo matrimonium teneretur cum iis omnibus affinitate duplici, una primi gradus, alia secundi. Ante Codicem, affinitas multiplicabatur quoque, si utraque pars copulam habuerat (cuius loco, in novo iure, diceretur, si utraque pars matrimonium validum inierat) cum persona comparti consanguinea v. gr. inter Titium et sororem suae uxoris, si illa soror nupserat fratri Titii. Haec causa multiplicitatis sublata est in novo Codice, ut patet ex can. 1077, § 2.

Pariter, ante Codicem, multiplicabatur affinitas, si una pars copulam habuerat tum licitam tum illicitam cum eadem persona alteri consanguinea. Nunc sublata affinitate ex copula illicita, haec multiplicitas disparuit.

Denique, ante Codicem, poterat affinitas ipsis inter se coniugibus supervenire, si unus nempe copulam habuerat cum aliqua ex consanguineis alterius. Sed nunc quoque, suppressa affinitate ex copula illicita, affinitas inter ipsos coniuges superveniens impossibilis facta est.

2 « § 1. Affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive. — § 2. Affinitatis impedimentum multiplicatur: — 1° Quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit; — 2° Iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti » (can. 1077).

3 Aliis verbis: *a*) in linea recta dirimit inter unum coniugem et ascendentes compartis eiusdemque descendentes legitime ex alio matrimonio vel illegitime quovis modo habitos; *b*) in linea collate-

De iure naturae, an affinitas exsurgens in matrimonio legitimo et consummato, matrimonium dirimat in primo gradu lineae rectae, controvertitur; certe non dirimit in ceteris casibus.

NB. — Numquam Ecclesia dispensat in affinitate primi gradus lineae rectae, orta ex legitimo matrimonio[1].

Art. 11. Honestas publica.

Honestas publica nomen est, sub quo intelligitur impe- **817**
dimentum quoddam dirimens iuris mere ecclesiastici[2], quod exsurgit:

---

rali dirimit matrimonium unius coniugum cum fratribus (vel sororibus) compartis, cum horum filiis et consobrinis, necnon cum fratribus (vel sororibus) parentum compartis, et subintellecto semper legitimis vel illegitimis.

In vetere iure canonico affinitas oriebatur non ex vinculo matrimoniali, sed ex copula sive licita sive illicita. Dirimebat autem matrimonium cum consanguineis compartis in linea recta indefinite in quolibet gradu, in linea autem collaterali usque ad quartum gradum inclusive, si oriebatur ex copula licita; usque ad secundum vero inclusive, si ex illicita.

Iuvat tum pro matrimoniis initis inter non baptizatos, tum ad effectus civiles matrimoniorum canonicorum, nosse quid in hac re statuerint iura civilia.

Affinitas matrimonium dirimit in quolibet gradu lineae rectae tantum ex iure *arg.* a. 166, 3° et a. 241; *br.* a. 183, II, 207; *chil.* « Ley de matrim. civ. » a. 5, 1° et a. 29; *lus.* a. 1073, 1° et a. 1074; *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 17, V, 107; *ur.* a. 93, 4°. Iure autem *col.* lex 57 anni 1887 ad a. 13 Cod. civ. dirimit tantum in primo gradu lineae rectae; iure *gall.* a. 161 162 184 in quolibet gradu lineae rectae et in secundo lineae collateralis (iuxta computum civilem) moneturque impedimentum non cessare etiam dissoluto per divortium coniugio, quod affinitati ortum dederat; iure *hisp.* a. 84 101 dirimit in quolibet gradu lineae rectae et usque ad quartum gradum (computi civilis) lineae collateralis, si affinitas ortum duxerat e copula licita; usque ad secundum vero, si ex illicita.

[1] Cf. Gasparri n. 792; Ferr. n. 1039. Citatur tamen dispensatio concessa anno 1911 ad *convalidandum* matrimonium civiliter contractum inter viduum et filiam *illegitimam* uxoris defuncti (cf. De Smet n. 622 nota 4; vel fusius Ferreres in ephem. *Razón y Fe* XXXIV, p. 519).

[2] « Impedimentum publicae honestatis oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice versa » (can. 1078).

Cum honestas publica iure naturae non exsistat ut impedimentum, eo non tenentur infideles, seclusa lege civili, cui forte in hac materia ipsi, utpote non baptizati, subiiciantur. Indirecte tamen teneretur nupturiens infidelis, si contrahere vellet cum fideli, qui hoc teneretur impedimento, v. gr. si is, dum iam erat fidelis, in notorio concubinatu vixisset cum ascendente vel descendente illius nupturientis in primo vel in secundo gradu. Cf. Gasparri n. 830;

1° *Ex matrimonio invalido* (v. gr. ob impedimentum ignoratum, vel ob defectum formae) [1], sive consummato, sive nondum consummato.

2° *Ex publico vel notorio concubinatu* [2], sive concubina domi retineatur, sive alibi degat.

Wernz n. 449 nota 24; De Smet n. 632; Gén.-S. n. 506; Noldin n. 601 4. Denique infideles, si *post baptismum* contrahere velint, non tenentur hoc impedimento propter causam in infidelitate positam, v. gr. si quis dum erat infidelis, vixerat in concubinatu vel matrimonium invalidum contraxerat, ut sentit De Smet n. 632 nota 2; Verm.-Creus. n. 337; Gén.-S. n. 506; Ferr. n. 1043, *quaer.* 4.

[1] Si matrimonium invalidum fuit ob defectum consensus tantummodo (v. gr. ex metu), an impedimentum oriatur, dubium dicit Ferr. n. 1043 *quaer.* 3, quia ante Codicem fiebat haec exceptio; affirmant vero De Smet n. 627; Gén.-S. n. 506; Verm.-Creus. n. 337; Noldin n. 601. His posterioribus adhaeremus; Codex enim tam absolute loquitur, ut consulto videatur hanc antiqui iuris exceptionem praeteriisse. Quod si cui res dubia adhuc videretur, meminerit quod ex can. 15 impedimenta in dubio iuris non urgent.

An vero a baptizatis contrahatur hoc impedimentum ex matrimonio mere civili, ut tali, seu praecise propter hanc invalidam matrimonii celebrationem, negant omnino Ferr. n. 1043, *quaer.* 1°, Verm.-Creus. n. 337, quia ex declaratione Leonis XIII huic contractui Ecclesia ne figuram quidem matrimonii agnoscit. Affirmant Noldin n. 601; Gén.-S. n. 506, III; Chelodi apud. Ferr. loc. cit. in nota. Negantibus videtur accensendus De Smet n. 629. Attamen, cum ii, qui matrimonium mere civiliter ineunt, publice concubinarii habeantur, concedunt omnes, et certum est impedimento eos teneri, si non ex simplici facto celebrationis invalidae, saltem ex capite publici concubinatus, ut iam impediantur deinde contrahere cum matre vel filia compartis.

Quaeri posset, an, si matrimonium propter defectum consensus vel propter defectum formae sit invalidum, impedimentum honestatis evanescat ipso facto convalidationis per renovatum consensum vel celebrationem iuxta praescriptam formam, eo vel magis quod tunc, ex matrimonio valido facto, iam exsurgat impedimentum affinitatis. — *Resp.*: Videtur negandum. Nam impedimentum, quod semel inductum est, manet, nec destruitur per aliud impedimentum superveniens (cf. Wernz n. 459, ubi egregius canonista quaestionem tractat huic satis affinem, quae locum habebat in veteri iure). Nec in ordine ad dispensationem impetrandam impedimentum affinitatis in novo iure censeri potest absorbere aliud publicae honestatis; etenim affinitas nihil aliud supponit nisi matrimonium validum, sed matrimonium validum non supponit fuisse prius invalide initum; quare, in petitione dispensationis mentio utriusque impedimenti facienda est. In eamdem sententiam inclinat De Smet n. 633, qui non solum circa matrimonium convalidatum, sed circa concubinatum, qui in legitimas nuptias transierit, hanc quaestionem proponit.

[2] *Concubinatus* consistit in vita uxorie ducenda a certo viro cum certa muliere, quod requirit habitualem quamdam utriusque commixtionem carnalem, vel saltem condictum quoddam expressum vel tacitum ita inter se vivendi. Quare vir, qui habitualiter tendit ad lupanar remque habet cum eadem muliere, ex eo solum nequit dici concubinarie cum ea vivere, ut bene notat De Smet; cum

Hoc impedimentum potest esse multiplex. Quamquam enim id Codex non animadvertat, videtur tamen non dubitandum [1]. Porro multiplicitas eveniet, si diversae impedimenti ponuntur causae, puta si quis in publico concubinatu vivat et deinde cum concubina matrimonium contrahat, sed invalide; vel si quis in publico concubinatu vixerit cum matre et filia sponsae, vel cum duabus eiusdem filiabus [2]. **818**

Impedimentum publicae honestatis matrimonium dirimit inter unam partem et consanguineos alterius usque ad secundum gradum inclusive lineae rectae tantum [3].

---

enim mulier omnibus prostet, non vivit haec praecise cum illo viro; manet ergo meretrix, non concubina (De Smet n. 628). Concubinatus debet esse *publicus*, id est iam divulgatus, vel talibus in adiunctis, ut censeri debeat facile divulgatum iri; vel *notorius*, id est si publicus et talibus in adiunctis, ut nulla tergiversatione celari possit (can. 2197). De Smet n. 629; Verm.-Creus. n. 337, 3; Gén.-S. n. 506, III; contra Blat, *Comment. text. Cod.* III, p. 604, qui recusat harum vocum significationem promere praecise ex can. 2197 de delictis, attamen eas interpretatur eodem modo.

Sagaciter quaerit Ferr. n. 1043, *quaer.* 2°, an impedimento teneantur qui in concubinatu quidem vivunt, publice tamen putantur veri coniuges. Recte sentit non teneri, eo quod concubinatus, ut *talis*, non est publicus. Sed, nisi ambo concubinarii inter se contrahant, difficultas inde exsurgit, quod, ubi matrimonium contrahetur cum alia persona, facile publici iuris fiet illorum concubinatus, qui hucusque in matrimonio vivere existimabantur. Nihilominus, si res, etsi vivente adhuc concubina, aliqua ratione tergiversari possit, tamquam si ageretur de matrimonio invalide inito, videtur valide cum ascendente vel descendente pseudo-coniugis, etiam eo vivente, posse contrahi. Ferr. loc. cit., opinatur id egere declaratione.

1 Non enim refert, quod Codex multiplicitatis neminerit in impedimentis consanguinitatis et affinitatis, hic autem non meminerit. Non enim Codex multiplicitatem tacere poterat in illis impedimentis, quippe qui causas multiplicitatis in veteri iure vigentes restringere statuerat, ut vidimus.

2 De Smet n. 630 cum nota; Gén.-S. 506, IV; Chelodi apud Ferr. n. 1643 nota. Recte addit De Smet, quod « attenta analogia cum affinitate, non multiplicatur publicae honestatis impedimentum ex eo quod uterque sponsus matrimonium inierat invalidum, vel concubinatum instauraverat cum consanguinea persona alterius partis, puta sponsus cum matre vel filia sponsae, et sponsa cum patre vel filio sponsi ».

3 Dirimit matrimonium tantummodo cum parentibus, avis, filiis et nepotibus uxoris nulliter ductae, vel concubinae; filiis, inquam forte legitime ex praecedenti aliquo matrimonio vel illegitime ortis, sicut de aliis semper intellige, legitimis vel illegitimis.

Hoc impedimentum, quod in iure venit etiam nomine *quasi-affinitatis*, longe aliter vigebat ante Codicem. Nempe, oriebatur:

1° *Ex sponsalibus validis* (quae, ut valida essent, a die 19 apr. 1908 per scripturam publicam iniri debebant ex decr. *Ne temere* 2 aug. 1907; sed iampridem id vigebat in Hispania et in America Latina; cf. supra n. 767 nota), dirimebatque matrimonium usque

NB. — Impedimentum, quatenus ex matrimonio ortum, et attento quod nunc solum viget in linea recta, difficulter a S. Sede dispensatur[1].

---

ad primum gradum solummodo, id est inter sponsum et sorores, matrem filiasque sponsae, et inter sponsam et fratres, patrem filiosque sponsi. Si dissolvebantur sponsalia, impedimentum nihilominus non evanescebat, nam, semel inductum, manebat. E sponsalibus condicionatis impedimentum non oriebatur ante impletam condicionem.

2° *Ex matrimonio rato etsi invalido* (ideoque non ex matrimonio in infidelitate contracto, quoniam non est ratum ante baptismum; si tamen consummatum fuerat, aderat impedimentum affinitatis; neque ex matrimonio mere civili in locis legi tridentinae de clandestinitate subiectis, ut declaraverat Leo XIII, 7 aprilis 1879; huiusmodi enim civile matrimonium, obligante forma tridentina, est merus turpisque concubinatus), dirimebatque matrimonium usque ad quartum gradum inclusive. Impedimentum tamen non exsistebat, si invaliditas matrimonii ortum duxerat *a*) ob defectum consensus, sive quia is fuisset fictus, sive quia nullus ex errore aut gravi metu; vel *b*) (probabiliter) ob clandestinitatem; tandem *c*) impedimentum publicae honestatis non subsistebat respectu sponsae (vel sponsi) per matrimonium ex spretis sponsalibus invalidum praeiudicatae; v. gr. si Titius, spreta sponsa Bertha, eius sororem duxisset invalide, ex hoc matrimonio invalido impedimentum quidem habebat ad contrahendum cum qualibet ex eius consanguineis intra quartum gradum, sed una excepta Bertha (si sponsalia soluta non fuerant), ad quam redire tenebatur, quin egeret dispensatione (nisi fuisset contracta affinitas, nempe, nisi illud matrimonium consummatum fuisset; hanc enim consummationem requirebat affinitatis impedimentum in veteri iure).

Impedimentum publicae honestatis multiplex esse poterat ante Codicem; v. gr. ob sponsalia valida cum diversis personis successive contracta.

De hoc impedimento in veteri iure praeclare egerunt Sánchez l. 7, d. 68-70; Gasparri n. 798-830; Wernz n. 446-464; Ball.-P. n. 1146-1156. Cf. etiam causas *S.C.C.* (*A.S.S.* XII, p. 147, XVIII p. 210).

Impedimentum publicae honestatis ex matrimonio invalido, ex mero facto suae celebrationis, penitus exsulat a Codicibus civilibus. Impedimentum autem ex publico concubinatu reducitur civiliter ad impedimentum affinitatis, siquidem Codices affinitatem exoriri faciunt, sicut ius canonicum ante novum iuris Codicem, ex copula; reducitur, inquam, ad affinitatem, si ius civile hanc oriri agnoscit non solum ex copula licita, sed etiam ex illicita. Quare, ad affinitatem quoque reducenda erit civiliter honestas publica ex matrimonio invalido, si hoc cosummatum fuerit, quod aliunde semper praesumetur coram lege, nisi inconsummatio certo probari possit.

[1] Ferr. n. 1043 NB.; cf. etiam Wernz n. 460 et Gasparri n. 829; quorum dicta benignius in praesenti iure accipienda sunt, quia in hoc et matrimonium debuit esse invalidum et ex eius consummatione non oritur speciale impedimentum; illi vero scripserunt vigente veteri iure, in quo publicae honestatis impedimentum non solum exsurgere poterat ex matrimonio rato nondum consummato, invalide inito, sed etiam, quod difficiliorem reddit dispensationem, ex eodem inito valide, quod si addebatur consummatio, aliud impedimentum exoriebatur affinitatis (*aliud*, inquam, theoretice; prac-

Art. 12. Cognatio spiritualis.

Cognatio spiritualis est propinquitas iure ecclesiastico **819**
inducta ex administratione baptsimi vel confirmationis (can. 768 797). Sola tamen ea, quae ex baptismo oritur, impedimentum matrimoniale constituit.

Cognatio ex baptismo contracta matrimonium dirimit inter personam baptizatam ex una parte et, ex altera, baptizantem et patrinum (seu matrinam) [1].

Ad cognationem contrahendam requiruntur sequentes condiciones [2], sine quibus proinde impedimentum non subsistit: 1° Ut vere conferatur sacramentum; ideoque non contrahitur quando solum supplentur caeremoniae baptismi; nec contrahitur a patrino in baptismo condicionato, nisi idem sit qui priori baptismo patrinus adstiterat. 2° Ut baptizans vel patrinus (aut matrina) sint baptizati; ideoque non contrahitur cognatio nec impedimentum ab infideli, si baptizat [3]. 3° Ut patrinus aut matrina valide talis fuerit (condiciones ad validitatem habes supra in n. 492); sed non refert, quod talis fuerit illicite (cf. ibidem).

Si patrinus infantem de fonte levat per procuratorem, non is, sed ille cognationem contrahit.

---

tice enim, seu in ordine ad dispensationem petendam, impedimentum publicae honestatis ab alio affinitatis ex copula licita absorbebatur, de qua re, cf. si lubet WERNZ n. 459). His igitur attentis, videtur post Codicem non praesumenda tanta difficultas S. Sedis ad dispensandum in hoc impedimento, quantam significat FERR. loc. cit.

1 « Ea tantum spiritualis cognatio matrimonium irritat, de qua in can. 768 » (can. 1079). En autem can. 768: « Ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato baptizans et patrinus. »

In veteri iure matrimonium dirimebat non solum cognatio proveniens ex baptismo, sed etiam quae ex confirmatione contrahebatur. Utraque matrimonium dirimebat inter subiectum sacramenti eiusque parentes ex una parte, et ministrum sacramenti, patrinum et matrinam ex altera; quare parens filium baptizans cognationem contrahebat cum coniuge.

De hoc impedimento iuxta ius vetus cf. SÁNCHEZ l. 7, d. 54-62; GASPARRI n. 831-850; WERNZ n. 483-499; BALL.-P. n. 993-1009. Cf. etiam causam *S.C.C.* (*A.S.S.* XVI, p. 411).

2 Cf. supra n. 492.

3 Considerari tantum potest casus, quo baptizet, nam patrini munus invalide ageret, ut habes in can. 765, 1°.

Cum impossibile sit baptizatum fieri cognatum baptizantis, si baptizans infidelis nequit cognationem cum eo contrahere (cognatio enim est mutua quaedam relatio), dicendum est nullum haberi impedimentum ex hoc capite, si infidelis, etsi deinde baptizatus, cum illo vellet contrahere. DE SMET n. 642; NOLDIN n. 603, 2°.

Si plures, etsi illicite, patrini et matrinae admitterentur, omnes cognationem et impedimentum cum baptizato contraherent.

In baptismo privato certe cognatio contrahitur a baptizante atque, ut videtur, a patrinis[1].

NB. — 1° Multiplicari non potest in novo iure hoc impedimentum, nisi quis infantem baptizaverit et simul per procuratorem de fonte susceperit[2].

2° Cum cognatio spiritualis recenseatur inter impedimenta minoris gradus, dispensari potest iusta et rationabili de causa vi facultatum, quae concedi solent.

Art. 13. Cognatio legalis.

820 **Cognatio legalis** ex adoptione orta impedimentum canonicum dirimens constituit in iis regionibus, ubi ex lege civili impedimentum dirimens eadem constituit, dirimitque inter easdem personas inter quas dirimat de iure civili[3].

Caput 7. IMPEDIMENTORUM DISPENSATIO

821 Antequam de impedimentorum dispensationibus tractemus*, praemittere oportet distinguendas esse dispensationes:

1° In ordine ad matrimonium *contrahendum*, vel ad illud, specie tenus iam contractum, *convalidandum*.

---

1 Res videbatur valde controversa ante Codicem. Cf. v. gr. S. Alph. l. 6, n. 149. Attamen Wernz n. 489 nota omnino tenebat cognationem a patrinis contrahi (etiam in iure vetere, de quo ipse loquitur) in baptismo privato negabatque rem esse dubiam. Similiter loquitur De Smet n. 639 cum nota circa ius antiquum, in novo autem, ipse videt id satis innui in iuris Codice, collatis can. 762, § 2 et can. 768; et quidem post Codicem videntur auctores communiter eandem tenere sententiam, ut Ferr. n. 1045 nota (qui tamen id non audet dicere omnino certum); Blat, *Comment. text. Cod.* III, p. 56 sub finem; Noldin n. 603, qui omnes moventur, profecto non absque gravi causa, tenore canonis 762, § 2. Nihilominus adhuc post Codicem videmus id dici dubium a Gén.-S. n. 507 II, et valde obiter a Verm.-Creus. n. 51.

2 Cognatio multiplicatur quidem, si quis patrini munus gerit erga eumdem in baptismo et confirmatione, sed cognatio ex confirmatione contracta non constituit impedimentum.

3 « Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere » (can. 1080).

Non exsistit hoc impedimentum, ut diximus supra in n. 788 nota, in iure civili *arg.*, *chil.*, *lus.*, *mex.*, *ur.* Practice in *Gallia* habendum est ut prohibens (cf. ibid.). Dirimit autem iure *br.*, *col.*,

* Vide, sis notam asterisco (*) distinctam in pag. 509.

2° *Pro foro externo*, seu quae impedimentum tollunt etiam coram publico regimine Ecclesiae, vel *pro foro interno* seu

---

hisp. ideoque in Brasilia, Columbia, Hispania dirimit quoque iure canonico) sequenti modo:

1° Inter personam adoptantem et adoptatam: *C. C. br.* a. 183, I, 207 332 336; *col.* a. 140, 11° et a. 50 270 273 275; *hisp.* a. 84, 5° et a. 101. — 2° Inter personam adoptatam et coniugem adoptantis, et inter personam adoptantem et coniugem adoptati; *hisp.* a. 84, 5° et a. 101. — 3° Inter filium adoptivum et viduam adoptantis: *col.* a. 140, 11°. — 4° Inter personam adoptatam et filios adoptantis, sed tantum durante adoptione: *hisp.* a. 84, 6° et a. 101.

Circa haec adverte:

1° Adoptio, ut impedimento det locum, fieri debet in forma legali, seu cum sollemnitatibus a lege praescriptis, quas, simul cum limitationibus ab eadem lege impositis, vide in *C. C. br.* a. 368 seqq., *col.* a. 269 seqq., *hisp.* a. 173 seqq.

2° Ius *br.* a. 183, III, V, 207 constituit praeterea impedimentum dirimens inter adoptantem et coniugem adoptati, inter adoptatum et coniugem adoptantis, et inter personam adoptatam et filios supervenientes adoptantis. Sed cum a. 336 aperte dicat cognationem legalem non oriri inter eas personas, sed tantummodo inter personam adoptantem et adoptatam, cumque idem repetat in a. 376, dicendum est impedimentum civile inter eas personas non fundari in cognatione, quae non exsistit, sed directe in statu adoptionis. Iam vero, ius canonicum tunc tantummodo admittit impedimentum civile, quando id personas reddit inhabiles « *ob cognationem* ex adoptione ortam (cf. can. 1080). Ergo inter alias personas, praeterquam inter adoptantem et adoptatam, impedimentum dirimens in Rep. Brasiliae canonice non exsistit; et non exsistit, ne ut impediens quidem, cum canon 1056 eamdem condicionem requirat. Nec referre videtur, quod a. 376 moneat id non obstare ad effectus impedimentorum matrimonialium; hoc enim impedimentum matrimoniorum civilium nequit niti in cognatione, quae, ut diximus, inter eas personas non exsistit; aliunde autem absurdum esset supponere, quod lex cognationem aliquam iisdem adnectat ad effectum solummodo dirimendi earumdem matrimonium; cognatio enim est relatio natura sua quamdam stabilitatem exigens, praeterquam quod haec suppositio esset arbitraria, deficiente quolibet textu legis, immo articulo 336 contradiceret.

Iure *br.* a. 374 cessat vinculum adoptionis, *a*) mutua partium conventione (legaliter manifestata, ut patet); *b*) ingratitudine adoptati erga adoptantem. Attamen, etsi vinculum adoptionis cesset, non tamen cessat cognatio inter adoptantem et adoptatum (cf. Sánchez l. 7, d. 63, n. 24; Wernz n. 469 nota 32, n. 470), ideoque impedimentum civile, quod, cessante adoptione, profecto non exstinguitur (quod in *C. C. br.* eo manifestius fit, quia secus impedimentum esset irrisorium, si ad nutum eludi posset dissolvendo mutua conventione adoptionem), etiam canonice perpetuo subsistit. Multo minus impedimentum tollitur ex cessatione patriae potestatis in adoptatum post huius emancipationem aut adeptam maiorennitatem (a. 379 392).

3° Iure *col.*, etiamsi cesset adoptio (cessat v. gr. ex a. 287, si adoptanti proles nascatur), cognatio tamen, quae legaliter inter adoptantem, adoptatum et uxorem adoptantis intercedit (a. 50), non exstinguitur (cf. Sánchez, Wernz, locis cit.), ideoque impedimentum canonicum inter eas personas est perpetuum.

conscientiae tantum. Illae proinde in ea forma elargiendae sunt, ut publico documento obtentas esse constare possit.

4° Quod iure *hisp.* ex adoptione oriatur cognatio, non est dubium (cf. a. 154 175 176 et cf. Wernz n. 472 nota 57). Monet *C. C. hisp.* a. 84 impedimentum inter adoptatum et filios legitimos adoptantis vigere tantum durante adoptione; quare etiam canonice impedimentum inter eos non erit perpetuum, Codex enim hoc impedimentum recipit prorsus ad normam iuris civilis cum iisdem condicionibus et limitationibus (De Smet n. 493 498) personarum et durationis.

5° Qui hoc impedimento detinentur, certe possunt valide contrahere in alieno territorio, ubi civiliter non vigeat, lex enim canonica sequi voluit civilem, haec autem extra suum territorium non est efficax.

Advertamus in fine huius tractatus de impedimentis non reperiri in Codicibus Civilibus nationum, quas recensere solemus, alia impedimenta *dirimentia* praeter ea, quae in superioribus numeris commemoravimus; nam alias causas matrimonium civile annullantes iuxta Codices, ob vitium consensus (v. gr. ex amentia etc.), inferius proferemus proprio loco. Ex huiusmodi impedimentis aliqua dicuntur quidem a iure civili matrimonium non reddere « nullum », sed « annullabile »; sed de hac distinctione (quae, ut sonat, iure ipso naturali inadmissibilis est, siquidem contractus matrimonialis est natura sua indissolubilis) videsis Lehmk., *Das bürgerliche Gesetzbuch* (1911) p. 357-358 362 366.

Occurrit nihilominus ut impedimentum dirimens « ebrietas habitualis » in *C. C. mex.* « Ley sobre rel. fam.» a. 17, VIII, 107. Morbus (exsistens tempore celebrationis matrimonii) contagiosus vel hereditate transmissibilis matrimonium reddit « nullum » iuxta *C. C. mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 17, VIII, 107, « annullabile » iuxta *br.* a. 208 209, III. Inter causas annullabilitatis addit *C. C. br.* a. 218 219, IV deflorationem uxoris a marito ignoratam. Denique, *C. C. ur.* a. 93, 7° causis dirimentibus addit hanc: « si non celebretur matrimonium iuxta religiosum ritum, dummodo haec celebratio apposita fuisset tamquam condicio resolutoria eiusque adimpletio reclamata fuerit eadem die celebrationis matrimonii (civilis); quae quidem supponunt legem, in huiusmodi adiunctis, vel respicere matrimonium civile adhuc in suo valore suspensum, vel ut « annullabile », ut Codices loqui solent.

Infideles tenentur indirecte hoc impedimento canonico, quatenus eo teneatur pars baptizata, cum qua contracturi sint. Si autem contrahunt ipsi post conversionem et baptismum, non tenentur ob cognationem in infidelitate contractam, si impedimentum civiliter cessaverit, tenentur vero si impedimentum civiliter subsistat.

Impedimentum cognationis legalis vigebat in omni casu ut dirimens ante novum Codicem iuris canonici, fundabaturque in cognatione iure romano inducta et a iure canonico recepta. Dirimebat autem (dummodo adoptio fieret in forma lege civili statuta, et adoptatus, si esset minor, transiret in potestatem adoptantis) 1° inter adoptantem et adoptatum huiusque (adoptati) descendentes sub eius potestate constitutos; 2° inter adoptatum et filios adoptantis; 3° inter adoptantem et uxorem adoptati et inter adoptatum et uxorem adoptantis. Circa haec autem advertendum erat: 1° filios (ad hunc effectum, quidquid leges regionis statuerent) non censeri esse sub potestate matris, nec filios illegitimos sub potestate paren-

3° *In forma gratiosa*, si directe petentibus a Superiore conceditur, nullo interiecto exsecutore; haec dispensatio, ut patet, effectum habet a momento, quo Superior litteras expedivit (can. 38). *In forma commissoria*, quando Superior alii committit, ut dispensationem eius nomine concedat; tunc

---

tum; 2° in secundo casu, durare impedimentum tantummodo quamdiu filii essent sub potestate paterna et quamdiu adoptio non dissolveretur; in casibus vero, primo et tertio, impedimentum esse perpetuum. Plura iuxta ius antiquum: SÁNCHEZ l. 7, d. 63; GASPARRI n. 851 seqq.; WERNZ n. 467 seqq.; FERR. n. 1049 nota; *A.A.S.* (1911) p. 438.

*Ad materiam in praesenti tractandam pertinent sequentes canones:

« Praeter Romanum Pontificem, nemo potest impedimenta iuris ecclesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare, aut illis derogare; item nec in eisdem dispensare, nisi iure communi vel speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concessa fuerit » (can. 1040).

« § 1. Impedimenta alia sunt *gradus minoris*, alia *maioris;* — § 2. Impedimenta gradus minoris sunt: — 1° Consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis; — 2° Affinitas in secundo gradu lineae collaterallis; — 3° Publica honestas in secundo gradu; — 4° Cognatio spiritualis; — 5° Crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum. — § 3. Impedimenta maioris gradus alia sunt omnia » (can. 1042).

« Urgente mortis periculo, locorum Ordinarii, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus et singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio, dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus » (can. 1043).

« In eisdem rerum adiunctis de quibus in can. 1043 et solum pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, eadem dispensandi facultate pollet tum parochus, tum sacerdos qui matrimonio, ad normam can. 1098, n. 2, assistit, tum confessarius, sed hic pro foro interno in actu sacramentalis confessionis tantum » (can. 1044). Sacerdos autem, de quo in can. 1098, n. 2, est sacerdos qui matrimonio assistit in iis adiunctis, in quibus sacerdos competens assistere non posset per mensem.

« § 1. Possunt Ordinarii locorum, sub clausulis in fine can. 1043 statutis, dispensationem concedere super omnibus impedimentis de quibus in cit. can. 1043, quoties impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo differi possit usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur. — § 2. Haec facultas valeat quoque pro convalidatione matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad Sanctam Sedem. — § 3. In iisdem rerum adiunctis, eadem facultate gaudeant omnes de quibus in can. 1044, sed solum pro casibus occultis, in quibus

dispensatio valet a momento exsecutionis (can. 38). Exsecutio vocari etiam solet dispensationis fulminatio.

4° Distinguenda sunt praeterea, in ordine ad dispensationes, impedimenta *publica* et *occulta*, de quibus cf. supra in n. 777.

---

ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel nonnisi cum periculo violationis secreti (can. 1045).

« Parochus aut sacerdos de quo in can. 1044, de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat; eaque adnotetur in libro matrimoniorum » (can. 1046).

« Nisi aliud ferat S. Poenitentiariae rescriptum, dispensatio in foro interno non sacramentali concessa super impedimento occulto, adnotetur in libro diligenter in secreto Curiae archivo de quo in can. 379 asservando, nec alia dispensatio pro foro externo est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit; sed est necessaria, si dispensatio concessa fuerat tantum in foro interno sacramentali » (can. 1047).

« Si petitio dispensationis ad Sanctam Sedem missa sit, Ordinarii locorum suis facultatibus, si quas habeant, ne utantur, nisi ad normam can. 204, § 2 » (can. 1048). — Ait autem can. 204: « § 1. Quod quis Superiorem adit, inferiore praetermisso, non idcirco voluntaria suspenditur inferioris potestas, sive haec ordinaria fuerit sive delegata. — § 2. Attamen rei ad Superiorem delatae ne se immisceat inferior, nisi ex gravi urgentique causa; et hoc in casu statim Superiorem de re moneat. »

« § 1. In matrimoniis sive contractis sive contrahendis, qui gaudet indulto generali dispensandi super certo quodam impedimento, potest, nisi in ipso indulto aliud expresse praescribatur, super eo dispensare etiamsi idem impedimentum multiplex sit. — § 2. Qui habet indultum generale dispensandi super pluribus diversae speciei impedimentis, sive dirimentibus sive impedientibus, potest dispensare super iisdem impedimentis, etiam publicis, in uno eodemque casu occurrentibus » (can. 1049).

« Si quando cum impedimento seu impedimentis publicis super quibus ex indulto dispensare quis potest, concurrat aliud impedimentum super quo dispensare nequeat, pro omnibus Sedes Apostolica adiri debet; si tamen impedimentum seu impedimenta super quibus dispensare potest, comperiantur post impetratam a Sancta Sede dispensationem, suis facultatibus uti poterit» (can. 1050).

« Per dispensationem super impedimento dirimente concessam sive ex potestate ordinaria, sive ex potestate delegata per indultum generale, non vero per rescriptum in casibus particularibus, conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua ex iis cum quibus dispensatur iam nata vel concepta fuerit, excepta tamen adulterina et sacrilega » (can. 1051).

« Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, concessa in aliquo impedimenti gradu, valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus revera exsistens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu» (can. 1052).

« Data a Sancta Sede dspensatio super matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit, minime vero dispensa-

5° Distinguenda, denique, impedimenta *minoris gradus*, super quibus facilius impetratur dispensatio, et *gradus maioris*. Minoris gradus sunt consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis, affinitas in secundo lineae collateralis, publica honestas in secundo, cognatio spiritualis, crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii. Ceteera sunt maioris gradus.

Art. 1. Auctor dispensationis.

Auctor dispensationis. Solus Summus Pontifex dispen- **822**
sare potest iure proprio in impedimentis matrimonii, in iis tamen quae iuris ecclesiastici sint, non iis quae iuris naturalis; ceteri dispensant iuxta mensuram, qua illis per ius commune, aut speciale indultum, facultas a S. Sede concessa est.

a) **S. Sedes** suam dispensandi potestatem exercet per diversas Sacras Congregationes.

S. Officium dispensationes tribuit super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, ad idemque Offcium recurrendum est pro casibus respicientibus privilegium Paulinum (can. 247, § 3).

S. C. de Sacramentis omnes alias dispensationes tribuit respicientes *forum externum*, tam pro pauperibus quam pro divitibus, sed pro fidelibus latini ritus (can. 249, § 2).

S. Poenitentiaria dispensationes elargitur pro *foro interno* tantum (can. 258, § 1). Nisi contrarium ferat *S. Poenitentiariae* rescriptum, eius dispensatio ab impedimento occulto, concessa in *foro interno non sacramentali*, adnotetur in archivio secreto

---

tionem ab impedimento de quo in can. 1075, n. 2 3» (idest minime ab impedimento criminis secundae vel tertiae speciei; can. 1053).

« Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit » (can. 1054).

« Dispensationes super publicis impedimentis Ordinario oratorum commissas, exsequatur Ordinarius qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad Sedem Apostolicam, etiamsi sponsi, quo tempore exsecutioni danda est dispensatio, relicto illius dioecesis domicilio aut quasi-domicilio, in aliam dioecesim discesserint non amplius reversuri, monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contrahere cupiunt » (can. 1055).

« Excepta modica aliqua praestatione ex titulo expensarum cancellariae in dispensationibus pro non pauperibus, locorum Ordinarii eorumve officiales, reprobata quavis contraria consuetudine, nequeunt, occasione concessae dispensationis, emolumentum ullum exigere nisi haec facultas a Sancta Sede expresse eis data fuerit; et si exegerint, tenentur ad restitutionem » (can. 1056).

« Qui ex potestate a Sede Apostolica delegata dispensationem concedunt, in eadem expressam pontificii indulti mentionem faciant » (can. 1057).

Curiae episcopalis, et non erit necessaria alia dispensatio, si deinde impedimentum evadat publicum; sed erit necessaria, si concessa tantum fuerat in *foro interno sacramentali* (can. 1047).

S. C. de Religiosis iis concedit dispensationem super impedimento proveniente ex professione (can. 251, § 3)

S. C. de Prop. Fide dispensationes procurat pro territoriis suae ditionis, quorum tamen subditi *S. Poenitentiariam* quoque adire possunt pro impedimentis occultis.

S. C. pro Ecclesia Orientali suis subditis providet, exceptis casibus, quorum dispensationes a *S. Officio expediuntur*. Eadem *S. C. pro Eccl. Or.* adeunda est, si alterutra pars ad ritum orientalem spectat (can. 257, §§ 1 2).

NB. — Dispensatio ab impedimento criminis primae speciei, seu « neutro machinante », conceditur a S. Sede eo ipso quod dispensaverit super matrimonio rato et non consummato, vel quod permiserit transitum ad novas nuptias ob praesumptam coniugis mortem (can. 1053).

823 *b*) **Ordinarii locorum** [1] facultates diversas habent, ordinarias vel delegatas, de quibus agendum seorsim.

A) FACULTATES A IURE, seu vi novi Codicis concessae, pro variis adiunctis diversae sunt. Nimirum:

1. *In ordinariis adiunctis* dispensare possunt super impedimentis dubiis dubio facti [2], dummodo sit impedimentum, in quo S. Sedes dispensare soleat (can. 15).

2. *In casu urgente*, in quo periculum sit in mora et dif-

---

[1] Quinam hoc nomine veniant in Codice, cf. can. 198, vel supra in n. 52 nota.

[2] « Leges, etiam irritantes et inhabilitantes, in dubio iuris non urgent; in dubio autem facti potest Ordinarius in eis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet » (can. 15).

In dubio facti, v. gr. si moraliter factis omnibus diligentiis nequeat solvi dubium, num sponsi sint consanguinei in secundo (vel in tertio) gradu, num sint affines, etc.

Comprehenditur in hac facultate impedimentum clandestinitatis (De Smet n. 756), ut patet ex tenore canonis 15; res autem practica evadere posset, si v. gr. dubium esset an verificarentur condiciones canonis 1098, 1° et proinde an urgeret lex de forma servanda; tunc dispensatio dari posset.

In dubio iuris publico (n. 641) dispensatione opus non est, quia impedimentum non tenet, ut constat ex praedicto can. 15.

Indirecte potest etiam Ordinarius tollere impedimentum impediens, proveniens ex voto non reservato, videlicet dispensando iustis de causis ab ipso voto (can. 1309 1313). Ita poterit indirecte tollere impedimentum proveniens ex voto non nubendi, suscipiendi ordines, ingrediendi religionem, servandae castitatis, dummodo haec duo postrema condiciones non habuerint ad eorum reservationem requisitas, de quibus diximus in n. 158.

ficilis sit recursus ad S. Sedem, dispensare possunt in impedimentis, in quibus S. Sedes dispensare solet[1] (can. 81).

3. *In casu perplexo*, seu ubi impedimentum detegitur quando iam omnia sunt parata ad nuptias nec sine probabili gravis mali periculo matrimonium differri potest usque dum obtineatur dispensatio a S. Sede, facultates eaedem tribuuntur ac pro urgente mortis periculo, de quo statim, si tamen excipias facultatem dispensandi super forma servanda[2] (can. 1045). Hae facultates valent quoque pro convalidando matrimonio iam contracto, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem. De casu perplexo satis diximus in n. 780 781.

4. *Urgente*[3] *mortis periculo*[4], ad consulendum conscien-

---

[1] « A generalibus Ecclesiae legibus Ordinarii infra Romanum Pontificem dispensare nequeunt, ne in casu quidem peculiari, nisi haec potestas eisdem fuerit explicite vel implicite concessa, aut nisi difficilis sit recursus ad Sanctam Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi solet » (can. 81).

Ad dispensandum ab impedimento in casu urgenti supra dicto, minus requiritur ex parte causae, quam in casu perplexo, de quo mox, qui vocari posset urgentissimus, et pro quo facultates multo ampliores conceduntur.

[2] An haec facultas excipienda sit, non videtur positum extra omne dubium. Nam canon 1043 pro urgente mortis periculo facultatem dispensandi distincte exprimit « super forma celebrandi » et « super impedimentis »; canon autem 1045 eamdem facultatem tribuit dispensandi « super impedimentis », quae datur in illo canone, tacet vero de dispensatione super forma; unde opinamur facultatem dispensandi super forma seu, ut dici solet, super clandestinitate, in can. 1045 non dari. Ita etiam affirmant Blat III, p. 546; Verm.-Creus. n. 353, et, apud hunc, Cerato, *Matrim.* n. 34 cum Haring, *Das Eherecht* p. 12, et implicite, sed sat aperte, Gén.-S. n. 523.

Contrariae opinioni favent De Smet n. 762 nota et Vermeersch (ap. Verm.-Creus. loc. cit.). Rationes affert De Smet quod clandestinitas a censu impedimentorum non excluditur, etiamsi seorsim ab iis in Codice tractetur, et quod Codicis Index pro enumeratione impedimentorum remittit etiam ad locum, ubi memoratur clandestinitas. Sed haec altera ratio, cum Index speciali auctoritate donata non sit, sed opus sit cuiusdam particularis, vim nullam in se habet, sed ad summum confirmare poterit aliquatenus quod dicitur in ratione priore. Manet igitur unica ratio illa prior, quae tamen, ut putamus, non est, etiam attento textu canonis 1045, omnino levis.

[3] Potest quidem periculum mortis urgere et tamen tempus adhuc esse recurrendi ad Ordinarium. Quod si evenit, putamus, attentis verbis canonis, dispensationes posse tribui, quin fiat recursus. Ita etiam De Smet n. 760 contra Blat III, p. 341. Requiritur tamen ut periculum urgeat.

[4] Periculo, non praecise mortis articulo. Cf. dicta in. n. 655 nota.

Non requiritur, ut periculum proveniat ex morbo; provenire etiam potest ex causa extrinseca, v. gr. ex instante proelio, ex

tiae[1] et[2], si casus ferat, legitimationi prolis, dispensare possunt tum super forma celebrandi matrimonii tum super omnibus impedimentis iuris ecclesiastici, exceptis provenientibus ex presbyteratu et ex affinitate in linea recta consummato matrimonio[3].

Dispensatio dari potest etiamsi impedimentum afficiat partem non periclitantem.

824 5. *Animadvertenda.* Circa praedictas omnes facultates Ordinariorum locorum hucusque recensitas, sequentia veniunt animadvertenda[4]:

a) Cum ipso iure adnexae sint officio, sunt *ordinariae*[5]

---

operatione chirurgica subeunda. De Smet n. 758; Gén.-S. n. 523; Noldin n. 608.

1 Rationes conscientiae, quae aegrotum contrahere suadeant, v. gr. ad vitandam occasionem peccandi, vel ut consulat famae complicis, quam seduxerat, vel ut tollat scandalum ex publico concubinatu.

2 Etsi Codex apponat particulam « et », ait Gén.-S. n. 523 nota, alterutra tamen causa sufficit. Ita etiam Verm.-Creus. n. 348; Vermeersch, *Periodica* IV, p. 108; De Smet n. 759. Cf. quoque S. Alph. l. 6, n. 1122.

3 Affinitas in linea recta, proveniens ex matrimonio nondum consummato, non excipitur, quia nullum tunc est periculum ne vir ducat propriam filiam.

4 Circa haec animadvertenda cf. praesertim De Smet n. 753 ad 766 773-790.

5 De Smet n. 755; Verm.-Creus. I, n. 225, II, n. 349; Gén.-S. n. 523; Blat III, p. 542; Maroto, *Instit. de Der. can.* n. 699, 6° et 291 B; Noldin n. 608. Sunt tamen vicariae, non propriae (can. 197, § 2); solum enim qui dispensat in lege a se lata, dispensat potestate ordinaria propria, qui autem in lege dispensat Superioris, etsi id faciat ex concessa sibi potestate ordinaria, semper tamen censetur substitui loco Superioris.

Facultates pro casu perplexo et urgente periculo mortis, de quibus can. 1043 1045, §§ 1 2 non esse potestatis ordinariae sensit Fuster (in dissertatione *Delegationes a iure* in ephem. *Razón y Fe* LXII, p. 364 seqq., LXIV, p. 91 seqq., LXVI, p. 496 seqq.), qui id affirmat in ephem. cit. LXVI, p. 499 hac ductus ratione, quod ante Codicem erant delegatae, nec per Codicem earum indoles fuit immutata. Sed, ex quo in Codice inclusae sunt et locorum Ordinariis tribuuntur, negari iam nequit quod « officio adnectuntur ipso iure » et consequenter fiunt potestatis ordinariae (can. 197, § 1). Unde, quicumque (ob quaslibet rationes) affirmet eas facultates ante Codicem ita Ordinariis fuisse tributas, ut eas exercere non possent nisi ut delegati S. Sedis, is fateri debet earum indolem post Codicem fuisse immutatam, ac proinde non esse recurrendum ad can. 6, ut res iuxta ius vetus aestimetur, si aliunde apparet rem iam cum iure vetere non congruere. Nec praetermitti debet quod in can. 1043 suppressa est clausula « quando non suppetit tempus recurrendi ad S. Sedem », quae exstabat in decr. *S. Off.* 20 febr. 1888; cuius suppressio, nisi quis factam dixerit brevitatis gratia, utpote quod illa clausula iam quodammodo imbibitur in alia « urgente mortis periculo », non parvam immutationem importaret et facultatem magis independentem et Ordinario propriam redderet.

(can. 197, § 1), et consequenter: — 1° Delegari possunt[1] (can. 199, § 1) sive ex toto sive ex parte, sive generaliter sive particulariter, sive habitualiter sive transeunter[2]. — 2° Sunt latae interpretationis (can. 200, § 1), proindeque, attenta generalitate verborum quibus fit concessio, intelligendae sunt sive in ordine ad matrimonium contrahendum sive in ordine ad contractum convalidandum[3], sive de impedimentis dirimentibus sive de impedientibus, sive de occultis sive de publicis[4], sive de simplicibus sive de multiplicibus (v. gr. si consanguinitas est

---

Blat, *Comment. text. Cod.* docuerat quidem aperte in parte III, (quam ediderat anno 1920) p. 542 546, huiusmodi facultates pro urgente mortis periculo et casu perplexo esse ordinarias et delegabiles. Sed in parte II (edita anno sequenti) p. 171 se retractavit quoad hanc postremam partem, dixitque non esse delegabiles, tum quia ex can. 80 deducitur, ait, nullam potestatem dispensandi, etsi ordinariam, esse delegabilem, nisi a iure exprimatur facultas eam delegandi, tum quia secus inutilia redderentur verba « per se vel per alium », quibus Ordinario conceditur facultas dispensandi in can. 990, § 1 (et potuisset etiam allegare can. 2237, § 2). Sed respondendum ad primum, quod facultas delegandi potestatem ordinariam dispensandi sufficienti claritate exprimitur in can. 199, § 1, in quo omnis potestas ordinaria declaratur delegabilis, nisi aliud « expresse » caveatur; et valde mirum esset quod Codex contrarium pro sufficienter « expresse » cauto censuisset, si contrarium significasset per quamdam insinuationem (« per se vel per alium ») a longe factam in quodam canone 990 vel 2237, diversae omnino materiae, in loco a can. 1543 valde remoto. Speciatim vero ad difficultatem illius insinuationis « per se vel per alium » (quae verba reliquiae sunt clausulae sat similis appositae a *Conc. Trid.* sess. 24 de ref. c. 6 « Liceat ») optime responsum dedit Sánchez, *De Matrim.* l. 2, d. 40, n. 17.

Denique, posse Episcopum delegare generaliter potestatem, quam habet pro casibus imminentis necessitatis dispensandi in impedimentis matrimonii, late defendit Sánchez cum multis apud ipsum citatis in l. 8, d. 6, n. 20 et l. 2, d. 40, n. 13-17, ob hanc rationem, quia est potestas adnexa officio ideoque ordinaria et proinde delegabilis. Idemque docet S. Alph. l. 6, n. 1125. Cf. etiam Wernz n. 622 nota 104 (is tamen loquitur de facultatibus a S. Sede delegatis).

[1] Attamen facultas secundo loco recensita, desumpta ex can. 81, siquidem iste canon videatur potius velle providere particulariter ipsi Episcopo circa modum, quo se gerere possit in casibus magis urgentibus, forte censenda sit stricte personalis et, quamvis ordinaria, non delegabilis. Ad praxim tamen non multum refert, cum delegabiles sint eae, de quibus tertio et quarto loco.

[2] Si facultas delegatur, non exspirat resoluto iure delegantis (dummodo nondum exspiraverit tempus, ad quod forte fuit limitata), nisi in duobus casibus: scilicet nisi intelligatur delegari tantum durante eius munere aut vita, aut nisi delegata fuerit ad casum particularem, et res adhuc sit integra (can. 207 et 61). Quod valet etiam si delegata fuerit ad certum casuum numerum.

[3] Per modum convalidationis simplicis, non vero per sanationem in radice; ad hanc enim opus est speciali facultate (can. 1148).

[4] Dummodo tamen sint iuris ecclesiastici; nam in impedimentis iuris naturalis Ecclesia dispensare non potest.

multiplex), et quamvis plura impedimenta in uno eodemque casu cumulentur (v. gr. consanguinitas, crimen, mixta religio; can. 1049, §§ 1 et 2); valentque hae facultates etiam pro foro externo possuntque exerceri, si pro foro tantum interno exerceantur, etiam in non sacramentali (can. 202).

β) Ordinarii locorum facultates, de quibus in n. 1 2 3, directe exercere possunt cum solis subditis [1], nihil tamen refert quod Ordinarius vel subditus tempore dispensationis versentur extra territorium (can. 201, §§ 1 et 3). Sed, dum subditum suum dispensant, indirecte alteram quoque partem non subditam dispensant, si impedimentum est de se inculpabile et relativum atque utramque partem directe afficit (v. gr. consanguinitas vel affinitas) [2]. Facultates vero pro urgente mortis periculo, de quibus sub n. 4, exercere possunt non solum cum subditis ubique commorantibus, sed etiam cum omnibus in suo territorio actu degentibus, ut expresse ait can. 1043.

γ) Ipso facto datae dispensationis ab impedimento, conceditur legitimatio prolis, non tamen adulterinae vel sacrilegae [3] (can. 1051).

δ) Removeri debet scandalum, si agatur de impedimento publico. Praeterea, si dispensatur ab impedimento disparitatis cultus aut mixtae religionis, exigendae sunt cautiones consue-

---

1 Id est cum iis qui domicilium vel quasi-domicilium habent in dioecesi (sive domicilium paroeciale sive dioecesanum) et cum vagis, qui actu in dioecesi commorantur (can. 201 94 92), non autem cum peregrinis, nisi ageretur de dispensando impedimento voti vi facultatis can. 1313, 1°. Bene advertit De Smet n. 773 nota, latius extendi Ordinarii competentiam ad assistendum matrimonio quam ad dispensandum, siquidem ad assistentiam sufficit nupturientis commoratio in dioecesi per mensem.

2 Quod si impedimentum ex una tantum parte se habet (v. gr. votum), vel est relativum et directe unam tantum partem afficit (v. gr. partem catholicam quoad impedimentum disparitatis cultus vel mixtae religionis), vel est relativum et provenit ex culpa unius tantum (v. gr. raptus), debet haec pars a proprio suo Ordinario dispensari, et haec dispensatio sufficit. Sed si impedimentum provenit ex culpa utriusque partis (v. gr. crimen), vel est absolutum et utramque partem directe afficit (v. gr. aetas), unaquaeque pars debet a suo Ordinario dispensari. Brevi, debet semper a suo Ordinario dispensari pars quae impedimento causam dederit vel ab eo directe afficiatur, nisi impedimentum sit relativum, inculpabile et utramque partem aeque directe afficiat.

Cum affinitas post Codicem nequeat oriri nisi ex matrimonio valido, sufficit unius partis dispensatio.

3 Legitimatio conceditur ipso facto dispensandi ab impedimento (can. 1051), quin opus sit distincto actu prolem declarare legitimam, nec ulla specialis petitio ad S. Sedem dirigenda sit. Legitimatur proles spuria (n. 772 nota), nata vel nascitura, non tamen, si adulterina vel sacrilega (can. 1051). Proles naturalis eo ipso legitimatur per matrimonium subsequens (can. 1116).

tae seu promissiones de perversionis periculo a parte catholica removendo et de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda[1].

ε) Si, praetermisso Ordinario, ad S. Sedem missa est petitio dispensationis super aliquo impedimento, Ordinarius valide quidem suis facultatibus ordinariis uteretur circa illud impedimentum (can. 204, § 1); prohibetur[2] tamen iis uti, nisi ex gravi urgentique causa[3] et monita deinde S. Sede de usu facto (can. 204, § 2). Ita ex can. 1048. De exceptione, quae facienda est, si dispensandum esset vi «indulti», dicetur inferius.

B) FACULTATES EX INDULTO, iuxta peculiares for- 825
mulas pro diversis locis diversas, tribui solent a *S. C. de Prop. Fide*, vel a *S. C. pro Eccl. Orient.* Ordinariis suae iurisdictioni obnoxiis; Episcopis vero eidem non subiectis tribuuntur a *S. C. Consist.*[4].

---

1 Can. 1043 1061 1071.

2 Putavit Blat III, p. 554 prohibitionem canonis 1048 respicere facultates delegatas tantum, non ordinarias, secus clausulam condicionalem «si quas habeant» fore otiosam; pro ordinariis tamen prohibitionem derivari ex can. 204. Probabile id censemus, etsi illa clausula potuit poni ad expresse comprehendendas «etiam» facultates delegatas. Quaestio tamen nihil ad praxim confert, dummodo constet prohibitionem, saltem ex can. 204, esse certam. De Smet n. 784 et Verm.-Creus. n. 355 canonem 1048 de facultatibus etiam ordinariis intellexerunt.

3 V. gr. si celebratio matrimonii urget nec sine gravi periculo exspectari potest dispensatio S. Sedis, vel si supervenit mortis periculum.

4 Facultates quinquennales, decennales, vicennales, quae Ordinariis tribui solebant, vicissitudines varias postremis hisce temporibus, praesertim propter promulgatum novi iuris Codicem, subierunt. Videlicet:

Non ita pridem huiusmodi facultates Ordinariis *S.C. de Prop. Fide* non subiectis tribuebantur per *S. Off.*, donec per const. Pii X *Sapienti consilio* 29 iun. 1908 hoc munus, sicut et omnia ad dioecesium regimen pertinentia (*A.A.S.* [1909] p. 9 et 84) *S.C. Consist.* translatum fuit.

Cum autem, novo iuris Codice promulgato, Ordinarii et facultatibus quamplurimis instruerentur, et quae sub diversis formulis tributa ipsis fuerant indulta, a Codicis ordinationibus non parum discreparent atque adeo antiquata viderentur, omnes eisdem eousque pro foro externo concessae facultates, praeterquam in locis *S.C.de Prop. Fide* subiectis, a die, quo novus Codex vim obtinere inciperet, cessaturae declaratae sunt per decr. *S.C. Consist.* 25 apr. 1918. Excipiebantur facultates pro foro interno datae a *S. Poenitentiaria*, item quae peculiaribus de causis fuissent concessae (nec intelligebantur revocata indulta specialia, sed solum formulae generales facultatum, ut eruitur ex resp. *S.C. Consist.* 1 iul. 1918: *A.A.S.* [1918] p. 325; Vermeersch, *Periodica* IX, p. 119); praeterea Ordinariis locorum in America, in Insulis Philippinis, in Indiis

Animadvertenda circa usum harum facultatum:

a) Facultates huiusmodi in perpetuum, vel ad certum tempus, vel ad certum casuum numerum, Ordinariis per pecu-

---

Orientalibus, in Africa extra Mediterranei maris oras, et in Russia facultates pro dispensandis impedimentis minoris gradus ad quinquennium augebantur (*A.S.S.* [1918] p. 190; cf. Ferreres in ephem. *Razón y Fe* LI, p. 231-237; Vermeersch, *Period.* IX, p. 117), quaedam etiam pro impedimentis maioris gradus concedebantur sub certis condicionibus, quae deinde reformatae sunt decr. eiusdem *S. C. Consist.* 2 aug. 1918 (*A.A.S.* [1918] p. 363; Vermeersch ibid p. 121). Cf. etiam pro facultatibus durante bello concessis decr. *S.C. Consist.* 4 mart. 1919 (*A.A.S.* [1919] p. 120; Vermeersch ibid. X, p. 51).

Revocatis igitur temporariis facultatibus et Sacrarum Congregationum muneribus per novum Codicem iterum reformatis, Ordinarii, si quas facultates delegatas necesse habebant, has a respectivis Congregationibus, a. *S.C. de Sacram.* et a *S. Off.* pro sua cuiusque competentia circa subiectam materiam seorsim impetrare debebant.

Interim autem Sacrae Congregationes proprias novas formulas, novi Codicis ordinationibus aptatas, parabant, praesertim *S.C. de Prop. Fide* (cf. decr. *S.C. Consist.* 7 mart. 1921: *A.A.S.* [1921] p. 134 et Vermeersch, *Period.* X, p. 289), quia iuxta huius formulas facultates Ordinariis, *S.C. de Prop. Fide* non subiectis, ceterae Sacrae Congregationes tribuebant.

Formulam, quam paravit *S.C. de Sacram.*, vide ad calcem huius operis. Novae autem formulae a *S.C. de Prop. Fide* confectae, approbatae fuere a Bened. XV die 6 febr. 1919 coeperuntque vigere a die 1 ian. 1920 (ut legimus ap. Vermeersch, *Period.* XI, p. (70); cf. ibid. p. (35)-(144) egregiam dissertationem circa pristinas et novas formulas *S.C. de Prop. Fide*); cf. formulam, quam damus ad calcem operis cum adnexo commentario.

Denique, plurimis efflagitantibus Episcopis, ut sibi facultates quinquennales unico folio typis impresso et per unum Romanae Curiae Officium, iuxta pristinum morem, distribuerentur, id ipsis concessum est ex Motu proprio Pii XI 20 apr. 1923 (*A.A.S.* [1923] p. 193; cf. ephem. *Razón y Fe* LXVI, p. 502). Igitur posthac Episcopi, non obnoxii iurisdictioni sive *S.C. de Prop. Fide* sive *S.C. pro Eccl. Orient.*, facultates quinquennales obtinebunt ab una *S.C. Consist.* sub formulis, quae, ut in *A.A.S.* loc. cit. legitur, approbatae fuerunt die 17 mart. 1922.

Ordinariis *Americae* concessio facta fuerat per decr. *S.C. Consist.* 25 apr. 1918 et 2 aug. 1918, ad quinquennium a die 18 maii 1918 computandum, ut « dispensare valeant ab impedimentis minoris gradus... servatis regulis in eo Codicis capite statutis; itemque ut matrimonia nulliter contracta ob aliquod eiusdem minoris gradus impedimentum, in radice sanare queant, iuxta regulas... Codicis de convalidatione matrimonii, monita parte impedimenti conscia de sanationis effectu », itemque ut « dispensare pariter per quinquennium valeant ab impedimentis maioris gradus, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, iuris tamen ecclesiastici (exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta consummato matrimonio), necnon ab impedimento impediente mixtae religionis, si petitio dispensationis ad S. Sedem missa sit et urgens necessitas dispensandi supervenerit, pendente recursu », servatis regulis statutis in Codice l. 3, tit. 7, c. 2-4 et salvis iuribus *S.C. de Sacram.* circa taxarum solu-

liares formulas tributae, sunt a *S. Sede delegatae*[1], et consequenter: — 1° Nisi contrarium in indulto exprimatur, subdelegari possunt, ex toto vel ex parte, habitualiter vel ad casum particularem (can. 199, § 2), sed subdelegatus iterum subdelegare non potest (can. 199, § 5). Et cum facultates huiusmodi, a S. Sede Ordinario concessae, competant quoque Vicario Generali transeantque ad Ordinarii successores (can. 66, §§ 1 et 2)[2], hi omnes quoque eas subdelegare possunt[3]. In earum usu delegationis mentio ad liceitatem[4] fieri debet (can. 1057). — 2° Sunt latae interpretationis, utpote quae sunt privilegia praeter ius[5] (can. 66, § 1), proindeque, nisi restrictio fuerit apposita, intelligendae sunt ad dispensandum tam pro matrimonio contrahendo quam pro convalidando[6], etiam super impedimentis multiplicibus (can. 1049, § 1), et super pluribus in uno

---

tionem. *Animadvertenda.* — 1° In decr. *S.C. Consist.* 2 aug. 1918 referebatur concessam iisdem fuisse per decr. 25 apr. facultatem sanandi in radice matrimonia ob impedimentum gradus etiam maioris nulliter contracta; haec tamen facultas in citato decr. 25 apr. non legitur. — 2° Condicio « si petitio... pendente recursu », per decr. 2 aug. suppressa fuit pro tempore magni belli europaei, et commutata pro obligatione reddendi rationem in fine anni de numero et specie dispensationum concessarum. Sed, quamvis in decr. 7 mart. 1921, diu iam pace composita, moneretur vigere adhuc facultates concessas die 25 apr. et 2 aug. 1918 durante bello, ex tenore tamen ipsius decr. 7 mart. 1921 colligitur id valiturum interim dum novae formulae redigerentur.

Redactis iam novis formulis, putandum est has facultates in foliis ad Episcopos Americae destinatis esse inclusas in iisque perspicuis verbis exprimi.

1 De Smet n. 768; Verm.-Creus. n. 352; Gén.-S. n. 523; Noldin n. 609. Sunt *delegatae*, quia actu particulari, non ipso iure conceduntur, ait Verm.-Creus. I, n. 225; vel quia, etsi ad successores in officio transeant, ad eos tamen ideo transeunt, quia ii ratione sui muneris censentur personae aptae, et consequenter non desinunt esse « commissae personae », ait Fuster in ephem. *Razón y Fe* LXVI, p. 498 circa initium. Quod sint delegatae a S. Sede, patet; et cf. can. 7.

2 Cf. etiam can. 368, § 2, 435, § 2.

3 De Smet n. 771 787; Vermeersch, *Periodica* XI, p. (73)-(75). Facultates huiusmodi cessant elapso tempore aut exhausto numero casuum, non autem vacante S. Sede, nisi eas S. Sedes concessisset cum clausula « ad nostrum beneplacitum » (can. 207, § 1, can. 61, can. 66 et 73).

4 Non ad valorem. Cf. Verm.-Creus. n. 366; Vermeersch, *Periodica* XI, p. (77), n. 46.

5 Ideoque latae esse interpretationis eruitur ex can. 68 et 50. Cf. etiam De Smet n. 779 cum nota; Vermeersch ibid. p. (72), n. 32. Late tamen interpretari privilegium, non est illud extendere; hoc enim fieri non posse patet (can. 67).

6 Non tamen per sanationem in radice, nisi haec speciali mentione concedatur (can. 1141).

eodemque casu occurrentibus (can. 1049, § 2), valentque pro utroque foro (can. 202, § 3); quod si ad forum internum limitantur[1], exerceri poterunt in foro non sacramentali (can. 202, § 2).

β) Eas Ordinarii exercere possunt cum solis subditis[2], sive tamen ii sive illi e territorio sint absentes (can. 201).

γ) Cum dispensatione conceditur ipso facto legitimatio prolis, non tamen adulterinae vel sacrilegae (can. 1051).

δ) Removendum esse scandalum et cautiones necessarias, si aliqua pars non est catholica, exigendas esse[3], otiosum est monere. Praeterea, etsi dispensatio oretenus tantum concessa valida sit, debet tamen, si ex indulto datur, dari formiter, id est, servato, ut aiunt, stylo Curiae[4].

ε) Si, praetermisso Ordinario, ad S. Sedem missa est petitio dispensationis super aliquo impedimento, Ordinarius valide quidem, sed illicite, suis facultatibus delegatis circa illud impedimentum uteretur; ex gravi tamen urgentique causa liceret iis uti, monita deinde S. Sede (can. 1048 204).

Excipe, si simul cum impedimento aliquo « publico », super quo vi « indulti » dispensare potest, concurrat aliud, super quo dispensare non potest, tunc enim pro omnibus S. Sedes adiri debet[5] (can. 1050).

---

1 Ut accidit in facultatibus *Poenitentiariae.*

2 Etiam cum vagis actu in dioecesi commorantibus, sed excluduntur peregrini, ut in notis praecedentibus explicatum est.

3 Can. 1061 1071.

4 *S. Off.* 15 iun. 1875 (*A.S.S.* XXVI, p. 517); Wernz n. 638; De Smet n. 785; Noldin n. 612 in fine.

5 Tres condiciones, ut vides, verificari debent, ut Ordinarius abstinere debeat ab usu facultatum delegatarum, nempe, debet agi *a*) de impedimento « publico », *b*) quod dispensandum sit vi facultatis delegatae seu ex indulto, *c*) et quod concurrat cum alio impedimento, super quo dispensare non possit. Quare, concurrente impedimento, super quo dispensare possit, cum alio, super quo non possit, Ordinarius valide et licite a priore impedimento dispensaret, *a*) si ab eo dispensare posset ex potestate « ordinaria », vel *b*) si, quamvis ex delegata, impedimentum tamen esset « occultum ». — Addit tamen can. 1050, quod, si impedimenta, super quibus vi indulti dispensare potest, comperiantur post impetratam a S. Sede dispensationem ab aliis, super quibus non poterat, Ordinarius suis facultatibus uti poterit.

Rationem huius canonis 1050 assignat Verm.-Creus. n. 356, quia S. Sedes super pluribus impedimentis publicis difficilius dispensare velle supponitur.

Quamvis Codex non dixerit « adeatur », sed rigidiore locutione usus sit « adiri debet », tamen, invalidum fore in casu usum facultatum delegatarum, in canone 1050 non statuitur (Blat III, p. 555). Censenda est ergo fore valida, cum sit late interpretanda nec restringenda sine speciali motivo, idemque suadetur ex spiritu canonis 204; praeterquam quod Codex non adeo essentialem videtur putasse recursum ad S. Sedem pro impedimento utroque, cum usum facultatum permiserit, si deinde impedimentum comperiatur.

826 *c*) **Parochi**[1] sequentibus facultatibus ex can. 1044 1045, § 3 donantur:

1. *In casu perplexo*, seu ubi impedimentum detegitur quando iam omnia parata sunt ad nuptias, dispensare possunt super iisdem impedimentis super quibus, ut statim dicemus, dispensare possunt in urgente mortis periculo; attamen, *α*) solum pro casibus « occultis », et *β*) si matrimonium nequeat differri sine probabili gravis mali periculo, et *γ*) dummodo res adeo urgeat, ut ne loci quidem Ordinarius, nedum S. Sedes, adiri possit[2].

Easdem facultates ac cum iisdem restrictionibus habent parochi ad matrimonium convalidandum[3], si idem periculum sit in mora.

De casu perplexo, plura in n. 780-782.

2. *Urgente mortis periculo*, ut consulatur conscientiae vel legitimetur proles, dispensare possunt tam super forma contrahendi quam super impedimentis omnibus iuris ecclesiastici, publicis vel occultis (exceptis impedimentis ex presbyteratu et ex affinitate lineae rectae consummato matrimonio), dummodo tamen ne loci quidem Ordinarius, nedum S. Sedes, adiri possint[4].

---

[1] Parochorum nomine veniunt etiam qui quasi-paroecias regunt (quid quasi-paroecia, cf. in can. 216); veniunt quoque vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti (can. 451). Cf. dicta in n. 420.

[2] Si Ordinarius, personaliter vel per litteras, adiri potest, parochus his facultatibus non potitur. Secus vero, si matrimonii celebratio aut convalidatio adeo urgeat, ut sine gravi periculo differri nequeat, ut saltem per litteras recurratur, aut si deberet violari secretum.

Ordinarius enim, ad effectum horum canonum 1044 et 1045, § 3, censetur non posse adiri, si tantum per telephonium aut telegraphum adiri posset (*Comm. I. C.* 12 nov. 1922 *A.A.S.* 1922, p. 662 ad V]). Immo, dispensatio ab Ordinario obtenta per telegraphum, ante receptum documentum authenticum concessionis. esset invalida, nisi transmissa fuisset ex officio, auctoritate S. Sedis (*S. Off.* 14 aug. 1892 [*A.S.S.* XXIX, p. 642]; cf. etiam monitum *Secretariae Status* 5 ian. 1892 [*A.S.S.* XXIV, p. 447]). Censetur etiam non posse adiri, si recursus nonnisi cum periculo violationis sigilli vel secreti posset fieri (can. 1045, § 3).

[3] Per convalidationem simplicem, iuxta regulas inferius tradendas, non per sanationem in radice.

[4] Valent facultates, etsi periculum non proveniat ex morbo, sed ex causa extrinseca.

Motivum conscientiae est v. gr. vitatio occasionis proximae, vel reparatio scandali.

Prosunt facultates, quando casus adeo urget, ut celebratio differri nequeat ad adeundum Ordinarium saltem per litteras, vel si videatur infirmus sensibus destituendus antequam dispensatio ab Ordinario obtineatur, vel si non posset recursus haberi sine periculo frangendi sigillum aut secretum, aut sine periculo alius gravis mali.

3. *Animadvertenda* pro usu praedictarum facultatum:

a) Cum ipso iure adnexae sint officio, sunt *ordinariae* [1], ideoque: — 1° Aliis communicari poterunt sive ad actum sive habitualiter; hi autem delegationis mentionem ad liceitatem facere debebunt. — 2° Sunt latae interpretationis, ideoque valent quoque ad matrimonium convalidandum, et non solum pro impedimento multiplici, ut constat expresse ex ipso canone, quo conceduntur, sed etiam cumulative pro impedimentis pluribus in eodem casu concurrentibus; quae autem dantur pro urgente mortis periculo, pro utroque foro accipiendae sunt, cum limitatio non significetur, et si exerceantur pro foro tantum interno, exerceri poterunt in foro non sacramentali.

β) Exerceri tantum possunt cum subditis [2], sive parochus sive hi versentur extra territorium [3] (can. 201, §§ 1 et 3). Facultates autem pro urgente mortis periculo exerceri possunt tum cum subditis ubique commorantibus tum cum omnibus actu in paroecia degentibus [4].

γ) Cum dispensatione conceditur eo ipso legitimatio prolis, non tamen si adulterina sit vel sacrilega (can 1051).

δ) Tollendum esse scandalum, cautiones necessarias exigendas esse si dispensatio danda sit ad contrahendum cum parte non-catholica, saepe diximus, et expresse habetur in can. 1043.

ε) Parochus, si dispensationem concedat pro foro externo [5], de facta concessione Ordinarium statim facere debet certiorem, eamdemque adnotare in libro matrimoniorum (can. 1046). Quod si pro casu occulto dispensationem concesserit [6] in foro extra-

---

[1] Blat III, p. 545; De Smet n. 799; Verm.-Creus. n. 353. Si cui tamen viderentur hae facultates parocho *delegatae*, advertit De Smet n. 811, cum tamen sint a *S. Sede delegatae*, et *habitualiter* delegatae, nihil immutandum erit ex dicendis, ut patebit legenti canones de potestate sive qualibet delegata, sive habitualiter delegata, sive a S. Sede delegata, nominatim can. 199, § 2, 1049, § 2, 1057 202, §§ 2 et 3, 66 simul cum 68 et 50.

[2] Id est cum domicilium aut quasi-domicilium habentibus in paroecia, necnon cum nonnisi dioecesanum habentibus vel vagis, sed actu in paroecia commorantibus (can. 94). Non ergo cum peregrinis, nisi in actu sacramentalis confessionis; sed tunc facultatum exercitium limitatur iuxta modum mox pro confessario exponendum.

[3] Nisi agatur de iis qui, si in territorio actu non reperiuntur, desinunt esse subditi; cf. notam praecedentem.

[4] Proinde etiam cum peregrinis.

[5] Id evenire poterit in casibus urgentis periculi mortis, quia tunc dispensare potest super impedimentis etiam publicis.

[6] Potest evenire id sive in casu urgentis mortis periculi, in quo facultatem habet super impedimenta occulta vel publica, sive in casu perplexo, in quo facultatem habet super occulta tantum.

sacramentali, curare debet ut adnotetur in libro secreto archivii dioecesani [1].

827 *d*) **Confessarius** sequentes facultates accipit [2], parochorum facultatibus quoad ambitum impedimentorum similes, sed quoad modum eas exercendi notabiliter restrictas. Itaque:

1. *In casu perplexo*, ubi impedimentum detegitur cum omnia parata iam sunt ad nuptias, confessarius super iisdem impedimentis dispensare potest, de quibus mox dicetur pro urgente mortis periculo, dummodo tamen *a*) nuptiae differri nequeant sine probabili gravis mali periculo; *b*) res adeo urgeat, ut nec S. Sedes nec loci Ordinarius adiri posit [3], vel saltem sine periculo violandi secreti adiri non possit; *c*) agatur de casu occulto; et *d*) dispensatio detur in actu sacramentalis confessionis ideoque pro foro interno tantum.

Eadem facultate pollet et sub iisdem condicionibus ad convalidandum matrimonium [4], si idem periculum sit in mora (can. 1045, § 3).

De casu perplexo cf. n. 780 781.

2. *Urgente mortis periculo*, ad conscientiae consulendum [5], dispensare poterit tam super forma contrahendi quam super impedimentis omnibus iuris ecclesiastici, etiam multiplicibus, sive publicis sive occultis (excepto presbyteratu et affinitate

---

1 Ne scilicet alia dispensatio pro foro externo sit necessaria, si postea impedimentum evadat publicum. Nam canon 1047 non de casu tantum accipiendus est, quo usus fiat facultatum *S. Poenitentiariae*, sed generaliter loquitur, et omni casui simili applicandus est. Cf. etiam Blat III, p. 552; De Smet n. 811; Verm.-Creus. n. 353; Noldin 611.

Si dispensatio datur in foro sacramentali, nihil adnotandum est, tunc enim dispensatio datur pro foro tantum interno, ideoque pro externo nihil conferre potest (can. 201, § 1).

2 Huiusmodi facultates in confessario non sunt *ordinariae* (contra ac significat De Smet n. 799, cui non assentimur), cum non sint adnexae officio (can. 197); munus enim confessarii stricte loquendo non est officium (can. 145, § 1), in sensu autem stricto accipi deberet (can. 145, § 2). Immo nec sicut potestas quaelibet delegata tractandae sunt, cum non dentur « habitualiter », sed personae tribuantur tantum transeunter in actu audiendae confessionis. De cetero, iam agnoscit De Smet n. 808, quod haec potestas delegabilis non est, cum non competat confessariis nisi in actu confessionis et communis sit cuique confessario.

3 Ad effectum horum canonum 1044 1045, si dispensatio per telephonium tantum vel telegraphum peti posset, recursus censetur fieri non posse.

4 Non ad sanandum in radice; proinde regulae servandae erunt pro matrimonio convalidando inferius tradendae.

5 Motivum esse nequit legitimatio prolis, cum dispensatio pro foro tantum interno tribui possit.

lineae rectae consummato matrimonio), dummodo *a*) ne loci quidem Ordinarius adiri possit, et *b*) dispensatio detur in actu confessionis [1].

3. *Animadversiones. a*) Huiusmodi facultates exercere potest confessarius cum quibuslibet poenitentibus, quos valide audire possit, constitutos autem in periculo mortis quivis sacerdos valide audit (can. 882).

β) Cum tribuantur ex indulto generali, valent, etiam pro pluribus impedimentis in eodem casu cumulatis (can. 1049).

γ) Tolli debet scandalum et, si contrahendum est cum parte non-catholica, necessariae cautiones exigi debent (can. 1043).

δ) Denique confessarius, si pagellam *S. Poenitentiariae* obtinuit (hanc ponimus in fine huius operis), dispensare poterit in impedimento criminis primae speciei (n. 805), in actu confessionis et pro matrimonio iam contracto tantum, quamvis tamen casus non sit urgens et quamvis Ordinarius adiri possit.

828 *e*) **Sacerdos assistens ad normam can. 1098, 2°,** id est assistens matrimonio, *a*) ubi in periculo mortis nequeat sine gravi incommodo assistere sacerdos competens [2] vel *b*) in iis adiunctis, in quibus sine gravi incommodo haberi vel adiri sacerdos competens non poterit per mensem.

In his casibus sacerdos, etsi ad confessiones habilitatus non sit, iisdem facultatibus gaudet, quibus, in mortis periculo, nuper diximus gaudere confessarium (vel potius, parochum; nam eas sacerdos exercere poterit extra confessionem, siquidem ei dantur pro utroque foro).

Si dispensatio datur extra confessionem, curandum erit ut, ad normam can. 1046 1047, adnotetur in libro matrimoniorum, si valitura est pro foro externo; vel in libro secreto archivii dioecesani, si data pro impedimento occulto extra confessionem. Eo ipso proles erit legitima, nisi sit adulterina vel sacrilega.

829 *f*) **In periculo mortis sacerdos quilibet** (eum supponemus nec Ordinarium esse nec parochum), cum eo ipso facultate donetur excipiendi infirmi confessionem, sequentia tenere poterit in ordine ad matrimonium, quae eruuntur ex nuper dictis pro confessario et pro sacerdote ad normam can. 1098 assistente.

1. *Si nec Ordinarius adiri potest nec haberi parochus aut sacerdos ab utrolibet delegatus*, tunc dantur adiuncta, de quibus can. 1098, ideoque iuxta can. 1044 dispensare poterit tum

---

[1] Igitur etiam in impedimentis publicis pro foro tantum interno dispensatio erit valitura.

[2] Id est parochus, vel Ordinarius, vel sacerdos delegatus.

a praesentia testium, si facile haberi non possunt, tum ab omnibus impedimentis publicis vel occultis (exceptis duobus supra dictis), pro utroque foro. Dein, procuratis animae dispositionibus, matrimonio assistat.

Cautiones dandae, si casus exigat, et dispensatio deinde adnotanda, ad normam can. 1046 1047.

2. *Si confessionem excipit*[1] *et impedimentum detegit et Ordinarius adiri non potest*, tunc iisdem donatur facultatibus, sed pro foro interno tantum; proinde nihil deinde in libris adnotandum. Matrimonio tamen assistere non poterit, si absque gravi incommodo haberi possit parochus vel sacerdos delegatus[2].

Art. 2. Causae dispensationum[3].

830 Quamvis Summus Pontifex valide ab impedimentis iuris ecclesiastici dispensaret sine causa, id tamen non facit; immo dispensationem non dat nisi vera sit causa, quae in petitione allegatur (can. 40), unde, si causa reapse non exsistit, pro nulla

---

1 Hanc enim in periculo mortis excipere potest, etsi non sit approbatus; cf. can. 882.

2 Ad finem huius capitis addamus dispensationes quasdam etiam dari ab auctoritate civili, saltem a suprema, super quibusdam ex impedimentis civili lege constitutis; quae tamen, ut patet, nullum effectum in conscientia pro effectu matrimonii baptizatorum sortiri possunt. Sed, ne difficultates deinde oriantur quoad effectus civiles, curandum erit, ut impedimentum civile, si dispensabile est (non enim lex ubique permittit dispensationes ab impedimentis dirimentibus), antequam matrimonium canonicum ineatur, opportune dispensetur; v. gr. ad matrimonium contrahendum ante aetatem ad id lege canonica et civili constitutam, obtineatur dispensatio ab utraque potestate.

Sic ex *C. C. gall.* a. 145 164, potest Reipublicae Praeses dispensare, gravibus de causis, super aetate, vel super affinitate ad contrahendum cum coniuge fratris vel sororis, seu cum fratre vel sorore coniugis, vel super consanguinitate inter patruum vel avunculum et neptem, et inter amitam vel materteram et nepotem; *hisp.* a. 85 Gubernium iusta de causa dispensare potest, pro iis qui non contrahunt canonice, sed tantum civiliter, super tertio et quarto gradu (civili) consanguinitatis, super affinitate legitima vel naturali inter collaterales, et super cognatione legali cum descendentibus adoptantis; *lus.* a. 1073 eos qui mere civiliter, non canonice, contrahunt, dispensat Gubernium, gravi de causa, super consanguinitate in tertio gradu (civili) collaterali; *mex.* « Ley de rel. fam. » a. 17 I et X, a. 18 dispensari potest aetas (gubernator districti vel territorii dispensare potest super aetate, gravi de causa et dummodo vir duodecimum annum compleverit) et consanguinitas lineae collateralis inaequalis.

3 Cf. instruct *S.C. de Prop. Fide* 9 maii 1877 (*A.S.S.* X, p. 291); *S. Datar. Apost.* 24 maii 1891 (*A.S.S.* XXXVI, p. 34 et 82); Sánchez l. 8, d. 17-20; Gasparri n. 347-373; Wernz 627-631; Ball.-P. n. 1364 ad 1371; Lehmk. n. 1027-1030; De Smet n. 812-828; Ferreres, ephem. *Razón y Fe* II, p. 510 seqq., III, p. 380 seqq.; Gén.-S. n. 524-525.

haberi debet dispensatio[1]. Neque pro omni impedimento eaedem causae ut sufficientes habentur, sed eo graviores requiruntur, vel eo plures, quo gravius est impedimentum[2]: sufficiens autem pro impedimentis gradus minoris (n. 821, 5°) vix non semper adest, ubi dispensatio petitur, et propterea eae dispensationes facile conceduntur.

Causas ordinarias, quae specialiter pro dispensatione ab impedimentis maioris gradus attenduntur, recensuerunt instructiones datae a S. Sede. Sequentes sunt, ex instr. *S.C. de Prop. Fide* depromptae, brevi declaratione adnexa:

1. *Angustia loci* (pro sola sponsa haec causa allegari potest), vel absoluta, si scilicet locus ab aliis pagis saltem duobus kilometris distat et non plus quam 300 focularia seu 1500 incolas continet; vel relativa, si scilicet in loco originis vel domicilii alius iuvenis paris condicionis (sive opibus sive genio et indole), a quo oratrix petatur, nisi consanguineus vel affinis non inveniatur (id est difficile inveniatur), et locum deserere sit durum.

2. *Aetas feminae superadulta* (pro vidua haec causa non est allegabilis), quae 24 aetatis annos (dummodo nondum 40) iam explevit et alium virum paris condicionis, cui nubat, non invenit.

3. *Deficientia aut incompetentia dotis*, si nempe femina non habeat actu (non sufficit eam habere in spe) tantam dotem ut alii paris condicionis nubat in loco, ubi commoratur.

4. *Lites super sucessione bonorum* iam exortae, vel earumdem grave et imminens periculum.

5. *Paupertas viduae* numerosa prole onustae, vel si etiam iunior est et incontinentiae habeat periculum.

6. *Bonum pacis* ad exstinctionem gravium inimicitiarum, rixarum, odiorum, vel si pax inita iam sit et matrimonium ad eam confirmandam maxime conduceret.

7. *Nimia, suspecta, periculosa familiaritas*, necnon *cohabitatio* sub eodem tecto, quae facile impediri non possit.

8. *Copula* praehabita et *praegnantia* ideoque *legitimatio prolis*[3].

---

[1] De his plura in sequentibus, ubi de petitione et exsecutione dispensationum.

Si aliquando S. Sedes dispensat « ex certis rationabilibus causis » et dispensatio « sine causa » dari dicitur, sub illa formula significat nullam causam in rescripto exprimi, vel quia causae, quae ad dispensationem movent, non sunt ex canonicis, seu ex iis ordinariis, quae recensitae habentur in elenchis ad usum Curiae redactis vel quia fuerunt privatim manifestatae.

[2] V. gr. difficilius dispensatur super impedimento criminis cum machinatione, super disparitate cultus extra loca missionum, super ordine sacro vel professione sollemni. Cf. can. 1042 de distinctione inter impedimenta gradus minoris et maioris.

[3] Antea declaratio requirebatur copulae patratae (inter

9. *Infamia mulieris*, orta ex copulae suspicione, licet falsa, qua diffamata remaneret, vel disparis condicionis viro nubere deberet, aut gravia damna orirentur.

10. *Revalidatio matrimonii* bona fide (saltem unius partis) et in facie Ecclesiae initi, quod iam sine publico scandalo et gravi damno dissolvi nequit.

11. *Periculum matrimonii mixti* vel *coram acatholico ministro celebrandi*, ad avertendum fidelium scandalum et periculum perversionis alterutrius nupturientium.

12. *Periculum incestuosi concubinatus.*

13. *Periculum matrimonii civilis*, id est, contrahendi dumtaxat civiliter.

14. *Remotio gravium scandalorum.*

15. *Cessatio publici concubinatus.*

16. *Excellentia meritorum*, si orator (vel eius parentes aut maiores) praeclaris quibusdam factis de Ecclesia optime sit meritus.

NB. — 1° Haec prae oculis habere debent etiam ii qui ex pontificia delegatione per se ipsi dispensare valent, ut rite suis facultatibus utantur [1].

2° Causae, quae ad recensitas accedunt, sed eas non attingunt, v. gr. si in loco paulo plus essent quam 1500 incolae, utiliter allegari possunt ad efficacius aliam causam roborandam; immo, possunt plures huiusmodi collectim sumptae sufficere.

3° Valent etiam aliquando aliae causae, quae publicae dicuntur; valet etiam aliquando copiosior eleemosyna seu componenda, solvenda ad pias causas, non tamen valet ut dispensatio obtineatur ab alio quam a S. Sede.

Art. 3. Petitio dispensationis [2].

Videndum primum ad quemnam et per quem recurren- **831**
dum sit; dein quid in supplicatione apponendum; tandem quomodo redigenda petitio.

---

coniunctos consanguinitate, affinitate, cognatione spirituali vel legali, vel honestate publica), cum vel sine intentione facilius obtinendae dispensationis. Sed iam constat hanc copulam posthac non esse declarandam (*S. Off.* 25 iun. 1885, 18 mart. 1891 [*A.S.S.* XVIII p. 207, XXVI, p. 510]). Cf. Ferr., *Casus II*, n. 1039; Ferreres in ephem. *Razón y Fe* II, p. 512 seqq.; Wernz n. 636 nota 180.

An vero malitiosa intentio copulae manifestanda sit, quando haec copula allegatur ut causa ad dispensandum, cf. n. 834, 6° nota 3.

1 Instr. *S.C. de Prop. Fide* 9 mart. 1877 sub finem.

2 Cf. instr. *S.C. de Prop. Fide* 9 maii 1877 (*A.S.S.* X, p. 291); *S. Datar. Apost.* (*A.S.S.* XXXIV, p. 34-84); Sánchez l. 8, d. 21-26; Gasparri n. 374-391; Wernz n. 632-637; Ball.-P. n. 1372-1385; Lehmk. n. 1031-1042; De Smet n. 829-859; Gén.-S. n. 526-528.

a) **Ad quemnam recurrendum.** Extra casus urgentes periculi mortis aut gravis mali vitandi in can. 1043 1045 expressos, in quibus recursus haberi poterit ad Ordinarium, aut, si ad hunc tempus non suppetit, ad parochum, vel in actu confessionis ad confessarium, extra hos casus, inquam, tam ad matrimonium contrahendum, quam ad contractum convalidandum, recurri poterit:

1. *Ad Ordinarium*, qui saepe amplas facultates, praesertim in regionibus ab Urbe remotioribus, habet delegatas (cf. circa formulas harum facultatum in fine huius operis), vel ad *Nuntium Apostolicum*, qui regulariter formulam facultatum accepit (quam pariter reperies in fine). Nec oblivioni tradendum, quod Ordinarius dispensare potest super impedimentis dubiis, quae a S. Sede dispensari solent.

2. *Ad S. Sedem* recurri semper potest. Pro impedimentis *fori interni*, id est natura sua et de facto occultis (n. 777), dispensatio petenda est a *S. Poenitentiaria;* pro impedimentis vero *fori externi*, scilicet quae sive natura sua, sive de facto, sunt publica, vel quae publica seu notoria fore praevidentur, recurritur ad Sacram Congr. competentem, id est regulariter ad *S.C. de Sacram.* vel, si fert casus, ad *S. Officium*, iuxta dicta n. 822.

3. *Animadversiones*: *a*) Si dispensatio a *S. Poenitentiaria* impetratur pro foro interno non sacramentali, adnotetur post exsecutionem in libro secreto Curiae dioecesanae, ut, si quando impedimentum publicum evadat, valida iam sit pro foro externo (can. 1047).

β) Si varia occurrunt impedimenta, et super eorum aliquo sola S. Sedes dispensare potest, pro omnibus tunc ad S. Sedem recurrendum erit; si tamen impedimenta, super quibus alii dispensare possunt, comperiantur postquam pro alio iam impetrata[1] est a S. Sede dispensatio, ad alios pro ceteris impedimentis recurri poterit (can. 1050).

γ) Dispensatione ab una Sacra Congr. negata, invalide, sine illius assensu, recurreretur ad aliam Sacram Congr. vel ad Ordinarium, etsi potestatem habentem (can. 43). Nec licet ad alium Ordinarium recurrere tacita denegatione ab alio Ordinario recepta (can. 44, § 1). Dispensatio a Vicario Generali negata et, tacita denegationis mentione, ab Episcopo impetrata, invalida est; pariter invalida est negata ab Episcopo et impetrata a Vicario Generali, etsi facta denegationis mentione (can. 44, § 2).

---

[1] Id est postquam rescriptum iam acceptum est, etsi nondum exsecutioni mandatum. Cf. De Smet n. 783 921; Verm.-Creus. n. 356; Blat III, p. 556.

b) **Per quem recurrendum.** 1. *Si recurritur ad Ordinarium* **832**
pro dispensatione fori externi, fieri solet per medium parochum; si pro dispensatione fori interni, per medium confessarium; si denique pro foro interno extra-sacramentali, per medium parochum vel confessarium, tacitis oratorum nominibus. Similiter *ad Nuntium* recurritur pro foro externo per Curiam dioecesanam, per parochum vel alium sacerdotem; pro foro interno, per confessarium, nisi quis malit per parochum vel Curiam dioecesanam.

Sine expressa facultate S. Sedis, Curiae dioecesanae nequeunt, occasione dispensationis, emolumentum ullum exigere, excepta modica aliqua praestatione titulo expensarum et tantum pro non pauperibus (can. 1056).

2. *Si recurritur ad S. Sedem* pro foro externo, regulariter fit recursus per medium Ordinarium, qui petitionem, expressis oratorum nominibus, debita forma redactam et sigillo episcopali munitam [1] mittit ad suum mandatarium seu agentem in Urbe, qui ibi rem gerit apud Sacram Congr. gestamque remittit ad Ordinarium.

---

[1] Si petitio fiat in forma pauperum, opus est praeterea testimonio paupertatis manu Ordinarii subscripto. Pauperes autem vel quasi-pauperes canonice habentur, qui vel bona nulla possident, vel e reditibus bonorum pro sua condicione vivere non possunt, sed negotium, laborem etc. suscipere debent.

In ordine ad dispensationes matrimoniales censeri debent pauperes, extra Italiam, ii, quorum fortuna (amborum nupturientium simul) non excedit summam 300 ducatorum romanorum (seu 2822 libellas, id est, liras italicas, vel francos, vel pesetas, iuxta cambium « *a la par* », « *au pair* »); quasi-pauperes ii, quorum bona non excedunt 1000 duc. (seu 9407 libellas).

Ita ex decr. *S. Off.* 26 sept. 1754, quod adhuc se sequi respondit *S. Poenit.* 20 ian. 1904. Legimus tamen ap. De Smet n. 858 Ordinario Namurcensi communicatum esse (non dicit a quanam S. Congr.) haberi pauperes, etiam extra Italiam, qui fortunam 1500 fr. non attingunt, et quasi-pauperes, qui non attingunt fortunam 2500. Haec erat norma iamdiu proposita a *S. Dataria* (*A.S.S.* XXXIV, p. 83) generatim pro qualibet regione. Cf. etiam De Smet, *Praxis matrim.* n. 68.

Ex supradicto decr. *S. Off.* (quod cf. ap. Ferreres in ephem. *Razón y Fe* III, p. 386, n. 62 vel ap. Gasparri n. 334) eruitur 1 duc. aequivalere 1,75 scutis romanis; ex resp. *S. Poenit.* (quod secundo editum fuit in *A.S.S.* XXXVII, p. 288, nam irrepserat error in XXVI, p. 704) eruitur 1 scutum aequivalere 5,375 libellis.

Cf. circa haec Ferreres in ephem. *Razón y Fe* III, p. 384-390, IV, p. 526-527, IX, p. 372-373, XI p. 247; De Smet n. 858; Gén.-S. n. 528; Ferr. n. 970, quaer. 4.

Computatur fortuna utriusque simul nupturientis; sed, si dispensatio petitur ad contrahendum cum parte non catholica, solum attendendum est ad partem catholicam.

Summa praedicta intelligitur de capitali non gravato hypotheca et detracto aere alieno. Ball.-P. n. 1376; Gasparri n. 337; Gén. n. 528.

Solvenda erit modica « taxa » cum « expensis » et « agentia », quae in rescripti parte adversa indicari solent[1].

Pro foro interno ad *S. Poenit.* fieri solet recursus per confessarium, qui dispensationem petit nomine oratorum, quos ficte designat, v. gr. Titium et Caiam. Potest tamen res geri per Ordinarium, ad eumque confessarius, si velit et nullum sit periculum violandi sigilli, vel potius de licentia poenitentis, litteras clausas tradere poterit Romam transmittendas.

S. Poenit. nihil solvendum exigit nisi expensas postales; propterea includatur in litteris scheda internationalis in modicam summam convertibilis pro iis compensandis.

Animadversio. Non prohibetur quilibet directe per se ipsum recurrere ad S. Sedem[2]; facilius tamen et securius fit per praedicta media, praesertim cum privati nescire soleant formam petitionis servandam.

833 *c*) **Quaenam exprimenda.** In petitione dispensationis exprimi debent:

1. *Nomen et cognomen oratorum*, utrumque nitide et sine ulla abbreviatione.

Attamen, rescriptum, quod deinde recipitur, non fit irritum ob errorem in nomine personae, cui conceditur, vel loci, in quo moratur, dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona dubitatio; nam debet rescriptum fidem posse facere in foro externo.

In recursu ad *S. Poenit.* vera nomina reticentur, ut diximus, et apponuntur ficta.

2. *Dioecesis originis* vel *actualis domicilii* aut quasi-domicilii. Quando oratores habent domicilium extra dioecesim originis, possunt, si velint, petere, ut dispensatio mittatur ad Ordinarium dioecesis, in qua nunc habitant.

Sed in petitionibus pro foro interno omittitur dioecesis, et tantum indicatur lingua vernacula locus, ad quem mittendum est rescriptum.

---

1 « Taxa » solvitur pro stipendiis officialium atque oneribus Cancellariae Romanae sustinendis; adiungitur aliquando « componenda », seu quantitas ad pios usus destinata. « Expensae » sunt, quae pro expeditione postali, exscriptione documentorum etc. Cancellaria subire debuit. « Agentia » est retributio pro agente, qui Romae rem procuravit. Aliquid additur nonnumquam pro exsecutione, estque quantitas, quam rescripti exsecutor petere poterit.

Cf. « Normae communes » post const. Pii X « Sapienti consilio » datae pro ordine servando in Sacris Congreg. (*A.S.S.* XLI, p. 425-490), hoc loco p. 485 489; Wernz n. 634 nota 166; De Smet n. 858; Mach-Ferreres, *Tesoro del sac.* II, n. 648; Verm.-Creus. I, n. 261.

2 Can. 36; « Normae communes » loc. cit. p. 483.

3. *Species, etiam infima, impedimenti*[1]; an sit consanguinitas, vel affinitas; an publica honestas ex matrimonio invalido, vel ex publico concubinatu; an crimen ex adulterio cum promissione mutua, vel ex coniugicidio, et utrum hoc ab alterutro patrato, vel ab utroque; in cognatione spirituali, utrum baptizati cum baptizante, an eiusdem cum patrino.

4. *Gradus consanguinitatis*, vel *affinitatis*, vel *publicae honestatis*[2], et utrum *linea* sit recta vel collateralis.

Attamen valet dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, si error irrepserit apponendo gradum propinquiorem pro remotiore, v. gr. 2um pro 3° (can. 1052).

5. *Numerus impedimentorum* tam dirimentium quam im- **834**
pedientium, et *quotuplex* sit impedimentum, si v. gr. consanguinitas est multiplex.

Manifestari tamen debent in petitione dispensationis pro foro externo impedimenta occulta; sed in petitione dispensationis a *S. Poenit.* mentio fieri debet etiam impedimentorum fori externi, pro quibus ad aliam S. Congr. recursus simul habetur vel habitus est.

Valet dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis, licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu[3] (can. 1052).

Si obtenta dispensatione ab uno impedimento, detegitur aliud, quod tempore concessae dispensationis exsistebat, prior dispensatio est irrita, utpote quod in eadem non exprimebantur omnia impedimenta; debet igitur in nova petitione peti simul convalidatio dispensationis super priore impedimento antea obtentae. Excipe: *a*) si impedimentum nunc detectum eiusmodi est, ut pro eo facultates habeat Ordinarius, et eius exsistentia ignorabatur donec impetrata fuit a S. Sede dispen-

---

1 Irrita est dispensatio si, ex errore, etsi involuntario, sive petentis sive officialis romani, unum impedimentum pro alio, v. gr. consanguinitas pro affinitate, ponatur, nisi res ita describatur in eodem rescripto, ut iudicio Ordinarii nulla de re possit esse dubitatio (can. 47), id est ut rescriptum adhuc possit fidem facere in foro externo.

2 Si gradus lineae collateralis sit inaequalis, sufficit exprimere gradum remotiorem, ut eruitur ex can. 96, § 3; solet tamen adiungi gradus propinquior (De Smet n. 846 non adeo certum videtur habere quod sufficiat exprimere tantum gradum remotiorem, ubi propinquior est primus. Cf. quoque « Adnotationes *S. Datar. Apost.* ad Formulas » [*A.S.S.* XXXIV, p. 80 circa medium]).

3 V. gr. si mentio facta est impedimenti consanguinitatis 2^{i} gradus et reticitum aliud consanguinitatis 3^{i} gradus. Unde, si consanguinitatis vel affinitatis impedimentum sit multiplex, sufficit ad valorem exprimere tantum gradum, inter plures consanguinitates vel affinitates, propinquiorem.

satio; tunc enim sufficiet pro secundo recurrere ad Ordinarium (can. 1050); *β*) si impedimentum detectum eiusmodi est, ut ab eo dispensare possit Ordinarius potestate « ordinaria », v. gr. votum non reservatum, vel impedimentum dubium; pro huiusmodi impedimentis recurri semper potest ad Ordinarium, etiam independenter a recursu ad S. Sedem, ut patet ex can. 1050, qui tantum loquitur de potestate Ordinarii ex indulto; *γ*) si dispensatio concessa est cum clausula « ac aliis bona fide reticitis non obstantibus » (quam proinde oportet non omittere in petitione), dummodo impedimentum fuerit reticitum bona fide, nec eiusmodi sit, quod speciali indigeat mentione, nec difficilioris sit dispensationis quam aliud expositum in supplicatione [1]; *δ*) si impedimentum, cuius dispensatio supplicatur, sit minoris gradus.

6. *Variae circumstantiae*, scilicet: *a*) an matrimonium sit contrahendum vel contractum [2]; *b*) si iam contractum, aperiri debet utrum bona fide, saltem ex parte unius, an vero cum scientia impedimenti; *c*) item, utrum praemissis denuntiationibus et iuxta formam legitimam, an vero spe facilius dispensationem obtinendi; *d*) an sit consummatum, si mala fide, saltem unius partis, seu cum scientia impedimenti [3].

---

1 Cf. « Adnotationes » *S. Datariae* (*A.S.S.* XXXIV, p. 81); Ferr. n. 965.

2 Matrimonii civilis mentio non requiritur, quia nullum matrimonium est. Si tamen adducitur ut causa dispensandi, addendum qua intentione fuit initum; cf. notam sequentem.

3 Non esse declarandam copulam (incestuosam) habitam cum vel sine intentione obtinendae facilius dispensationis, diximus n. 830, 8°.

Sed hac occasione quaeri potest: 1° An haec malitiosa intentio declaranda sit, saltem quando oratores tamquam causam, ut dispensentur, allegant copulam inter se habitam. 2° An malitiosa intentio aperienda sit, quando ut causa allegatur matrimonium contractum, vel eius consummatio. 3° An aperienda sit, quando allegatur ut causa matrimonium iam civiliter contractum.

Ad 1. Censemus tunc esse declarandam. Nam, utrum declaranda esset copula et intentio semper, vel an declaranda intentio quando copula adducitur ut unica causa, quaestiones semper consideratae sunt diversae, quarum prima erat controversa, alteri affirmative respondebatur; nempe intentionem in ea hypothesi esse declarandam affirmabatur communiter (cf. rationes apud S. Alhp. l. 6. n. 1134; Villada, *Casus* III, p. 101; nec spernenda una ex rationibus Sánchezii l. 8, d. 25, n. 38 a S. Alph. omissa, nimirum, quod secus tacite significaretur, si copula esset causa motiva unica, eam esse commissam ex rea fragilitate, quod esset falsum), idemque, nempe ad valorem requiri intentionis malitiosae manifestationem in ea hypothesi, adhuc affirmant « Adnotationes *S. Datar. Apost.* ad Formulas », (1901) (*A.S.S.* XXXIV, p. 79 seqq., cf. p. 81). Idem omnino sentiunt, adhuc post latas litteras *S. Off.* statim citandas, non solum Villada, qui de hoc puncto expresse egit, op. cit. p. 99 seqq., sed etiam alii citati a Ferreres in ephem. *Razón y Fe* I, p. 519, n. 37 38, quibus adde De Smet n. 848 nota.

Animadversiones. Praedictis requisitis, ex instr. *S.C. de* **835**
Prop. Fide 9 maii 1877 depromptis, sequentia oportet adiungere, ut prae oculis data occasione habeantur. Nempe:

Nec posset contrarium confici ex litteris *S. Off.* 25 iun. 1885 (*A.S.S.* XVIII, p. 207), quibus tollitur obligatio declarandi « copulam vel intentionem », quasi, per particulam disiunctivam « vel » S. Sedes intenderit auferre obligationem declarandi illiusmodi intentionem *in omni casu*, quo declaretur copula. Nam, etsi dixerit WERNZ, n. 636 nota 180, hunc esse obvium sensum illius particulae, tamen non videtur is sensus magis esse obvius quam alius, si attendatur rei historia et cetera, quae in eisdem litteris leguntur; bene enim tunc, immo magis obvie, intelligitur S. Sedes voluisse tantummodo tollere obligationem, antea iuxta plures exsistentem, declarandi copulam incestuosam *semper*, quamvis non allegaretur ut causa, et simul addendi malitiosam intentionem, si adfuerit. Et cum tolleret hoc mandatum exprimendi « copulam et, si adfuerit, intentionem », id declaravit dicendo, non amplius opus esse exprimere « copulam *vel* intentionem, » eam nempe intentionem, cuius declaratio iubebatur in eadem lege, qua iubebatur declaratio copulae; qui modus dicendi etiam obvius est et passim usurpatus, quamvis seorsim in se sumptus et praecisis circumstantiis, aliquali ambiguitati posset locum dare. Non ergo intenditur, per illam disiunctionem, auferri obligatio declarandi intentionem, quando forte exigatur propter aliud motivum, quod non sit adimpletio legis abolitae, sicut nec intenditur auferri obligatio declarandi copulam incestuosam ex alio motivo, v. gr. ad legitimandam prolem, ut in confesso est apud omnes. Cum igitur iste sensus obvius etiam sit, immo magis obvius quam contrarius, cumque aliunde hunc vehementer suadeant rationes a communi sententia allatae, non adeo te movere debet, quod ex quorumdam dictorum reformatione vel ex omissionibus in certos libros propter praedictas *S. Off.* litteras introductis, colligatur locutionem illam disiunctivam in sensu absoluto accipi ab aliis auctoribus (quos vide apud FERRERES, ephem. et loc. cit. p. 518, n. 33-37; sed non satis apparet, cur FERR. n. 962 963 asserat explicandam esse intentionem matrimonii civiliter contracti, si adducatur ut causa motiva, et tamen dicat probabile et tutum non explicare intentionem copulae, etsi allegetur ut causa motiva).

Ad 2. Affirmandum censemus, tum propter rationes quasi a priori, quibus nitebatur sententia communis de exprimenda malitiosa intentione copulae, quae allegaretur ut motivum unicum (cf. SÁNCHEZ l. 8, d. 25; S. ALPH. n. 1134), tum quia sic affirmatur in citatis « Adnotationibus » *S. Datariae*, quin possit opponi quidquam valide in contrarium (cf. FERRERES ephem. cit. p. 520-522). Etenim tum litterae praedictae tum decl. *S. Off.* 18 mart. 1891 (*A.S.S.* XXIV, p. 510) ad obligationem antea exsistentem circa copulam, atque in sensu praedicto, tantummodo referuntur.

Ad 3. Iterum censemus affirmandum, si allegatur ut motivum unicum; valent enim rationes a priori, quae in casibus praedictis invocantur ab auctoribus. Nec prodest dicere cum DE SMET n. 848 nota pro hoc casu id non exigi in instr. *S.C.* Non prodest, tum quia rationes praedictae procedunt a priori, tum quia casus, de quibus instr. *S.C.* sub finem (*A.S.S.* X, p. 25 sub n. 6. « Variae »), non recensentur taxative, sed tantum per modum exempli, ut melius intelligatur quaenam sint « variae circumstantiae », quarum expositio de stylo Curiae requiritur ad valorem, atque ideo, quae ibi dicuntur, valere debent pro casibus omnino paribus.

1. *Causae motivae* allegandae sunt, quarum praecipuae paulo superius sunt recensitae.

Attamen supressio veri (subreptio) circa ea, quae exponenda sunt, vel allegatio falsi (obreptio) non obstant valori dispensationis ab impedimento minoris gradus [1] (can. 1054).

Ad valorem dispensationis ab impedimento maioris gradus obstat reticentia veri, si reticetur aliquid, quod de stylo Curiae requiritur ad valorem; non obstat expositio falsi, dummodo vera sit una saltem ex causis motivis, quae allegantur (can. 42, §§ 1 et 2). In dubio an causa, falso allegata, fuerit finalis, ita ut secus dispensatio non concederetur, vel tantum impulsiva, aut an fuerit vera, vel falsa, dispensatio valida censenda est, dummodo illa causa allegata fuerit bona fide, quia hac supposita standum est pro valore actus [2].

Quoad impedimenta maioris gradus non valet dispensatio, si cessat causa (v. gr. mortua est proles, quae legitimanda erat per matrimonium ex dispensatione contrahendum), antequam dispensatio sit supplicantibus communicata. Valet vero, si dispensatio iam est communicata, etiamsi matrimonium nondum fuerit contractum [3]; sponsi enim iam fuerant dispensati [4].

836 2. *Legitimatio prolis*, si opus sit, expresse petenda est, quando recursus habetur ad S. Sedem.

3. *Si matrimonium convalidandum est*, dici debet an in forma praescripta initum fuerit, an omissis proclamationibus, an utroque vel alterutro impedimenti conscio, an sub spe facilius obtinendae dispensationis; si allegatur ut causa, quod consummatum, an illud sponsi ad obtinendam dispensationem malitiose consummaverint et an detecto impedimento in copula perseveraverint [5].

4. *Si nova dispensatio in eadem materia petitur*, mentio prioris facienda est, quando utrumque impedimentum oritur ex simili crimine, vel agitur de eodem castitatis voto [6].

---

1 Dispensationes enim ab impedimentis minoribus hodie conceduntur « ex rationabilibus causis a S. Sede probatis », et sic concessae perinde valent, ac si « ex motu proprio et ex certa scientia » impertitae essent, et propterea ex vitio obreptionis vel subreptionis invalidae nequeunt esse (cf. can. 45; et *A.S.S.* XLI, p. 725 et « Adnotationes » *S. Datariae* [*A.S.S.* XXXIV, p. 82 sub finem]).

2 Sánchez l. 8, d. 21, n. 20 25; S. Alph. n. 1133.

3 S. Alph. n. 1132; Ferr. n. 961.

4 Et quia, qui dispensatus est, dispensatus manet, non erit opus nova dispensatione, si hac iam accepta sponsi a matrimonio desistant et post notabile tempus, mutata voluntate, contrahere velint. Ferr. n. 865, quaer. 9.

5 Cf. paulo superius dicta Ferr. n. 963, quaer. 6.

6 S. Alph. n. 1137; Ferr. n. 965, quaer. 8.

5. *Si dispensatio petitur ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus*, attestatio parochi in supplica provisoria ad Ordinarium apponenda est, in qua declaretur sponsos ad debitas cautiones praestandas esse paratos.

6. *Si in casu urgente ad Ordinarium recurritur* pro dispensatione, quam nonnisi in hoc casu impertiri potest, ratio urgentiae exprimenda est eiusque causa indicanda.

7. *Condicio oeconomica oratorum* in recursu ad S. Sedem exponenda est [1].

Attamen error, vel etiam fraus circa declarationem condicionis oeconomicae dispensationem non invalidat. Manet tamen obligatio ex iustitia solvendi aliquid congruum S. Sedi [2].

d) **Redactio petitionis.** Imprimis, si impedimenta occulta **837** concurrunt simul cum publicis, duplex recursus instituendus est, ut supra notavimus (n. 831 834); alter, veris appositis nominibus, ad *S.C. de Sacram.* pro publicis; alter, veris nominibus tacitis, ad *S. Poenit.* pro dispensatione ab occultis, simul ac pro convalidatione dispensationis a publicis ab alia S. Congr., tacitis occultis, petitae vel impetratae [3].

In redigendis litteris lingua latina omnino suadenda est. Admittitur tamen in *S. Poenit.* lingua vulgaris, praesertim si recurrens est laicus; in aliis S. Congr. communiores linguae vernaculae, ut italica et gallica, admittuntur, vel saltem tolerantur [4].

---

1 Nempe parochus vel Ordinarius testari debet an oratores « pauperes ac miserabiles » exsistant, qui scilicet labore tantum manuum viventes commiserationem merentur, an simpliciter « pauperes », vel « quasi-pauperes ». Expedit, si agatur de divitibus, indicare circiter statum fortunae, attentis quoque reditibus, qui eis obveniunt v. gr. ex munere, quo funguntur. Cf. dicta n. 832 nota; De Smet n. 858 et *Praxis matrim.* n. 68.

2 « Normae communes » in *A.S.S.* XLI, p. 487; « Adnotationes » *S. Datar. Apost.* (*A.S.S.* XXXIV, p. 83); Ferr. n. 970; Gén.-S. n. 528.

3 Confessarius igitur poenitentem pro petitione dispensationis a publicis remittat ad parochum, cuius est eamdem procurare, ipseque recursum potest suscipere ad *S. Poenit.* instituendum. Si tamen uterque fori externi et interni recursus fiat ad Ordinarium facultatibus munitum, cavenda est confessario laesio sigilli (vel saltem secreti ad tutandam famam servandi), ne scilicet Ordinarius, si v. gr. utrumque recursum brevi intervallo suscipiat, ex uno discat, quae sint vera nomina in altero reticita; vel, si causae aut circumstantiae memorentur pro impedimento occulto valde particulares, veniat in notitiam vel suspicionem personae. Propterea consulendum, ut licentia poenitentis petatur de re sufficienter edocti vel, quod tutius et facilius est, recurratur seorsim ad Sacram Congr. et ad *S. Poenit.*, vel etiam, dummodo ab omnibus possit Episcopus dispensare, tantum pro publicis ad Episcopum recurratur, pro occultis ad *S. Poenit.* Cf. De Smet n. 852; Gén.-S. n. 527, 5°.

4 Verm.-Creus. I, n. 261.

Indicandus est lingua vulgari locus et domicilium, quo responsio dirigenda est.

Supplica mittatur ad *S. Poenit.* cum hac inscriptione: *Eminentissimo Cardinale Penitenziere Maggiore. Palazzo del S. Uffizio. Via S. Uffizio. Roma.* — Ad *S. Officium* vero: *Eminentissimo Cardinale Segretario del S. Uffizio. Palazzo del S. Uffizio. Roma.* — Ad *S. Congr. de Sacram.*: *Eminentissimo Cardinale Prefetto della S. Congr. dei Sacramenti. Palazzo della Cancelleria. Roma*[1].

---

[1] Petitio redigatur breviter et clare (cf., sis, exemplar pagellae mittendae brevitate et claritate commendandum, in *A.S.S.* XXVI, p. 61). En exempla aliquot litterarum ad dispensationem super impedimentis matrimonialibus impetrandam:

1. *Recursus ad S. Sedem pro foro externo.*

Eminentissime ac Reverendissime Domine!

Philippus Legrand, annos natus 30, et Ioanna Didier, annos nata 26, ambo huius dioecesis Lugdunensis, matrimonium inire cupiunt; obstat tamen consanguinitas in secundo gradu aequali, ut adiuncta series genealogica manifestat. Humillime igitur supplicant, ut cum iisdem Eminentia Vestra dispensare dignetur. Causae sunt: Aetas Ioannae superadulta et viduitas, duobus filiis onerata; ob quae, virum alium, cui nubat, invenire non potest, dum Philippus illos amanter et pie educandos suscipiet.

Testor oratores esse pauperes ac miserabiles, cum Ioanna bona non habeat ultra 300 francos, Philippus autem ex typographi officio vivat. Die... mensis... anni...

2. *Recursus eorumdem oratorum ad S. Poenitentiariam pro foro interno.*

Eminentissime Princeps!

Titius et Caia matrimonium inire cupiunt. Sed obstat adulterium cum mutua promissione matrimonii post recuperatam status libertatem contrahendi, absque tamen machinatione, patratum a Caia, dum coniugio tenebatur, cum Titio caelibe. Humillime igitur per me confessarium supplicant, ut cum iisdem Em.ª Vestra dispensare dignetur. Causae sunt: *a*) Aetas Caiae superadulta, ea enim 26 annos est nata, et eiusdem viduitas; *b*) eiusdem Caiae, duobus filiis oneratae, maxima difficultas, ut alium virum reperiat, qui illos amanter et pie educandos suscipiat; *c*) vehemens suspicio, qua unus e filiis, ob vultus aspectum atque ob adiuncta defuncti coniugis diuturnas moras in extera regione trahentis, videtur ortus ex adulterio cum Titio.

Oratores dispensationem petierunt a *S. Congr. de Sacram.* super impedimento consanguinitatis in secundo gradu aequali.

Eminentiae Vestrae manus reverenter deosculans, summa devotione permaneo

37, rue Vancandard
Lyon

Eminentiae Vestrae
humillimus servus
Aemilius Piéron, sac.

Art. 4. Exsecutio dispensationis.

Dispensationes saepe nullius exsecutoris interventu indi- 838
gent, quia is qui eam concedit, sive potestate ordinaria sive delegata, eam valere vult ab instanti, quo eam subsignat vel

---

3. *Ad S. Sedem pro foro externo.*

Eminentissime Princeps!

Bartholomaeus Laparra, dioeceseos Barcinonensis, et Valentina Montblanch, dioeceseos meae Gerundensis, matrimonium invicem inire cupiunt; sed obstat affinitas in primo gradu lineae collateralis ex matrimonio Bartholomaei cum Valentinae sorore, coniuge defuncta. Quare suppliciter Eminentiam Vestram orant, ut super hoc impedimento et aliis bona fide forsan reticitis dispensare dignetur.

Causae sunt: *a*) Aetas Valentinae superadulta, annos habentis 28, alium virum, cui nubat, non invenientis; *b*) filius, duorum annorum aetate, superstes, quem pater, labori fere impar, vix pro sui status condicione alere potest, Valentina vero eum ex propriis honeste sustentare et pie educare pollicetur.

Oratoris bona sunt circiter 3000 fr., oratricis 6000 fr.

4. *Ad S. Sedem pro foro externo.*

Eminentissime Princeps!

Exponitur humiliter Eminentiae Vestrae, pro parte oratorum Henrici Dalton, dioeceseos Baltimorensis, et Elvirae Wedler, huius archidioeceseos Bonaerensis, quod alias orator praefatae oratricis amitam, ad praesens defunctam, in uxorem duxerat. Cum autem ab aliquot mensibus in domo oratricis eiusque matris simul conversetur, carnali tamen copula cum neutra earum subsecuta, et nihilominus orta sit suspicio, licet falsa, quod Elviram carnaliter cognoverit, et nisi eam in uxorem ducat, ipsa graviter diffamata et innupta remaneret, graviaque exinde scandala orirentur, cupiunt propterea oratores praefati inter se matrimonium contrahere. Sed cum obstet impedimentum affinitatis expositum, humiliter ab Eminentia Vestra dispensationem implorant.

Oratores divites sunt offeruntque pro taxa 80 fr., praeter expensas.

5. *Ad S. Sedem pro foro interno.*

Eminentissime atque Illustrissime Domine!

Titius, meae paroeciae incola, nunc vicesimum quartum agens aetatis annum, votum quinque abhinc annos emiserat ingrediendi Ordinem franciscalem post matris mortem, anno proxime praecedenti defunctam. Sed cum prudenter iudicetur statum coniugalem, cuius opportuna occasio sese offert, magis ipsi fore salutarem, dispensationem humiliter ab Eminentia Vestra implorat.

Causae sunt: *a*) Quod, nisi nubat, in certo versatur incontinentiae periculo; *b*) quod, pietate hisce annis ob mundana negotia frigescente, nimis iam dura ipsi videtur tam ardui voti adimpletio.

Cum summae venerationis sensu subscribo

N. N., parochus ad S. Mariae,
Ulyssipone in Portugallia.

pronuntiat, et ad summum tertii opera requiritur ad dispensationem datam nupturientibus notificandam ✻. Concessio tunc dicitur facta *in forma gratiosa*. Ita plerumque dispensationes

---

6. *Ad S. Sedem pro foro interno.*

Eminentissime Princeps!

Exponitur humiliter Eminentiae Vestrae pro parte oratorum Caii et Caiae, qui in tertio et secundo gradu sunt consanguinei, quod, carnis fragilitate devicti et sciente Caio statum coniugalem Caiae, data sibi invicem fide de matrimonio inter se post Caiae viri obitum contrahendo, se carnaliter cognoverunt, et deinde dictae Caiae vir, neutro tamen eius mortem machinante, e vivis decessit. Sed cum Caia quinque filiis e defuncto viro susceptis providere deberet et praeterea gravem litem super successione bonorum magni momenti sustineret; timens ne, deficiente viro, qui litem huiusmodi prosequeretur, ipsam liti succumbere contingeret; cumque praefatus orator et filios suscipere et litem propriis expensis prosequi et defendere se offerret; ambo, obtenta a *S.C. de Sacram.* dispensatione super consanguinitatis impedimento, praemissis proclamationibus et nullo alio denuntiato impedimento, bene tamen noscentes ipsi occultum impedimentum criminis, quo detinebantur, matrimonium, sub spe facilius nunc obtinendae convalidationis, in forma legitima contraxerunt et cum eadem malitiosa intentione consummarunt et in copula hucusque perstiterunt. Sed cum graves praedictae rationes interveniant, et praeterea, dicto impedimento prorsus occulto exsistente, gravia scandala, si divortium inter eos fieret, exinde orirentur, supplicant humiliter Eminentiam Vestram, ut, impertita super praedictis impedimentis et aliis bona fide forsan reticitis dispensatione, in huiusmodi matrimonio, renovato ad iuris praescripta consensu, remanere possint, prolemque post viri obitum ab iisdem conceptam et natam, legitimam decernere Eminentia Vestra dignetur, de gratia speciali cum clausulis opportunis.

Causae sunt: *a*) Necessitas viri, qui iam exsistentes filios suscipere et litem prosequi paratus sit; *b*) impossibilitas divortii absque gravissimo scandalo et infamia; *c*) quod cum inter dictorum oratorum parentes graves inimicitiae diu viguerint, aliunde quam ex matrimonii causa inter eos contrahendi provenientes, et pax ante matrimonii tractatum inita, per contractum matrimonium feliciter confirmata fuerit, certum est inimicitias, si fiat divortium, multo acrius fore renovandas; *d*) ut proles ab oratoribus nata legitimari possit.

Dignetur Eminentia Vestra responsum ad me directum mittere ad Curiam episcopalem huius dioeceseos Matritensis.

Eminentiae Vestrae
humillimus famulus
N. N., confessarius in dioec. Matritensi.

✻ Valeret ergo matrimonium (abstrahendo ab errore, qui forte consensum debitum impediret) si, data dispensatione, sed nondum accepta eius notitia, matrimonium contraheretur; etenim « rescripta, quibus gratia conceditur sine interiecto exsecutore, effectum habent a momento quo datae sunt litterae » (can. 38), et valent ante acceptationem (can. 37).

solent concedere Ordinarii, sive ex potestate sua ordinaria sive delegata, et generatim qui dispensant vi facultatum sibi a S. Sede concessarum.

Sed generatim dispensationes apostolicae conceduntur *in forma commissoria*, id est, litterae mittuntur Ordinario vel alii [1], cui munus committitur [2] concedendi nomine S. Sedis

---

7. *Ad Ordinarium pro foro externo in casu urgenti.*

Illustrissime ac Reverendissime Domine!

Robertus Miguez et Elissa Donel, ambo huius dioeceseos subditi, contrahere inter se impediuntur ob cognationem spiritualem, ex eo provenientem, quod Robertus praedictam Elissam e sacro fonte levavit. Impedimentum exinde provenire ignorantes matrimonium inter se contrahere decreverunt, sed nuper se impeditos agnoverunt. Cum autem, praemissis proclamationibus, omnia sint parata ad nuptias, nec matrimonium, usquedum a S. Sede obtineri possit dispensatio, absque scandalo et nupturientium infamiae periculo differri possit, suppliciter ab Illustrissima Dominatione Vestra dispensationem efflagitant.

Causae sunt: *a*) Omnia parata ad nuptias; *b*) scandala et diffamatio vitanda; *c*) quod hucusque Elissa, tres et viginti iam annos nata, virum reperire non potuerat, qui illam indotatam in uxorem ducere vellet, Robertus autem et indotatam ducere et eamdem usque ad quantitatem ipsius qualitati congruentem competenter dotare intendit.

Cum summa veneratione subscribo

N. N., parochus ad S. Narcissi.

1 Dispensationes apostolicae *pro foro externo* committuntur « Ordinario oratorum », debetque eas exsequi Ordinarius, qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit ad S. Sedem, etsi sponsi illius dioeceseos domicilium reliquerint (can. 1055); potest autem eas exsequi Episcopus, vel Vicarius Generalis, aliusve ex iis, qui illo nomine veniunt in iure (cf. can. 198), vel Ordinarii successor in dignitate vel officio nisi fuerit electa industria personae (can. 58).

S. Poenitentiaria dispensationes *pro foro interno* inscribere solet « discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario », et sic potest eas exsequi confessarius quilibet ex approbatis ab Ordinario loci, in quo dispensatio exsecutioni detur. Generatim litterae exsequendae committuntur « confessario... ab oratore eligendo », et nihil impedit quominus orator, postquam unum confessarium elegerit, valide (imprudenter tamen id faceret sine iusta causa) litteras, nondum exsecutas, ab eo repetat, easque alii exsequendas tradat.

Cum huiusmodi dispensationes apostolicae committantur v. gr. « Ordinario », patet hunc non posse alium quemlibet sibi substituere, Ordinarius enim et non alius electus fuit (can. 57). Cf. Blat I, p. 150; De Smet n. 864. Poterit tamen alii committere actus praeparatorios, et ita saepe parochis committitur indagare praevie an preces veritate nitantur.

2 Duplex distingui potest, ait Verm.-Creus. n. 362, forma commissoria. Forma est *commissoria mixta*, si S. Sedes exsecutori committit, ut petitam gratiam concedat sub certis condicionibus et speciatim si vera sint exposita; in hoc casu ille est *exsecutor neces-*

dispensationem. Is vocatur litterarum « exsecutor ». Dispensatio autem valorem habere incipit ab instanti concessionis ab exsecutore factae, seu, ut dicitur, ab instanti « fulminationis »[1].

Exsecutor invalide rescriptum exsequeretur, antequam id receperit (can. 53), etiamsi certo per litteras aliudve medium datum esse noverit, atque invalidum esset quidquid interea, tamquam si gratia iam esset concessa, fieret.

Exsecutor procedere debet ad mandati normam eiusque clausulas implere, et nisi substantialem procedendi formam servaverit, irrita est exsecutio (can. 55); poterit tamen, si invalide exsecutionem fecerit, iterum ad eam procedere (can. 59). Porro eae tantum condiciones in rescriptis habendae sunt essentiales, quae sub particulis « si, dummodo » vel alia simili exprimuntur[2] (can. 39).

839 *a*) **Clausulae rescriptorum.** Sequentes praecipue declarare oportet[3], quarum pleraeque occurrunt in *S. Poenit.* rescriptis pro foro interno:

1. *Si vera sint exposita;* refertur ad causas dispensationis, naturam impedimenti etc., et propterea debet exsecutor praevie investigare, an preces adhuc[4] veritate nitantur. Ad valorem dispensationis haec investigatio non pertinet, debet tamen fieri, prout res ipsa et circumstantiae suadeant[5]; et propterea confessarius poenitenti fidem adhibere debebit, hoc contentus, nisi aliunde rem aliter se habere noverit.

Huiusmodi clausula, requirens precum expositarum veritatem, subintelligenda erit, quamvis expresse in rescripto non fuerit posita, pro dispensatione impedimenti gradus maioris[6].

---

sarius; atque haec est forma frequentior. Forma vero est *absolute commissoria*, si exsecutori facultates conceduntur quibus, si voluerit, uti possit ad dispensandum. Cf. can. 54.

Monet quoque Verm.-Creus. ibid., quod formula « S. Congregatio benigne annuit et remittit arbitrio et conscientiae exsecutoris », exsecutorem constituit necessarium, nisi mentio fiat facultatum, quae ipsi concedantur.

[1] Rescripta, quibus gratia conceditur interiecto exsecutore, effectum habent « a tempore exsecutionis » (can. 38).

[2] Ad valorem proinde non pertinent requisita, quae aliter exprimantur, etsi ablativo absoluto (nulla igitur praecedente praepositione), nisi aliud satis intelligatur ex natura rei. Blat I, p. 132; Verm.-Creus. n. 364.

[3] Cf. « Adnotationes » *S. Datariae Ap.* (*A.S.S.* XXXIV, p. 83 84); Sánchez l. 8, d. 34 35; S. Alph. n. 1143; Gasparri n. 392 seqq.; Wernz n. 638 seqq.; De Smet n. 866 seqq.; Gén.-S. n. 531 532.

[4] Debent enim causae esse verae in momento exsecutionis.

[5] Res investigari potest ex documentis publicis, ex aliorum informatione et testimonio, ex privato examine ipsorum oratorum. Investigatio fit summarie et extraiudicialiter.

[6] « In omnibus rescriptis subintelligenda est, etsi non expressa, condicio: Si preces veritate nitantur, salvo praescripto

2. *Audita prius sacramentali confessione.* Apponi solet in rescriptis pro foro interno et censetur ad valorem necessaria[1]. Valet tamen dispensatio, etsi absolutio differatur, aut ex poenitentis indispositione denegetur, dummodo exsecutioni mandetur intra sacramentalem confessionem.

3. *Sublata occasione peccandi*[2], nihil amplius imponit, quam quod de iure naturali adimplendum est, valorem tamen dispensationis non afficit. Idem dic de clausula: remoto scandalo.

4. *Iniuncta poenitentia salutari*[3], quae clausula ponitur, ubi impedimentum vel causa allegata culpam supponit in oratoribus.

Si praecipitur iniungi poenitentia «gravis», intellige v. gr. per quatuor hebdomadas recitare quotidie ter *Pater* et *Ave* et semel actus fidei, spei, caritatis et contritionis; vel per quinque hebdomadas ter rosarium in hebdomada cum confessione bis, intervallo saltem duarum hebdomadarum, peracta. Si «gravis et longa», idem aut simile imponi potest per bimestre. Si «gravis et diuturna», idem per trimestre, vel potius minor (v. gr. rosarium quotidianum) per semestre, vel auditio Missae

---

can. 45 1054» (can. 40). Nam in can. 45 et 1054 sequentes exceptiones fiunt pro rescriptis cum clausula «Motu proprio» vel circa dispensationes a gradibus minoribus:

«Cum rescriptis ad preces alicuius impetratis apponitur clausula: *Motu proprio*, valent quidem ea, si in precibus reticeatur veritas alioquin necessario exprimenda, non tamen si falsa causa finalis eaque unica proponatur, salvo praescripto can. 1054» (can. 45).

«Dispensatio a minore impedimento concessa, nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit» (can. 1054).

Propterea in rescriptis pro dispensatione impedimenti gradus minoris, iam non ponitur clausula «si vera sint exposita» aut alia similis, sed haec alia «ob rationabiles causas a S. Sede probatas» aut alia huiusmodi. Sed quamvis pro valida dispensatione impedimenti gradus minoris non sit necessaria veritas causarum, patet tamen verum debere esse impedimentum allegatum et nomina oratorum, id est, invalidam fore dispensationem, si v. gr. unum impedimentum appositum esset pro alio, etsi pariter gradus minoris.

1 Etsi ablativo absoluto expressa, haec condicio habetur communiter essentialis ad valorem. De Smet n. 882; Gén.-S. n. 532; Noldin n. 624, 3. Nec mirum; non enim exprimit quidquam dispensationis exsecutioni praerequisitum seu paemittendum, sed formam ipsam designat exsecutionis peragendae.

2 Occasionem voluntariam intellige; sin autem involutaria sit, facienda est remota. Cf. dicta n. 695 696.

3 Dicitur etiam poenitentia *iuridica*, quia imponitur in satisfactionem culpae commissae «coram Ecclesia»; diversa est proinde a poenitentia *sacramentali*, quae iniungitur in satisfactionem culpae commissae «coram Deo» et numquam potest a confessario omitti.

alternis diebus per octo menses. Si praecipitur iniungi v. gr. « confessio menstrua », quin definiatur tempus, imponatur ad tempus notabile, v. gr. ad quinque vel sex menses.

Attamen, in poenitentia assignanda potior regula debet esse, ut, attento tenore clausulae et attenta quoque oratoris aetate, sexu, viribus etc., nec videantur limites severitatis excedi nec lenitatis[1].

Ad valorem dispensationis non pertinet, quod dispensandus intentionem non habeat adimplendi poenitentiam, aut quod eam non acceptet.

5. *Dummodo mulier rapta non fuerit.* Si haec clausula apponitur, attendenda et observanda erit, casu quo raptus reapse praecesserit, etiamsi mulier iam suae libertati omnino restituta fuerit et consequenter impedimentum cessaverit[2].

6. *Praesentibus laceratis sub poena excommunicationis latae sententiae.* Laceratio fieri debet infra triduum post exsecutionem; licet tamen aliud exemplar transcribere et asservare[3].

840 *b*) **Fulminatio dispensationis.** Paulo aliter procedendum in dispensatione pro foro externo vel interno.

Pro foro externo dispensatio danda[4] est « in scriptis »[5] (can. 56) cum mentione delegationis apostolicae (can. 1057), nominum oratorum, speciei impedimenti, diei, mensis et anni[6]. Demum dispensationis datae adnotatio servetur in registro.

---

1 *S. Poenit.* 8 apr. 1890 (*A.S.S.* XXVI, p. 510).

2 Quare, si v. gr. dispensatio ab impedimento consanguinitatis conceditur cum clausula « dummodo mulier rapta non fuerit », dispensatio est nulla, si raptus revera patratus, etsi iam purgatus, in supplici libello non fuerat expressus.

3 Omissis nominibus, tempore, aliisque adiunctis, ex quibus periculum esset ne casus innotesceret.

4 Utrum alterutri parti danda sit, an etiam utrique, cf. supra in n. 824, litt. *b* nota.

5 Probabiliter tamen valet oretenus tantum concessa; v. gr. si dicatur tantum licere oratoribus contrahere; deinde tamen redigatur documentum, ut fides haberi possit in foro externo. Sic etiam sentiunt Blat I, p. 149; De Smet n. 877 nota; Verm.-Creus. I, n. 120; Gén.-S. n. 533; Noldin n. 623, 3.

6 Quaeri posset, an praemitti debeat absolutio « ad cautelam » seu « ad effectum » (huiusmodi dicitur absolutio, quae obstaculum quidem absolute non tollit, sed ad effectum tantum accipiendae valide absolutionis). — Sic respondendum iuxta ius praesens:

1° Si innodatus est, qui dispensari debet, aliqua excommunicatione, suspensione, vel personali interdicto, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, inutiliter daretur absolutio; nam huiusmodi persona dispensationis obtinendae incapax est, eiusque incapacitas nequit auferri nisi ex delegatione speciali (can. 2265, § 2; 2275, 3°; 2283). Cf. Ferreres in ephem. *Razón y Fe* XXIV, p. 377, n. 237.

Pro foro interno dispensatio danda est[1] viva voce; in foro sacramentali, post absolutionem a censuris et a peccatis. Nulla determinata formula praescribitur[2].

Caput 8. CELEBRATIO MATRIMONII

Art. 1. Consensus matrimonialis [3].

841 Matrimonium facit partium habilium consensus legitime manifestatus, qui consistit in actu voluntatis, quo sibi mutuo

---

2° Si nullius censurae intercesserit sententia condemnatoria vel declaratoria:

a) Absolutio a censuris tantum inutilis esset, tum si dispensatio obtinetur a S. Sede per rescriptum, sive in forma gratiosa sive in forma commissoria, ut patet ex can. 36, § 2; tum si tribuitur vi facultatum a S. Sede acceptarum, seu, ut aiunt, vi pagellae facultatum; tum si ab Ordinario datur vi suae potestatis ordinariae; dispensationibus enim impetrandis censurae non obstarent, siquidem, nulla intercedente sententia, hunc effectum adnexum a iure non habent. BLAT I, p. 128, et cf. FERRERES in ephem. cit. XXIV, p. 231, n. 211-214.

b) Absolutio tamen « ad effectum » generalis a quibusvis poenis, non esset inutilis; possent enim obstare aliae poenae vindicativae (cf. v. gr. can. 2291, 9°), idque insinuatur in can. 66, § 3. Et quamvis moraliter certo praevideatur nulla obstare, absolutio tamen laudabiliter praemittitur (*S. Poenit.* 2 iul. 1891 [*A.S.S.* XXVI, p. 510]). Non est tamen necessaria facultas ad id specialis, nam facultas dispensandi iam includit potestatem absolvendi a poenis ecclesiasticis ad effectum dispensationis consequendae (can. 66, § 3).

1 Si impedimentum *unam tantum partem afficit* (v. gr. votum castitatis), vel *una tantum pars est culpabilis* (v. gr. concubinatus cum matre sponsae), sufficit cum ea tantum parte dispensare.

Sed, si in impedimento *utraque pars est culpabilis* (v. gr. in crimine) et utraque est impedimenti conscia, utraque ad liceitatem dispensanda est; sufficit tamen ad validitatem dispensare cum alterutra. Utraque igitur pars accedere debebit ad confessionem in eaque dispensationem accipere, sivè ab eodem confessario, sive a diversis. In hoc postremo casu confessarius, qui ab uno oratorum electus fuerat ab eoque rescriptum acceperat, rescriptum ei reddat, ut idem alteri parti tradat, quae vicissim confessarium sibi benevisum eliget, isque postremus confessarius rescriptum lacerare tenebitur.

2 Poterit v. gr. post absolutionem generalem a censuris « Dominus noster Iesus Christus te absolvat... et tu indiges », sequi cum hac formula: « Insuper auctoritate apostolica mihi concessa, dispenso tecum super impedimento (hoc vel illo), ut matrimonium contrahere (vel in matrimonio manere) possis et legitimam reddo prolem susceptam (vel suscipiendam), in nomine Patris etc. » Deinde sequitur absolutio a peccatis: « Deinde, ego te absolvo etc. » Si legitimatio prolis omissa fuisset, omissio reparari posset. Immo, quomodocumque confessarius erraverit et dispensationem dederit invalidam, errorem reparare poterit (et debebit) eam denuo exsequendo (can. 59).

3 De hac materia ius canonicum:

tradunt ius, perpetuum et exclusivum in corpus, in ordine ad actus per se aptos ad generationem (can. 1081).

« § 1. Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana potestate suppleri valet. — § 2. Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem » (can. 1081).

« § 1. Ut matrimonialis consensus haberi possit, necesse est ut contrahentes saltem non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos. — § 2. Haec ignorantia post pubertatem non praesumitur » (can. 1082).

« § 1. Error circa personam invalidum reddit matrimonium. — § 2. Error circa qualitatem personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritat tantum: — 1° Si error qualitatis redundet in errorem personae; — 2° Si persona libera matrimonium contrahat cum persona quam liberam putat, cum contra sit serva, servitute proprie dicta » (can. 1083).

« Simplex error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem, etsi det causam contractui, non vitiat consensum matrimonialem » (can. 1084).

« Scientia aut opinio nullitatis matrimonii consensum matrimonialem necessario non excludit » (can. 1085).

« § 1. Internus animi consensus semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis. — § 2. At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit » (can. 1086).

« § 1. Invalidum quoque est matrimonium initum ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium. — § 2. Nullus alius metus, etiamsi det causam contractui, matrimonii nullitatem secumfert » (can. 1087).

« § 1. Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes sive per se ipsi sive per procuratorem. — § 2. Sponsi matrimonialem consensum exprimant verbis; nec aequipollentia signa adhibere ipsis licet, si loqui possint» (can. 1088).

« § 1. Firmis dioecesanis statutis desuper additis, ut matrimonium per procuratorem valide ineatur, requiritur mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus. — § 2. Si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est. — § 3. Si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverint. — § 4. Ut matrimonium validum sit, procurator debet munere suo per se ipse fungi » (can. 1089).

« Matrimonium per interpretem quoque contrahi potest » (can. 1090).

« Matrimonio per procuratorem vel per interpretem contrahendo parochus ne assistat, nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati vel de interpretis fide dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia » (can. 1091).

a) **Consensus** validus debet esse: 842

1. *Internus*, consensus enim fictus contractum non potest parere (n. 297).

Praesumitur fictio abfuisse (n. 24, 3° et 6°; can. 1086, § 1). Quare, si quis se ficte consensisse dixerit, compars ei fidem dare non tenetur, nisi fictio ex aliis circumstantiis se prodat; ipse vero fictor debebit in conscientia agere secundum veritatem quam novit, ideoque, si revere finxerat, nec petere debitum poterit nec reddere, donec validum consensum ponat; tenebitur autem ponere, si aliter compartem indemnem servare non possit (n. 297), vel si haec compensationem non acceptet et separationi non consentiat.

« Condicio semel apposita et non revocata: — 1° Si sit de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adiecta habeatur; — 2° Si de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum; — 3° Si de futuro licita, valorem matrimonii suspendit; — 4° Si de praeterito vel de praesenti, matrimonium erit validum vel non, prout id quod condicioni subest, exsistit vel non » (can. 1092).

« Etsi matrimonium invalide ratione impedimenti initum fuerit, consensus praestitus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit » (can. 1093).

Cf. de consensus necessitate vel defectu in genere: Sánchez l. 2, d. 11 12 28 30-32; Gasparri n. 871-886 908-925 958-976; Wernz n. 36 45-47, 182; De Smet n. 94-106 129; Lehmk. n. 876; Ball.-P. n. 414 seqq. 463-467; Gén.-S. n. 457, et causas Romanae Curiae in *A.S.S.* III, p. 225, IV, p. 65, VII, p. 49, XI, p. 542, XVI, p. 10 262, XVIII, p. 14, XXII, p. 529, XXIII, p. 711, XXVI, p. 407, XXVII, p. 457, XXXVIII, p. 353, XXIX, p. 210, XXXII, p. 274 727, XXXIII, p. 723, XXXV, p. 321 597 674, XL, p. 494 736; *A.A.S.* (1910) p. 121 584, (1911) p. 525, (1912) p. 146 157 708, (1913) p. 372, (1915) p. 572, (1917) p. 242, (1918) p. 517, (1920) p. 338, (1921) p. 54.

De consensu condicionato: Sánchez l. 2, d. 33 34, l. 5, d. 1-19; Gasparri n. 977-1026; Wernz n. 292-306; De Smet n. 151-156; Lehmk. n. 877-882; Ball.-P. n. 468-528; Gén.-S. n. 458-460, et causas Rom. Curiae in *A.S.S.* XIII, p. 445, XXV, p. 612, XXVI, p. 335, XXXIV, p. 202, XL, p. 494; *A.A.S.* (1909) p. 561 660, (1910) p. 524 961, (1911) p. 497, (1912) p. 146, (1913) p. 312, (1915) p. 51 292 442, (1917) p. 32, (1918) p. 388, (1922) p. 512.

De errore in consensu matrimoniali : Sánchez l. 7, d. 18 19; Gasparri n. 887-907; Wernz n. 222-223; De Smet n. 151-156; Lehmk. .n 961-964; Ball.-P. n. 936-947; Gén.-S. n. 461 462 et causas Rom. Curiae in *A.S.S.* I, p. 257; *A.A.S.* (1913) p. 44 372.

De vi et metu: Sánchez l. 4, d. 1-20; S. Alhp. l. 6, n. 1045 ad 1057; Gasparri n. 926-957; Wernz n. 260-273; De Smet n. 534-542; Lehmk. n. 965-969; Ball.-P. n. 1114-1142; Gén.-S. n. 463, et causas *S.C.C.* et *Rotae Romanae*, quae super hoc themate agitatae sunt quamplurimae. Quae ab anno 1900 editae sunt, reperientur in *A.S.S.* XXXIII, p. 67 130, XXXIV, p. 129 151, XXXV, p. 65 130 397, XXXVI, p. 74, XXXVIII, p. 387, XXXIX, p. 97 283; *A.A.S.* (1910) p. 348 886, (1911) p. 166 244 661, (1912) p. 108 182 474 503, (1913) p. 164 253 464 552 (1914) p. 675, (1915) p. 349 424, (1916) p. 45 109 158 184 200 324 487, (1917) p. 144 441 356 464 503, (1918) p. 70 108 158 215 291 378 420, (1919) p. 22 89 192 290 428, (1920) p. 373.

Consensus, etsi matrimonium nullum fuerit ob impedimentum, censetur semel praestitus perseverare, donec de revocatione constet (can. 1093).

2° *Externus*. Attento solo iure naturae, valet quocumque signo manifestatus, sive verbis, sive nutibus, sive factis[1], sive per procuratorem, sive per litteras.

Sed ex dispositione iuris canonici: *a*) Ad validitatem requiritur contrahentium praesentia; invalide ergo contraheretur per litteras. — *b*) Admittitur tamen consensus per procuratorem, sed ad valorem requiritur mandatum «speciale» contrahendi cum «certa» persona subscriptum «a mandante et insuper a quolibet ex his quatuor: a parocho loci in quo mandatum fit, ab Ordinario eiusdem dicti loci, a sacerdote ab horum alterutro delegato, a duobus saltem testibus»[2]. Item admittitur contrahere per interpretem. Prohibetur tamen parochus assistere matrimonio per procuratorem vel interpretem contrahendo, nisi ex iusta causa et nisi de authenticitate mandati vel interpretis fide dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia. — *c*) Ad liceitatem (non ad valorem) consensus exprimendus est per verba, non signis, si loqui possint.

3° *Plene deliberatus*, proinde cum sufficienti deliberatione et libertate positus.

Deliberatio necessaria haberi non posset, si ignorarentur substantialia contractus. Debet igitur notitia saltem haberi, matrimonium societatem esse permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos[3] (can. 1082). Nec deliberatio requisita reperiri posset in amente, nec in eo, qui errore laboraret circa contractus substantiam. De errore seorsim agemus paulo inferius.

Libertati opponitur vis et metus, de quo seorsim quoque agemus post pauca.

843 *b*) **Consensus limitatus** cum limitatione excludente a materia aliquid essentiale, est invalidus, non enim fertur in materiam contractus matrimonialis, sed in aliam essentialiter diversam. Id eveniret, si aliquis contrahentium consentiret tantum

---

1 Ipsa copula, animo maritali peracta, est, attento solo iure naturae, sufficiens consensus manifestatio.

Merum silentium, v. gr. sponsae, nequit haberi pro certa consensus manifestatione, nisi alia signa vel adminicula accedant. WERNZ n. 46.

2 Plura vide in can 1089; cf. etiam *A.A.S.* (1910) p. 300 seqq.

3 Haec tamen ignorantia post pubertatem non praesumitur (can. 1082); si quis ergo iam pubes eam allegaret, eam probare deberet.

in concubinatum, non in matrimonium; vel si tantum ad vitam simul ducendam et auxilium mutuo praestandum; vel si vellet contrahere tantum ad decennium (cf. can. 1086, § 2).

Supponitur limitatio facta actu voluntatis positivo, non limitatio mere interpretativa ob errorem concomitantem; de hoc enim nunc pauca.

c) **Consensus cum errore iuris** circa *substantiam* ipsam contractus, v. gr. si impubes putet coniugium mere esse modum convivendi simul, non valet (can. 1082). Cf. dicta n. 299 de errore substantiali.

Si error versatur circa *aliquam essentialem proprietatem*, id est circa indissolubilitatem, unitatem, aut, in matrimonio baptizatorum, circa rationem sacramenti, consensus est validus, etsi error det causam contractui, id est etsi, comperto errore, non praestaretur consensus (can. 1084). Ratio est, quia proprietas huiusmodi concipitur ad modum accidentis, quod ex errore putatur a substantia abesse; et quoniam eius exclusio non intenditur primario et principaliter, iam consensus primarie fertur in contractus substantiam, ideoque est validus[1]. Valet ergo consensus, etsi contrahens putet matrimonium esse solubile, aut licere divortium certas ob causas instituere, aut contractum non esse sacramentum[2].

d) **Consensus cum errore facti** non est invalidus, nisi **844**
error sit substantialis, ut patet ex praedictis. Ex dictis nuper et in n. 298 299 facile eruitur consensum matrimonialem esse invalidum, si error versatur circa *personam*[3]; vel si versatur circa *qualitatem redundantem in personam*, id est, si illa qualitas aut adeo est s i n g u l a r i s, aut sic p r i m a r i o et

---

1 Maxime cum agatur de contractu coniugali, quem bonum sociale exigit non invalidari nisi in casu omnium extremo, seu, ut aiunt, ex errore substantiali circa substantiam. Id est non debet sufficere ad illum invalidandum error circa proprietates essentiales substantiae, si non versatur circa ipsam substantiam; quia is error aequiparandus est errori circa accidentalia, moraliter facientia rem esse aliam, quem tamen diximus in n. 298 non reddere irritum consensum, nisi accidens aut eius exclusio intenderetur principaliter; id autem non evenit. Quod si eveniret, id est, si accidens huiusmodi aut eius exclusio intenderetur principaliter (v. gr. si principaliter intenderetur dissolubilitas, nec aliter vellet quis contrahere nisi ad decennium), iam id fieret actu positivo voluntatis et ageretur de casu superius considerato, in quo vidimus consensum fore irritum.

2 Ideo valida sunt matrimonia iudaeorum putantium ea dissolvi per libellum repudii; schismaticorum putantium adulterium causam esse solutionis vinculi; haereticorum negantium rationem sacramenti.

3 V. gr. si, volente te ducere Rachel, ad contrahendum velata facie adducatur Lia.

principaliter intenditur, ut error circa illam qualitatem censeatur error circa ipsam personam [1]; praeterea, de iure ecclesiastico [2], invalidatur consensus personae liberae contrahentis cum serva, servitute proprie dicta [3], quam putat liberam. Cf. can. 1083.

Aliter ob errorem circa accidentalia non invalidatur consensus; v. gr. si quis contrahat cum muliere, quam erronee putat virginem, divitem, nobilem, morbo non infectam [4]. Si tamen huiusmodi qualitas expresse apponeretur ut condicio sine qua non, iudicandum esset sicut mox de condicionibus.

Si error versatur circa *nullitatem* contractus, immo etsi sciatur matrimonium contrahi nulliter [5], non necessario excluditur consensus (can. 1085); nam huiusmodi error vel scientia non semper est insociabilis cum seria voluntate contrahendi saltem quantum quis possit; si putat v. gr. posse forte contrahere iuxta ius naturale; aliter vero dicendum, si quis tam certum haberet se nihil efficere, ut impossibile esset ut quidquam vellet efficere [6]. Cf. dicta n. 785.

---

1 V. gr. si volenti contrahere cum marchionissa Burgensi, sibi personaliter ignota, adducatur ad contrahendum regni principissa; vel si, ad pacem cum certa familia ineundam, petiisset contrahere cum aliqua eiusdem filia, et procurator dolose praesentet contractum subsignandum cum muliere illi familiae extranea. Huiusmodi tamen errores substantiales non videntur posse accidere, quando mulier praesens, quae erronee putatur talem habere qualitatem, aliunde iam noscitur ex tractatione praevia, etsi cum illo errore producta; tunc enim ille vult contrahere cum hac muliere praesente, quam putat filiam illius familiae, quod plane diversum est a casu praedicto, in quo vult contrahere cum filia illius familiae, quam putat esse hanc praesentem; sic enim consensus fertur substantialiter in qualitatem et concomitatur error, quo qualitas intenta putatur inesse in hac persona; dum aliter consensus substantialiter fertur in hanc personam praesentem, concomitante errore, quo putatur habere illam qualitatem. Sed plura de hac materia, applicationis rarissimae et tractationis difficilis, apud supra citatos Sánchez, Gasparri aut Ball.-P.

2 Ideoque non invalidantur matrimonia inita inter infideles.

3 Servitus proprie dicta est condicio personae, quae, etsi aliis iuribus gaudeat omni homini naturaliter communibus, v. gr. nubendi, sic tamen hero suo pertinet in proprietatem, ut ab eo vendi etiam possit.

4 Quidquid enim sit de rescindibilitate aliorum contractuum ob errorem (n. 299), stabilitas familiarum et societatis omnino exigunt matrimonii contractum eius esse naturae, ut propter huiusmodi errores infirmari non possit, id est nec invalidus sit nec rescindibilis. Praeterea, quotiescumque validus est, necessario est irrescindibilis, quia natura sua est indissolubilis.

5 Si contrahens erronee existimet se detineri impedimento dirimente, vel si id vehementer suspicetur, immo, si id sciat.

6 Quaeri posset utrum consensus positus ab iis, qui civiliter contrahunt, sufficiens *ex se* censeri possit ad contrahendum valide. Quaestio utilis esse poterat praesertim in iure vetere, quod valida

e) **Consensus cum modo adiecto** de re matrimonii sub- **845**
stantiae repugnante, v. gr. libere vivendi in adulterio, vel procreandi solum duos liberos, vel eos necandi, vel onanistice semper coeundi, vel resiliendi post certum tempus, vel resiliendi si non servaretur fides, dupliciter intelligi potest:

1° Ita ut contrahentes velint quidem contrahere, sed simul gerant animum non servandi obligationes e contractu resultantes. Tunc agitur de modo adiecto, qui non impedivit intentionem absolutam sese ligandi vero matrimonio, ideoque contractus, utpote substantialter volitus, est omnino validus.

Generatim hoc modo iniri solent pacta circa obligationes quasdam non implendas[1], v. gr. vitandi prolem, provocandi abortum.

2° Ita ut contrahentes condicionem matrimonii substantiae repugnantem in pactum deducant tamquam condicionem « sine qua non » ad limitandum consensum; scilicet, si intendunt non aliter sese per contractum matrimonialem ligare quam sicut in pacto declarant; v. gr. si nolint acquirere ius nisi ad duas procreationes, vel nisi ad matrimonium dissolubile. Tunc limitatur consensus limitatione eum substantialiter laedente[2];

---

agnoscebat matrimonia clandestina, seu non inita in facie Ecclesiae, in locis et a personis, quae lege tridentina non tenerentur. Ast hodie, ob universalitatem legis obligantis ad formam canonicam, quaestio fere supervacanea est. Non tamen omnino, etenim locum habere posset v. gr. si videretur urgens sanare matrimonium in radice, posito illo tantum consensu. Igitur, si cuius interest hanc materiam acuratius tractare, adeat v. gr. causas de hac re in *A.A.S.* (1910) p. 917, (1912) p. 377 629.

[1] Pactum, si circa obligationes initum fuit, semper hoc sensu initum fuisse praesumendum erit, nisi aliud certo constet. Etenim, etsi contractus exsistere non possit, quin ex eo obligationes resultent, cum tamen bene exsistat, quamvis deinde haec non adimpleantur; earumdem adimpletio contractum non constituit et consequenter eius validitatem non afficit. Qui ergo statuit non adimplere contractum, non eo ipso contrahere recusat. Nequit igitur admitti hanc recusationem exstitisse, nisi aliunde desumatur probatio.

[2] Vel, ut alii dicunt, tunc circumstantia consensum substantialiter vitians intenditur per se seu primario; vel, ut alii volunt, duae intentiones tunc adsunt: una, contrahendi, alia, circumstantiae huius aequaliter « praevalens », quae mutuo sese elidunt et destruunt, quia nequeunt simul consistere. De intentionum praevalentia cf. Lugo, *De Sacram. in gen.* d. 8, sect. 8.

Pactum de educanda prole extra religionem catholicam, sive in haeresi sive in infidelitate, communiter non censetur matrimonii substantiae repugnans, nec proinde contractum invalidare. Profecto tamen pactum istiusmodi, cum sit de re turpi, obligationem ipsum adimplendi nequit parere.

Quaeritur etiam, an substantiae matrimonii repugnet pactum de servanda virginitate, seu condicio « dummodo non consummes ». — *Respondeo*: Imprimis valide contrahunt qui ligati contrahunt voto castitatis, vel cum mero animo non consum-

ex qua contractum invalidari iam paulo superius diximus[1]. Cf. can. 1086, § 2.

mandi, sicut etiam possunt coniuges contracto matrimonio votum emittere; votum istiusmodi difficultatem non facit, quandoquidem voventem erga solum Deum obligat, et proinde illius obligationem, quatenus e iure alterius partis oritur, non immutat, et proinde non potest (si iam emissum ante connubium) aliter servari, aut (si emittitur post connubium) aliter intendi, nisi quatenus ius nullius laedat. Alia proinde est quaestio, si inter ipsos nupturientes in ipso contractu matrimoniali apponatur praedicta condicio; utique non ad modum condicionis suspensivae (sic enim numquam posset contractus oriri), nec ad modum condicionis resolutivae (coniugium enim nequit in vita ambarum partium dissolvi), nec ad modum condicionis rei honestae de praesenti (sic enim validitas contractus decidenda esset tantum ex vero proposito non consummandi nunc exsistente vel non exsistente), sed ad modum pacti adiecti, quo altera pars vere velit se obligare ad non consummandum. In qua quaestione non videtur ambigendum quod contractus sit nullus. Etenim deducere in pactum non consummare, est non mere se obligare ad non consummandum — id enim fit per merum propositum aut per votum — sed ad id se obligare erga alterum, id est dare alteri ius ad exigendam adimpletionem obligationis; secus non esset pactio seu contractus, si ex eo non oriretur ius aliquod erga aliquam partem. Ergo qui vult contrahere matrimonium et simul pacisci de non consummando, vult, quatenus contrahit matrimonium, ut mutuo sibi tradant ius ad consummandum, et simul vult, quatenus paciscuntur, ut ipse alteri non tradat ius ad consummandum; quae quidem simul consistere non possunt matrimoniumque nullum reddunt, sicut superius diximus de limitatione consensui apposita, quantumvis circa rem in se honestissimam, sed substantiae matrimonii repugnantem. Sane non desunt auctores conspicui contrarium probabile habentes, distinctione introducta inter ius radicale et usum iuris. Verum haec distinctio locum quidem habere potest in contractibus, in quibus transferuntur iura in rebus vel ad res, seu quorum materia sunt r e s , in quibus proinde aliud est ius in re, aliud ius ad usum huius iuris, seu, quod idem est, ius ad usum rei, potestque unum esse sine altero, ut in locatore vel in locatario; non vero in contractu matrimoniali, qui consistit in traditione iuris ad a c t u s, seu ad u s u m coniugii, ubi proinde nullum sensum habere posset distinctio inter ius ad usum, et ius ad usum huius iuris. Ait Gasparri n. 1009 (etiam De Smet n. 156) semper distingui posse ius ab exercitio iuris, non advertens quod, quando in huiusmodi quaestionibus loquimur de exercitio, de usu, non significamus actualem exercitationem, actualem usum, sed ius ad exercitium; loquimur enim de celebratione contractuum; horum autem materia proxima sunt iura, non praecise actuale exercitium; nam, in contractibus transferuntur iura, non actus; agendo igitur de materia contractus matrimonialis, cum haec sit ius ad exercitium, nequit ipsa distingui in ius ad exercitium et ipsum exercitium; sic enim haec altera pars significaret merum exercitium actuale, non ullum ius ideoque iam non esset materia contractus.

1 Revera huiusmodi matrimonium, cum iure usus limitato, non exsistit, nec exsistit dissolubile postquam Christus Dominus illud pro universis populis ad primaevam suam institutionem revocavit; qui ergo nonnisi praedicto modo contrahere intendunt, nihil efficiunt.

Hoc modo intelliguntur pacisci, qui per pactum intendunt sibi « reservare » aliquod « ius » matrimonii substantiae contrarium, v. gr. contrahendi post certum tempus cum alia [1].

f) **Consensus sub condicione** « sine qua non », dupliciter **846** intelligi posset apponi.

Primo, si condicio intrinsecus afficit consensum, id est, si apponitur ad determinandam, dcelarandam, modificandam aut limitandam materiam consensus. Tunc agitur de pacto adiecto; de quo iam satis nuper diximus.

Secundo, si consensus stricte alligatur huic condicioni, id est, si contrahens faciat omnino exsistentiam consensus pendere ab exsistentia huius condicionis. Tunc consensus exsistit vel non exsistit, prouti condicio verificata sit vel secus, vel exsistere incipiet quando condicio verificabitur.

Utroque modo condicio dicitur « sine qua non », id est sine qua non ponitur consensus [2].

Secundo modo nunc intelligimus apponi condicionem, et in hoc sensu acceptam sic distinguimus (cf. can. 1092):

1° Si sit *de praeterito* vel *de praesenti*, matrimonium iam nunc valet vel non valet, prout id, quod condicio exigit, exsistat iam nunc vel non exsistat. V. gr.: « contraho tecum, si es virgo. »

2° Si sit *de futuro*, subdistinguendum:

a) Si de re l i c i t a, valorem matrimonii suspendit. V. gr.: « contraho tecum si sententia iudicis fuerit mihi favorabilis, vel si cras vixero. » Contractus valere incipiet, cum exstiterit res quae exigitur, nullo novo consensu posito; obli-

---

1 Ex hucusque dictis intelligitur cur Pius VI de matrimoniis haereticorum existimantium divortium in casu adulterii licere, dixerit (ap. Gén.-S. n. 459) quod, si condicio de hac re matrimonio apposita fuisset per pactum expressum, matrimonium habeatur ut nullum; si vero nulla huiusmodi condicio substantiae matrimonii repugnans apposita fuerit expresse, matrimonium censeatur valide contractum, etiamsi contrahentes generatim intenderint contrahere iuxta placita sectae aut legis concedentis dissolutionem vinculi coniugalis.

Revera, in foro externo aliter iudicari non potest, cum de intentione interne habita a contrahentibus difficillime quidquam certo sciri possit.

Quod si in foro interno res dubia maneat, saepe ad renovationem consensus recurri poterit.

2 Saepe tamen condiciones vel pacta non in hoc stricto sensu intenduntur, sed apponuntur tamquam m o d i a d i e c t i afficientes contractum, id est adduntur tamquam obligationes accessoriae, quibus, praesupposito quod contractus matrimonialis fiat in se perfectus, teneantur partes, quin tamen intendant contractus valorem ab his pendere.

gatio implicite contrahitur exspectandi, et interea usus coniugii utpote nondum exsistentis, est illicitus[1].

β) Si de re contra matrimonii substantiam, v. gr.: «contraho tecum, si prolem evites», non valet coniugium.

γ) Si de re eventura necessario, vel impossibili, vel turpi, sed non contra substantiam matrimonii, v. gr.: «contraho tecum, si cras orietur sol, vel si Petrum occideris», condicio in foro externo habetur[2] pro non adiecta, nisi aliud ex circumstantiis sufficienter appareat, et matrimonium censetur validum iam ex nunc. In conscientia vero valet condicio iuxta sensum revera intentum; potuit enim condicio de re necessaria vel turpi facere sensum suspensivum, vel condicio de impossibili apponi ad significandum consensum irrisorium.

Animadversio. Quoniam consensus condicionatus matrimonium pluribus gravibusque incommodis posset exponere, ideo parochi, si sciunt contrahentes velle apponere aliquam condicionem, id permittere non debent; consulant potius Ordinarium.

847 *g*) **Consensus ex vi vel metu**[3] elicitus, quandonam invalidetur, distincte refert can. 1087; nempe tunc invalidatur,

---

[1] Si consensus condicionatus legitime coram parocho et testibus emissus est, non requiritur ut deinde iterum in forma legitima ponatur, verificata condicione. Sed certe matrimonium tunc «contrahitur», cum verificatur condicio; tunc igitur debent contrahentes esse in gratia, quia tunc perficitur ab ipsis sacramentum.

Utrum valide ponatur consensus sub condicione «si Papa dispensaverit», ab iis qui impedimento dirimente detinentur, eodem modo disputatur sicut de contrahentibus sponsalia sub ea condicione (n. 768, 3°). Sed certe nunc, ex dispositione iuris ecclesiastici, non perficietur contractus, donec, sublato iam impedimento, ponatur novus consensus. Ita ex can. 1133, qui tamen non sic debet accipi, quasi omnem vim quidquam efficiendi adimeret a consensu emisso cum impedimento dirimente, quandoquidem non exigit renovationem consensus ab utraque parte, si una est impedimenti ignara, sed potius, ut ait De Smet n. 153, quia non vult dispensationem effectum sortiri, nisi ponatur novus consensus.

[2] Ex praesumptione iuris in favorem contractus matrimonialis, quae proinde ad omnes contractus in genere transferri non debet.

Putat De Smet n. 154 nota id enuntiari in can. 1092, 1° tamquam normam absolutam, ideoque iam induci in Codice praesumptione iuris et de iure, quae probationem non admittit in contrarium. Sed potius dicendum videtur cum Blat III, p. 630 enuntiari in Codice eamdem praesumptionem simplicem, quam statuerat Greg. IX, ideoque admitti probationem in contrarium. Revera, non apparet sufficiens ratio, ut censeatur immutatum hac in re ius vetus. Eadem verba canonis in sensu simplicis praesumptionis videntur quoque accepisse Verm.-Creus. n. 381; Gén.-S. n. 460; Noldin n. 634.

[3] Vis et metus in hac materia indistincte usurpari solent, quamquam proprie vis dicatur coactio physica, quae proinde con-

quando ponitur ex influxu metus *a*) gravis, *b*) ab extrinseco, *c*) inuste incussi, *d*) ad extorquendum consensum in matrimonium.

Num metus huiusmodi consensum matrimonialem nullum faciat ex iure solum ecclesiastico, an etiam ex ipsa natura rei, iamdiu sub controversia iacet[1]. Nostra hic refert tantum nonnulla super praedictis condicionibus declarare.

Metus debuit esse:

1° *Gravis*, vel absolute in se, vel relative ad hanc personam, attento eius sexu, aetate, indole etc. Cf. dicta n. 300, ubi etiam notavimus evadere posse gravem alicui, si is tamquam proprium apprehendat magnum malum impendens personae sibi arctissime devinctae. Potest quoque metus reverentialis, attentis minis aut instantissimis importunisque precibus, evadere gravis.

2° *Ab extrinseco*, scilicet per causam liberam; nullum enim dubium, quin valeat matrimonium ex metu morbi, vel egestatis.

3° *Iniuste incussus*, etsi non a comparte, sed a tertio. At si metus incutiatur iuste, seu ab habente ius, valet consensus; v. gr. si pater suae filiae stupratorem cogat eam ducere, ni velit ad poenam a iudice damnari; nisi tamen minitetur malum, ad quod inferendum ius non habet, v. gr. si minitetur mortem.

4° *Ad extorquendum consensum in matrimonium;* valide enim contrahit puella, quae nubere statuit ad vitandam indolem rixosam et intolerabilem domesticorum.

NB. — Matrimonia ex metu non infrequenter occurrunt atque implexas difficultates pariunt. Occurrente casu dubio, vel matrimonium, sublata metus causa, revalidetur, vel res ad Ordinarium deferatur[2].

---

sensum necessario facit nullum, metus vero coactio moralis, quae libertatem consensus tantum minuit.

[1] Controversia aliqualiter iam agitatur circa contractus quoslibet in genere, ut diximus in n. 300, sed multo magis in praesenti materia propter irrescindibilitatem contractus matrimonialis. Cf. S. Alph. n. 1054.

[2] Propter amentiam, errorem circa personam, vim, metum gravem, matrimonium esse nullum agnoscunt omnes Cod. Civ.: *arg.* a. 166, 7°, 173 (matrimonium tamen dicit « annullabile » a. 242, 2° et 3°); *br.* a. 183 218 (matrimonium tamen dicit « annullabile » a. 210 218); *chil.* « Ley de matrim. civ. » a. 4, 5° et a. 29 32 33, 1° et 2°; *col.* a. 140, 2°, 3° et 5°, a. 142 145; *gall.* a. 180 181; *hisp.* a. 83, 2°, a. 101; *lus.* a. 1071, ubi sese refert ad statuta generalia circa contractus; *mex.* « Ley de rel. fam. » a. 17, III VII VIII et a. 107 116; *ur.* a. 93, 2°, ubi eadem sub terminis valde generalibus significat, tacite se referens ad requisita generalia pro valido consensu ad quoslibet contractus, et a. 175. Non omnes tamen cum iure cano-

Art. 2. Forma celebrationis matrimonii.

848 Forma validae ac licitae celebrationis matrimonii praescribitur in can. 1094 seqq. novi iuris, cuius observantia obligatoria evasit inde a die Pentecostes (19 maii) anni 1918. Hanc nunc exponendam suscipimus eo fere ordine, quo in Codice describitur[1].

---

nico cohaerent in omnibus; aliqui enim metum reverentialem ut causam nullitatis non admittunt, aliqui nullitatem ob errorem magis extendunt, et communius matrimonium habent pro convalidato, si detecto errore aut sublato metu vita maritalis per certum tempus protrahitur. Quoad condiciones adiectas, alii, ut *arg.* a. 201, expresse reiiciunt consensum condicione affectum, alii ita consensum a iudice requirendum esse describunt, ut tacite videantur etiam non admittere nisi consensum absolute emissum.

[1] En textum canonum praedictorum:

« Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus, secundum tamen regulas expressas in canonibus qui sequuntur, et salvis exceptionibus de quibus in can. 1098 1099 » (can. 1094).

« § 1. Parochus et loci Ordinarius valide matrimonio assistunt: — 1° A die tantummodo adeptae canonicae possessionis beneficii ad normam can. 334, § 3, 1444, § 1, vel initi offici, nisi per sententiam fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati; — 2° Intra fines dumtaxat sui territorii; in quo matrimoniis nedum suorum subditorum, sed etiam non subditorum valide assistunt; — 3° Dummodo neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum. — § 2. Parochus et loci Ordinarius qui matrimonio possunt valide assistere, possunt quoque alii sacerdoti licentiam dare ut intra fines sui territorii matrimonio valide assistat » (can. 1095).

« § 1. Licentia assistendi matrimonio concessa ad normam can. 1095, § 2, dari expresse debet sacerdoti determinato ad matrimonium determinatum, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt; secus irrita est. — § 2. Parochus vel loci Ordinarius licentiam ne concedat, nisi expletis omnibus quae ius constituit pro libertate status comprobanda » (can. 1096).

« § 1. Parochus autem vel loci Ordinarius matrimonio licite assistunt: — 1° Constito sibi legitime de libero statu contrahentium ad normam iuris; — 2° Constito insuper de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii; — 3° Habita, si condiciones deficiant de quibus n. 2, licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius contrahentis, nisi vel de vagis actu itinerantibus res sit, qui nullibi commorationis sedem habent, vel gravis necessitas intercedat quae a licentia petenda excuset. — § 2. In quolibet casu pro regula habeatur ut matrimonium coram sponsae parocho celebretur, nisi iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda. — § 3. Parochus qui sine licentia iure requisita matrimonio assistit, emolu-

a) **Ut celebretur valide** matrimonium, contrahi debet: 1. *Coram aliquo parocho vel loci Ordinario* * (sive proprio sive

menta stolae non facit sua, eaque proprio contrahentium parocho remittat » (can. 1097).

« Si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos delegatus qui matrimonio assistant ad normam canonum 1095 1096: — 1° In mortis periculo validum et licitum est matrimonium contractum coram solis testibus; et etiam extra mortis periculum, dummodo prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam; — 2° In utroque casu, si praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus » (can. 1098).

« § 1. Ad statutam superius formam servandam tenentur: — 1° Omnes in catholica Ecclesia baptizati et ad eam ex haeresi aut schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint, quoties inter se matrimonium ineunt; — 2° Iidem, de quibus supra, si cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis etiam post obtentam dispensationem ab impedimento mixtae religionis vel disparitatis cultus matrimonium contrahant; — 3° Orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis. — § 2. Firmo autem praescripto § 1, n. 1, acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahant, nullibi tenentur ad catholicam matrimonii formam servandam; item ab acatholicis nati, etsi in Ecclesia catholica baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contraxerint » (can. 1099).

« Extra casum necessitatis, in matrimonii celebratione serventur ritus in libris ritualibus ab Ecclesia probatis praescripti aut laudabilibus consuetudinibus recepti » (can. 1100).

« § 1. Parochus curet ut sponsi benedictionem sollemnem accipiant, quae dari eis potest etiam postquam diu vixerint in matrimonio, sed solum in Missa, servata speciali rubrica et excepto tempore feriato. — § 2. Sollemnem benedictionem ille tantum sacerdos per se ipse vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere » (can. 1101).

« § 1. In matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam interrogationes de consensu fieri debent secundum praescriptum can. 1095, § 1, n. 3. — § 2. Sed omnes sacri ritus prohibentur; quod si ex hac prohibitione graviora mala praevideantur, Ordinarius potest aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere » (can. 1102).

« § 1. Celebrato matrimonio, parochus vel qui eius vices gerit, quamprimum describat in libro matrimoniorum nomina coniugum

* Nomine *Ordinarii loci* veniunt, « praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus nullius, eorumque Vicarius Generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii, qui praedictis deficientibus interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine » (can. 198).

Nuntii Apostolici nulla facultate donantur in Codice ad assistendum matrimoniis (cf. quoque can. 267), nec huiusmodi facultas reperitur inter eas, quae solent ipsis dari (vide pagellam facultatum in fine huius operis). Cf. Ferreres in ephem. *Razón y Fe* LXIX, p. 231.

non proprio) *intra fines sui territorii. 2. Vel coram sacerdote ab alterutro eorum delegato, intra fines delegantis.* 3. *Prae-*

---

ac testium, locum et diem celebrati matrimonii atque alia secundum modum in libris ritualibus et a proprio Ordinario praescriptum; idque licet alius sacerdos vel a se vel ab Ordinario delegatus matrimonio adstiterit. — § 2. Praeterea, ad normam can 470, § 2, parochus in libro quoque baptizatorum adnotet coniugem tali die in sua paroecia matrimonium contraxisse. Quod si coniux alibi baptizatus fuerit, matrimonii parochus notitiam initi contractus ad parochum baptismi sive per se sive per Curiam episcopalem transmittat, ut matrimonium in baptizatorum librum referatur. — § 3. Quoties matrimonium ad normam can. 1098 contrahitur, sacerdos, si eidem adstiterit, secus testes tenentur in solidum cum contrahentibus curare ut initum coniugium in praescriptis libris quamprimum adnotetur » (can. 1103).

Ante novum Codicem, seu ante diem 19 maii anni 1918, diversa erat forma contrahendi matrimonium, praesertim usque ad diem Paschae (19 apr.) anni 1908, in quo vigere desiit forma tridentina. Olim, videlicet usque ad diem Paschae 1908, forma contrahendi regebatur capite « Tametsi » *Concil. Trid.* sess. 24 de ref. c. 1; exinde autem a Paschate anni 1908 obligare coepit nova forma per PIUM X decreto « Ne temere » inducta, quae decem circiter annos viguit. Aliqua notitia veteris utriusque disciplinae adhuc necessaria est, quoniam difficultates adhuc exoriri possunt circa validitatem matrimoniorum, quae iuxta alterutram fuere inita. Ad hunc finem sequentia dixisse sufficiet:

Forma tridentina usque ad diem 19 apr. 1908. Matrimonium, ut validum evaderet, celebrari debebat coram parocho (vel sacerdote ab eo delegato), in cuius paroecia unus saltem contrahentium haberet domicilium vel quasi-domicilium, etsi solum legale; quia igitur utraque pars plura poterat domicilia aut quasi-domicilia habere, plures parochi a contrahentibus eligi poterant; si contrahentium alteruter vagus esset, probabiliter coram quolibet parocho valide contrahebat. Ad validitatem sufficiebat, ut quovis in loco, etsi extra paroeciae territorium, contrahentes consensum sibi mutuo significarent coram parocho et duobus testibus, etsi parochus ex inopinato deprehenderetur, immo etsi metu adesse cogeretur vel contradiceret. — Adverte notionem domicilii et quasi-domicilii in iure vetere esse diversam ac in novo; eam habes in n. 38 nota.

Attamen haec lex tridentina non ubique vigebat, sed iis tantum in locis, in quibus, ut in Hispania (excepto Gibraltar quoad matrimonia haereticorum et mixta), in Gallia, in universa Amer. Lat. etc. caput « Tametsi » legitime promulgatum fuerat; ubi vero promulgatio facta non erat, ut in Anglia, Dania etc., matrimonia clandestina, id est sine assistentia parochi et testium inita, erant valida.

Advertendum est legem tridentinam induisse characterem tum localem tum personalem. Localem quidem, quia in locis, ubi vigebat, nemo (etsi vagus esset vel alibi, ubi lex non vigeret, domicilium haberet) valide contrahere poterat clandestine. Personalem autem, quia qui domicilium aut quasi-domicilium retineret in aliqua regione, ubi lex vigeret, non poterat valide contrahere clandestine in alia regione a lege exempta. Nihilominus, ut contrahentes possent valide contrahere clandestine, non requirebatur ut utrique a

terea, coram duobus saltem testibus. 4. Consensu sine coactione requisito et excepto.

---

lege essent exempti; ideoque, si alteruter nullum domicilium aut quasi-domicilium haberet in loco legi ubiecto, valide inibatur matrimonium clandestinum in loco a lege exempto.

Denique, si in aliqua regione status communis rerum is esset, ut prudenter censeretur parochus aut delegatus non posse intra mensem adiri aut obtineri, sufficiebat contrahere coram duobus testibus.

Forma piana a die 19 apr. 1908 ad diem 19 maii 1918. Forma a Pio X introducta per decretum « Ne temere », latum 2 aug. 1907, vix ab ea, quae per ius novum viget, differebat. Nam requisita validae celebrationis matrimonii erant haec: ut fieret coram duobus testibus et *a*) coram quolibet parocho vel Ordinario, intra fines sui territorii; *b*) vel coram sacerdote delegato intra fines territorii delegantis. Delegatio dari non poterat nisi sacerdoti determinato ac certo, dari tamen poterat delegatio generalis.

Matrimonia ex iopinato non contrahebantur valide.

Pro casu imminentis mortis periculi providebatur sicut nunc; praesentia tamen sacerdotis cuiuspiam, in defectu iure pollentis, requirebatur ad validitatem. Extra mortis periculum non requirebatur, ut impossibilitas praevideretur d u r a t u r a, sed ut d u r a s s e t per mensem.

Lex quidem vigebat ubique. Una tamen admittebatur exceptio: matrimonia mixta clandestina iuxta const. « Provida », valide iniebantur in Germania, si uterque contrahens ibi fuerat natus, pariterque in Hungaria a duobus ibidem natis.

Praeterea a lege non excipiebantur, ut nunc, baptizati in Ecclesia catholica, qui ab acatholicis nati, extra religionem catholicam ab infantili aetate adoleverunt.

De forma tridentina fusius et praeclare egerunt: Sánchez l. 3, per totum; S. Alph. l. 6, n. 1078-1094; Gasparri n. 1027-1217; Wernz n. 151-188; Lehmk. n. 896-908; Ferreres, *El impedimento de clandestinidad in ephem. Razón y Fe* V, p. 505 seqq., VI, p. 107 seqq., 235 seqq., 373 seqq., 503 seqq., VII, p. 108 seqq., 243 seqq., 375 seqq.

De forma a Pio X inducta per decr. « Ne temere », egerunt: Ferreres, *Los esponsales y el matrimonio* (ed. 5ª anni 1911); Lehmk. n. 886-895; Vermeersch, *Periodica* IV, p. 75-124 171-176 269-273, V, p. 36-37 115-121 156-157.

Causas matrimoniales ob clandestinitatem agitatas a *S.C. Conc.* vel apud *S. Rom. Rotam* invenies passim in voluminibus ephemeridum *Acta Sanctae Sedis* et *Acta Apostolicae Sedis;* eae tamen, quo pauciora subsistunt matrimonia tempore vigentis formae tridentinae inita, rariores fiunt. Ut causas tantum referamus ab anno 1910 editas, eae quae ex defectu formae tridentinae propositae et resolutae sunt, prostant in *A.A.S.* (1910) p. 169 524 584 691 874 917, (1911) p. 324 483, (1912) p. 227 277 675, (1913) p. 340 439, (1914) p. 387 408, (1915) p. 375, (1916) p. 367 415, (1919) p. 358 422, (1923) p. 562; ex defectu delegationis: *A.A.S.* (1910) p. 206 776, (1911) p. 284, (1914) p. 516, (1919) p. 154.

Circa formam novo iuris Codice inductam cf. Blat, *Comment. text. etc.* III, p. 641 seqq.; De Smet n. 107-143; Verm.-Creus. n. 391-407; Ferr. n. 1071-1095; Gén.-S. n. 468-475; Noldin n. 642-652.

De observando ritu liturgico, tempore et loco celebrationis, matrimonii inscriptione, praeter immutationes a novi *Missalis*

Nonnullae declarationes:

849 1. *De parocho* (can. 1094 1095). Parochus [1], sive amovibilis sit sive inamovibilis, valide assistit matrimoniis, etiam non subditorum, intra paroeciae suae fines * a die quo beneficii

---

rubricis inductas, cf. GASPARRI n. 1218-1286; WERNZ n. 189-199; LEHMK. n. 909-915; DE SMET n. 197-200; VERM.-CREUS. n. 408-413; FERR. n. 1096-1102; GÉN.-S. n. 466-467; NOLDIN n. 653-660.

[1] Nomine parochi non veniunt *capellani* seminarii, carceris, hospitalis, collegii, conservatorii, monasterii etc.; excipe pro personis sibi creditis, in loco tamen ubi iurisdictionem exercent, dummodo constet ipsis commissam fuisse plenam potestatem parochialem. *S.C.C.* 1 febr. 1908 (*A.S.S.* XLI, p. 80-111, in p. 111 ad X); FERRERES, *Los espons. y el matrim.* (ed. 5ª) n. 544 738 739; NOLDIN n. 644.

Nec parochi nomine veniunt *capellani militum*, nisi hi specialibus S. Sedis praescriptis regantur; tunc enim his standum erit (can. 451, § 3). Huiusmodi capellani in *Gallia* a singulis Ordinariis pendent (VERM.-CREUS. I, n. 398), sed in *Hispania* et in *Rep. Chilensi* subiiciuntur Vicario Castrensi. De his atque de *paroeciis personalibus* cf. FERR. n. 1091-1095 1420.

Coram *parocho putativo*, seu qui ex *errore communi* putatur verus parochus, matrimonium valet. DE SMET n. 110; VERM.-CREUS n. 392; FERR. n. 1075; NOLDIN n. 644. Quod ultro admittimus; sed lubet paulum perpendere duplex genus probationis, quo citati auctores utuntur.

Nam alii (VERM.-CREUS., FERR.) hac sola ratione nituntur, quod possit adhuc retineri sententia circa id in vetere iure satis recepta. — Profecto, fatemur canonem 6 permittere, ut in can. 1094 nomen « parochi » etiam secundum veterem illam opinionem sumatur, cum id Codicis contextus non excludat; sed, si res non magis explicetur et sola vetus illa opinio invocetur, videbitur haec doctrina, adhuc post novum Codicem, limites probabilitatis non excedere, sicut ante Codicem, saltem ubi non concurrat titulus coloratus. Nam vetus illa opinio, quae tenebat iurisdictionem suppleri in simplici errore communi, theoretice erat tantum probabilis. Nec poterat evadere practice certa propter aliam doctrinam moraliter certam (hodie omnino certam, utpote expressam in can. 209), quae tenebat Ecclesiam supplere iurisdictionem ubicumque occurreret dubium iuris publice probabile. Etenim haec alia doctrina (idem dic de can. 209, quatenus eam refert) non poterat applicari ad opinionem in casu simplicis erroris communis, quia supponebat opiniones doctorum versari circa interpretationem legum conferentium iurisdictionem antecedenter ad positionem actus (cf. LEHMK. n. 504), proindeque circa largitionem iurisdictionis « antecedenter » v. gr. ad confessionem excipiendam vel ad matrimonii assistentiam, non vero circa suppletionem « consequenter » ad positionem actus, bona vel mala fide attentati, ut accidit in casu simplicis erroris communis. Igitur in hoc casu, nisi res magis explicetur, affirmatio auctorum mere sententiam veterem citantium, maneret adhuc post Codicem, saltem deficiente titulo colorato, tantum probabilis. Praeterea solvenda

---

* Ecclesiae regularium exemptae censentur, in ordine ad matrimonium, territorium parochi, in cuius districtu sunt sitae. *S.C. de Sacram.* 13 mart. 1910 ad VIII (*A.A.S.* [1910] p. 193).

possessionem, iuxta legitimas dioeceseos consuetudines, ceperit, vel quo officium iniit. Similiter dicendum, iuxta can. 451, § 2, de quasi-parochis (n. 38 nota), et de vicariis paroecialibus,

---

erit difficultas quoad delegatum errore communi existimatum, de quo mox.

Alii (De Smet, Noldin), nulla veteris doctrinae mentione facta, citant nude can. 209 atque ideo intendunt in eo niti directe. Verum, si id non magis explicetur, gravis exsurgit difficultas, scilicet cur, si admittatur can. 209 actus validitatem supplere, ubi assistat is, qui errore communi censeatur parochus, non admittatur etiam supplere, ubi assistat quivis, qui, adstante magno concursu, ideoque ex errore communi, censeatur delegatus; eo vel magis, quod videatur (Ferreres, *Los espons. y el matrim.* [edit. 5ª] n. 231 bis N. 8) valere paritas cum confessario, qui errore communi creditur habere facultates delegatas.

Haec ut solvantur, advertamus: 1° Assistere matrimonio est, ut egregie probat Sánchez l. 3, d. 21, actus, qui ad validitatem supponit quidem iurisdictionem in assistente vel assistentis delegante (idque tum in iure vetere, in quo assistens debebat esse Ordinarius vel parochus proprius contrahentium, habens proinde iurisdictionem personalem, tum in novo, in quo exigitur in eo iurisdictio saltem territorialis), sed ipsa assistentia non est actus iurisdictionis. Cf. etiam S. Alph. n. 1084; Wernz n. 108; Ferreres, *Los espons. y el matrm.* loc. cit.; Blat III, p. 641, lin. 4. (Similiter ministratio sacramentorum per se competit pastoribus, seu habentibus iurisdictionem — cf. Lugo, *De Euchar.* d. 18, n. 36 — ceteri indigent eorum licentia, saltem praesumpta, quin tamen administratio ipsa sacramenti sit exercitium iurisdictionis, praeterquam in absolutione). — 2° Munus assistendi matrimonio est quidem iurisdictioni valde similis (Wernz, loc. cit.; Verm.-Creus. n. 391) et propterea videtur saepe ei aequiparari. Attamen, ubi videatur ei aequiparari (v. gr. Sánchez l. 3, d. 19, n. 7 8 9 11 14), id fieri intelligendum est propter iurisdictionem praesuppositam ad assistendum vel delegandum, non quia exerceatur ulla iurisdictio in ipso actu; huiusmodi aequiparationem deprehendimus adhuc in novo Codice, ubi licentia, de qua can. 1096 1097, appellatur delegatio in can. 1094 1096 1098 1103, § 1, ratione videlicet iurisdictionis in delegante praesuppositae; non quia is iurisdictionem suam deleget, sed quia eam licentiam dando, hanc potestatem suam, quae iurisdictionem connotat, exercet. Quod si aliquando ipsa assistentia vocetur actus iurisdictionis voluntariae, id accipiendum est in sensu improprio, tantummodo ad significandum esse actum alicuius potestatis, quae non sit iurisdictionis contentiosae (Sánchez, ibid. n. 5). — 3° Can. 209 non intendit supplere « licentiam » quamlibet ad actus validitatem necessariam, sed tantum « iurisdictionem ». Quod si quis velit canonem extendere ad « licentiam », supponere debet errorem communem versari circa « officium » personae, non circa exsistentiam licentiae (ut statim dicemus); id enim supponebat opinio vetus, quam sancire intendit can. 209; praeterea, si aliter canon intelligeretur, esset contra bonum commune (ut dicemus).

Ex his patet solutio. Scilicet, stante errore communi, in parocho suppletur, ex can. 209, « iurisdictio » *praesupposita*, quae in eo est necessaria ad actus validitatem, et proinde, post novum

dummodo plena potestate paroeciali sint praediti; hi omnes valide quibuslibet matrimoniis assistunt intra paroeciae vel quasi-paoreciae fines et delegare possunt[1].

Codicem, non tantum probabiliter, sed certo est valida eius assistentia vel delegatio; at vero, alii cuipiam, bona vel mala fide, assistenti, cum ei non « iurisdictio », sed « licentia » opus esset, haec non suppletur.

Inde etiam patet: — 1° Inutiliter recursum fieri ad opinionem veterum, de qua supra. — 2° Disparitas cum confessario facultatibus destituto, siquidem sacramentalis absolutio est « iurisdictionis » exercitium, quam in casu supplet can. 209, assistentia vero matrimonii non est exercitium iurisdictionis; si igitur indebite ponitur, nihil suppletur quando error non cadit in « officium » assistentis. — 3° Cur ex defectu delegationis semper in iudiciis pro certa habita fuerit matrimonii invaliditas.

Dices forte, an prodesse non possit illi falso delegato, sicut sacerdoti non approbato, praedicta opinio veterum, quoniam nitebatur in exigentia boni communis (cf. S. Alph. n. 572). Ad responsionem distinguendum est, utrum debeat prodesse illius opinionis auctoritas, an illius ratio. Respondendum tamen quod nihil prodest. Non doctorum auctoritas, quoniam hi semper locuti sunt de supplenda « iurisdictione » (cf. S.Alph. loc. cit.); quod si idem profitebantur de supplenda « licentia » assistendi matrimonio, tunc supponebant errorem communem versari non circa exsistentiam « licentiae », sed circa adnexum « officium » (stricte dictum, de quo can. 145), v. gr. quod haec persona sit parochus (cf. Sánchez l. 3, d. 22, n. 48), proinde, quod idem est (can. 145, § 1; Blat II, p. 164), circa exsistentiam « iurisdictionis » supplendae, ex qua sequeretur « licentia » officio adnexa. Numquam ergo opinionem suam docuerunt de errore communi non versante circa « officium » personae, prout accideret in quolibet, qui se ingereret ad assistendum nuptiis. Nec prodest ratio illius opinionis, seu ratio boni communis; praecise enim censuerunt illi opinionem suam restringendam ad casus exercitii iurisdictionis vel officii alicuius publici, quia extra hos potius putarunt bono communi eamdem doctrinam fore adversam, ut est manifestum (cf. S. Alph. eod. loc.).

[1] Plena potestate paroeciali fruuntur: *vicarius curatus*, seu vicarius personae moralis, si constituitur ad normam can. 471; *oeconomus* vacantis paroeciae, si constitutus ab Ordinario loci; *substitutus* parochi absentis, si ab Ordinario loci (et a Superiore, si est religiosus) est approbatus, vel si, gravi causa parochum subito abire cogente, designatus est a parocho cum onere quamprimum Ordinarium commonefaciendi, et dummodo Ordinarius vel parochus aliqua non exceperint; *adiutor* parochi suo muneri imparis, dummodo ab Ordinario constituatur ad eum adiuvandum in omnibus et non ex parte tantum.

Hos omnes, relatis cum condicionibus, plena potestate paroeciali frui et consequenter matrimoniis posse intra territorii fines assistere et sacerdotem determinatum ad matrimonium determinatum intra eosdem fines delegare prorsus liquet ex can. 471-475 collatis cum can. 451 1094; idque confirmavit resp. *Comm. I.C.* 14 iul. 1922 ad V et 20 maii 1923 ad V (*A.A.S.* [1922] p. 526, [1924] p. 114) explicite declarans id intelligendum esse, quoad substitutum ad normam can. 465, § 4, post (non ante) approbationem

2. *De delegatione* (can. 1095, § 2, 1096). Delegatio *, ut **850** valida sit, praeterquam quod circumscribi debet intra fines

---

Ordinarii, non tamen requiri approbationem Superioris iam esse datam; quoad substitutum ad normam can. 465, § 5, etiam ante Ordinarii approbationem, sed quoadusque Ordinarius, cui significata fuit designatio, aliter non statuerit.

Vicarii cooperatores, quoniam parocho dantur, ut eum adiuvent in universo ministerio, possunt commissionem accipere assistendi quibusvis matrimoniis intra fines paroeciae (can. 476, § 6, 1096, § 1), sed de facto eas attributiones tantum habent, quae ex statutis dioecesanis vel ex litteris Ordinarii vel ex parochi commissione desumuntur (can. 476, § 6). In *Am. Lat.* « scient coadiutores (parochorum) ipsis non licere matrimoniis assistere absque legitima delegatione » (*Conc. Plen. Am. Lat.* n. 275); idem dic generaliter de coadiutoribus parochorum in *Hispania*. De vicariis cooperatoribus cf. WERNZ-VIDAL II, (1923) p. 798-800; BLAT II, p. 515-519; FERR. n. 1072, V, 1073, 3°, 1075 quaer. 2; FERRERES in ephem. *Razón y Fe* LXIX, p. 231-233 et *Los espons. y el matrim.* (edit. 5ª) n. 661 seqq.; DE SMET n. 107 nota.

Vicarii cooperatores, quamvis donarentur facultate ad omnia parochialia munera, atque ideo ad assistendum quibusvis matrimoniis, tamen plena potestate paroeciali praediti non essent nec nomine parochorum venire possent; nam cum facultates acceptas haberent ab Ordinario vel a parocho, non a iure, eas mere delegatas habere censendi essent et proinde alium, etsi ad matrimonium determinatum, delegare non possent.

Nec dicas quod, si delegarentur generaliter ad quaevis matrimonia, delegati essent ad unversitatem causarum, et iam subdelegare possent vi can. 109. Nam ordinarie is, cui datur licentia generalis assistendi matrimoniis, nequit dici deputatus ad universitatem causarum, quia ordinarie committtur ei nudum ministerium assistendi; ei autem, cui nudum assistendi ministerium committitur sine cognitione causae, immo quasi precario, nequit dici plena potestas tradita in genere negotiorum commisso, ipseque nequit dici in his negotiis agere potestate quasi ordinaria, quia non censetur iure proprio agere, sed ex commissione accepta; non est ergo potestatem ordinariam habenti aequiparabilis, ideoque non potest in iure vocari delegatus ad universitatem causarum (cf. SUÁREZ l. 3, c. 4, n. 10 sub finem; LUGO, *De Poen.* d. 19, n. 15; SÁNCHEZ l. 3, d. 31, n. 4 19 21; PIRHING l. 1, tit. 23, sect. 1, § 4, n. 25; FERRARIS, *Prompta bibl.* v. Delegatus n. 24; GASPARRI n. 1132; LEHMK. I, n. 266; DE SMET n. 119 nota; VERM.-CREUS. I, n. 228; MAROTO, *Instit. de Der. can.* II, n. 706 nota, 704). Atque haec magis adhuc patent quoad vicarios cooperatores, quibus, ut bene ait SÁNCHEZ l. 3, d. 31, n. 19, parochus, dum praesens est, non censetur tribuere plenam potestatem, sed tantum requirere ab iis iuvamen, ad quod praestandum dati sibi fuerunt; unde patet vicarium cooperatorem non agere quasi ordinarium, sed ut delegatum. Contrarium videtur opinari FERRERES in ephem. *Razón y Fe* LXIX, p. 233, sed non assentimur. Profecto, etiam SÁNCHEZ loc. cit. n. 21, videtur contrarium affirmare de sacerdote generaliter ad assistendum matri-

---

* Hanc vocat Codex « delegationem » in can. 1096, sed in eodem can. 1096 et can. 1095 1097 « licentiam », quae vox magis est propria, quoniam non confertur proprie iurisdictio ut notavimus.

territorii delegantis, debet dari: *a*) expresse; *b*) particularis, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia, cui adscripti sunt; *c*) sacerdoti determinato; *d*) ad matrimonium determinatum. — Ad liceitatem opus est, ut detur expletis iam omnibus pro comprobatione status liberi.

Expresse, id est, verbo, scripto vel nutibus. Licentia tacita est irrita.

Particularis, exclusis delegationibus generalibus; hae enim dari tantum possunt vicariis cooperatoribus exercendae intra fines parociae[1].

---

moniis delegato; sed, ne sibi contradicat post ea quae paulo antea sub n. 19 et alibi docuerat, intelligi debet de sacerdote qui, iuxta permissa in iure vetere (non in novo) constitueretur ad id quasi stabiliter et ex officio cum plena potestate. Propterea non reluctaremus, si quis vellet delegatum vocare ad universitatem causarum eum vicarium cooperatorem, cui parochus non assistentiam solum, sed omnia pertinentia ad matrimonialia negotia ita tradidisset, ut ille quasi proprio iure ageret et fere independenter a parocho, qui ab his cognoscendis abstinere statuerit; si tamen parochus, dum praesens est, potestatem suam, etiam in uno ordine negotiorum, tam plene delegare potest.

Denique, si vicarius cooperator ab Ordinario approbatur semel pro semper tamquam parochi substitutus in huius absentiis, tunc quoties parochus « ultra hebdomadam » est abfuturus (non ergo si tantum abit ad diem), plena potestate parochiali potitur et delegare potest ad matrimonia (can. 474 465, §§ 4 et 5); si plures vicarii cooperatores sunt, aliquis eorum approbetur ab Ordinario ut substitutus (cf. Blat II, p. 517, lin. 10; Ferreres in ephem. *Razón y Fe* loc. cit.).

Vicarii cum territorio assignato, seu ii, quos Ordinarius praefecit alicui parti territorii paroecialis a paroecia non dismembrato, ut ibi omnia parochialia munera exerceant, cum dependentia tamen ab auctoritate parochi et sub eius vigilantia, sunt veri vicarii cooperatores parochi ad normam can. 476; quare, etsi matrimoniis assistere possunt intra fines sibi assignatos, non possunt tamen ad id delegare, ut nuper diximus, quia facultatem ipsi habent delegatam.

Si Ordinarius eorum territorium a paroecia dismembravit ad normam can. 1427 1428, ut ibi parochialia munia obeant omnino independenter a parocho, sunt quidem vicarii cooperatores (cf. can. 1427, § 2 cum can. 476, § 1), sed cum plena potestate, ideoque « vicarii paroeciales plena potestate paroeciali praediti » can. 451, § 2, 2°), qui proinde veniunt nomine parochi (can. 451, § 2) possuntque matrimoniis assistere et delegare (can. 1094).

Si, denique, Ordinarius eorum territorium a paroecia non dismembrat, ipsis tamen facultates tribuit, quas ibi exerceant independenter a parocho, tunc ne cooperatores quidem parochi sunt in sensu can. 476, cum auctoritati parochi non subsint, et censeri debebunt mere delegati ab Ordinario, qui, iuxta can. 1096, generalem delegationem ad matrimonia accipere non poterunt, sed tantum ad singula et determinata.

[1] In regionibus, ubi quasi-paroeciae nondum constitutae sunt, omnes missionarii censendi sunt cooperatores Vicarii vel

Sacerdoti determinato. Sacerdoti, non diacono aut inferiori clerico. Determinato per nomen et cognomen, vel per qualitatem (v. gr. parocho talis ecclesiae), vel per circumstantias (v. gr. sacerdoti, quem sponsi ducunt in itinere), dummodo ex iis persona bene determinetur[1].

De subdelegatione[2]. Ordinarius vel parochus sacer- **851**
doti, quem ad matrimonium determinatum delegant, conferre

Praefecti Apostolici, et proinde, si licentia generali ab eo donantur, valide et licite assistunt matrimoniis. *S.C. de Prop. Fide* 25 iul. 1920 (*A.A.S.* [1920] n. 331).

Ex laeva interpretatione huius declarationis et inexacto conceptu de cooperatoribus factum est, ut proponeretur alicubi sequens dubium: missionarius religiosus residens in dioecesi *A*, animarum zelo adactus, singulis mensibus accedere solet ad regionem dioeceseos *B*, pertinentem ad paroeciam peramplam, cuius parochus, populoso in oppido distentus, vix unquam eo potest accedere. Cum autem ille non possit nupturientes, qui ex inopinato sese offerunt, coniungere, quaeritur, num Ordinarius, ut valeat delegationem generalem tribuere, possit eidem conferre titulum cooperatoris parochi. — Sed imprimis nulla paritas cum missionariis, de quibus declaratio; agebatur enim ibi de missionariis modo stabili laborantibus sub auctoritate pastoris animarum loci suae residentiae, quibus proinde nihil deerat nisi collatio tituli ab Ordinario, ut essent eius cooperatores; sed nec titulus requirebatur, quoniam, nondum facta distributione quasi-paroeciarum, unus erat quasi-parochus, videlicet ipse Ordinarius seu Praefectus Apostolicus, sub cuius immediata auctoritate operabantur. Ast, in casu proposito, religiosus residebit extra fines paroeciae, nec subdetur parocho, nec is poterit ei quidquam sua auctoritate committere, nec ille ullas obligationes habebit respectu parochi, nisi eum commonefacere de matrimoniis contractis eidemque remittere iura stolae. Non ergo erit cooperator, de quo can. 476, sed quilibet sacerdos cooperatoris titulo palliatus, cui nec titulus iste coloratus nec can. 209 proderit, quoniam non agitur in casu de supplenda « iurisdictione », ut diximus. Nec vocari posset cooperator Ordinarii dioecesani ad similitudinem missionariorum praedictorum, siquidem, facta paroeciarum distributione, vicarius cooperator, de quo can. 476, non debet addici Ordinario, sed parocho. Non ergo poterit generaliter ad matrimonia delegari; quod si fieret, nihil prodesset, eaque tantum matrimonia valida essent, quae contraherentur sub adiunctis, de quibus can. 1098, 2°.

1 Hinc non sufficeret licentiam dare « sacerdoti, quem Ordinarius mittet in substitutionem parochi absentis », si nondum designatus est; sic enim datur licentia sacerdoti adhuc indeterminato; nec sufficiet dare « cuilibet parocho huius urbis »; adhuc enim non determinatur. Possunt tamen determinari plures sacerdotes simul, v. gr.: « Licentiam tribuo, ut contrahere possint coram sacerdote *A* vel *B* vel *C.* » *Comm. I.C.* (*A.A.S.* [1924] p. 115) respondit sacerdotem non esse satis determinatum, « si parochus Superiori monasterii in casu particulari declaret, se ad matrimonium proxima dominica in ecclesia filiali celebrandum delegare aliquem sacerdotem religiosum, qui a Superiore sequentibus diebus ad Missam die dominica ibi celebrandam deputabitur ».

2 Determinare quibus sub limitibus locum habere possit in hac materia *subdelegatio* stricte accepta, id est conciliare can.

possunt facultatem subdelegandi (in stricto sensu) ad idem matrimonium alium ab ipsis determinatum. Id quidem videtur sat probabile. Sed praestat, idque prorsus tutum est atque in

---

199, § 4 cum can. 1096, § 1, non est facile. Sed imprimis operae pretium erit quaedam de subdelegatione praemittere:

1° Ad subdelegandum indiget delegatus speciali facultate delegantis, sine qua valide subdelegare non posset (Suárez, *De Legib.* l. 3, c. 4, n. 10 12; *De Censur.* d. 2, s. 2, n. 10, s. 3, n. 16 sub finem; Pirhing l. 1, tit. 29, n. 21 23; Verm.-Creus. I, n. 228; eamdemque doctrinam refert can. 199, §§ 4 et 5); ratio est, quia semper potestas, quam delegatus habet, censetur non esse propria, sed ab alio accepta, nequit ergo de ea disponere, quasi de re sua. Nec contrarium evenire dicendum est in delegato ad universitatem causarum (quisnam is dicatur, cf. Sánchez l. 3, d. 31, n. 4), qui certe potest subdelegare in singulis casibus (can. 199, § 3); is enim fere assimilatur habenti potestatem ordinariam (Sánchez l. 3, d. 31, n. 2; Schmalzgrueber tit. 29, n. 11; Ferraris, *Prompta bibl.* v. Delegatus n. 17). — 2° Etsi delegatus ex speciali facultate accepta subdeleget, non tamen delegatus, sed delegans ipse videtur subdelegare, id est, delegatus subdelegat nomine delegantis, ita ut delegans non possit delegato dicere: subdelega independenter nomine tuo; quare delegans censetur facere per se ipsum quod facit per alium (Sánchez l. 3, d. 31, n. 6 8, l. 8, d. 28 per tot.; Pirhing l. 1, tit. 29, n. 23 25; Schmelzgrueber tit. 29, n. 10; Ferraris op. et loc. cit. n. 14; Wernz-Vidal II, [1923] p. 361, n. 371). — 3° Quamvis delegatus censeatur magis nomine delegantis agere quam proprio, tamen, cum subdelegat, vere facultatem, quam ipse accepit, alteri communicat. Hinc sequitur eum non posse alii subdelegare potestatem maiorem aut diversam ab ea quam accepit; nemo enim dare valet, quod non habet (cf. etiam Suárez, *De Censur.* d. 2, s. 3, n. 14). — 4° Quare, si cui conceditur facultas tradendi cuilibet maiorem potestatem, quam ipse pro se accipit, aut aliquam quae ipsi non datur, non est haec facultas subdelegandi, sed intelligitur eligi tantum, ut determinet personas sibi benevisas eisque notam faciat collationem potestatis eo ipso iisdem advenientem directe ab habente ordinariam. Ponit igitur iste tantum condicionem, designationem personae, et potestas non ab ipso confertur, sed immediate a Superiore (cf. Sánchez l. 3, d. 31, n. 18. — 5° Potestas subdelegata non exstinguitur resoluto iure subdelegantis, dummodo teneat adhuc ius delegantis habentis ordinariam (Sánchez l. 8, d. 28, n. 36 circa finem, qui ibi agit de rescriptis iustitiae, sed a fortiori id valet pro rescriptis gratiae); nec exspirat resoluto iure delegantis, si adhuc teneat ius subdelegantis, isque vere de sua potestate subdelegaverit (et non mere exsecutor fuerit commissionis acceptae, v. gr. si parochus dicat vicario primo: dic vicario secundo, ut cras ipse assistat); Sánchez ibid. n. 43; eaque confirmantur ex can. 207, § 1, qui bene accipi potest in genere de potestate accepta « ab alio », ideoque sive « delegata » sive « subdelegata ».

Nunc, ut ad materiam propositam pressius veniamus, advertendum est quod, etsi alteri, ut assistat matrimonio, non sit deleganda ulla « iurisdictio », sed tantum concedenda « licentia », tamen bene videntur, saltem probabiliter, huic concessioni applicari posse canones libri II, part. I, tit. V agentes de delegatione et subdelegatione iurisdictionis; tum quia concessio huius licentiae vocatur quoque a Codice « delegatio », ut diximus, tum quia haec

praxi aequivalet, ut simpliciter facultatem tribuant delegato substituendi sibi, si oportuerit, alium sacerdotem ab ipsis (Ordinario vel parocho) determinatum, cui, ipso facto quod

---

licentia iurisdictioni saepe, etsi improprie, aequiparatur, tum quia hic Codicis titulus inscribitur « De potestate » in genere (cf. in iure vetere Gasparri n. 1132; Wernz n. 180 I). Videtur igitur Ordinarius delegans facultatem dare posse delegato ut subdeleget; sed can. 1096 statuens ut licentia non possit dari valide nisi sacerdoti determinato et (nisi agatur de cooperatoribus) ad matrimonium determinatum, simul cum illo principio: « delegatus non subdelegat nomine proprio, sed Ordinarius ipse censetur per delegatum subdelegare et per eum agere »; haec inquam, praedictorum canonum applicationem in praesenti materia omnino limitant, ut nunc videbimus.

His praeiectis, triplicem casum consideremus, in quo praeditus potestate ordinaria delegat simul *tribuens expresse facultatem subdelegandi*: — 1° Si delegat suum vicarium cooperatorem generaliter, an possit is subdelegare ad matrimonium particulare. — 2° Si delegat aliquem, sive is sit vicarius cooperator sive secus, ad matrimonium particulare, an possit is subdelegare ad hoc matrimonium. — 3° Si delegat suum vicarium cooperatorem generaliter, an possit is subdelegare etiam generaliter alium ex vicariis cooperatoribus.

In primo casu ratio dubitandi esse posset, quod vicarius videatur delegatus ad universitatem causarum, ideoque posset subdelegare ad casum particularem. Sed non esse delegatum ad universitatem causarum diximus in una ex notis praecedentibus. quam vide, sis. Non ergo poterit, vi delegationis generalis quam habet, subdelegare. Quaeritur ergo num subdelegare possit ad matrimonium particulare, vi expressae facultatis ad subdelegandum acceptae. — Respondendum videtur non posse, nisi sacerdotem praevie ab ipso delegante designatum (et ad matrimonium ipsi quoque deleganti notum et determinatum). Ratio est, quia si vicarius posset subdelegare alium quemlibet, iam delegans censeretur posse per delegatum facultatem dare alii sibi incerto (quod esset contra can. 1096), nam, iuxta praedicta, censeretur per delegatum ipse subdelegare.

Dices forte, quod non apparet difficultas, si delegatus observet quoque can. 1096 et non subdeleget nisi certum et determinatum; nam etsi tunc censeretur delegans ipse agere, tamen iam sic per delegatum ageret, ut subdelegaret certum et determinatum. *Resp.*: Evidens est quod, etsi facultatem daret incerto (v. gr. aiens nupturientibus: eligite quem velitis), facultas semper caderet in certum et determinatum (nempe facta designatione a nupturientibus), et tamen id fieret invalide, iuxta can. 1096; ergo iste canon exigit ut, qui accipit facultatem, sit certus et determinatus, non mediate, sed immediate, ipsi facultatem tribuenti; iam vero, ut saepe diximus, censetur facultatem tribuere ipse delegans. Praeterea, si secus fieri posset, res pateret non modico abusui; puta, si Episcopus, ut incertos facultare posset ad aliquod matrimonium, delegaret aliquem sacerdotem absentem cum facultate subdelegandi; nam si delegatus litteras accepisset morbo aut aliter ad matrimonio assistendum impeditus et subdelegaret, invalide id faceret, siquidem, cum non potuisset serio facultatem pro se ipso accipere, deberet esse huius mere transmissor, non subdelegator, et facultas conferretur a delegante immediate personae sibi

commissionem a delegato acceptet, intelligatur potestas directe conferri ab ipsis (scilicet ab Ordinario vel parocho).

3. *De testibus.* Praeter Ordinarii vel parochi vel delegati praesentiam tamquam testis auctorizabilis seu qualificati, duo

---

incertae, quod non esset validum. Alium casum habes, si aliquis sacerdos ab Episcopo peteret, ut quidam amicus posset contrahere coram quolibet sacerdote huius vel illius urbis, et Episcopus, ut posset licentiam dare sacerdoti incerto, delegaret ipsum rogantem cum facultate subdelegandi. Quamvis iste seriam voluntatem forte haberet delegationem pro se acceptandi (requiritur enim acceptatio ad validitatem — cf. Ferreres, *Los espons. etc.* [1911] n. 312), tamen, si ita Episcopo agere liceret, patet dari facile medium eludendi praescriptionem adeo strictam canonis 1096, § 1 eamque fere inutilem reddendi.

Non videtur ergo vicarius cooperator, etsi ad assistendum quibuslibet matrimoniis delegatus et cum facultate subdelegandi, posse ea uti nisi erga aliquem ab ipso delegante designatum et ad matrimonium designatum. Sed tunc *subdelegatio* practice nihil differt a *commissione* facta nomine delegantis (etsi differant theoretice, nam in illa delegatus communicat *subdelegato* de propria potestate, quam accepit et possidet, in hac vero delegans confert directe potestatem ei, cui delegatus rem illius nomine committit). Praestat ergo practice, ut delegans non tribuat delegato facultatem « subdelegandi », sed potius dicat: si huic matrimonio assistere non possis aut nolis, substituo tibi sacerdotem *A*. Facile tamen accidet ut ex usu nihil aliud significare velit Ordinarius, etsi dicat: si non possis, subdelega sacerdotem *A*.

In secundo casu designatus ad assistendum matrimonio determinato, non poterit communicare facultatem nisi sacerdoti a delegante designato atque in ordine ad idem matrimonium. Rationes sunt, quae nuper sunt dictae.

In tertio casu, praemonito quod facultas generalis non possit tribui nisi vicariis cooperatoribus delegantis, adhuc tamen non poterit vicarius ad matrimonia generaliter delegatus cum facultate subdelegandi, subdelegare quemlibet ex aliis cooperatoribus, nec generaliter nec ad casum particularem, sed tantum eum e cooperatoribus, quem delegans assignaverit determinate atque ad casum ab eodem determinatum. Rationes sunt eaedem hucusque adductae.

Nec dicas, quod si parochus dicit « subdelegare poteris quemlibet e vicariis », idem est ac si dicat « vel vicarium *A*, vel *B*, vel *C* », proinde omnes determinarentur. Nam omnes quidem distincte nominantur, sed disiunctive, ideoque nullus distincte determinatur. — Nec dicas iterum, quod idem esset ac « subdelega vicarium *A*, in huius defectu vicarium *B*, in huius defectu *C* », quae formula esset certo valida. Nam « subdelega quemlibet e vicariis » non magis aequivalet formulae praedictae quam huic: « vicarium *B*, in huius defectu *A*, in huius defectu *C* », aut alii simili. Nihil ergo determinatur.

Ex hucusque expositis eruitur quod *subdelegatio*, stricte sumpta pro communicatione potestatis a delegato acceptae, si forte permitti potest in ordine ad matrimonia, ut videtur sat probabile, permitti non poterit nisi erga sacerdotem et casum ab ipso delegante determinatos. Practice ergo idem est ac si delegans, omissis subdelegationibus, simpliciter facultet delegatum, ut possit alium certum et determinatum sibi substituere, cui ex ipso facto, quod a delegato moneatur, potestas immediate adveniat a delegante.

saltem alii requiruntur testes, qui, dummodo sufficienter testari possint has personas consensum rite praestitisse, nulli particulari condicioni adstringuntur, mares sint vel feminae, maiorennes vel minorennes, sponte praesentes vel coacte[1]. Non opus est, ut expresse designentur, dummodo non desint e praesentibus, qui contrahentium consensum rite advertant et testari possint[2]; contrahentes autem aliquo modo, saltem implicite, debent velle eos esse testes, sed eo ipso quod volunt matrimonium publice inire, omnes praesentes uti testes adhibere velle censentur[3]. Practice tamen aliquos opus erit designare, quia eorum nomina deinde erunt inscribenda.

4. *De consensu excipiendo.* Ordinarius vel parochus vel delegatus, tamquam testis auctorizabilis assistens, debet consensum contrahentium aliquo modo requirere (communiter id fit interrogando) illumque excipere, ita ut aliquo modo, visu vel auditu, sufficienter illum percipiat, ut fidem dare possit[4]. Contrahentes autem consensum exprimere debent verbis, si loqui possint, ad validitatem tamen sufficiunt signa, ut diximus n. 842 (can. 1088, § 2).

Parochus adesse debet non vi aut gravi metu coactus, secus invalide coram eo contraheretur[5].

b) **Ut celebretur licite,** praemissis investigationibus circa statum liberum, proclamationibus etc., matrimonium contrahi **852**

Denique adverte, quod vicarius, qui approbante Ordinario locum teneat substituti in absentia parochi ad normam can. 465, §§ 4 et 5, plena vice parochi fungitur et delegare potest ad matrimonia, sive quemlibet determinatum sacerdotem ad matrimonium particulare, sive quemlibet determinatum ex aliis cooperatoribus ad matrimonia generaliter. — Quaeres forte, an valeat, si Ordinarius indeterminate dicat parocho: « In absentia substitue tibi quemlibet e vicariis. » — *Resp.*: Valet. Nam etsi haec indeterminatio non sufficeret ad delegandum pro matrimoniis propter obstantem canonem 1096, § 1, at sufficit pro designando substituto, quia nihil obstat; posito autem quod valide substitutus sit, tunc plena potestas parochialis, etiam in ordine ad matrimonia, directe ei confertur, non ab Ordinario, sed a iure, salvo quod aliquid ei excipiatur (cf. can. 474).

1 De testibus cf. Sánchez l. 3, d. 39 41; Gasparri n. 1155-1165; Wernz n. 182; Lehmk. n. 887; De Smet n. 123; Ferreres, *Los espons. etc.* n. 212 650; Gén.-S. n. 470; Blat III, p. 641.

2 Cf. *A.A.S.* (1917) p. 504.

3 Gasparri n. 1163; De Smet n. 123.

4 Hac dispositione, iam per decr. *Ne temere* introducta, invalida redditur forma, usque ad illud decretum valida, contrahendi ex inopinato coram parocho, etiam invito.

5 Non invalidaret metus iuste incussus ad ipsam legem tuendam ordinatus; ut si parochus adesse adigeretur ab Episcopo sub poenis canonicis, vel si, cum iniuste recusaret adesse, adigeretur a nupturientibus sub comminatione denuntiandi eum Episcopo.

debet: 1) *Coram parocho vel Ordinario domicilii, vel quasi-domicilii, vel menstruae commorationis vel, si de vagis agitur, actualis commorationis, alterutrius contrahentium.* 2) *Vel de huiusmodi parochi licentia.* 3) *Is nisi iusta causa excuset, debet esse parochus sponsae.*

Pauca veniunt adnotanda:

1. *De parocho domicilii vel commorationis.* Sub gravi requiritur, ut in parochia (vel, si non in parochia, saltem in dioecesi, et tunc contrahendum erit coram eius Ordinario) alteruter contrahentium habeat domicilium, vel quasi-domicilium [1], aut saltem commoratus ibi fuerit per mensem continuum et integrum [2]. Plures igitur simul possunt esse parochi, quos adire valeant nupturientes pro licita celebratione matrimonii.

Si utrique nupturientes v a g i sunt, qui nullibi parochum (vel saltem Ordinarium) habent ratione domicilii vel quasi-domicilii vel saltem menstruae commorationis, quam nondum amiserint, contrahere possunt coram parocho actualis commorationis, quin mensis spatium exspectare teneantur. Attamen, iuxta praescriptum can. 1032, petenda erit licentia Ordinarii loci, praesertim propter statum liberum probandum.

853 2. *De licentia ab eo secus impetranda.* Ut matrimonium possit licite iniri coram alio sacerdote, qui non sit parochus vel Ordinarius domicilii vel quasi-domicilii vel menstruae commorationis alicuius sponsorum, sub gravi requiritur licentia ab aliquo ex his parochis (vel Ordinariis), nisi gravis necessitas excuset [3]; quae licentia, cum diversa sit a delegatione, quae ad validitatem exigitur in parocho vel Ordinario loci, in quo matrimonium est celebrandum, non praescribitur dari expresse, sed sufficit implicita, vel etiam rationabiliter praesumpta. Sed, si sacerdos, qui alibi matrimonio adstiturus est, parochus

---

[1] Quid domicilium et quasi-domicilium et quomodo acquirantur, cf. dicta n. 38 vel cf. can. 92.

[2] Mensis commorationis debuit esse integer, v. gr. a die 25 febr. ad 25 mart., et continuus, id est non interruptus; non tamen obest si quis diu abest, dummodo quotidie ibi pernoctet. Quod si quis diu quidem ibi commoretur, sed aliquo die alibi pernoctet, videtur dies iste supplendus, atque ita supplendus, ut iam non sufficiant 28 dies a 25 febr. ad 25 mart., sed complendi erunt usque ad numerum 30 dierum, iuxta can. 34, § 2. Denique, si quis per aliquot dies continuos abfuerit, etsi paucos, puta tres vel quatuor, quamvis cum animo redeundi, menstrua commoratio videtur non mere suspendi, sed interrumpi, et esse denuo incipienda. — Mentrua commoratio praeterita, si iam interrupta, nulli parocho ius conferre potest. *A.A.S.* (1916) p. 66.

[3] V. gr. si grave damnum immineat, quod urgeat matrimonium non differri donec obtineatur licentia.

vel Ordinarius non est in loco celebrationis, patet quod utrumque obtinere debet: et delegationem a parocho vel Ordinario loci ad validitatem et licentiam ab aliquo ex parochis vel Ordinariis, ad quos assistentia pertinebat.

Parochus, qui praetermissa hac licentia matrimonio adstiterit, emolumenta stolae (non stipendium Missae nec honoraria officialibus debita) restituere tenetur ex iustitia (quia ea « non facit sua », can. 1097, § 3) parocho « sponsorum proprio »; qui videtur intelligendus, iuxta nunc dicenda, is, cui ius assistendi competit de regula, id est parochus sponsae (nisi constet quod parochus viri debuisset eligi), et si sponsae parochi, ratione domicilii, quasi-domicilii et actualis commorationis, plures sint, eis in aequales partes videntur dividenda.

3. *De parocho sponsae.* Sub levi, nisi rationabilis causa excuset, eligendus est parochus sponsae, vel, quilibet ex eius parochis, si ii, ratione domicilii, quasi-domicilii et actualis commorationis, plures sint. Excipitur matrimonium catholicorum mixti ritus [1], pro quo, salvo iure particulari [2], eligendus erit parochus viri.

Proinde regulariter ab aliquo e parochis sponsae, non viri (nisi in casu mixti ritus) licentia requirenda est, si nupturientes coram alio, qui nec sponsae sit proprius, contrahere velint.

c) **Casus extraordinarii** duo a Codice recensentur, in qui- **854**
bus valide contrahatur matrimonium praetermissa praesentia Ordinarii vel parochi territorii, vel cuiusvis delegati, *dummodo nullus eorum sine gravi incommodo haberi vel adiri possit*, nempe: 1. *In mortis periculo.* 2. *Si haberi vel adiri nequeat intra mensem.*

1. *In mortis periculo* valide et licite contrahitur coram duobus testibus tantum [3]. Omnino tamen requiritur ad validi-

---

1 Id est unius e ritu latino et alterius e ritu catholico orientali.

Quis ad quem ritum pertineat, nitide relatum invenies in can 98; et cf. supra in n. 36 nota.

2 Canon 1097, § 2 excipit quidem leges particulares; et particulari lege pro graeco-ruthenis *Americae Meridionalis* statutum fuit ad decennium per decr. *S.C. de Prop. Fide* 27 mart. 1916 art. 17 (*A.A.S.* [1916] p. 107, sicut duobus ante annis statutum fuerat pro iisdem in Statibus Foederatis Am. Sept., cf. *A.A.S.* [1914] p. 463, art. 30), ut sive cum fideli proprii ritus sive cum alio ritus latini contrahant, id faciant coram parocho ritus mulieris. Sed cum citatum decretum non id intenderit per se, sed tantum, ut illi fideles conformarentur decreto universali « Ne temere », quod iam non viget, dubitari potest, num adhuc illa dispositio particularis sustinenda sit.

3 Non est necesse, ut testes interrogent consensum.

tatem, ut quaeratur sacerdos competens[1], quatenus id fieri possit sine gravi incommodo, id est si non adest prudens timor, ne aeger destituatur sensibus, aut moriatur antequam sacerdos competens habeatur.

Sufficit, si mortis periculum sit probabile.

Ut autem tunc liceat sic contrahere, non requiritur, ut sit consulendum conscientiae aut legitimanda proles; huiusmodi enim solum requiritur, si dispensatio danda sit ab aliquo impedimento.

Etsi licitum dicatur matrimonium coram solis testibus, si tamen praesto adsit alius sacerdos, vocari debet, ut una cum illis assistat; non tamen requiritur ad validitatem. Sacerdoti isti competit ampla facultas ab impedimentis dispensandi, de qua diximus in n. 829.

855 2. *Si impedimentum duraturum est per mensem*, id est, si sacerdos competens haberi nequit, nec adiri, sine gravi incommodo, eaque rerum condicio prudenter praevidetur duratura per mensem, valide et licite contrahitur coram duobus tantum testibus[2].

Omnino requiritur ad validitatem, ut sacerdos competens[3] advocetur, si absque gravi incommodo ante mensem venire possit; vel adeatur, si nupturientes ad eum absque gravi incommodo pergere possint. Quare, si v. gr. proprium parochum propter distantiam non possunt adire, bene tamen vicinam dioecesim vel parochiam, invalide contraherent in suo loco.

Ad excusandum requiritur grave incommodum[4], quod

---

1 Nempe loci parochus, vel Ordinarius, vel saltem sacerdos ab alterutro delegatus.

2 Optimum consilium dedit *S.C. de Prop. Fide* anno 1830, ut in huiusmodi casibus sponsi cum designatis testibus ad ecclesiam se conferrent (secus, in sua privata domo), ubi flexis genibus et post recitatos in communi actus fidei, spei, caritatis, contritionis ad sese disponendos, consensum coram testibus per verba de praesenti exprimerent et gratias postea Deo agerent.

Iam advertimus non esse necesse, ut testes interrogent a contrahentibus consensum, id enim a Codice non praescribitur.

3 Id est parochus vel Ordinarius territorii, vel saltem sacerdos ab alterutro delegatus.

4 Quoad hoc incommodum duo notanda veniunt:

1° Accidit in quibusdam regionibus, in quibus paroeciae latissimum territorium habent cum maxima penuria sacerdotum, ut cives, a propinquiore urbe paroeciali sint quidem valde dissiti, non tamen omittant in eam se conferre, superatis distantiae et viarum difficultatibus, ubi necesse habent magistratum civilem adire pro quibusdam contractibus aut medicos aliosve pro gravi aliquo negotio. Quaeri ergo potest, an non debeat censeri ipsis non favere hoc canonis privilegium. Profecto, ex narratis suspicio haud levis exsurgit, quod non sunt moraliter impediti, ut in urbem quoque se conferant ad contrahendum. Attamen, ex narratis solum

scilicet aequiparetur impossibilitati morali. Haec autem moralis

---

nihil certo concludi potest. Nam, quod in quibusdam casibus incommodum grave forte habeant, quod alias illud superent, id non minuit impedimentum grave praesens; et quod alias illud superent, non obligat ad superandum semper; et profecto canon 1098 ad illud superandum non adigit, si vere adest. Quare non semper certa erit regula interrogare, num quis, si grave aliud negotium se offerret, urbem adiret; siquidem huiusmodi itinera minore cum difficultate fiunt ab uno, multo autem difficilius arriperentur simul a pluribus, praesertim quia sponsi ad ineundas nuptias ab aliquo saltem parentum vel fratrum comitatu praescindere non possent. Quare in singulis casibus incommoda pensanda sunt.

2° Cum canonis verba sint prorsus generalia (« dummodo prudenter praevideatur eam rerum condicionem esse per mensem duraturam »), prorsus est indubium non requiri ut grave incommodum seu impossibilitas moralis procurandi vel adeundi sacerdotem competentem sit generalis in ea regione (cuiusmodi evenire posset ob magnam distantiam, vel ob generalem rerum perturbationem, vel persecutionem sacerdotum, vel tempore belli), praesertim cum ea verba, quae id requirebant in decr. *Ne temere*, in Codice sublata consulto fuerint. Sufficit ergo incommodum grave pro aliquo privato (cf. De Smet n. 131 cum aliis, quos citat in n. 137 nota; Gén.-S. n. 474; Noldin n. 652; idque iam ante Codicem probabile censebant multi, quos citatos reperis apud Lehmk. n. 892 et ap. Gén.-S. n. 474, etsi eorum sententia multum ponderis amiserit ad rem praesentem propter mutata verba legis in Codice, ut mox notabimus).

Attamen haec impossibilitas alicuius privati rite intelligenda est; non enim desunt qui eam exsistere putent in certis casibus, in quibus obtineri nequeat assensus parochi vel Ordinarii.

Ad quod respondemus, imprimis, nec licite nec valide posse contrahi coram solis testibus, quando assistentiae denegatio provenit ex causis canonicis aliisve iustis, aut saltem non est, ex parte denegantis, evidenter iniusta; v. gr. si denegatur assistentia interea dum parentes dissentiunt, etsi iniuste, vel interea dum fiunt investigationes, aut dum exspectantur documenta, vel responsa ad litteras in transoceanicam regionem missas, et quamvis exspectatio praevideatur certo per mensem et amplius duratura. Ratio est, quia secus, si posset tunc contrahi sine assistentia parochi, frustra Ecclesia huic praeciperet ab assistendo abstinere ante debitas investigationes peractas et per suam abstentionem matrimonium impedire. Quae ratio pariter urget, ne possit valide contrahi, etsi parochus videatur in his socors aut negligens aut etiam assistentiam denegare iniuste, saltem nisi iniustitia sit manifestissima; secus enim, propter generale hallucinationum periculum, nimis praedicta lex Ecclesiae labefactaretur; adde quod semper recursus patet ad Ordinarium, aut saltem ad S. Sedem. Alia ratio est (eaque solutionem quaestionis, exclusa qualibet exceptione, conficit), quia Codex coram solis testibus valide contrahere permittit tantum, quando «haberi vel adiri nequeat» sacerdos competens; quae verba supponunt absentiam physicam contrahentium et parochi, nec sine violentia intelligerentur de absentia morali dicereturque non posse « adiri » is, qui praesens est, eo tantum quod opem praestare detrectat. De cetero nemo est, quod sciamus, qui nupturientibus in expositis adiunctis faveat.

Aliter proponitur a multis quaestio, videlicet: an valeat

impossibilitas ex adiunctis distantiae, difficultatis viarum, infirmitatis etc. est dimetienda.

---

coram solis testibus coniugium, si nullus parochus aut Ordinarius reperiri possit, quia assistere renuunt, propter metum legis iniustissime poenam comminantis in sacerdotem, qui id audeat ante expletas formalitates matrimonii civilis, eae autem praevideantur non explendae ante mensem, v. gr. propter conficienda et procuranda documenta (idem dic, si lex prohibeat matrimonium ante expletum militare servitium, aut propter aliquid impedimentum a iure canonico non recognitum; cf. FERRERES, *Los espons. y el matrim.* [edit. 5ª] n. 813-829). Validum esse in casu coniugium probabile opinantur DE SMET n. 136, saltem theoretice, ut ipse ait (citatque alios in n. 137 nota); GÉN.-S. n. 474 nota; VERM.-CREUS. n. 405; sed in contrariam partem inclinant FERR. n. 1083 *NB.*; FERRERES in ephem. *Razón y Fe* XLIV, p. 510 seqq.; NOLDIN n. 652. His postremis adhaeremus censemusque matrimonium sic contractum fore invalidum. Movemur, quia canon omnino requirit, ut sacerdos competens nequeat « adiri » (et notandum quod haec vox non exstabat in decr. *Ne temere*, unde, ex hac parte, facilius ante Codicem adstrui potuit sententia contraria; cf. FERRERES, *Los espons. etc.* n. 816), id autem, ut nuper dicebamus, non verificatur, parochus enim vere aditur; et, quidquid sit (ab hoc enim praescindimus), utrum oportuisset necne, ut lex canonica providisset pro quibusdam casibus in quibus parochi detrectare compelluntur, certum est quod, dummodo parochus adiri possit, canon nihil distinguit utrum ille velit vel nolit, et validitati contrahendi coram testibus obstat. Praeterea agitur de impossibilitate mere transitoria, etsi plus minusve duratura, non perpetua (ut bene advertebat ante Codicem FERRERES op. cit. n. 817); unde, si forte non est provisum, ideo est, quia plures distinctiones necessariae fuissent in Codice, si tot tamque diversis incommodis providendum fuisset absque gravi principalis legis detrimento. Sed nec licet dicere non fuisse aliquo modo provisum; respondit enim *S.C. de Sacram.* 31 ian. 1916 (*A.A.S.* [1916] p. 36), ut in singulis huiusmodi casibus ad eam recurratur.

Denique quaeri posset an non possit locum habere can. 1098 ad contrahendum valide coram solis testibus in navi, ubi generatim nullus habetur sacerdos competens. Quod possit habere locum in mortis periculo, patet. Extra mortis periculum vix hodie locum habere potest, etenim vix unquam accidet, ut praevideatur navigatio plusquam mensem ante appulsum in proximiorem portum duratura. Iam vero, ubi viator in portum sui itineris finalem pervenit, iam incipit posse adire parochum, ad cuius examen se submittat et cui proclamationes ceteraque necessaria commendet. Si agitur de nauta, qui eundo redeundo portum finalem non habet, is adire potest et debet parochum domicilii, aut saltem alium quemlibet, cui similia usque ad reditum curanda committat. Difficultas solum oriri potest, si per mensem nulli occurrere debeant portus nisi in quibus breviter consistendum sit et in quos viator non erit reversurus, ubi proinde nulla est spes reperiendi parochum, qui eum incognitum, praetermissis omnibus canonicis praerequisitis, velit coniungere. Tunc validum et licitum erit matrimonium coram solis testibus; non enim requiritur iuxta can. 1098, ut parochus physice « adiri » possit quomodocumque, sed ut adiri possit in ordine ad contrahendum servatis canonicis praescriptis. Cf. de hac materia ante Codicem FERRERES op. cit. n. 348-387 875; VERMEERSCH, *Periodica* IV, p. 110.

Si nec potest adiri, id est, si nec ambo nupturientes personaliter eum adire possunt ad contrahendum, nec eorum unus obtinere potest per se, vel per alium, vel per litteras[1], saltem sacerdotem delegatum.

Si ea rerum condicio prudenter praevidetur etc. Quod si ita iudicatur prudenter, non erit de valore matrimonii dubitandum, etsi paulo postea accedat ex inopinato aliquis sacerdos competens. Mensis praevisae impossibilitatis computandus est a die ineundi matrimonii[2].

Denique, sicut in casu periculi mortis, ad liceitatem vocari debet sacerdos[3], etsi non competens, si praesto adsit, qui una cum testibus assistat; huic competit tunc facultas ab impedimentis dispensandi, de qua dictum est in n. 828.

856 *d*) **Quosnam obliget forma descripta.** Forma in can. 1094 ad 1098 statuta, quam hucusque descripsimus, obligat: 1. *Ubicumque*. 2. *Catholicos latinos*, etsi ab Ecclesia defecerint. 3. *Cum quocumque contrahant*.

Obligat igitur:

1. *Ubicumque*, nullo loco excepto et quin opus sit particulari aliqua promulgatione[4].

2. *Catholicos latinos*. Catholici sunt omnes in catholica Ecclesia baptizati[5], vel qui ad eam ex haeresi vel schismate conversi sunt. Hi omnes ad praescriptam formam tenentur, etsi ab Ecclesia catholica defecerint[6].

---

1 Petitio telegraphica vel telephonica videtur posse omitti.

2 Quare, si nullus sacerdos competens praevidetur adventurus usque post quinque hebdomadas et, in impossibilitate adeundi parochum, mittuntur ad eum litterae, ut vicarium mittat vel delegatum aliquem ex urbe, oblata convenienti itineris compensatione et cum spe eum obtinendi, si post decem dies recipiatur negativum responsum, iam tunc praevidetur impossibilitas per tempus reliquum; sed, cum id iam mensem non attingat, valide contrahi non potest, sed exspectandus erit per reliquos dies adventus sacerdotis competentis.

Mensis, a die ineundi matrimonii computandus est integer, prout est in calendario, v. gr. a die 10 aprilis ad 10 maii, de momento ad momentum (can. 34, § 2).

3 Optimo consilio praescribitur vocari sacerdos, si facile haberi potest, tum ut impedimentum dispenset, si reperiatur, tum ut sacer coniugii character sponsis melius patefiat, et sic efficacius ad pie in eo vivendum et fideliter perseverandum compellantur.

4 Lex tridentina vigebat tantum in locis, ubi particulariter promulgata fuerat, et decretum *Ne temere* exceptionem quamdam admisit specialibus latis legibus pro Germania et Hungaria. Codex vim obtinuit universalem et memoratas leges particulares abrogavit.

5 Quinam censendi sint in Ecclesia catholica baptizati, cf. supra in n. 801 nota, et VERMEERSCH, *Period.* IV, p. 116.

6 Ex dictis colliges, quod *acatholici*, etsi impedimentis cano-

Una tantum fit exceptio: si acatholicus parentes habuit acatholicos *, et fuerat quidem in Ecclesia catholica baptizatus,

---

nicis ligentur (n. 778), non tamen tenentur ad praescriptam formam contrahendi, nisi in sequentibus casibus: *a*) si contrahant cum parte catholica, vel *b*) si ipsi ad Ecclesiam catholicam pertinuerint (sive quia in ea fuerant baptizati, sive quia ad eam fuerant conversi), vel *c*) si contrahant cum parte acatholica, quae ad Ecclesiam catholicam pertinuerat.

Ratio est, quia si una pars directe ligatur lege canonica formae servandae, iam nequit matrimonium aliter contrahere valide, quantumvis alia pars directe non ligetur; non enim exsistit in novo iure privilegium communicationis, quod vigebat sub lege tridentina, vi cuius, si una pars a forma tridentina eximebatur, exemptio communicabatur ad alteram et contrahebatur valide clandestine. Praesenti iure nequit in ullo casu contrahere valide pars, quae directe subiaceat praescriptae formae, etsi contrahere velit cum alio exempto, ideoque nec valide contraheret alia pars, etsi per se exempta, quia contractus est indivisibilis. Iam vero, in tribus casibus nuper recensitis, una semper e partibus ad formam praescriptam directe tenetur, ut constat ex supra dictis.

Extra praedictos casus valide possunt acatholici contrahere sive inter se sive cum parte non baptizata, nam impedimento disparitatis cultus non ligantur acatholici si numquam ad Ecclesiam catholicam pertinuerant, ut diximus in n. 801.

Quid agendum in dubio de baptismate, diximus ibid.

Non baptizatos posse valide aliter inter se contrahere manifestum est, siquidem Ecclesia non potest leges ferre in infideles. Cf. de his Blat III, p. 652-661; De Smet n. 139 seqq.

Mirum est, quod Blat p. 652, ex eo quod canon 1099, § 2 dixerit « firmo § 1, n. 1 » et non addiderit « et n. 2 », opinatus sit quod acatholici, qui a catholica Ecclesia defecerunt, non tenentur, si contrahunt cum acatholico, qui ad eam numquam pertinuerit. Mirum, inquam, est, cum § 1, n. 2 tam aperte dicat, quod « iidem, de quibus supra, » tenentur, si cum acatholicis contrahunt; porro isti « iidem, de quibus supra », sunt « omnes in catholica Ecclesia baptizati, et ad eam ex haeresi vel schismate conversi, licet sive hi sive illi ab eadem postea defecerint ».

Ait Blat, quod isti « iidem, de quibus supra», intelligi possunt « omnes etc. », omissa additione « licet sive hi etc. » Rationem dat, quia decretum *Ne temere* art. XI ita praescribebat, siquidem dicebat « iidem, de quibus supra, catholici »; in dubio autem canonem esse intelligendum iuxta ius pristinum. — Sed, imprimis, nullatenus abstrahi potest a verbis praecedentibus illa additio « licet etc. », nam est additio determinativa, apposita ad determinandum clarius, quinam sint illi « omnes etc. », et praecise cum designio evitandi, ne quis excluderet eos, qui defecerant. Deinde falsum est quod novum ius sit dubium; eius textus est clarus nec legenti ullam obscuritatem praebet; proinde, quidquid dixerit decretum *Ne temere*, ad illud recurrendum non est. Praeterea, si decretum *Ne temere* acatholicos, qui a catholicismo defecerant, exclusit eo quod dixerit « catholici », id ad interpretandum hunc locum novi iuris afferendum non est, siquidem in novo iure haec vox dempta est. Denique falsum videtur, quod decretum *Ne temere* per verba « iis-

---

* Sive baptizatos sive non baptizatos, id est, sive acatholicos stricte dictos, sive infideles. Verm.-Creus. n. 407.

sed ab infantili aetate in acatholicismo vel infidelitate vel sine ulla religione adolevit; dummodo coniugium non sit initurus cum parte praescriptae formae obnoxia.

Catholici ritus *orientalis* ad formam praescriptam non tenentur (can. 1); excipe, si contrahere debeant cum parte catholica latina (can. 1099, § 1, 3), quia haec non posset valide aliter contrahere.

3. *Cum quocumque contrahant*, sive cum alio catholico, ritus latini vel orientalis, sive cum acatholico, sive cum infideli, etiam post dispensatum impedimentum mixtae religionis vel disparitatis cultus, quia haec dispensatio non secumfert dispensationem a servanda forma.

e) **De tempore et loco celebrationis matrimonii**[1]. 1. *Quovis* **857** *tempore* matrimonium contrahi potest. Attamen, « tempore clauso », uti vocant, id est a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive, prohibetur absque Ordinarii loci licentia impertiri sollemnis nuptiarum benedictio[2], de qua mox dicetur.

---

dem, de quibus supra, catholici », excluserit acatholicos, qui a catholicismo defecerunt; nam praecise quia dixit « catholicos » eos « de quibus supra », apparet quod tamquam catholicos habet eos qui potius quam « acatholici », sunt « catholici transfugae »; profecto commentaristae decreti *Ne temere*, huius articulum XI non aliter ac nos intellexerunt, v. gr. FERRERES, *Los esponsales y el matrim.* (edit. 5ª) n. 441 (ubi manifeste mendum typographicum irrepsit « catholicos » pro « acatholicos »); VERMEERSCH, *Periodica* IV, p. 116-117 sub litt. *b*.

1 « § 1. Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest. — § 2. Sollemnis tantum nuptiarum benedictio vetatur a prima dominica Adventus usque ad diem Nativitatis Domini inclusive, et a feria IV Cinerum usque ad dominicam Paschatis inclusive. — § 3. Ordinarii tamen locorum possunt, salvis legibus liturgicis, etiam praedictis temporibus eam permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant » (can. 1108).

« § 1. Matrimonium inter catholicos celebretur in ecclesia paroeciali; in alia autem ecclesia vel oratorio sive publico sive semi-publico, nonnisi de licentia Ordinarii loci vel parochi celebrari poterit. — § 2. Matrimonium in aedibus privatis celebrari Ordinarii locorum in extraordinario tantum aliquo casu et accedente semper iusta ac rationabili causa permittere possunt; sed in ecclesiis vel oratoriis sive Seminarii sive religiosarum, Ordinarii id ne permittant, nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis. — § 3. Matrimonia vero inter partem catholicam et partem acatholicam extra ecclesiam celebrentur; quod si Ordinarius prudenter iudicet id servari non posse quin graviora oriantur mala, prudenti eius arbitrio committitur hac super re dispensare, firmo tamen praescripto can. 1102, § 2 » (can. 1109).

2 In *Am. Lat.*, ex privilegio a LEONE XIII per const. « Trans Oceanum » 18 apr. 1897, n. XI ad triginta annos concesso, indi et

2. *Locus* est ecclesia parochialis. In alia ecclesia vel in oratoriis matrimonium celebrari poterit de licentia Ordinarii loci vel parochi. In privatis aedibus permitti non potest, nisi ab Ordinario loci in aliquo casu extraordinario et ex iusta causa. In ecclesia vel oratorio Seminarii vel religiosarum Ordinarii id permittere non debent nisi urgente necessitate et adhibitis cautelis.

Attamen matrimonia mixta celebrari debent extra ecclesiam. Quod si, ad graviora mala vitanda, videatur matrimonium celebrari debere in ecclesia, Ordinarius dispensare poterit, non tamen permittere ut adhibeatur quaevis ceremonia sacra, nisi rursus, ad graviora mala vitanda, videatur aliqua ex consuetis permittenda, numquam tamen Missae celebratio.

858 *f*) **Ritus celebrationis matrimonii** describitur in *Rituali Romano* tit. VII, cap. 2 consistitque in requirendo excipiendoque consensu, quem datum sequitur brevis benedictio: «Ego vos coniungo etc.», et, post eam, benedictio annuli. Si quae aliae laudabiles consuetudines et caeremoniae praeterea vigeant, servari possunt iuxta can. 1100.

De benedictione sollemni nuptiarum. Sollemnis haec benedictio reperitur in *Missali* infra Missam «pro sponso et sponsa» consistitque in orationibus «Propitiare» et «Deus qui», dicendis ante «Libera nos», et in oratione «Deus Abraham», ante benedictionem finalem Missae. Circa eam sequentia advertenda veniunt:

1° Parochus curare debet, ut eam sponsi accipiant (eam tamen accipere proprie non obligantur), potestque eis dari, etsi iam diu in matrimonio vixerint.

Dari tamen non potest, si mulier eam in aliis nuptiis iam acceperit[1]. Dari etiam non poterit sponsis absentibus. Prohibetur quoque tempore feriato, ut diximus, sine licentia Ordinarii loci.

2° Eam ille tantum sacerdos per se vel per alium dare potest, qui valide et licite matrimonio potest assistere[2]; opus est ergo licentia parochi vel Ordinarii competentis[3].

3° Nequit abstrahi a Missa, id est prohibetur benedictio sollemnis dari unquam extra Missam[4], sed dari debet semper in ea, ideoque omitti, si Missa non celebretur.

---

nigritae (quinam hi dicantur, cf. n. 372 III, *NB.* 3 sub finem) quocumque anni tempore nuptiarum benedictionem accipere possunt, dummodo tempore feriato pompae apparatum non adhibeant.

1 Can. 1143; *Rit. Rom.* (1913) tit. VII, c. 1, n. 16.

2 Quia est functio parocho reservata. Cf. can. 462, 4°; Noldin n. 657, 2.

3 Haec tamen licentia censetur ab iis impliçite dari, eo ipso quod delegationem ad assistendum matrimonio alicui concedant.

4 Can. 1101, § 1; *Decr. auth. S.R.C.* n. 3798.

De Missa in nuptiis. Exstat in *Missali*, inter Missas votivas, **859**
specialis « Missa pro sponso et sponsa »[1] secumferens benedictionem sollemnem, de qua diximus. Non semper haec Missa permittitur, quibusdam enim diebus impeditur; saepe tamen, diebus impeditis, dici potest eius loco Missa de officio diei iuxta Rubricas[2], addita, intra eam, sollemni benedictione. Quod si hanc sponsi, propter prohibitionem Rubricarum aliamve causam, non receperint, hortandi sunt, ut primo quoque tempore ad eam recipiendam redeant, electo die, quo Missa cum eadem celebrari possit.

---

1 Haec Missa dicitur cum paramentis albis, sine *Gloria nec Credo*, etsi celebretur cantata vel sollemniter. — Si celebretur *lecta*, adduntur, pro 2ª et 3ª oratione, duae priores orationes, quae alias assignatae sunt in Missa de officio diei, adduntur praeterea aliae commemorationes, si forte adhuc aliae in Missa diei occurrunt. Si tamen in Missa diei oratio est unica, haec ponitur tamquam 2ª in « Missa pro sponso et sponsa » et non additur 3ª oratio. — Si celebretur *sollemniter*, orationes dicuntur sicut in Missa sollemni « pro re gravi ». — Dicitur Praefatio propria officii primo loco inter ea, quae forte habeant Praefationem propriam, commemorati. Quod si nulla commemoratio habeat Praefationem propriam, dicitur Praefatio de infra octavam occurrentem, si forte occurrit et Praefationem propriam habeat, secus, de « tempore »; secus Praefatio communis.

Prohibetur « Missa pro sponso et sponsa » (Cf. Rubricam in novissimo *Missali* huic Missae praepositam): — 1° In Commemoratione Omnium Fidelium Defunctorum et in festis duplicibus primae et secundae classis. — 2° In dominicis et festis de praecepto, licet suppressis (festa de praecepto suppressa, quae non recenseantur nunc inter festa 1ae vel 2ae classis, sunt tantum festa S. Barnabae, 11 iunii, et S. Silvestri Papae, 31 decembris). — 3° Infra octavas Epiphaniae, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi. — 4° In Vigilia Pentecostes. — 5° Durante tempore clauso, id est a dominica 1ª Adventus ad diem Nativitatis inclusive et a feria IV Cinerum ad dominicam Paschae inclusive, quia eo tempore benedictio sollemnis non datur. — 6° Prohibetur quoque diebus Litaniarum, in ecclesiis unicam Missam habentibus, si fiat processio.

2 Nempe diebus impeditis in superiore nota recensitis:

Extra tempus clausum dici potest (non tamen in die Comm. Omn. Def.) Missa diei cum *Gloria* et *Credo*, si Missa id requirat, et additur primae orationi diei oratio pro sponsis desumpta e « Missa pro sponso et sponsa » (sub diversa conclusione, sed si festum omnem aliam orationem excludit, ut accidit v. gr. in festo Pentecostes vel SS.mae Trinitatis, additur sub unica conclusione; *S.R.C.* 14 iun. 1918: *A.A.S.* [1918] p. 332; *Decr. auth.* n. 3922, n. VI); intra Missam diei datur benedictio sollemnis ut in eadem « Missa pro sponso et sponsa ».

Tempore clauso, Missa pro sponso et sponsa, sicut et benedictio sollemnis, prohibetur et nec commemorationem illius licet addere Missae diei. Sed, si benedictio nuptialis permittitur ab Ordinario loci, « Missa pro sponso et sponsa » dici poterit, exceptis diebus in superiore nota indicatis et excepta quoque Vigilia Nativitatis, feria IV Cinerum et tota Hebdomada Maiore; diebus tamen impeditis dici poterit Missa diei et dari sollemnis benedictio, sicut nuper indicavimus pro diebus impeditis extra tempus clausum.

Celebrans non tenetur Missam pro sponsis applicare, sed alii stipendio, si a sponsis non acceperit, satisfacere potest.

In matrimoniis mixtis interrogationes de consensu fieri debent (can. 1102), id est debet quidem sacerdos consensum requirere et excipere, sed extra ecclesiam et sine vestibus sacris, nam prohibentur quilibet ritus sacri, ut paulo superius diximus, nisi ob gravem causam aliquam Ordinarius loci permiserit, semper tamen exclusa Missae celebratione.

860 *g*) **De matrimonii inscriptione**[1]. Matrimonii inscriptio quamprimum fieri debet in parochiali libro matrimoniorum, iuxta formulam, quam exhibet *Rit. Rom.* tit. X, c. 5. Si alius sacerdos ac parochus matrimonio adstitit, is quamprimum de celebrato matrimonio ab eodem sacerdote certior reddi debet[2].

Matrimonium adnotari quoque debet in margine libri baptizatorum, ideoque certiores fieri quoque debent parochi baptismi spectantes ad utrumque coniugem.

h) **Matrimonium conscientiae**[3], quod nempe celebratur omissis denuntiationibus et secreto, nonnisi ex gravissima et urgentissima causa (v. gr. ob prohibitionem legis civilis, vel quia personae in concubinatu vivebant et communiter putabantur coniuges) et de Ordinarii loci licentia permittitur. Tum sacerdos et testes, tum Ordinarius eiusque successores tum denique coniux quisque respectu alterius, obligantur ad secretum. Huiusmodi matrimonium adnotari debet in peculiari libro secreto.

861 *i*) **Appendix. Matrimonium civile**[4] prorsus invalide a catholicis saltem initur, ob defectum formae canonicae, cui

---

1 Cf. can. 1103, § 2, 470, § 2; instr. *S.C. de Sacram.* 6 mart. 1911, n. II (*A.A.S.* [1911] p. 102); Ferreres, *Los espons. y el matrim.* (edit. 5ª) n. 388-424 623-628 678-691 876 877.

2 Celebrato matrimonio in extraordinariis adiunctis, de quibus in n. 854, parochum certiorem facere debet sacerdos qui, etsi non competens, adstitit; in eius defectu obligatio incumbit testibus et contrahentibus in solidum (can. 1103, § 3).

3 Cf. can. 1104-1107; Ferreres, *Los espons. etc.* n. 414 seqq.; Verm.-Creus. n. 410; Gén.-S. n. 456, 3°

4 De matrimonio civili cf. Perrone, *De matrim.* I, sect. 2, c. 1, p. 193); Gasparri n. 1517-1533; Wernz n. 200-213; Lehmk. n. 952 cum nota; De Smet n. 449-462; Gén.-S. n. 476 562, III, 4°.

Generatim Codices civiles formam contrahendi sic praescribunt: Praevia manifestatione propositi contrahendi, officiali civili facta, et elapso quodam temporis spatio a lege assignato, ut interea comperiri possint impedimenta et matrimonio opponi possint ii, quorum intersit; nupturientes, die et hora conventa, adeunt cum testibus magistratum civilem, qui, lectis quibusdam Codicis civilis articulis de obligationibus coniugum (vel lecta, iuxta quosdam

adstringuntur. Cum tamen id impiis modernis legibus[1] exigatur, fideles eius caeremoniam explere ab Ecclesia permittuntur, immo, explere debent ad gravia incommoda vitanda, ne videlicet coniux a coniuge possit facile deseri, vel filii tamquam illegitimi habeantur coram lege, si matrimonium omni effectu civili careat. Hanc tamen civilem caeremoniam explere debent p o s t q u a m matrimonium in facie Ecclesiae contraxerint; quod si lex exigat, ut contrahentes compareant p r i u s coram magistratu civili, poterunt quidem id facere, at scire debent id nullum verum matrimonium esse, sed agi de meris civilibus requisitis explendis, interimque debere seiunctim vivere.

Ad gravia quoque vitanda incommoda parochi non debent, sine licentia Episcopi, coniungere eos, quos lex a matrimonio ineundo excludit.

Ubi matrimonium civile obligatorium est, regulariter magistratui licet huic caeremoniae assistere, siquidem Ecclesia eam fidelibus explere permittit. Quod si norit accedentes, ob malam

---

Codices, illa manifestatione sui propositi in scriptis missa pridem a nupturientibus, vel nulla facta lectione, iuxta alios Codices), recipit eorum consensum et matrimonium contractum declarat nomine legis, tandem de celebratione peracta documentum redigit: C.C. *arg.* a. 194-200; *br.* a. 192-196; *chil.* « Ley de matr. civ. » a. 16-18; *gall.* a. 75 165; *hisp.* a. 100; *mex.* « Ley de rel. fam. » a. 3; *ur.* a. 99. Sed iuxta alios Codices officialis civilis interrogat nupturientes, an adhuc permaneant in proposito contrahendi, et post eorum affirmationem redigitur documentum, quo redacto matrimonium declaratur contractum: C.C. *col.* a. 135; *lus.* a. 1081.

Iure *col.* reformato per leges 57 et 153 anni 1887 et per leges 30 et 35 anni 1888, a. 139 obligat tantum eos qui non contrahant canonice. Iure autem *hisp.* a. 42 et *lus.* a. 1081 obligat tantum non-catholicos; iure autem *hisp.* iuxta a. 77 matrimoniis catholicorum praesens esse debet iudex municipalis aut alius functionarius officialis, ad effectum tantum inscribendi matrimonium in registro.

In *Hispania*, cum pro solis acatholicis matrimonium civile exsistat (C.C. a. 42 75), plusquam semel missae fuerunt ad iudices litterae circulares (2 mart. 1875, 19 iun. 1880, 31 iul. 1905, sed duae postremae in « Gaceta » non fuerunt insertae; adde decretum seu « regalem ordinem » 28 dec. 1900 latum pro casu particulari), ne ad matrimonium civile admitterent nisi eos, qui declararent se esse acatholicos (cf. quoque Ferr. n. 989). Sed per decretum 27 aug. 1906, litteris circularibus paulo post super eodem missis 31 aug. 1906 (in « Gaceta » inserta fuerunt respective diebus 28 aug. et 8 sept. eiusdem anni), haec obligatio professionis acatholicae praemittendae omnino sublata est.

[1] Impium quidem non est exigere, ut de matrimoniis in regesto civili constet, immo id necesse habet societas civilis. Sed impia certe est lex civilem contractus caeremoniam instituens simulque eam ut sufficientem respiciens ad verum validumque huius generis contractum, praecisa qualibet interventione Ecclesiae, immo sine ulla necessitate exigens aliquando (ita C.C.*arg.* a. 267. *ur.* a. 84, statutis non modicis poenis in sacerdotes, qui id non observaverint), ut caeremoniae canonicae civilis praeponatur.

voluntatem, dein canonice non esse contracturos, causa vere gravis requiritur (puta timor amittendi officii), eaque sufficit, ut eius assistentia cohonestetur, remoto tamen scandalo et monitis partibus de nullitate actus, nisi monitio prorsus inutilis credatur. At si aliquem norit impedimento ligaminis detineri, assistentia nonnisi ob gravissimam causam licere videtur, et remoto scandalo [1].

Caput 9. USUS MATRIMONII

862 Ex ipsa matrimonii natura, cuius principalis finis est humani generis propagatio (can. 1013, § 1), necessario oritur ius ad copulam coniugalem. De cuius usu non potest brevis quaedam instructio, ad dirigendas conscientias, praeteriri. Interrogationes autem a poenitentibus de hac materia, nonnisi a longe, si vera adsit necessitas, et honestissimis verbis confessarius facere debet, memor se ministrum esse Iesu Christi eiusque sacramenta sanctissime dispensare teneri.

Art. 1. Usus licitus vel illicitus ex circumstantiis.

Quamquam per se coniugalis copula licita sit, illicita tamen reddi potest in quibusdam circumstantiis ob damnum praesertim, quod non raro ex ea alicui e coniugibus aut proli impenderet.

863 *a*) **De circumstantia temporis** [2]. 1. *Tempore menstruationis* copula particularem turpitudinem praesefert, cuius contemptus mutuo coniugum amori facile praeiudicat mulierique irritationem, quam tunc patitur, augere potest. Unde, nisi ex iusta causa cohonestetur (cuiusmodi esset nimia abstentio), per se levis dicenda est [3]. Si quando tamen grave damnum praevideretur, sub gravi interdicenda esset.

---

1 Cf. Gasparri n. 1532 1533; Lehmk. n. 952 nota; Gén.-S. n. 476 III; et vide dicenda in n. 878 nota, sub eius finem.

2 Cf. Sánchez l. 9, d. 21 22; S. Alhp. n. 909-911; Eschbach, *Disp. physiol.-theol.* disp. 1, c. 8; Antonelli, *Med. past.* n. 385-439; Lehmk. n. 1081-1083; Dr. Capellmann, *Med. past.* D, c. IV, n. 4; Dr. Surbled, *La morale* l. 1, c. 8, l. 3 c. 19, l. 4, c. 2; Vermeersch, *De cast.* n. 239; Ferr. n. 1142; De Smet n. 226 227; Noldin, *De sexto praec.* n. 81-86; Gén.-S. n. 544; Dr. Forel, *La quest. sex.* p. 489-491.

3 Quamquam sanguis ex uteri parietibus fluat purissimus, dein tamen, in eiectionis organis, quae infecit, foedissime putrescit; hinc naturalis in muliere verecundia et in viro repugnantia, quae non sine aliquo mutui amoris detrimento contemnuntur. Fluxus in uteri parietibus provocatur ex irritatione nervea, orta vicissim ex phaenomeno decisionis maturi ovuli; mulier igitur in statu ver-

2. *Tempore praegnationis* aliquod semper abortus periculum ex copula non abesse, fatentur omnes; unde copula sub levi prohibenda esset[1]. Sed cum iusta causa vix non habeatur eius peragendae, periculum scilicet incontinentiae aut saltem nimium abstentionis incommodum, cumque causa vix unquam absit, copula, ne sub levi quidem, prohiberi debet. Coniuges tamen periculum abortus removere procurent, servata moderatione tum in frequentia tum in modo, praesertim quatuor primis praegnationis mensibus et maxime sub eius finem[2].

3. *Tempore puerperii* severius iudicandum est. Duabus enim primis hebdomadis partum subsequentibus tam magnum damnum copula mulieri nata est inferre, ut omnino ab ea sub gravi sit supersedendum[3]. Nec grave periculum, etsi iam

---

satur cuiusdam nervositatis, cui accedit irritatio in genitalibus ex sanguinis profluvio et alteratione; hinc periculum maioris irritationis ob copulam. Non ergo videtur assentiendum Eschrachio, qui p. 114 ait nullam se invenire rationem cur huiusmodi copula leviter illicita dicatur; sicut, e contra, secluso casu gravis damni, cuius praevisio abstentionem sub gravi praecipiat, relinquenda est omnino quorumdam opinio antiquorum, qui eam gravem reputarunt propter prohibitionem legis mosaicae, cuius positivae praescriptiones iam sunt abolitae (cf. Pesch, *Prael. dogm.* V, n. 508 seqq.), vel propter damnum fabulosum generandae prolis leprosae aut monstruosae.

Notandum quod aliquando generatio observata est fuisse subsecuta ex copula tempore menstruationis. Consuli ergo potest coniugibus de obtinenda prole desperantibus a medico, habita ratione status mulieris.

Denique accidit aliquando mulieribus haemorrhagia uterina extraordinaria et diuturna. An sub gravi copula tunc prohibenda sit pendet a magnitudine et periculo damni timendi, de quo medici iudicium exquirendum erit.

1 Alia quoque ratio prohibitioni sub levi accederet: copulae inutilitas ad finem generationis, nisi alium quoque finem matrimonialis status secundario haberet: concupiscentiae sedationem.

2 Primo quidem gestationis tempore abortus facile potest oriri ex copula, nimia enim facilitate provocatur hyperaemia uteri cum consequente ovuli separatione et eiectione, praesertim si immoderate exercetur copula. Sed quoniam de conceptione sat recenti vix unquam constabit, et aliunde causae supra memoratae non deerunt, rarissime obligatio gravis aderit abstinendi, raro etiam levis, saltem si servetur moderatio tum in frequentia (v. gr. ne iterum eadem die) tum in modo (v. gr. ne impetuose).

Inter 2um et 4um mensem plerique abortus incidere solent; unde particularis moderatio retinenda est primis saltem quatuor mensibus praegnationis, praesertim si uxor ad abortus propendeat.

Maxime sub gestationis finem praecautiones esse servandas, ne fetui noceatur, manifestum est.

3 Bestialem crudelitatem appellat Capellmann copulam duabus primis hebdomadis peractam. Revera ob magnam virium debilitatem, abnormem uteri dilatationem eiusdemque reparationem, ob nervorum irritationem et dolores etc., mala vere gravia inferret

minus, in tertia et subsequentibus usque ad sextam inclusive disparuisse censendum est[1]; quapropter etiam in tertia et quarta hebdomada sub gravi videtur copula prohibenda, nisi necessitas urgeat gravis (cui tamen mulier cedere non tenebitur), minus severe tamen gravem causam exiges in quinta, minus iam in sexta.

4. *Tempore lactationis* non est cur prohibeatur copula, cum periculum ne sistat aut inefficacius evadat lac (quod alioqui facile suppleri potest), satis remotum sit, nec possit tam diuturna abstinentia coniugibus imponi.

864 5. *Tempore morbi* generatim grave damnum ex copula non imminebit; pleraeque enim aegritudines non fiunt inde notabiliter peiores. Si tamen immineret, gravis causa requireretur ut debitum liceret petere et reddere, cuiusmodi esset grave incontinentiae periculum, quod crearet abstinentia diuturna[2].

Mulieres, quibus medici mortem praedicunt ad sequentem partum, generatim non tenentur sub gravi a copula abstinere, quia ex una parte huiusmodi praedictiones saepe frustrantur, ex alia grave incontinentiae periculum impenderet[3]. Et quamvis moraliter certo constaret de impendente morte ex futuro partu, probabiliter tamen non teneretur gravia incommoda continentiae perpetuae subire[4].

---

copula primis hisce post partum diebus. De cetero mulier eo tempore naturaliter coitum aversatur. Viro autem parcendum non est; abstinentiam enim servare debebit et poterit, sicut deberet durante uxoris morbo.

1 Usque ad quinque vel sex hebdomadas post partum non bene sedantur organa muliebria, nec complete uterus ad primitivum suum volumen redactus est.

2 Prae oculis passim habendum erit in praesenti materia non idem esse uni coniugi « licere petere » et alterum « debere reddere »; nam ad vitandam incontinentiam compartis caritas permittit quidem periculo se exponere, non tamen ad id obligat, quia ad illam vitandam spiritualia media non desunt.

3 Quam facile quidam medici quibusdam aegris pericula copulae decantent aut exaggerent avertantque feminas ab ineundo coniugio, si solutae sunt, a praegnantia, si nuptae, cf. supra in n. 793 nota 4; Ferr. n. 1157 nota.

Speciatim de praedictionibus mortis post proximum partum, si copula admittatur, secuturae, saepe eas per experientiam fuisse dementitas, cf. Dr. Surbled, *La mor.* l. 4, c. 7, p. 196-198; Ferr. n. 1157 nota; Gén.-S. n. 544, 5°.

Etiam in casu pelvis evidenter nimis angustae, quae transitum fetui manifeste non permittit, valde abest, quin mors praedici possit, cum in promptu sit operatio caesarea, cuius periculum hodie, ob chirurgicae methodi progressus, notabiliter decrevit (n. 181).

4 Sánchez l. 7, d. 102, n. 9-11.

In morbo contagioso prudenter perpendi debet quantum periculi immineat, quanta copulae necessitas sit. Ex dictis alibi (n. 793) constat parum esse timendum ex coitu cum phthisico; potius ipsi aegro coitum frequentem esse posse valde damnosum. Contagium ex coitu cum syphilitico certum est, si altera pars hunc morbum nondum contraxit; cum tamen mortem non de brevi afferat, sed saepe post plures annos, copulam pars sana (quam altera de periculo praemonere tenetur) admittere non prohibetur ex valde urgenti causa, cuiusmodi est, quod secus ambo coniuges continentiae devoverentur in perpetuum [1]. Denique, ex ibidem dictis (n. 793) eruitur cardiopathas a copula teneri abstinere pro gravitate periculi et difficultate continentiae; ob hanc causam abstinentia generatim non obligabit sub gravi.

6. *De aliis temporis circumstantiis*. Post balneum aut post prandium vel coenam nullum periculum notabile personis sanis timendum est ex copula [2].

Coniugi in statu ebrietatis non tenetur alter reddere, cum petitio non sit humana. Et cum magnum periculum sit generandi in eo statu sobolem hebetem, surdomutam aut aliter vitiosam, non licet debitum petere a coniuge ebrio aut post largam liquorum alcoolicorum potationem, nec reddere, nisi aliter evadi non possent graves minae [3].

7. *Tempore sacro*, ieiunii et diebus festivis abstinere a petendo debito, optimum consilium est, coniugibus perfectiora sectantibus suadendum; petenti tamen denegari debitum non potest. Saltem enixe suadendum est, ut die, quo SS. Eucha-

---

1 Gén.-S. n. 544, 5°.

Quaeres an, contracta syphili ab altero ex coniugibus (v. gr. ex commisso adulterio), liceret alteri sano applicare sibi remedium aliquod praeventivum ante copulam ad contagium evitandum et sic matrimonio uti. — *Resp.*: Remedium antisyphiliticum praeventivum, si quod vere efficax noscitur, non est illicitum, dummodo nihil in eo contineatur quod spermatozoida perimat aut quomodocumque generationem impedire possit. Porro, an in hoc vel illo remedio aliquid huiusmodi contineatur, addisci debet ab aliquo perito medico rectae et probatae conscientiae.

2 Dr. Capellmann, *Med. past.* D, c. IV, a. 4; Antonelli, *Med. past.* n. 439; Vermeersch n. 239, 6°.

3 Vitiosam prolem generari in statu ebrietatis experientia videtur testari; causa potest esse alteratio seminis ob alcoolem. Cum igitur causa non urgeat petendi aut reddendi, potest enim exspectari, ut evanescat ebrietas, absque fundamento alii usum coniugii permittunt.

Et generatim non est negligendus status physicus et moralis parentum in actu copulae, non parum enim videtur influere in qualitates prolis. Idcirco curare deberent, ut ad copulam accederent cum animo tranquillo, ab ira, defatigatione, passionis aestu, libero (cf. Antonelli, op. cit. II, n. 373).

ristia sumenda est, debitum sine ullo motivo, ob meram voluptatem, non petatur[1].

865 *b*) **De circumstantia loci et situs.** Actus coniugalis graviter est illicitus, si non fit secreto, ob scandalum; hoc parentes filiis facile dare possunt, nisi diligentissime caveant.

Situm naturalem feminae succubae et viri incubi mutare veniale non excedit; nec veniale excedit, si semen quidem intra vas immittitur, sed per accidens, ob mutatum situm, aliqua pars e vase decidit, dummodo sufficiens ad generationem retineatur; immo, si is esset unicus modus coeundi possibilis, licitus esset. Nullum peccatum est mutare situm cum causa, v. gr. ne noceatur fetui satis evoluto, vel ob viri pinguedinem.

Ceterum confessarii nihil circa situm interrogare debent; sed si coniux se accusat de eo mutato, interroget, num ex hac mutatione generatio nullatenus sequi unquam possit; si ait non posse, intelligat peccatum sodomiae; si posse, intelligat coivisse a tergo more brutorum, quod de se veniale non excedit.

c) **De circumstantia finis.** Licet actum coniugalem habere ad procreationem, qui finis est primarius matrimonii, vel ad sedandam concupiscentiam, qui finis est secundarius (can. 1013), vel ad satisfaciendum iuri petentis, vel ad fovendum amorem mutuum.

Illum exercere ob finem merae voluptatis, si quilibet alius finis vere excluderetur, veniale esset.

Gravis circumstantia admisceri potest in animo utentis matrimonio, si nempe accedat ad coniugem mente adultera, id est repraesentans sibi aliam mulierem, etsi haec sit prior uxor defuncta[2].

866 *d*) **De fecundatione artificiali**[3]. Artificialis fecundatio dicitur, quae obtinetur extra copulam; videlicet medicus (vel

---

1 Nec tamen inde sequitur coniugatos vel ad quotidianam communionem non posse accedere, vel nimis saepe debere ab usu coniugii abstinere; causa enim petendi aderit saepe, tuncque iam non petetur ob meram voluptatem.

Uxor, quamvis SS. Eucharistiam frequentet, ne dissuadeat viro petitionem neque displicentiam ostendat, sed ultro obsecundet.

Coniux, qui ad SS. Eucharistiam quotidie accederet et, spreto consilio, vellet nihilominus usui coniugali passim ex mera voluptate vacare, is aliquam suspicionem praeberet, ne cum recta mente ad frequentem communionem non accedat.

2 Sánchez l. 9, d. 17, n. 6; S. Alph. n. 913 933; Ball.-P. n. 592 593; Lehmk. n. 1073; Vermeersch, *De cast.* n. 240, 2°.

3 Cf. Antonelli, *Med. past.* II, n. 487-529; Eschbach, *Disp. physiol.-theol.* disp. 1, c. 4, art. 3; Dr. Surbled, *La mor.* l. 2, c. 15; Payen, *Déont. médicale* p. 324-326; Gasparri n. 1302; Vermeersch, *De cast.* n. 241; Ball.-P. n. 1304; Lehmk. n. 1072; Ferr. n. 1137; De Smet n. 560; Gén.-S. n. 545, VI; Noldin, *De sexto praec.* n. 77.

maritus ipse) mariti semen iniicit ope siphunculi in uterum mulieris[1].

Si semen procuratur per mariti pollutionem, patet id esse graviter illicitum, atque haec saltem praxis est, quam damnavit S. Sedes[2] de artificiali fecundatione interrogata.

Alias maritus copulam rite habet, eaque peracta colligitur semen ope siphunculi atque in uterum iniicitur. Probabile videtur id esse licitum in casu necessitatis, quo aliter sterilitas mulieris vitari non possit[3] et dummodo semen e vagina praevie non extrahatur. Sed seclusa necessitate putamus id graviter illicitum; patent enim sequelae si haec praxis ad libitum licita diceretur: magna imminutio amoris coniugalis, deformatio actus coniugalis, pericula fraudum ex parte tertii.

Transferre in uterum uxoris semen directe desumptum ex testiculo mariti probabiliter licitum censent quidam. Putamus id illicitum, etiam in casu necessitatis[4]; non enim videtur licitum, etsi obtinendae prolis gratia, ad medium recurrere, quod statum matrimonialem magna ex parte reddit irrisorium[5]; omittimus magna pericula fraudum.

Art. 2. Usus obligatorius.

a) **Debitum petenti reddendum** est[6] ex matrimonii con- **867**
tractu, ideoque ex iustitia et per se sub gravi, dummodo alter

---

1 Artificialem fecundationem videntur dicere nonnulli, si uxoris vaginae adaptatur instrumentum, quod uteri defectus corrigat ad procurandam fecundationem secus nimis dubiam aut impossibilem. Sed haec non est proprie fecundatio artificialis, quoniam copula naturaliter peragitur, nec quidquam habet illiciti.

2 *S. Off.* 24 mart. 1897.

3 V. gr. ob defectum in collo uteri, ingressum seminis prohibente.

4 Si vere necessitatis casus occurrere possit; est enim in promptu, pro casu necessitatis, praxis alia, supra dicta, probabiliter licita.

5 Paulo aliter hanc rationem proponimus. Qui id licere admittunt, rationem reddunt quia fit absque sensu ullo venereo. At vero, si nulla alia ratio esset, cur haec praxis debeat damnari, dicenda esset licita etiam absque necessitate. Atqui admitti nequit quod coniuges huic praxi vacare possint pro lubitu; sic enim matrimonium suos fines magna ex parte non obtineret atque ab ea ratione, qua a natura institutum est, nimis depravaretur.

Praeterea excusatio ob absentiam sensus venerei nimiam ansam praebet, ut quis iam suspicetur licitum desumere semen ex non marito, immo ad fecundandam mulierem solutam ex homine soluto, praesente vel absente. Quae esset totius institutionis matrimonialis eversio.

6 Iure canonico vetere concedebatur coniugibus, antequam matrimonium consummarent, spatium bimestrale quo neuter reddere tenebatur, ut deliberare posset de capessendo statu religioso.

tam serio et instanter petat, ut ostendat se non mere id cupere, sed ius suum urgere velle[1].

Petenti frequenter, una alterave vice denegare, v. gr. semel in mense, vel differre ad breve tempus, v. gr. ad vesperum, non erit mortale, sicut nec denegare petenti remisse, semper tamen secluso incontinentiae periculo, quod in petente probabiliter advertatur.

Reprehendendae sunt uxores, quae non consentiunt nisi coactae viroque dure petitiones exprobrant.

b) **Non est obligatio reddendi:**

1. Si alter petit *amens*, petitio enim non est humana.

2. Si alter *ius petendi*[2] *amisit*, puta ob adulterium (non semper tamen adulterium adimit ius petendi, ut patebit ex dicendis n. 881.

3. Si alter petat *immoderate*. Immoderatum autem esset, ait *S. Alph.*[3], petere quater eadem nocte.

4. Si unus petit eos actus, aut cum iis circumstantiis, ut *peccatum grave sit ex circumstantia tantum personali petentis* (v. gr. quia est ligatus voto castitatis), alii dicunt compartem teneri reddere, alii non posse reddere; cumque utraque sententia sit probabilis, alterutram sequi licet[4]. Si vero ex parte petentis stet tantum peccatum leve, alter tenetur reddere.

868 5. Si unus petit, *quod peccatum est ex parte ipsius actus vel alicuius circumstantiae obiectivae*, etsi peccatum sit leve tantum (v. gr. petitur copula situ innaturali, vel tempore menstrui, vel in loco publico), alter reddere non debet, semper enim obligatio urget vitandi peccati, etiamsi levis tantum. Saepe tamen causa datur quae malitiam actus tollat (v. gr. si invertatur situs ad cavendum fetui) aut a cooperatione excuset (v.

Hoc ius denegandi debitum in novo iure sublatum est; idcirco ait can. 1111 utrique coniugi ius inesse ad actus coniugales iam « ab ipso matrimonii initio ».

1 Potest seria petitio fieri tacite, idque praesertim evenire potest in uxore, quae ob verecundiam expresse petere non audeat.

2 Dic potius « ius exigendi »; nam petere semper potest, etiam ubi compars reddere non tenetur, dummodo reddere non prohibeatur.

3 n. 940.

4 Sánchez l. 9, d. 6; S. Alph. n. 944 946. Praedicta applicari nequeunt ad casum, quo debitum petat vir, qui praevideatur se retracturus; petit enim non actum legitimum coniugii, sed alium, ad quem ius non habet. Quare, tum quia petitur actus, qui ipse in se corrumpendus erit, tum quia petitur cooperatio, quam sine proportionata causa reddens praestare non potest sine peccato, is casus non ad praecedentem, sed ad sequentem referri debet.

gr. post primas puerperii hebdomadas reddere ad vitandam viri incontinentiam aut notabilem eius offensionem) [1].

6. *Si timetur grave damnum*, v. gr. grave periculum valetudinis, vel contagii notabiliter noxii, vel periculum moriendi in partu [2]. At denegari non potest ob ordinarios partus dolores, neque ob defatigationem aut capitis gravedinem partum consequentem, haec enim in coniugii contractu praevisa fuerant.

7. Si vir culpa sua *nullam curam uxoris vel prolis* habet, sed eam in gravi indigentia et miseria relinquit.

8. Probabiliter [3] causa negandi est, si *plures nascantur* filii quam coniuges possint alere, dummodo absit in his incontinentiae periculum, quod tamen vix aberit, si eodem toro cubent [4]. Quod si proles extremae necessitati committenda esset [5], revera denegatio damnanda non videtur.

c) **Obligatio cohabitandi** sequitur ex obligatione reddendi debitum atque ex aliis matrimonii finibus. Hinc can. 1128: « Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem, nisi iusta causa eos excuset. »

Nequit igitur alter altero invito diu abesse. Quod si vir abire debeat ex iusta causa (v. gr. alendae familiae), uxorem, si commode potest, debet secum ducere. Uxor vero tenetur virum in novum domicilium sequi, nisi in mutatione grave periculum esset valetudinis, vel nisi ille domicilium mutaret ad turpe consortium fovendum cum alia [6].

Art. 3. Usus impeditus.

Ex quibusdam personae circumstantiis exsurgit aliquando **869** impedimentum ad debitum petendum vel reddendum.

a) **Votum** castitatis impedit [7], quominus coniux eo ligatus

---

1 Sánchez l. 9, d. 6, n. 16; S. Alph. n. 946.

2 S. Alph. n. 950 953.

3 Bus. et alii ap. S. Alph. n. 940 941.

4 Res non aegre componetur, ait Ball.-P. n. 649, si, absque incontinentiae periculo, petens aliquid de iure suo remittat, et alter reddat diebus minus idoneis generationi. Regula tamen de diebus minus idoneis est valde dubia, ut alibi dicemus.

5 Id tamen vitari posset eam committendo ad brephotrophium.

6 S. Alph. n. 938 977.

7 Ordinarii iam non possunt de iure dispensare cum ligato voto simplici et reservato castitatis in ordine ad petendum debitum. Poterunt tamen, iusta de causa (quae vix non aderit) ab eodem voto dispensare: 1° si res urgeat et non sit tempus recurrendi ad S. Sedem (can. 81); 2° vi facultatis extraordinariae, quam forte habeant a S. Sede acceptam; 3° si non adsunt omnes conditiones reservationis, de quibus cf. can. 1309 vel supra in n. 158; 4° dispensatio obtineri poterit a sacerdote facultate delegata vel subdelegata forte munito.

licite *petat* debitum vel alium quemvis actum, qui in soluto esset contra castitatem; idque intellige, etsi periculum habeat incontinentiae [1], etenim obstat votum. Comparti tamen petenti poterit *reddere*, quia iuri alterius satisfacere debet [2]. Sed *nec petere nec reddere* potest, si in altero ius petendi cessavit, v. gr. ob adulterium.

b) **Adulterium** non impedit quidem adulterum, quominus debitum petat, alter tamen ei reddere non tenetur (ut diximus n. 867 et accuratius dicemus n. 881) [3].

870 *c*) **Impotentia consequens** certo cognita [4] actum coniugalem prohibet; nam si impotentia ex caliditate [5] provenit, haberetur mera pollutio viri; si ex frigiditate, coitus aequivaleret pollutioni ex parte feminae [6]. Attamen coniugibus impotentibus non prohiberentur, secluso pollutionis periculo, alii actus mutui luxuriae inconsummatae, iuxta dicenda inferius n. 872.

Si impotentia consequens provenit *ex defectu veri seminis* (ex castratione viri, cui testes ablati sunt, vel ex provecta senectute semen iam non elaborante, vel ex atrophia aliove morbo

---

1 Tunc poterit alterum monere ut petat et, eo petente, poterit reddere.

Immo, si compartem voto non ligatam sentit in periculo incontinentiae versari et prae verecundia tacere, uti accidere potest in femina, poterit se offerre; tunc enim potius r e d d i t, siquidem alia pars interpretative petebat. S. Alph. n. 930.

2 Si petens ligatur voto, iam diximus n. 867, *b* 4°, alios esse putantes debitum ab altero debere negari, ad vitandam cooperationem peccato alieno, alios vero putantes debere reddi ex obligatione iustitiae, debere tamen eum monere, si potest sine incommodo, ut a petitione desistat. S. Alph. n. 944.

Quid si ambo coniuges voto ligati essent, cf. dicta n. 157, 1°*NB*.

3 In veteri iure alia causa erat privans iure petendi debitum, ita ut ipsa petitio esset illicita, nempe incestus consummatus cum consanguineis compartis. Ius parti culpabili hanc poenam imponebat ob affinitatem contractam cum comparte. Haec poena in novo iure non exsistit, neque iam affinitas exsurgit cum comparte, quoniam affinitas, iuxta can. 97, non oritur nisi ex matrimonio.

4 De d u b i o impotentiae a n t e c e d e n t i s, cf. n. 799.

5 Caliditas est vitium, quo tam cito erumpit seminatio, ut tempus viro non concedat semen effundendi in vase debito. Frigiditas est vitium prohibens penetrari feminam ob defectum erectionis virilis membri.

6 Attamen coniuges copulam tentare possunt semper ac aliqua spes probabilis affulget eam rite peragendi, quamvis per accidens et praeter intentionem extra vas semen effundatur. Cf. Sánchez l. 9, d. 17, n. 20 seqq.; S. Alph. l. 6, n. 954, dubit. 2; Vermeersch, *De cast.* n. 230.

Si coitus perageretur, et forte ob utriusque impotentiam neuter seminaret, habendus esset tamquam merus genitalium partium tactus. S. Alph. n. 918.

testiculorum, vel si impotentia consequens se habet ex parte uxoris, cui ovaria aut uterus debuerunt excidi), usus coniugii probabiliter[1] non est illicitus; ius enim ad copulam iam acquisitum fuit et per accidens videtur quod humores distillationis iam verum semen non comitetur; quare, si per illam copulam primarius matrimonii finis non obtinetur, obtinetur saltem secundarius. Attamen, si impotentia (v. gr. castratio) malitiose procurata fuit ad impediendam generationem, pars culpabilis copulam petere non poterit[2], sed tantum comparti, si haec innocens est, petenti obsequi.

Si impotentia consequens inde provenit, quod uxor facta est *nimis arcta*[3], haec, iuxta communiorem sententiam, incisionem pati tenetur, si eam subire potest absque periculo gravis morbi; excipe, si insuperabilem verecundiam experiatur[4]. Si tamen incisio non posset fieri, sunt qui permittant immissionem seminis ad os vaginae, cum aliter copula non possit haberi; quod, propter sic opinantium auctoritatem (cf. n. 873 nota, sub finem), damnare non audemus; idem dic, si uxor *vaginismo* laboret nimis diuturno et difficulter medicabili, qui aliter virum accedere prohiberet.

Steriles, sicut ad coniugium contrahendum admittuntur, ita ab eius usu non prohibentur.

d) **Dubium de valore initi matrimonii** dubitantem obligat, 871
ex principiis generalibus de conscientia, *inquisitionem facere* de rei veritate (vel dispensationem petere, si impedimentum est dispensabile), interea vero, dum perseverat dubium, non potest debitum (neque actum quemvis, qui in solutis adversatur castitati) *petere*, ne se exponat periculo materialiter peccandi; potest tamen et debet *reddere* comparti petenti, si haec in bona fide[5] est, quia ius suum possidet[6].

Si, *diligenti inquisitione facta*, dubium perseverat, attendendum est qua fide, bona an dubia, matrimonium contraxerit.

---

1 Cf. SÁNCHEZ l. 7, d. 102, n. 6 7.

2 Cf. dicta n. 783 nota. Non tamen privabitur iure petendi actus inconsummatos.

3 Si arctitudo matrimonium praecesserit, externi fori erit iudicare an coniugium invalide contractum fuerit ex capite impotentiae antecedentis et perpetuae.

4 S. ALPH. n. 1099.

5 Compartem in bona fide versantem non tenetur monere de suo dubio.

6 Exorto dubio de valore matrimonii contracti, recursus pro dispensatione impedimenti obtinenda potest fieri ad Ordinarium vi canonis 15; vel, si res urget (ordinarie, nisi multum temporis effluxerit a matrimonio inito, res urgebit), recurri poterit ad eumdem Ordinarium, aut, si tempus ad eum recurrendi non suppetit, ad parochum vi canonis 1045.

Si bona fide, poterit ius suum prosequi, ideoque et petere; favet enim ipsi possessio bona fide incepta. Si dubia fide contraxerit, non potest petere dum perseverat dubium negativum [1], secus vero probabiliter [2], si habeantur rationes probabiles pro valore matrimonii et dummodo non agatur de impedimento ligaminis [3].

e) **Detecta certo invaliditate matrimonii** ab usu coniugii prorsus abstinendum est, sive ab ullo actu petendo sive reddendo. Generatim, nisi graves rationes contrarium poscant, procurandum est, ne matrimonium dissolvatur et quisque coniugum alius ab alio abeat. Sed si ambo invaliditatis conscii sunt, separentur interim, a toro saltem; et, quantum fieri possit absque aliorum, praesertim filiorum, scandalo, etiam ab habitatione, diversasque petant domos; interim, inquam, dum dispensatio impedimenti petitur. Sin autem unus tantum invaliditatem noverit, alterum ne moneat, sed in bona fide interim relinquat, debitum tamen petenti obsequi non poterit.

Ad matrimonium igitur convalidandum quantocius procedendum erit. Et quoniam his in adiunctis ordinarie res maxime urget [4], pro dispensatione impedimenti recurratur ad Ordinarium, aut, tempore deficiente, ad parochum, iuxta can. 1045. Hac obtenta, revalidetur matrimonium iuxta regulas inferius tradendas.

---

[1] Certissimum est, ait Sánchez l. 2, d. 42, n. 8 et post eum Lacroix n. 309, coniugem, qui dubia fide contraxit, non posse petere, quia possessio sic incepta nihil suffragatur. Intellige, quamdiu dubium neque directe neque vi alicuius principii reflexi deponi potest.

Non videntur autem admittenda duo principia reflexa, quae S. Alph. n. 906 putat « satis probabiliter » applicari posse (excipit tamen casum dubii ligaminis); non 1um, scilicet « standum pro valore actus », quia hoc principium supponit actum bona fide positum; non 2um, scilicet « matrimonium ex se est causa favorabilis etc. », quia nec ipsum forum externum iudicaret pro valore matrimonii, si posset probari id contractum fuisse cum dubia fide.

[2] Sánchez l. 2, dub. 42, n. 9; Lacroix n. 299; Sporer, *De consc.* n. 77.

[3] Sánchez quidem l. 2, d. 42, n. 9 hanc exceptionem non facit, immo satis aperte tradit eam non esse necessariam, quoniam in laudata d. 42 loquitur praecise de impedimento ligaminis. Attamen videtur cum S. Alph. n. 906 et aliis illa exceptio esse facienda; nam sicut ratio probabilis non sufficit ad secundum matrimonium ineundum stante priore in possessione (n. 873 nota), ita non sufficit ad illud purgandum postquam iam est initum.

[4] Ordinarie; potest enim res non adeo urgere, v. gr. si unus coniugum in dissitis terris absit, aut si sciatur certo nonnisi post determinatum tempus ab itinere reversurus. Tunc pro dispensatione recurrendum erit ad S. Sedem, si Ordinarius speciales facultates non habeat.

Art. 4. Abusus.

Quidquid in hoc capite de actibus coniugum, aut solitariis aut habitis inter se, dicturi sumus, sub his verbis breviter comprehenditur: *Abusus gravis a coniugibus non committitur, nisi committant sodomiam, aut pollutionem, aut proximo eius periculo sine gravi causa se exponant.* Id pro regula habere debet confessarius, ut interrogationibus in hac materia quam maxime parcat. 872

a) **Abusus per actus luxuriae imperfectae**[1]. Iuxta distinctionem nuper factam:

1. *Si actus imperfecti fiant inter coniuges* (v. gr. tactus, aspectus) et dummodo pollutionem non provocent (vel dummodo pollutio, casu quo provocaretur, praeveniri posset peragendo copulam), per se abusus status coniugalis non sunt; e contra sunt per se honesti, possunt enim ad secundarios matrimonii fines conducere, etiamsi primarium non procurent; de iis proinde iudicandum erit tum ex fine agentis, iuxta doctrinam traditam in n. 13, tum ex aliis circumstantiis.

Tunc igitur erunt peccatum grave, cum circumstantia gravis accedat extrinsece, v. gr. si fiant cum gravi aliorum scandalo. Leve peccatum erunt, si coniuges eos exercent ob solum finem voluptatis. Nullum peccatum, si ex honesto fine fovendi amoris, vel reconciliationis, vel ut se praeparent aut excitent ad copulam peragendam[2].

Huiusmodi actus exercere, si in alterutro praevideatur pollutio, probabiliter excusari poterit a mortali, dummodo pollutio in se non intendatur, non adsit proximum periculum consensus in eam[3], non agatur de tactu adeo turpi, ut videatur inchoata pollutio[4], et aliqua gravis causa habeatur[5], v. gr. ad avertendam propensionem suspicionis erga aliam personam.

---

1 Sánchez l. 9, d. 44 45; S. Alph. n. 933-937; Ball.-P. n.606-618; Lehmk. n. 1073 1074; Vermeersch, *De cast.* n. 271-284; Gén.-S. n. 546-548.

2 In postremo casu actus imperfecti nullum peccatum sunt, quamvis non inter se coniuges, sed quisque in proprio corpore eos exerceat; cui enim licet copula, licent media ad eam naturaliter ordinata.

3 Orta pollutione, non licere coniugibus eius voluptate interne frui certum est. Non oportet tamen eos de hoc monere, nam peccatum grave in hoc non solent apprehendere et, si moneantur, difficulter peccatum interni consensus vitabunt.

4 Huiusmodi censent auctores copulam incipere et ante pollutionem abrumpere; item pudenda immittere in os uxoris; et hoc a mortali non excusant, nisi obiter fiat, propter proximum periculum pollutionis. De hac re interrogare poenitentem, grave scandalum esset; at si mulier multis perplexitatibus impeditur ad hoc peccatum exprimendum et confessarius moraliter certus sit illud commisisse, interroget eam modeste, « num ore abusa sit ».

5 Facilius a gravi excusabitur coniux eos actus reddens seu patiens, quam petens; ille enim nequit eos omittere sine huius offensione.

NB. — Si puella nuptura interrogat, quid sibi licebit coniugatae, remittatur ad matrem vel ad matronam consanguineam. Si nullam praesto habet, iubeatur marito parere; quod si maritus aliquid postulet, quod ipsa licere dubitet, eum dissuadeat; si tamen maritus urgeat, ei pareat, donec confessarium interrogare poterit[1].

2. *Si actus imperfecti exercentur in proprio corpore* sine intentione habendi copulam, a gravi quidem excusantur, dummodo absit periculum pollutionis[2]; etsi enim tunc « actus coniugii » non sunt, fiunt tamen « in statu coniugii » et ab eo aliquo modo cohonestantur; sed peccatum veniale certe sunt, utpote superflua venerei sensus excitatio.

Actibus imperfectis accense cogitationes de venereis (sed si referantur ad personam aliam quam coniugem, cogitatio erit graviter mala). Simplex complacentia de actu coniugali habito vel habendo nullum peccatum est.

873 *b*) **Abusus per actus luxuriae perfectae.** Abusus actus consummati dupliciter committitur: scilicet si seminatio peragatur in vase indebito (*sodomia*), vel si abrupta copula peragatur extra vas (*onanismus*, cf. supra in n. 201, 1°)[3].

c) **Speciatim de onanismo**[4]. Infandum hoc peccatum frustrationis naturae, cuius praxis admodum late invaluit, ad hunc finem perpetratur, ut impediatur generatio, quin impe-

---

1 *Ferr.* n. 1145.

2 Facilius hoc periculum adest, cum pollutio per copulam praeveniri nequeat.

3 « Onanismi », vel « onanismi solitarii » nomine non raro medici et poenitentes designant masturbationem, seu actum solitarium procuratae pollutionis. Moralistae autem onanismi nomine vocant non tantum peccatum commissum ab Onan, qui « introiens ad uxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi... nascerentur, et idcirco percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret » (Gen. XXXVIII, 9-10), sed latiore acceptione quemlibet modum impediendae generationis, frustrando emissionem virilis seminis.

4 De onanismo cf. resp. *S. Off.* 21 maii 1851; *S. Poenit.* 1 febr. 1823, 8 iun. 1842, 27 maii 1847, 13 nov. 1901, 3 apr. 1916, 3 iun. 1916 (haec collecta habes ap. Ferr. n. 1160-1165), 10 maii 1886 (ap. Lehmk. n. 1097 nota); Sánchez l. 9, d. 16, n. 5, d. 17, n. 12 13, d. 18 20, n. 1-4; Dr. Surbled, *La mor.* l. 2, c. 11 12; Dr. Capellmann, *Med. past.* D, c. IV, n. 1 2; Dr. Moureau-Lavrand, *Le méd. chrét.* c. 3, a. 3, n. 5; Gemelli, *Non moech.* c. 7, a. 2; Antonelli I, n. 573-587; Eschbach d. 5, c. 5; Payen, *Déont. méd.* n. 273-280; Vermeersch, *De cast.* n. 45 257-270; Knoch, *El onan. conyug.* (edit. hisp.); Lehmk. n. 1093-1095; Ferr. n. 1148-1165; De Smet n. 239-248; Gén.-S. n. 549-551; Ephem. *L' ami du clergé* (1895) p. 138, (1898) p. 1073 seqq. 1104 seqq.; Noldin n. 72-76; Dr. Forel, *La quest. sex.* p. 481 seqq.; is tamen postremus, sicut alias saepe, sic etiam hic criterio utitur prorsus immorali.

diatur congressus; vitentur matrimonii onera, quin tollatur voluptas; quod, quam ingens peccatum sit, nemo est qui non videat; tum quia vir uxore utitur tantum ut medio provocandi voluntarie pollutionem — ad id enim reducitur tandem ille actus — tum quia actus, ad humanae speciei propagationem a natura ordinatus, ita pervertitur, ut iam natura sua tendat in humani generis interitum. Porro, quibus modis sceleratus ille finis procuretur, parum interest confessario; sufficit enim a poenitente intellexisse, quod coniugali actu sit usus eo modo, quo generationem supprimere quaesierit[1].

---

[1] Breviter dixisse sufficiet retractionem viri abrumpentis copulam ad seminandum extra esse modum magis obvium frustrandi generationem. Communius tamen, saltem apud gentes non rudes, copula non abrumpitur, sed vir accedit ad uxorem gerens membrum tenui involucro indutum intra quod semen effundetur; vel praevie in vagina collocatur falsa vagina ex membrana subtili, quae deinde extrahitur cum semine; vel in vaginam introducuntur pessarium occlusivum (scilicet pessarium quo occluditur os uteri), aut parva spongia, gossypium, aliudve huiusmodi. Quandoque in vaginam immittitur liquor, aut pulvis quidam, quo semen sterile reddatur; quandoque lotio fit vaginae post copulam ad expellendum semen (n. 178 216); quandoque, demum, plura simul ex citatis mediis adhibentur.

Fatentur medici nullum ex citatis mediis omnimodam praebere certitudinem quod generatio non sequetur. Sive enim quia involucra discindi possunt, sive quia pessaria absque sufficienti dexteritate collocantur, sive quia semen per rimulas exteriores pessarii excurrit, sive quia spongiam pervadit, non raro aliqua pars seminis uterum attingit.

Si mulier statim post copulam surgit et mingit ex intento, ut saepe fit, frustrandae generationis, peccat quidem letaliter ob nefariam intentionem, reapse tamen vanum conatum fecerit; nam etsi surgendo aliqua pars seminis possit defluere, sufficiens tamen quantitas retinetur; minctio autem generationi nihil prorsus obstare potest. — *NB.* - Videtur quidem Sánchez l. 9, d. 20, n. 3 de mortali damnare mulierem surgentem statim post copulam, ob expulsum semen; et tamen ipse ibid d. 16, et cum eo moralistae communiter, non damnant de mortali coitum peractum muliere incuba (nisi ob specialia adiuncta impediretur inde generatio).

Duos casus recenset Gén.-S., in quibus liceret inceptam copulam abrumpere ante viri seminationem, etsi pollutio inevitabiliter secutura praevideretur (dummodo tamen pollutio directe non intenderetur, nec adesset periculum proximum consentiendi in eam): 1° si ex improviso necessitas adesset propter alicuius adventum (id tamen praecavendum est, ne contingere possit, maxime respectu filiorum); 2° in casu utique rarissimo quod, coepta copula, tunc primum veniret in memoriam malum grave consecuturum, v. gr. grave periculum vitae pro uxore in futuro partu; sed nullatenus abrumpi potest, si copula non fuit incepta cum talis mali ignorantia. — Admitti potest abruptio in his duobus casibus; nam, etsi pollutio, aut aliter frustratio seminis, sit quidem intrinsece mala, hinc tamen tantum sequitur eam non posse directe intendi, nec sine proportionata causa permitti; non autem non posse cum gravi

874 1. *De uxore viri onanistae.* Etsi non admodum raro ipsa mulier sit, quae ad onanisticas praxes recurrit ob formidinem partus vel numerosioris prolis, quas vir tolerat tantum aut forte reprobat; communius tamen onanismus provenit directe ex culpa viri, qui onera familiae refugit compellitque uxorem suo peccato cooperari. Hinc condicio uxoris viri onanistae particulariter consideranda est, de eaque sequentia habemus advertenda:

a) Etsi uxor directe viro nefandam praxim non suadeat, ipsa tamen saepe peccatorum viri culpabilis est, quia eum ad huiusmodi adoptanda media inducit indirecte, puta iteratis querelis de numerositate prolis, de subsidiorum defectu si augeretur familia, de difficultate partus futuri.

b) Quaeritur, utrum uxor possit suo viro onanistae debitum reddere aut forte etiam petere.

Praemittamus quod praxes frustrandae generationis ad tres classes reducuntur: 1° ad abruptionem copulae; 2° ad praecautiones ante copulam (appositionem alicuius instrumenti vel iniectionem alicuius substantiae in vaginam); 3° ad frustrationem seminis iam recepti. Igitur ad quaestionem propositam sic distinguendum:

In 1° casu. Si vir onanismum exercere solet *abrumpendo copulam* et ab huiusmodi praxi dissuaderi non possit, uxor non prohibetur debitum reddere, actus enim incipit poni ab utrisque modo legitimo et dein incompletus relinquitur per culpabilem actionem solius viri; quod autem uxor praevideat virum ita se gesturum, non obstat, dummodo pro viribus id conata sit evitare, quia tunc illud tantum permittit ex iusta causa, v. gr. ad declinandam notabilem offensionem viri. Potest quoque debitum petere ex iusta et gravi causa, v. gr. si ipsa est in periculo incontinentiae, vel si secus privari deberet iure petendi plusquam semel vel bis cum perpetuo scrupulo

---

causa poni actio, ex qua sequi permittatur, secluso proximo consensus periculo (cf. dicta in n. 8 190 191, et cf. S. Alph. n. 918; Ferr. n. 1146, 2°.

Non solum abrumpere copulam ad seminandum extra est peccatum grave, sed etiam, si ita abrumpatur ut seminatio partim fiat intra vas uxoris, partim extra. Sánchez l. 9, d. 17, n. 13.

Quaeres forte hoc loco, quid de copula, quae peragatur ad os vaginae absque penetratione? — *Resp.*: Etsi generatio possit inde sequi (ut diximus in n. 797 nota), cum tamen id sit mere « possibile », non « probabile», omnes de mortali damnant coniuges sic congredientes, si aliter congredi possint. Sin autem alio modo congredi non possint, censemus cum Vermeersch, *De cast.* n. 240 id esse pollutioni aequivalens et nullatenus licere; cum tamen alii probabile contrarium putent in necessitatis casu, obstinate id damnare non auderemus in eo casu, dummodo introductio seminis omni modo quo possit, procuretur. Cf. Verm. op. cit. n. 240, 4.

an possit adhuc absque incommodo se continere[1]. Diximus «si vir dissuaderi non possit». Uxor enim tenetur virum ab hac praxi, cui ipsa cogitur cooperari, pro viribus avertere, rogans eum ut matrimonio recte utatur, eumque ad id inducens blanditiis (nisi sat perspectum haberet animum obstinati viri, esset enim tunc monitio inutilis; attamen quamvis ita se res habeat, serio ostendat identidem suam displicentiam; tum ne videatur cooperationi consentire, tum si forte vir tandem flecti possit).

Uxor licite voluptati consentit, si seminatio ei accidit antequam vir recedat, et quamvis praesciat virum se retracturum, quia actus, antequam abrumpatur, et materialiter in se et formaliter ex parte uxoris, est licitus. Sed postquam vir recessit, nulla, ne partiali quidem, facta seminatione, uxor: 1° si seminatio ei accidit, voluptati consentire non potest; 2° non potest seminationem sibi procurare[2]; 3° etsi ex actione

---

1 S. Alph. l. 6, n. 947.

2 Si vir recedit postquam iam seminavit, nullum est dubium, quin licite possit uxor se excitare ad seminationem; ponit enim complementum naturale actus prorsus liciti, qui fuerat imperfectus relictus (S. Alph. n. 919); vir debet exspectare seminationem uxoris; si tamen non exspectat, non peccat graviter (S. Alph. n. 918), substantialiter enim actus iam est positus, etsi desit adhuc aliquid accessorium.

Sed si vir se retrahit quin seminaverit, difficile negotium est decernere, an uxori liceat vel non liceat se ad seminandum excitare. Licere negant, nulla tamen addita ratione, Lehmk. n. 1095; De Smet n. 213 nota 2 et 243 nota 4, p. 217; negant quoque quia, aiunt, rationem habet pollutionis, seu principiis moralibus repugnat, Bucceр., *Casus* (1903) I, p. 195; Noldin, *De sexto* n. 70; Vermeersch, *De cast.* n. 267; Gén.-S. n. 546 nota (ubi rectratatur quod in contrarium dixerat P. Génicot in prioribus egregii sui operis editionibus). Unus restat contrarium opinatus Berardi (ap. Noldin, loc. cit.), obsecundans medico Capellmann, qui theologus non est, cuius mens tamen sat videtur anceps, cum in *Med. past.* (edit. latina 5ª) p. 145 expressa aliqua ratione pro parte affirmante, statim aliam subiungat pro negante.

Certe praesens hypothesis toto coelo distat a praecedenti (quidquid sentiat Capellmann, qui dicit esse fere eamdem), in qua supponebatur vir seminasse ante recessum; tunc enim uxor excitans statim propriam seminationem, nihil aliud facit nisi complere copulam prorsus licite habitam.

Sed si vir recedit non deposito semine intra vas, omnino dicendum est uxorem non posse sibi procurare propriam seminationem.

Ratio est, quia actus, qui peractus fuit, non fuit copula, id est actus per se conducens ad generationem; procurare autem sibi delectationem completam extra coniugalem copulam est intrinsece et mortaliter malum. Brevi, actus uxoris esset mera pollutio.

Alia ratio afferri potest (hanc insinuat loquens sub diverso respectu S. Alph. n. 919), scilicet quod, si uxori liceret sibi suam excitationem complere et sedare, ubi vir recedit antequam semina-

viri videatur sibi utilitas proventura, non potest gaudere de

---

verit, pariter liceret viro sibi suam excitationem complere et sedare, si forte recesserit uxor. Iam vero certissimum est non licere viro suam effusionem seorsim procurare, si uxor recedat, esset enim pura putaque pollutio.

Dices forte: Eadem ratione probari posset non licere uxori se excitare, etsi vir recedat postquam seminaverit. Respondendum quod paritas uxoris et mariti non tenet in hypothesi, quod vir iam seminaverit ante recessum; tenet vero in hac altera hypotesi, quod vir non seminaverit. Quod paritas utriusque non teneat in prima hypothesi patet; quia uxor seminans sola postquam vir recessit a copula, in qua is tantum seminavit, ponit complementum copulae; vir autem seminans solus postquam uxor recessit a copula, in qua ea tantum seminavit, non ponit ullum complementum copulae; non enim copula fuit id quod praecesserat, sed mera seminatio uxoris, ex qua sola nequit sequi generatio. At vero in altera hypotesi, quod vir non seminaverit, paritas utriusque tenet; si enim copula per se apta ad generationem non praecessit, neuter, seminando seorsim, potest eius complementum ponere.

Duplici ratione suam opinionem contrariam firmaverat Génicot n. 456, I in suis prioribus editionibus (quae tamen retractata est in posterioribus, quas edendas curavit Salsmans), quia « non apparet, quare ipsi (uxori) ob culpam mariti prohibenda sit plena voluptas ad quam ius habet et a qua appetenda, post tantam excitationem, aegerrime abstinebit; insuper ita confert quidquid potest ad iuvandam generationem, si forte (ut contingit) aliqua pars seminis, praeter mariti voluntatem, in vaginam penetraverit ». Verum manifeste est falsa prima ratio; uxor enim non habet ius ad plenam voluptatem quomodocumque procurandam, sed ad eam habendam tantum in congressu per se apto ad generationem; quod autem de aegre compescenda irritatione additur, valeret etiam ad absurde cohonestandam pollutionem viri irritati post recessum uxoris, ut bene notat S. Alph. n. 919. Nequit pariter admitti altera ratio; nam eventus mere possibilis non inservit ad fundandam per se et immediate conscientiam de liceitate alicuius actionis, sed requiritur iudicium prudens; deberet ergo penetratio alicuius partis seminis in huiusmodi casu accidere saltem *saepe;* non enim *possibilitas* sufficit ad agendum, sed *probabilitas.*

Attamen ratio irritationis aegerrime compescendae, quam insinuabat Génicot, posset aliter, et forte maiore vi, proponi: dicunt nempe auctores quod uxor compulsa potest reddere, aliquando et petere, quamvis praesciat virum se retracturum. Iam vero, cum vir debeat se retrahere cito, ut generationem vitet, putandum erit uxorem generatim tunc nondum seminasse et consequenter manere excitatam. Implicite ergo auctores permittunt uxori provocare sibi seminationem post viri retractionem; secus permitterent uxori opus aggredi magnae excitationis et deinde eamdem obligarent sub mortali intra hos limites se compescere, quod videtur crudelissimum. Vel ergo dicendum, contra auctores, non esse licitam illius copulae petitionem, vel dicendum esse licitam excitationis consequentis satisfactionem.

Standum est nihilominus decisioni traditae, nam: 1° Nimis aperte patet quod, non praemissa copula, procuratio actus completi est mera pollutio ideoque nullo in casu approbanda. Nimis quoque

ipsa viri actione[1]. — Et quoniam uxor retracto viro perquam difficulter abstinebit a consensu plenae voluptati praestando aut ab ea sibi procuranda, ideo putamus debere simpliciter confessarium talis viri uxorem ab huiusmodi congressu praeviso avertere; et nonnisi in casu, quo intelligat uxori impendere graves minas (quibus comparandus gravis timor, ne vir eam praetermittat, ut ad alias abeat), aut proximum esse incontinentiae periculum, eam docere quod possit virum admittere, adhuc reticita obligatione se cohibendi retracto viro, si de hac re non interrogat, eaque in bona fide relicta, ne peccet formaliter.

In 2° casu. Si vir accedit *adhibitis mediis ante copulam*, actus iam ab initio nefarius est et intrinsece malus, ideoque **875**

---

patet quod, si in casu liceret uxori complere irritationem provenientem ex retractione mariti, pariter liceret huic complere irritationem ex retractione uxoris, id autem esse falsum. — 2° Nequit invocari in partem contrariam auctoritas moralistarum, cum moralistae unanimiter (si demas Berardi, nimis deferentem medico) contrariae parti obsistant. — 3° Nec crudelitatis arguendi sunt auctores; etsi enim opus illud petere dicant licitum, eorum nullus illud petere suadet. Praeterea nec crudeles sunt, si denegant uxori id, quod quilibet denegat marito. — 4° Nec inconsequentiae cuiusdam arguendi sunt; cum enim de licitudine iudicium ferunt, solum actum reddendi vel petendi, prout in se est, considerant; de procuratione vero pollutionis, quam forte deinde ponet uxor, iudicium non intendunt ferre. — 5° Valent ergo dicta auctorum pro uxore, quae aliunde noverit, Dei auxilio freta, posse deinde se compescere; at si sciat se proximum periculum deinde subituram procurandae sibi pollutionis, non poterit nec petere nec reddere.

Ex dictis sequitur quoque id quod supra dixeramus: non posse uxorem consentire voluptati seminationis in se ipsa exortae post recessum, semine non deposito, quamvis bene liceat ei consentire si accidit ante eius recessum. Ratio, quia actus, etsi licite inceperit, quia natura sua tendebat ad copulam perfectam, ideoque liceat voluptatem in eo capere quamdiu licitus est; tamen per recessum viri sine seminatione impeditus est naturam copulae acquirere, et proinde effusio consequens est mera pollutio, cui, si sponte exoriatur, uxor tam parum consentire potest, quam si ei alia quavis ex causa acciderit in absentia mariti.

Dices: Etsi reapse non praecesserit copula, seminatio sponte exorta est inevitabilis continuatio actionis licite positae ab uxore; ergo potest ei dari interne consensus. — *Resp.*: Est continuatio actus initio liciti usque ad abruptionem, deinde illiciti post abruptionem, *conc.*; liciti etiam post abruptionem, *nego*.

1 Non illico peccati damnari debet uxor, si gaudeat, ut bene notat Lehmk. n. 1095, quia cum detestatione actionis coniungi potest quoddam gaudium circa effectus. Verum uxor ne nimis hoc gaudio se occupet, quia facilis est transitus a complacentia de effectu ad complacentiam de causa. Suadendum ergo, ut, si gaudium mentem subeat, Dei offensam consideret et peccatum viri positive detestetur.

uxor talem actum nec petere nec reddere potest, etsi minis aut aliter compellatur[1]. Quod si vir serio gravia mala com-

---

1 Iam intelligitur quod pariter non potest vir debitum petere nec reddere, si uxor velit uti pessario. Si viri monitis et imperio, sive ob metum partus sive aliam ob causam, nolit parere illudque recuset omittere, vir nulla ex causa uxore uti potest.

Vermeersch, qui doctrinam supra traditam tenuerat de uxore, si maritus utitur involucro, largius indulget marito, si uxor utitur pessario. Ait enim *De cast.* n. 268: « Si ipsa uxor pessario uti vel post copulam semen expellere voluerit, vir, pro auctoritate qua pollet, illud ipsi vetare debet. Quod si nihil proficiat et gravia incommoda timenda sint, debitum ipse ob iustam causam petere posse videtur. Actus ipse bene fit; vitium eidem est posterius et soli uxori tribuendum est; immo immediate post actum per se etiam corrigi potest. Denique ista uxor ei aequiparanda est, quae, invito marito, oviductum (scilicet utrumque) ligaverit ».

Facilius assentiri possumus pro casu, quo vir uxorem (pessario non utentem) praevideat semen expulsuram, sicut diximus paulo antea de uxore praevidente virum se retracturum; expulsio enim seminis fiet post copulam omnino iam peractam et proinde, etsi gravissimum peccatum in se, tamen non poterit facere quod non fuerit recte peracta. At pro casu, quo uxor sibi pessarium imposuerit, dicta praestantissimi viri nullatenus admittimus, nec iis ullam probabilitatem adscribimus. Certum est enim quod actus ille non bene fit estque iam a suo initio intrinsece malus nulloque in casu potest patrari. Ratio est quia, prout a coniugibus fit, relationem ad generationem non habet; turpiter ergo depravatur et fine ipso operis intrinseco privatur. Relationem, inquam, ad generationem non habet; non enim hanc relationem servat copulatio facta in apparatu, qui praevie redditur ad generationem ineptus per applicationem alicuius medii extrinseci, quo os uteri occludatur (« extrinseci », nam occlusio, quae naturaliter accidit in muliere praegnante, apparatum ideoque et eius intrinsecam relationem ad generandum, non mutat). Atque his confirmantur quae diximus in n. 799 nota.

Dices 1°: Vitium soli uxori tribuendum est; nam vir idem ex sua parte facit, ac quando mulier nihil gerit; tantum enim deponit semen in vagina. — *Resp.*: 1° Copula essentialiter est opus duorum; itaque considerari debet prout ponitur ab utrisque coniugibus simul. Potest igitur actus intrinsece vitiari, etsi unus tantum sit in causa. — 2° Nequit dici intrinsecam relationem habere ad generationem ea depositio, quae ita fit, ut iam exterius appareat non fieri cum intentione relinquendi ibi semen, sed mere obiter et transitorie propter alium finem (scilicet, captandam voluptatem), cum intentione statim illud extrahendi.

Contra 2am responsionem dices forte: 1) Intentio nequit mutare relationem rei obiectivam; 2) numquam posset maritus uxorem admittere, si haec intentionem iam haberet expellendi postea semen. — *Resp.*: Ad 1) Universaliter non est verum; sic idem actus tradendi rem est donatio vel commodatio, proprietatisque ius obiective transfertur vel non transfertur, iuxta intentionem tradentis (cf. dicta in n. 267 nota). — Ad 2) Depositio seminis eamdem servaret obiectivam relationem, quia est actio solius mariti, et nulla prava intentio se haberet ex parte ipsius. Praeterea non leve discrimen intercedit inter actum, qui pravam intentionem expellendi seminis

minetur, non aliter se habere potest uxor, atque alibi (n. 3) diximus de virgine simili vi oppressa, id est potest probabiliter

---

in se ipso non prodit, et actum qui eam quasi in se ipso expressam habet, quia peragitur cum pessario.

Dices 2°: Immediate post actum vitium potest adhuc corrigi, nempe pessarium evertendo antequam extrahatur. Quare saltem grave non esset, si per iocum copula haberetur hoc modo cum intentione rem ad finem sic corrigendi. Ergo copula cum pessario non est intrinsece mala, secus esset semper gravis. Ergo, modo maritus rectam intentionem habeat et excusationem habeat cooperandi, malitia stabit solum ex parte uxoris. — *Resp.*: Illa correctio actui evenit per accidens; unde id non potuit impedire quod, dum perageretur, haberet suam intrinsecam malitiam. Profecto, quod ille actus, prout ponitur, sit etiam tunc intrinsece malus et relationem obiective non habeat ad generationem, patet vel ex eo quod, si ita, prout est perseveraret, ex se generationem impediret, et praecise, ne generatio impediatur, necesse sit actum mutare. Mutatio ergo probat quod actus relationem illam non habebat. Et quoniam haec mutatio pendet ex sola voluntate agentis, idcirco diximus evenire per accidens. Atque ex his dictis sequitur quod grave esset etiam per iocum sic coire, quamvis cum intentione postea corrigendi; adde quod haec correctio non est adeo tuta et non videtur difficile quod generatio inde evaderet dubia.

Dices 3°: Uxor, pessario apposito, aequiparanda est ei quae utrumque ovarium ligaverit. — *Resp.*: Advertimus imprimis huiusmodi uxorem ovariis ligatis amisisse ius petendi. Sed, ut de viro loquamur, de hoc enim agitur in praesenti, distinguere oportet, utrum illa ligatio sit auferibilis, an vero sit inauferibilis seu perpetua.

Si ligamen est perpetuo inauferibile, concedimus virum (iuxta sententiam benigniorem, quae mulierem excisam vocat probabiliter potentem) ius petendi retinere et copulam cum huiusmodi uxore posse habere; quamvis enim finem primarium matrimonii non possit consequi, adhuc consequi poterit secundarium. Sed tunc paritas non adest cum casu proposito; pessarium enim non est impedimentum inauferibile.

Si ligamen est auferibile (puta vocando chirurgum, ut iterum incisione facta solvat quod ligaverat), admittendam putamus paritatem cum casu proposito; sed tunc consequenter dicimus, sicut uxore pessarium gestante, sic etiam uxore oviducta ligata habente, virum interea non posse uti. Ratio est, quia dum obstaculum (ligamen oviducti vel pessarium vaginae) est auferibile et non aufertur, ineptitudo apparatus genitalis ad generationem est obiective voluntaria (id est auferibilitas impedimenti seu voluntarietas ineptitudinis in ipsis adiunctis obiectivis se manifestat), ideoque nequit invocari illud principium « si finis primarius non potest obtineri, obtinebitur saltem secundarius »; tum quia in casu primarius finis vere obtineri potest impedimentum auferendo, tum quia illud principium permittit secundarium finem seorsim quaerere tunc tantum, cum homo primarium non excludit; primarium autem excludit qui eius impedimentum retinet cum auferre posset.

De cetero paritatem pessarii appositi et oviducti ligati adeo admittimus, ut, si fingere velimus pessarium non posse iam in perpetuum auferri sine probabili vitae periculo, libenter admittamus virum uxore posse uti; tunc enim ipsae obiectivae condiciones eae sunt, ut obiective manifesta sit impossibilitas perpetua impe-

mere passive se habere, si tamen putet se non consensuram voluptati, praemisso firmo proposito et serio recursu ad Deum[1].

In 3° casu. Si uxor adigatur expellere virile semen, numquam ipsa poterit id positive facere; sed tantum, si vir id per se ipsum facere intentaret, poterit, ob minas graves, passive se habere.

2. *De interrogandis poenitentibus*. Si non adest prudens suspicio quod poenitens de onanismo sit reus, confessarius nihil de hoc interrogare debet; nam, ut ait *S. Poenit*[2], « confessarius revocet in mentem sancta sancte esse tractanda atque etiam verba perpendat *S. Alphonsi*: Respectu ad debitum coniugale ordinarie loquendo confessarius non tenetur nec eum decet interrogare nisi uxores, an illud reddiderint, modestiore modo quo possit. »

Si prudens suspicio habetur, regulariter debet confessarius, ait *S. Poenit.*[3], prudenter et discrete interrogare, « quamvis praevideat plures a bona fide exturbandos multosque sacramenta deserturos esse ».

Porro huiusmodi prudens suspicio facilius hodie quam pridem concipi potest, cum tam late hoc vitium serpserit. Quare bene faciet confessarius, si poenitens mundanam vitam ducat, si graves actiones contra castitatem accuset, si valde raro ad sacramenta accedat, interrogando modeste, « num quoad suum statum matrimonialem aliquid habeat, quod conscientiam remordeat », aut « num suas obligationes matrimoniales christiane adimpleat ».

---

dimentum auferendi, censeaturque tunc adesse impotentia perpetua (n 797); immo ipsa uxor, quae sibi pessarium imposuerat, poterit petere (iuxta benigniorem sententiam de muliere excisa, cui tunc aequiparatur); quamvis enim voluntarie illud apposuerat, at non apposuerat cum intentione apponendi impedimentum perpetuum; porro tunc tantum coniux aliquis, se reddens impotentem, amittit ius in perpetuum, cum impotentiam perpetuam causat conscius.

Si impedimentum (ligatio oviducti vel pessarium) retineretur ob convenientiam remedii vel ex metu, puta a tertio incusso (liceat haec ad discussionem fingere), tunc non liceret copula; tum quia hae sunt causae transitoriae, non perpetuae; tum quia, etsi fingeremus eas esse perpetuas, sunt tamen circumstantiae extrinsecae, ex quibus proinde non exsurgit in apparatu genitali manifestatio obiectiva alicuius impedimenti ad generandum inauferibilis; propterea non inducitur ob eas causas impotentia (n. 797).

[1] Caveat confessarius, ne faciles aures praebeat querelis et facile propendeat ad permittendum, ut uxor non amplius resistat et passive se habeat; nam clamores, domus perturbationes, rixae, saepe gravia mala, prout hic requiruntur, non sunt pro plerisque mulieribus, quae alias ob causas sciunt viris fortiter resistere, ubi ipsarum interest.

[2] *S. Poenit.* 8 iun. 1842 ad 2 et 3.

[3] *S. Poenit.* 10 maii 1886 ad 1.

3. *De monendis onanistis.* Tamquam regulam generalem habeat confessarius poenitentes, quos onanismi reos deprehenderit, esse monendos et, si ab huiusmodi praxi nolunt recedere, non esse absolvendos. **876**

Nam si peccatum poenitens sponte declaraverit, patet eum dubitationibus saltem premi et in bona fide iam non versari esseque monendum. Sin autem eius peccatum confessarius ex sua discreta interrogatione deprehenderit, regulariter monitio facienda est, tum quia poenitens vel in bona fide non est, vel saltem non poterit diu in ea manere, cum tam facile appareat intrinseca huius actionis malitia, tum quia confessarii silentium onanistica peccata et in poenitente et in aliis natum est fovere; etenim ocius serius poenitens, sive ex petulantia sive sui excusandi gratia silentium confessarii divulgat vitiumque in dies ingravescit.

Nolimus negare dari posse nonnumquam bonam fidem inter ruricolas rudes et miserabiles, qui nullo modo sibi persuadeant hunc usum esse gravem culpam urgente gravissima causa mortis ex futuro partu secuturae vel numerosioris prolis in miseria perituraе; his confessarius onanismum permittere certissime non potest; videat tamen, iuxta regulas alibi traditas, quousque expediat eos in bona fide relinquere, si ex adiunctis iudicetur ipsius silentium non fore in aliorum notitiam perventurum et unicus monitionis fructus praevideatur fore spiritualis illorum ruina.

Ast in magnis civitatibus atque, extra eas, in aliis locis, in quibus hoc vitium dominari notum est, rationes allatae probant monitionem regulariter non posse omitti, quamvis poenitens praevideatur non obtemperaturus et sacramenta relicturus[1]; casum autem, in quo aliter agere expediat, adeo esse rarum, ut merito possit negligi, nec oporteat sinere tantum malum diffundi in plurimos ob damnum magis minusve incertum in uno.

4. *De praetextibus onanistarum.* Communiter ad duos reducuntur: impossibilitatem familiae alendae et periculum partus futuri.

Si allegatur inopia subsidiorum ad alendam prolem, coniuges hortandi sunt, ut totam fiduciam ponant in amantissima Dei Providentia, quae de ipsis coeli avibus curat; si enim Deus rectum usum coniugii sub gravissima etiam aeternarum poenarum comminatione imperat, ipse nasciturae soboli, prout magis ad suam gloriam et omnium bonum expedire noverit, providebit.

---

1 Posset tamen relinqui interea poenitens in bona fide et differri monitio (non vero omitti), si confessarius praevidet eum ad se rediturum speratque eius animum ad monitionem posse interea disponi.

Si praetendunt pericula futuri partus, monendi sunt imprimis medicos nimis propere quandoque uxoris mortem praecinere, cum interdum felix partus post huiusmodi praedictiones sequatur; quod si vere periculum sit eventurum, chirurgiam obstetricam adeo esse progressam, ut media hodie non desint periculum parva cum alea subeundi.

877 5. *De hortandis onanistis.* Si partus periculum adeo sit certum aut miseria adeo evidens, ut non possit coniugibus his responsis satisfieri, nihil restat, nisi ut confessarius:

a) Ostendat malitiam actus, quo coniux naturam a suo fine frustrat et deturpat, eam subiiciens propriae tantum satisfactioni; matrimonium non esse statum gaudendi et fruendi solummodo, sed voluptates oneribus esse coniunctas.

b) Aperiat mala temporalia inde secutura; fortiorem et dulciorem reddi amorem coniugalem novis prolibus, iis vitatis singulariter refrigescere; nec contemnenda esse damna, quae ex quaesita sterilitate in systema nerveum et inde in statum moralem et in valetudinem promanant.

c) Inculcet mala aeterna temporalibus, quae timentur, longissime peiora, vilissimam Supremi Creatoris offensam, damnationem in aeternum.

d) Aperte dicat, aut continentiam esse servandam, spiritualibus mediis adhibitis et Dei auxilio implorato, aut pericula, quae timentur, fortiter esse subeunda; hanc enim esse vitam christianam, ut quandoque nullum restet effugium ad vitandum peccatum, nisi martyrium amplecti, aeternae et immarcescibilis gloriae fecundum. Aliunde vero, si continentiam eligant, eam ipsis non absolutam imponi, sicut solutis aut viduis; actus enim mutuos imperfectos adhuc eis licere, dummodo pollutionem devitent.

Denique, si adeo difficile sit eos ad id adducere, insinuare potest quosdam esse, qui opinentur copulam, transactis duabus hebdomadis (14 diebus) ab ultima menstruatione usque ad quatuor dies ante novam menstruationem, parum probabilitatis, iuxta unum alterumve auctorem valde tenuem probabilitatem, offerre fecundationi, id tamen communius negari [1], itaque rem esse valde dubiam *; hanc aleam coniuges, si velint, illis diebus tentare poterunt **.

---

[1] Probabilitatem dictis diebus concipiendi fere nullam esse asserunt Dr. Capellmann, *Med. past.* D, c. IV, n. 1 et Dr. Pouchet (ap. Ferr. n. 1159 quaer. 9). Sed quodlibet tempus esse aeque aut fere aeque favorabile generationi obtinendae dicunt Dr. Surbled, *La mor.* l. 2, c. 8; Eschbach, *Disp. phys.-theol.* disp. 1, c. 5, quaest 3;

* Vide, sis, notam asterisco (*) distinctam in pag. 603.

** Vide, sis, notam duobus asteriscis (**) distinctam in pag. 603.

Caput 10. SEPARATIO CONIUGUM

Art. 1. Dissolutio vinculi [1].

878 Quamquam matrimonii vinculum et dicitur et est indissolubile, id tamen pleno et perfecto sensu in solo christianorum matrimonio obtingit; nam, tum istud, si consummatum nondum est, tum matrimonium infidelium, non tanta firmitate donantur, ut patebit ex dicendis, quorum probationem dabit theologia dogmatica.

---

quidam medicus ap. GÉN.-S. n. 551, 4° et medici plures citati ap. ANTONELLI, *Med. past.* I, n. 219 seqq.

Attamen, cum ex una parte ovulum menstruationis tempore decisum (sub quonam menstruationis tempore decidat, cf. KEITH, *Human embryol.* p. 6) plures dies usque ad duas circiter hebdomadas impendat donec suam migrationem per oviductum atque uterum confecerit et tandem expulsetur, cumque ex alia parte spermatozoides vivere pergant per quatuor et amplius dies et consequenter, si paucis diebus ante menstruationem immittantur, vivos eos posset reperire ovulatio sequens: hinc est quod, si a priori res consideretur, videatur revera copulatio parum debere esse favorabilis circiter die 23ª (attenta duratione menstruationis) a menstruatione incepta (Dr. FOEKISTON, ap. VERMEERSCH, *De cast.* n. 10, eamdem diem 23am assignat ex statisticis deductam). Quod si haec regula tam frequenter dementita deprehendatur, ut tot periti medici affirmant, numerosis accidentalibus causis tribuendum est, quae frequenter ovuli decisionem vel migrationem accelerant, perturbant, retardant.

* Exitum confessarius sincere dicat dubium, ne secus, si sequatur generatio, irrideatur et poenitentes fiduciam amittant in consiliis confessarii.

** Hominem non teneri quaerere in usu matrimonii tempora opportuniora ad procreationem patet. Sed nec peccat si tempora quaerit minus opportuna, etsi ex fine vitandae prolis, dummodo copulam recte peragat eiusque efficaciam non impediat. Sic enim non excludit intrinsecum finem operis, quem pervertere non potest ex supposito quod ponat opus, sed tantum addit proprium finem operantis, in se quidem licitum, qui a fine operis potest esse diversus, utpote huic extrinsecus.

1 « Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest » (can. 1118).

« Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam e partem non baptizatam, dissolvitur tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam, tum per dispensationem a Sede Apostolica ex iusta causa concessam, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita » (can. 1119).

« § 1. Legitimum inter non baptizatos matrimonium, licet consummatum, solvitur in favorem fidei ex privilegio Paulino. — § 2. Hoc privilegium non obtinet in matrimonio inter partem baptizatam et partem non baptizatam inito cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus» (can. 1120).

« § 1. Antequam coniux conversus et baptizatus novum matrimonium valide contrahat, debet, salvo praescripto can. 1125, partem

a) **Solutio matrimonii rati tantum.** Matrimonium non consummatum inter baptizatos, vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam dissolvitur, ait can. 1119:

---

non baptizatam interpellare: — 1° An velit et ipsa converti ac baptismum suscipere; — 2° An saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris. — § 2. Hae interpellationes fieri semper debent, nisi Sedes Apostolica aliud declaraverit » (can. 1121).

« § 1. Interpellationes fiant regulariter, forma saltem summaria et extraiudiciali, de auctoritate Ordinarii coniugis conversi, a quo Ordinario concedendae sunt quoque coniugi infideli, si quidem eas petierit, induciae ad deliberandum, eo tamen monito, fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa. — § 2. Interpellationes etiam privatim factae ab ipsa parte conversa, valent, immo sunt etiam licitae, si forma superius praescripta servari nequeat; hoc tamen in casu de ipsis, pro foro externo, constare debet duobus saltem testibus vel alio legitimo probationis modo » (can. 1122).

« Si interpellationes ex declaratione Sedis Apostolicae omissae fuerint, aut si infidelis eisdem negative responderit expresse vel tacite, pars baptizata ius habet novas nuptias cum persona catholica contrahendi, nisi ipsa post baptismum dederit parti non baptizatae iustam discedendi causam » can. 1123).

« Coniux fidelis, licet post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit, ius tamen novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea discedat sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris » (can. 1124).

« Ea quae matrimonium respiciunt in constitutionibus Pauli III, *Altitudo* 1 iun. 1537; S. Pii V, *Romani Pontificis* 2 aug. 1571; Gregorii XIII, *Populis* 25 ian. 1585, quaeque pro peculiaribus locis scripta sunt, ad alias quoque regiones in eisdem adiunctis extenduntur » (can. 1125). Hae tres constitutiones reperiuntur ad finem Codicis iuris canonici inter documenta n. VI, VII et VIII.

« Vinculum prioris coniugii, in infidelitate contracti, tunc tantum solvitur, cum pars fidelis reapse novas nuptias valide iniverit » (can. 1126).

« In re dubia privilegium fidei gaudet favore iuris » (can. 1127).

De solutione matrimonii rati tantum cf. Sánchez l. 2, d. 14-20; S. Alph. n. 959; Pesch, *Prael. dogm.* VII, n. 803-820; Sasse, *De sacram.* II, p. 428-437; Hurter, *Theol. dogm.* n. 621; Gasparri n. 1321-1326; Wernz n. 697-700; Ball.-P. n. 743-765; Lehmk. n. 923 ad 924; De Smet n. 328-340; Verm.-Creus. n. 424-426. Recensere causas super matrimonio rato et non consummato postremis hisce temporibus actas apud *S.C.C.* et *Rom. Rotam* otiosum esset, quoniam reperiuntur passim in voluminibus ephemeridis *Acta Sanctae Sedis* et commentarii officialis *Acta Apostolicae Sedis.*

De privilegio paulino cf. resp. *S. Off.* 11 iul. 1886, 8 iul. 1891, 19 apr. 1899, 26 apr. 1899, 13 mart. 1901 (*A.S.S.* XXII, p. 745, XXVI, p. 253, XXXI, p. 694 697, XXXIII, p. 549 550); Sánchez l. 7, d. 73-77; S. Alph. n. 956-958; Pesch op. cit. n. 785-802; Sasse op. cit. p. 437-443; Hurter op. cit. n. 619 620; Gasparri n. 1327-1362; Ball.-P. n. 683-742; Lehmk. n. 925-932; Blat III, p. 688-698; De Smet n. 341-350; Verm.-Creus. n. 427-437; Gén.-S. n. 559-560.

De divortio civili cf. Gasparri n. 1534-1557; Wernz n. 706; De Smet n. 371 seqq.; Lehmk., *Das bürgerliche Gesetzb.* ad art. 1564

1° *Per sollemnem professionem* religiosam alterutrius coniugum. Libere ergo poterit una pars religionem ingredi ante matrimonii consummationem, etiam altera invita.

Codicis civ. germanici p. 421-427; Gén.-S. n. 561 562; Ferr. II, n. 8. Indissolubilitatem vinculi coniugalis retinent C. C. *arg.* a. 221 238; *br.* a. 315 « par. unico »; *col.* a. 152 153; *chil.* « Ley de matr. civil » a. 19; *hisp.* a. 52 104; *lus.* a. 1056, quem esse intelligendum de perpetuitate per mortem tantum cessatura evidenter liquet ex serie tota articulorum subsequentium. Sed divortium « a vinculo » per matrimonium civiliter initum contracto concedunt C. C. *gall.* a. 227; *mex.* « Ley sobre rel. fam. » a. 75; *ur.*, qui a. 173 divortium a vinculo quidem excludit, sed posterius, legibus latis 28 oct. 1907 et 11 iul. 1910, illud admisit. Patet huiusmodi leges civiles solutionem vinculi admittentes irritas prorsus esse non solum quoad solvenda vincula matrimoniorum canonice contractorum, sed etiam eorum, quae civiliter et valide contrahantur tum a baptizatis formae canonicae non adstrictis tum ab ipsis non baptizatis; quodlibet enim matrimonium validum est natura sua indissolubile; nihil aliud ergo significare possunt illiusmodi leges, nisi liberationem eorum, qui sententiam divortii obtinuerint, ab incurrendis poenis infractioni coniugalium officiorum statutis.

Quaestio agitatur, an et quando liceat coniugibus petere divortium civile, utique a vinculo, et an liceat iudici sententiam huiusmodi pronuntiare.

Praemittere oportet imprimis, quod plures auctores censent pronuntiationem sententiae civilis divortii a vinculo non esse intrinsece malam, eo quod communis aestimatio iam ab impiissima legislationis intentione abstraxerit eamque tamquam meram destructionem effectuum civilium, qui per civile matrimonium inducti fuerant, consideret. Quae quidem non aegre admitti possunt in iis regionibus, ubi iam diu lex viget et mera separatio corporum a lege non conceditur; valde difficulter in aliis, ubi lex divortium distinguit a separatione; nullatenus vero ubi lex divortii recens introducta sit. Ratio distinctionis est, quia in primo casu, cum causae separationis frequenter occurrant et ad unicam legis concessionem, divortium, recurrere compellant, facilius aestimatio communis illud tamquam meram cessationem effectuum legalium matrimonii civilis respicere potuit, fere sicut matrimonium ipsum civile, propterea quod necessarium esse solet ad effectus civiles obtinendos, tamquam meram caeremoniam ad hunc tantum finem assequendum iam respicere assuevit; in secundo casu vix non unquam publice aestimabitur divortium peti a coniugibus in ordine ad novum matrimonium, etsi mere civile, ineundum, quod maxime scandalosum est; in tertio nondum communis aestimatio impiissimam et iniuriosam in Ecclesiam legis intentionem ab huiusmodi actione separavit. Hinc intelligitur malitiam actionis in hac materia inde posse oriri, quia vel continet implicite approbationem intentionis pravae legislatoris, proinde est cooperatio formalis ad malum (n. 102); vel sine proportionata causa ponitur cooperatio materialis ad pravas divortii sequelas (opportunitatem novi coniugii, damna filiorum); vel datur scandalum.

His positis, sequentia videntur teneri posse probabiliter (multi tamen obsistunt quoad plura, urgentque quasdam S. Sedis responsiones, quae non videntur posse a peculiaribus adiunctis praescindi, pro quibus datae fuerunt; cf. De Smet loc. cit):

1° *Ubi lex separationem non admittit, sed tantum divortium*

2° *Per dispensationem S. Sedis*, quae nonnisi ex causa tantae rei proportionata conceditur *.

---

a vinculo, et communis opinio huic rerum statui iam assuevit, per se cooperatio formalis ad malum non ponitur. Quare, supposita sufficienti causa ad separationem, coniuges divortium licite petunt, et tum iudex tum alii licite cooperantur.

Si tamen certo sciretur divortium peti ex intentione ineundi adulterinas nuptias, advocatus non posset suam operam praestare ex sola ratione non amittendi lucri; sed opus esset ut, post inutiles conatus ad dissuadendum petentem vel ad obtinendam reconciliationem, grave aliquod malum pati deberet; pariter iudex, post similes conatus frustra adhibitos, omni ratione quaerere deberet interpretationem legis strictam aliudve effugium, quo divortium deneget, nec poterit tandem ad illud concedendum procedere, nisi secus grave aliquod malum impenderet. Quod si intentio petentium ita esset publica et notoria, ut casus in publicum religionis contemptum cederet, nulla ex causa advocati vel iudices excusarentur.

2° *Ubi lex separationem concedit*, aegre fiet quod divortium non praebeat vehementem suspicionem praetextus ad novas ineundas nuptias; unde aegre a sua mala significatione purgabitur. Quare, si coniuges divortium petunt, tum advocati tum iudex, non tantum eos ad petendam solam separationem omnino hortari debent aliave omnia conamina facere ad declinandum divortium, sed etiam, si coniuges dissuaderi non possunt, operam suam denegare debent et tantum excusari possent, si secus ille ex advocatorum numero excludendus, aut is a iudiciali munere deturbandus esset, aut aliud aliquod gravissimum malum impenderet; melius enim esset tunc hanc cooperationem probabiliter materialem ponere et quorumdam scandalum permittere, quam societatem bonis advocatis et iudicibus privare, qui multa alia mala impedire poterunt (id enim malum gravissimum censetur, utpote valde ingens societatis malum). Evenire potest, ut coniux aliquem gravissimi momenti finem quaerat, quem per solam separationem non obtineret (puta eripere ab educatione impia mariti, qui prior divortium petiit, liberos secus ei tradendos; sed non sufficerent incommoda e sola separatione consequentia; nec regulariter sufficeret timor decidendi e propriae condicionis statu, aut neccessitas administrandi bona independenter ad vitandas rixas etc.); tunc licet et petere et operam petenti praestare. Denique in quovis casu, quo res in religionis contemptum cessura esset, prorsus abstinendum esset, nec ulla ratio excusaret.

3° *Ubi lex recens introducta est*, ita ut eius applicatio nondum impiissimam suam significationem exuerit (v. gr. quia catholici fortiter adhuc obsistunt cum spe derogationis obtinendae), res in opprobrium cederet religionis et consequenter cooperatio numquam permitti posset, praesertim iudici.

Cum autem praedictarum regularum applicatio multum pendeat ex particularibus cuiusque nationis condicionibus multumque magistratuum catholicorum ratio agendi in hac materia religioni ac bonis moribus intersit, nihil optatius, quam praevia Ordinarii consultatio.

Quaeri demum potest, an iudici interventus permitti possit,

---

* Per decr. *S.C. de Sacram.* 7 maii 1923 publici iuris factae sunt regulae in processibus circa matrimonium ratum et non consummatum servandae (*A.A.S.* [1923] p. 389 seqq.).

b) **Solutio matrimonii infidelium in favorem fidei.** Matri- **879**
monium inter non baptizatos, licet consummatum, solvi potest in favorem fidei ex privilegio a *S. Paulo*, 1 Cor. VII, 12 seqq. promulgato, quando scilicet alterutro coniuge ad fidem converso, alter « discedit ». Infidelis autem dicitur discedere: 1) si recusat cohabitare cum parte conversa[1]; — 2) aut saltem si non vult cohabitare « sine contumelia Creatoris », id est nisi nomen Dei blasphemando, vel partem conversam pertrahendo ad peccatum, vel si concubinas nolit dimittere, aut filios recuset educari in religione catholica.

Duplicem ergo interpellationem parti infideli debet pars fidelis facere, nisi S. Sedes aliud declaraverit[2]: — 1° An velit et ipsa converti ac baptizari. — 2° An saltem velit secum cohabitare pacifice sine contumelia Creatoris.

Interpellationes fieri debent:

1° Post baptismum susceptum et ante celebrationem novi matrimonii.

2° In forma summaria et extraiudiciali, de consensu Ordinarii partis conversae et concessis induciis ad deliberandum,

---

si quis, *post obtentum civile divortium* et vivente coniuge, *aliud matrimonium civiliter inire petit.* — *Resp.*: Difficultas duplici ex capite provenire potest: tum e cooperatione materiali ad adulteria aliaque mala consecutura (si cum vivente coniuge tenebatur vinculo aliquo valido, sive ex matrimonio canonico, sive ex matrimonio civili valido, v. gr. quia contracto in infidelitate cum coniuge infideli), tum e cooperatione formali (etiamsi teneretur vinculo matrimonii civilis invalidi), eo quod admissio ad novas nuptias civiles est tacita professio dissolubilitatis contractus matrimonialis (esto non fuerint validae priores nuptiae cviles, non enim concederentur novae nuptiae quia priores declaratae fuissent nullae, sed quia declaratae fuerant solutae). Videtur tamen quod iudex, omnibus frusta tentatis mediis ad dissuadendos coniuges aut impediendas nuptias, et secluso easu contemptus in religionem, excusari posset, si tandem aut eos admittere deberet aut ipse a iudicis munere deturbari aliudve malum gravissimum subire. Etenim tunc non solum datur causa proportionata ad cooperationem illam materialem, utique sat proximam, sed facile etiam cessare potest ratio cooperationis formalis; facile enim censere potest communis opinio professionem acatholici erroris ab illo actu abesse, si aliunde notum sit iudicem nonnisi gravissimae legis coactioni cessisse, quam frustra tentaverat eludere. Testibus autem non poterit sua cooperatio permitti; non enim timor dissolvendae amicitiae aut aliquod temporale interesse, quo cum nupturientibus devinciantur, regulariter causa sufficiens erit.

Num autem nova proles ex hoc secundo coniugio, vivente priore coniuge procreata, hereditatem adire possit cum cetera prole legitima, cf. GÉN.-S. n. 562 bis.

1 Excipe, si pars baptizata iustam discedendi causam parti non baptizatae dederit post baptismum (can. 1123); v. gr. si adulterium post baptismum commiserit et propter hanc causam infidelis discedat.

2 Etenim dispensare ab interpellationibus S. Sedi reservatur.

si petantur[1]. Si tamen interpellationes fiant privatim praescripta forma praetermissa, valent; immo, sunt licitae, si forma servari non potuit[2].

880 *De applicabilitate privilegii paulini.*

1° Applicari potest, quamvis coniux fidelis post susceptum baptismum denuo matrimonialiter cum parte infideli vixerit. Ius igitur novas celebrandi nuptias cum persona catholica non amittit, ideoque potest hoc iure uti, si coniux infidelis, mutata voluntate, postea « discedat » sine iusta causa, vel iam non cohabitet pacifice sine contumelia Creatoris (can. 1124).

2° Applicari potest tantum in ordine ad contrahendum cum persona fideli, immo, catholica (can. 1123), secus obstaret impedimentum disparitatis cultus aut mixtae religionis.

3° Applicari non potest matrimoniis initis cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus (can. 1120, § 2).

4° Vinculum prioris coniugii solvitur in eo momento quo pars fidelis novum matrimonium init (can. 1126).

5° Ea, quae relate ad matrimonium infidelium pro peculiaribus locis concesserunt Summi Pontifices[3], nunc per novi iuris can. 1125 ad omnes regiones extenduntur. Sunt haec videlicet: 1° Ut qui ante conversionem plures, iuxta eorum mores, habebant uxores et non recordantur quam primo acceperint, conversi ad fidem unam ex illis accipiant, quam voluerint, ut cum ea matrimonium contrahant[4]; qui vero recordantur quam primo acceperint, aliis dimissis eam retineant[5]. Eisdem conceditur, ut inire possint in tertio consanguinitatis gradu. — 2° Ut infidelis conversus, aliis uxoribus dimissis, cum ea, quae cum ipso baptizetur, remanere possit tamquam cum uxore legitima[6]. — 3° Ut locorum Ordinarii, ubi propter magnam

---

1 Moneatur tamen coniux infidelis, fore ut, nisi congruo tempore responderit, praesumatur responsio negativa (can. 1122).

2 Debet tamen de factis interpellationibus aliqua ratione constare posse in foro externo.

3 Paulus III const. *Altitudo* 1 iun. 1537; S. Pius V const. *Romani Pontificis* 2 aug. 1571; Grerg. XIII const. *Populis* 25 ian. 1585, quorum concessiones continentur ad calcem Codicis docum. VI VII VIII.

4 Servata forma canonica.

5 Nisi haec, nondum renovato consensu in forma canonica, « discedat » et coniux fidelis uti velit privilegio paulino.

6 Haec concessio videtur intelligenda pro casu, quo prima uxor, quaenam fuerit, nesciatur, vel nequeat moraliter interpellari; qua concessione facta (eam valide facit Summus Pontifex; potest enim matrimonia infidelium solvere etiam in casibus dubiis privilegii paulini, v. gr. cum prima coniux incerta est, quandoquidem hoc privilegium est interpretandum in favorem fidei), matrimonium

distantiam itinerisve difficultates moraliter impossibilis fiat coniugis infidelis monitio, dispensare possint[1], quominus, consensu ipsius minime requisito aut responso non exspectato,

---

est legitimum, etiamsi postea compareat prima uxor. Quod si ita est sensus secundae concessionis, haec continebatur in prima.

Revera iste videtur sensus. Verba enim S. Pii V videntur ea adiuncta supponere, in quibus vel prudenter dubitare licet num vir unquam serio intenderit contrahere matrimonium, vel interpellatio sit moraliter impossibilis. Confirmatur ex resp. *S. Off.* 8 iun. 1836. Cf. etiam De Angelis l. 4, tit. 9, 9°.

Alii tamen (Gasparri n. 1360; Pesch op. cit. VII, n. 796) ita loquuntur, ut sub concessione intelligant etiam casum, quo prima uxor in infidelitate remanens consentiat habitare pacifice sine contumelia Creatoris.

Excipiendus casus, quo prima uxor nota sit velitque et ipsa baptizari. Cf. Wernz n. 705 nota 99.

[1] Hanc ab interpellationibus dispensandi facultatem non soli Ordinarii habent, sed etiam parochi et Patres Soc. Iesu ubique terrarum, dummodo « in eisdem adiunctis », ait can. 1125, in quibus primitus quibusdam locis data fuerat. Iam vero adiuncta requisita non videntur esse captivitas et exterminatio neoconversorum (cf. docum. VIII sub finem Codicis); nam, etsi dicat Pontifex « Nos ... talium gentium.... miserati.... concedimus.... », tamen facultatem concedit exercendam « cum *quibuscumque*.... ad fidem conversis ».

At certe in ipsis verbis, quae concessionem continent, coniux supponitur *absens*, et ex toto contextu videtur requiri, ut absit in longinqua regione, ad quam accessus sit difficilis, vel ignoretur ubi sit (quae confirmantur ex consultatione ad *S. Off.* anno 1882, ap. Gasparri n. 1352), et magna difficultas interpellandi proveniat, in primo casu, ex difficultatibus distantiae et locorum, non ex aliis causis (quae omnia confirmantur ex consultatione ad *S. Off.* anno 1882 ad 1, ap. Gasparri n. 1352; cf. etiam Wernz n. 704 nota 84; Ball.-P. n. 702; loquitur quidem *S. Off.* ibidem de casu gravis damni aliunde imminentis, sed is erat casus extraordinarius, pro quo *specialis* facultas data fuerat consultanti); revera, si quodvis causae genus facultas complecteretur, extensio ad omnes orbis parochos, quam facit can. 1125, fere de medio tolleret reservationem dispensandi quam S. Sedes sibi factam declarat in can. 1121, § 2. Ergo facultas praedicta tribuitur tantum Ordinariis, parochis et PP. Soc. Iesu a suis Superioribus ad confessiones approbatis, pro casu tantum, quo coniux longe absit et difficultas adeundi (personaliter vel per alium vel saltem per litteras) sit vere magna (ut colligitur tum ex natura rei tum ex contentu documenti pontificii), vel ignoretur ubi degat et, factis v. gr. per publica nuntia diligentiis opportunis (faciendas esse demonstrat processus summarius et extraiudicialis qui de hac re praecipitur faciendus; cf. etiam cit. resp. *S. Off.* ap. Gasparri), non potuit coniux moneri, vel si intra tempus prudenter praefixum responsum non dedit. Quare nimis multas condiciones seu adiuncta requirere videtur Blat III, p. 696, nimis paucas Verm.-Creus. n.. 435.

Facultas est delegabilis, etiam habitualiter, ab Ordinariis et parochis, utpote adnexa officio (can. 199, § 1). Patres autem Soc. Iesu a suis Superioribus ad confessiones approbati ea uti possunt absque communicatione P. Generalis (n. 464 nota), quia non est concessio per modum privilegii, sed per modum legis universalis in ipso iure contentae.

matrimonium cum quovis fideli canonice contrahatur[1]; haec autem matrimonia rescindi non possunt, etiamsi postea innotuerit coniugem infidelem ob iustum impedimentum respondere non potuisse et ad fidem etiam tempore transacti secundi matrimonii conversum fuisse[2].

Art. 2. Separatio tori, mensae, habitationis[3].

881 Evidens est licere *ex mutuo consensu* separationem, etiam perpetuam, modo scandalum et pro utraque parte incontinentiae periculum absit; v. gr. si unus religionem ingredi cupiat,

---

1 Dummodo constet, ait Greg. XIII const. cit. etiam summarie et extraiudicialiter coniugem absentem moneri legitime non posse aut monitum intra tempus in eadem monitione praefixum suam voluntatem non significasse.

2 Plures (Pesch op. cit. VII, n. 795; Wernz IV, n. 705; Sasse, *De Sacram.* II, p. 441, alii) ex praedictis verbis Greg. XIII « etiamsi tempore contracti secundi matrimonii etc. » et praesertim ex ea ratione, quam ipse adducit, scilicet, « huiusmodi connubia non adeo rata censeri, ut necessitate suadente dissolvi non possint », colligunt potestatem esse penes Summum Pontificem solvendi matrimonia duorum fidelium in infidelitate inita et consummata, nondum tamen consummata *post* utriusque baptismum. Alii (Bened. XIV, *De Syn. dioeces.* l. 13, c. 21, alii) dissolutionem huiusmodi matrimonii in necessitate censent fieri vi *declarationis* privilegii paulini, non vi *potestatis* pontificiae; his favent verba, quibus in can. 1123 significatur interpellationum omissionem fieri ex *declaratione* apostolica; ex eodem enim iure sive *divino* sive *pontificio*, unde enascatur validitas omissionis interpellationum, enasci debet validitas dissolutionis matrimonii in infidelitate contracti; nisi enim id vere dissolveretur, quando novum initur omissis legitime interpellationibus, incassum istarum omissio concederetur.

Contendit Gasparri n. 1357 1349 nota, priorum opinionem fundari in erroneo intellectu verborum Greg. XIII, cum is non « tempore contracti secundi matrimonii » dixerit, sed « transacti » (atque ita verba Greg. XIII afferuntur ad calcem Codicis novi iuris), id est, si infidelis baptizatus fuisset *post* contractum a fideli secundum matrimonium. Sed praeterquam quod, si ita est, dictum Pontificis videtur inutile, manet adhuc alia ratio: « huiusmodi connubia non adeo rata censeri etc ».

3 « Coniuges servare debent vitae coniugalis communionem, nisi iusta causa eos excuset » (can. 1128).

« § 1. Propter coniugis adulterium, alter coniux, manente vinculo, ius habet solvendi, etiam in perpetuum, vitae communionem, nisi in crimen consenserit, aut eidem causam dederit, vel illud expresse aut tacite condonaverit, vel ipse quoque idem crimen commiserit. — § 2. Tacita condonatio habetur, si coniux innocens, postquam de crimine adulterii certior factus est, cum altero coniuge sponte, maritali affectu, conversatus fuerit; praesumitur vero, nisi sex intra menses coniugem adulterum expulerit vel dereliquerit, aut legitimam accusationem fecerit » (can. 1129).

« Coniux innocens, sive iudicis sententia sive propria auctoritate legitime discesserit, nulla unquam obligatione tenetur coniu-

vel ordines suscipere (de licentia S. Sedis, can. 542 987), vel si castitatem privatim vovere velit, perpetuam vel temporaneam (cf. n. 157, 1° *NB.*).

a) **Causa separationis perpetuae** est adulterium (idem tene de sodomia[1] et bestialitate), dummodo fuerit:

1° *Moraliter certum*, ita ut requirantur et sufficiant eae tam vehementes suspiciones, quae in hac re moralem certitudinem pariunt; v. gr. si reperirentur solus cum sola in lecto; at non sufficeret, si reperirentur se osculantes et amplexantes in loco abdito; nec sufficeret adulterium affirmari ab uno teste, nisi persona sit fidissima, cui merito prudentissimus quisque fidem haberet.

2° *Consummatum*, seu cum copula per se apta ad generationem.

3° *Formale*, id est cum scientia quod altera persona non est proprius coniux, et cum libertate, seu non ex vi; at non excusaret metus[2].

4° *A coniuge directe non causatum* aut permissum, id est, dummodo coniux in coniugis adulterium non consenserit, nec

---

gem adulterum rursus admittendi ad vitae consortium; potest autem eundem admittere aut revocare, nisi ex ipsius consensu ille statum matrimonio contrarium susceperit » (can. 1130).

« § 1. Si alter coniux sectae acatholicae nomem dederit; si prolem acatholice educaverit; si vitam criminosam et ignominiosam ducat; si grave seu animae seu corporis periculum alteri facessat; si saevitiis vitam communem nimis difficilem reddat, haec aliaque id genus, sunt pro altero coniuge totidem legitimae causae discedendi, auctoritate Ordinarii loci, et etiam propria auctoritate, si de eis certo constet, et periculum sit in mora. — § 2. In omnibus his casibus, causa separationis cessante, vitae consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Ordinario pronuntiata fuerit ad certum incertumve tempus, coniux innocens ad id non obligatur, nisi ex decreto Ordinarii vel exacto tempore » (can. 1131).

« Instituta separatione, filii educandi sunt penes coniugem innocentem, et si alter coniugum sit acatholicus, penes coniugem catholicum, nisi in utroque casu Ordinarius pro ipsorum filiorum bono, salva semper eorumdem catholica educatione, aliud decreverit » (can. 1132).

Cf. Sánchez l. 10 per totum; S. Alph. n. 960-977; Ball.-P. n. 766-826; Gasparri n. 1363-1373; Wernz n. 707-715; Lehmk. n. 934 ad 940; De Smet n. 249-268.

1 Sed adulterio non aequiparatur congressus sodomiticus vi habitus cum propria uxore, quia tunc non datur divisio carnis in aliam carnem, id est perfecta communicatio cum corpore diverso a corpore coniugis.

2 Moraliter certum videtur aut fere, quod metus, etiam cadens in feminam constantem, non tollit a viro ius divertendi (cf. Sánchez l. 10, d. 5, n. 15), quamvis quidam aliter senserint; nec res adeo controvertitur, ut significare videtur Ball.-P. n. 786. In praxi, bene ait iste, suadendum omnino marito, ut condonet.

eidem causam dederit; at si tantum dedit occasionem (non tamen intendens praecise, ut adulteretur), locus datur divortio [1].

5° *Non compensatum.* Nam contra coniugem adulteram non habet ius divertendi altera pars, si pariter est adultera. Nec refert utra prior peccaverit; nec refert ut videtur, utra peccaverit pluries [2].

6° *Non condonatum.* Porro condonatio non solum expresse dari potest, sed etiam implicite, si nempe coniux innocens, conscius et sponte dat alteri signa coniugalis affectus, v. gr. per oscula aut amplexus [3].

882 *Animadversiones.* α) Propter adulterium vita communis solvi potest in perpetuum. Generatim tamen ad partem culpabilem dimittendam coniux innocens non tenetur. Nam ratio tollendi scandali, ne scilicet innocens putetur continuatis adulteriis connivere, vix evenit si culpabilis est vir; sin autem est mulier, periculum incontinentiae et timor maioris licentiae uxoris virum excusare possunt, modo eam corrigere et scandalum tollere conetur.

β) Propter adulterium separationem a toro et cohabitatione instituere licet sive auctoritate ecclesiastica sive privata: si tamen crimen occultum sit, saepe ad vitandum grave scandalum ex separatione habitationis consequens, necesse erit privata auctoritate facere tantum separationem tori.

γ) Facta separatione, innocens numquam obligatione tenetur alteram partem rursus admittendi. Ius tamen servat eam revocandi, etiamsi iudicialiter separatio facta sit; excipe, si pars culpabilis cum alterius consensu ordinem sacrum aut statum religiosum susceperit.

---

1 Quid, si vir negasset feminae debitum coniugale, aut si eam iniuste deseruisset aut alimenta necessaria negasset, atque ob id mulier fidem fregisset? possetne vir instituere divortium? In duobus postremis casibus negant omnes; in primo affirmant plures, quorum sententiam, propter casuum paritatem, reiicit SÁNCHEZ l. 10, d. 5, n. 5-7. Sed praecise ob paritatem casus, non abnueremus ei, qui solutionem etiam primi casus tamquam plus minusve dubiam haberet. Quare in his casibus poterit vir divertere, et aliunde poterit etiam mulier in proprium favorem considerare ius mariti ut dubium. — Attamen, si vir in praedictis casibus ita egit praecise intendens adulteria uxoris, omni iure divertendi caret.

2 SÁNCHEZ l. 10, d. 6, n. 68; S. ALPH. n. 966. Si una pars adulteravit, eiusque crimen ab altera parte condonatum fuit, videtur dari locus divortio si haec deinde in adulterium labatur; peccatum enim condonatum non debet amplius computari (SÁNCHEZ ibid. n. 7; it. d. 7, n. 1 seqq.; S. ALPH. n. 966); contrarium tamen opinati fuerunt quidam (ap. SÁNCHEZ loc. cit.) aientes quod accusans de crimine debet eius esse immunis.

3 Praesumitur condonatio, si intra sex menses separationem non instituerit aut legitimam accusationem non fecerit.

δ) Facta separatione, si innocens adulterat, ius divortii amittit; non tamen, probabiliter [1], si divortium factum est auctoritate iudicis; quo casu ad cohabitandum redire non tenebitur, nisi aliud exigat vitatio scandali aut periculi incontinentiae in altero.

b) **Causae separationis temporaneae** a cohabitatione erunt (can. 1131): **883**

1° *Si sectae acatholicae nomen dederit* alter coniux, sectae scilicet haereticae vel schismaticae [2].

2° *Si prolem acatholice educaverit* ideoque contra cautiones datas pro contrahendo matrimonio mixto deliquerit.

3° *Si vitam criminosam et ignominiosam ducat*, ne altera pars videatur eidem connivere.

4° *Si grave seu animae seu corporis periculum* alteri facessat, v. gr. periculum amittendi fidem, aut peccandi mortaliter (v. gr. si inducit in onanismum), subeundi ruinam fortunae, aut contrahendi gravem morbum (dummodo aegroto convenienter provideatur) [3].

5° *Si saevitiis* vitam communem nimis difficilem reddat, id est, si attenta conviciorum et iurgiorum aliorumve malorum qualitate et frequentia [4], vel ob gravia mala, quae timentur prudenter, cohabitatio fiat nimis gravis.

Animadversiones. *a*) Propter has causas separatio non conceditur, nisi temporanea. Quare, causa cessante, obligatio datur vitam communem restaurandi; excipe, si Ordinarius separationem pronuntiaverit ad certum incertumve tempus. **884**

β) Propter has causas separatio, si facienda est, debet fieri cum interventu iudicis ecclesiastici; agitur enim de solvenda obligatione e sacramento orta, quae publice servanda erat [5]; recurrendum ergo ad Ordinarium loci [6] idque conve-

---

1 S. Alph. n. 968.

2 Quia habetur ut fornicatio quaedam spiritualis. Olim ius separationem concedebat etiam perpetuam, et non ob crimina tantum citata, sed propter haeresim etiam occultam et propter apostasiam a fide. Ius novum ista non parum coarctavit. Apostasia non continetur in causa, de qua sub n. 1°, facile tamen potest recidere in aliam, de qua mox sub 4°.

3 Syphilis causam separationis dare potest a solo toro.

4 Attenta quoque personae condicione; quaedam enim saevitiae non magni fiunt a mulieribus plebeiis, quas ferre non posset uxor nobilis (cf. S. Alph. n. 971 972).

5 In huiusmodi causis iudex procedere solet summarie, quandoque etiam extraiudicialiter.

6 Cum hodie multi fideles in huiusmodi casibus de adeundo iudice ecclesiastico vix cogitent, saepe satius erit silere de hac

nientius per medium parochi. Si tamen de causa certo constet et periculum sit in mora, separatio institui potest auctoritate privata [1].

c) **Instituta separatione** filii educandi sunt apud coniugem innocentem; imprimis tamen catholicae illorum educationi providendum est, ideoque educandi sunt penes coniugem catholicum, si alter fuerit acatholicus; excipe, si Ordinarius aliud statuat salvo semper filiorum bono et catholica educatione.

Coniux culpabilis non liberatur ab expensis, quae ei faciendae obtingerent pro educatione liberorum.

Caput 11. MATRIMONII CONVALIDATIO

Art. 1. Convalidatio simplex [2].

885 Detecta matrimonii nullitate, generatim, nisi animae pericula aliaeve graves rationes dissolutionem suadeant, curandum

---

obligatione erga eos, qui bona fide recursum separationis parati sunt ponere coram tribunali civili, praesertim si causam separationis habent satis certam, aut qui separati vivunt post obtentam sententiam civilem; saepe enim frustra monerentur, nec nisi cum periculo perturbandi suam bonam fidem.

[1] Idem dic, si coniux nequeat facile iudicem adire, aut coram eo litigare, aut causam probare. S. Alph. n. 971; Lehmk. n. 939.

[2] « § 1. Ad convalidandum matrimonium irritum ob impedimentum dirimens, requiritur ut cesset vel dispensetur impedimentum et consensum renovet saltem pars impedimenti conscia. — § 2. Haec renovatio iure ecclesiastico requiritur ad validitatem, etiamsi initio utraque pars consensum praestiterit nec postea revocaverit » (can. 1133).

« Renovatio consensus debet esse novus voluntatis actus in matrimonium quod constet ab initio nullum fuisse » (can. 1134).

« § 1. Si impedimentum sit publicum, consensus ab utraque parte renovandus est forma iure praescripta. — § 2. Si sit occultum et utrique parti notum, satis est ut consensus ab utraque parte renovetur privatim et secreto. — § 3. Si sit occultum et uni parti ignotum, satis est ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera in consensu praestito perseveret » (can. 1135).

« § 1. Matrimonium irritum ob defectum consensus convalidatur, si pars quae non consenserat, iam consentiat, dummodo consensus ab altera parte praestitus perseveret. — § 2. Si defectus consensus fuerit mere internus, satis est ut pars quae non consenserat, interius consentiat. — § 3. Si fuerit etiam externus, necesse est consensum etiam exterius manifestare, vel forma iure praescripta, si defectus fuerit publicus, vel alio modo privato et secreto, si fuerit occultus » (can. 1136).

« Matrimonium nullum ob defectum formae, ut validum fiat, contrahi denuo debet legitima forma » (can. 1137).

Cf. Sánchez l. 2, d. 34-39; S. Alph. n. 1109-1117; Gasparri n. 1383-1422; Ball.-P. n. 1305-1332; Wernz n. 646-651; De Smet n. 719 ad 731; Blat p. 706-710; Verm.-Creus. n. 446-453.

potius est, ut illud revalidetur, quam ut dissolvatur; sic enim et vitantur scandala et bono prospicitur filiorum susceptorum. Si coniuges in bona fide versantur, generatim de nullitate monendi non sunt, donec obtenta dispensatione ad revalidationem veniri possit.

Circa matrimonii convalidationem sequentia principia habe:

1° *Qui posuit consensum naturaliter insufficientem* (ob fictionem, condicionem coniugio repugnantem, errorem vel metum) *debet validum ponere cum notitia nullitatis matrimonii.* Debet alium validum ponere, quia reapse nondum consenserat. Debet illum ponere postquam noverit nullitatem matrimonii, secus enim non tam haberet animum matrimonium contrahendi, quam in matrimonio, quod validum putat, perseverandi, id est non poneret novum consensum a priore invalido independentem, sed tantum confirmaret priorem invalidum; nec refert quod, si nullitatem nosset, ad contrahendum consentiret, reapse enim nondum consentit (cf. can. 1134).

2° *Consensus positus cum impedimento dirimente, etsi natura sua validus*:

a) *inutilis est in ordine ad convalidandum matrimonium;*

b) *haec inutilitas habetur ex solo iure ecclesiastico.*

c) *Acceptatur tamen ab Ecclesia in casu quo* 1° *fuerit naturaliter sufficiens,* — 2° *adsit ignorantia nullitatis,* — 3° *impedimentum sit occultum, et* — 4° *altera pars consensum rite ponat cum scientia nullitatis.*

Ad *a*) Quia nisi consensus novus ponatur, matrimonium non convalidatur, ut constat ex can. 1133, excepto casu postremo loco relato.

Ad *b*) Constat item ex can. 1133, § 2, ubi id asseritur expresse, itemque ex eo quod saepe Ecclesia, data speciali quoad hunc effectum dispensatione, quam vocant sanationem in radice, illum acceptat tamquam aptum ad convalidationem [1].

---

[1] Si igitur aliquando Ecclesia, solum remoto obice impedimenti per dispensationem, illum acceptat, signum est quod ex sola circumstantia personae impeditae consensus non impediebatur poni natura sua validus; Ecclesia enim nequit supplere elementa contractuum iure naturae essentialia (cf. can. 1140).

Quod cum ita sit, locus esse non potest veteri opinioni, quam magni nominis auctores tenuerant, putantes consensum personae impedimento iuris ecclesiastici ligatae non posse, remoto impedimenti obice, evadere validum, quia, aiebant, « quod initio est invalidum, numquam convalidatur » (ap. S. Alph. n. 1115), vel « invalidus est consensus cadens super materiam inhabilem » (Sánchez l. 2, d. 35, n. 2). Quae rationes infirmae sunt; etenim primum axioma intelligi debet de re natura sua, non ob solum obicem extrinsecum, invalida; fundatur enim in eo, quod natura

Ad *c*) Exceptio, positis condicionibus recensitis, constat ex can. 1135, § 3.

886 3° *Quoties novus consensus, remoto impedimento, ponendus est, poni debet cum scientia nullitatis matrimonii.* « Quoties ponendus est »; non enim semper debet utraque pars novum consensum ponere, sed aliquando sufficit ut aliqua pars in consensu praestito perseveret per non retractationem, ut constat ex nuper allata exceptione.

Ratio asserti est, quia secus non poneretur consensus novus seu a priore independens, ut diximus nuper in 1°. Constat etiam ex can. 1134.

Compartem impedimenti ignaram monere de matrimonii nullitate, ut novum consensum ponat privatim idque facere absque periculo, ne nullitatis conscia velit discedere, difficillimum esse potest. Si quando monendi necessitas occurrat[1] et

---

cuiusvis rei mutari nequeat, quin res ipsa desinat esse; altera autem ratio, si contendatur consensum esse non solum legaliter, sed etiam natura sua invalidum, vera tantum est, quando nulla datur materia consensus, vel quando is erronee intendit materiam substantialiter aliam; uno verbo: quando cadit super materiam naturaliter ineptam, non ex mere extrinseca legis inhabilitate ineptam. Ceteroquin praedicta sententia post repetitas S. Sedis concessiones sanationis in radice, quae contrarium manifeste ostendunt, iam communiter deserebatur et hodie expresse exclusa manet in can. 1133, § 4. Attamen, non posse unquam evadere validum consensum positum cum impedimento iuris naturalis vel divini (v. gr. durante ligamine ignorato) non improbabile videtur, praecise ex ratione nuper allata, idque tenuerunt quidam ap. S. Alph. n. 1115; Wernz n. 650 nota 8 (cf. etiam Sánchez l. 2, d. 35, n. 2); sed de facto saltem Ecclesia hunc consensum numquam acceptat, ne ad sanationem quidem in radice, ut constat ex can. 1139, § 2.

Id nihilominus animadvertendum est: quod, de facto, ex sola remotione impedimenti consensus non evadit validus (cf. can. 1133); sed vel novus ponendus est vel obtinenda sanatio in radice. Quod quidem nequit aliter explicari, nisi admittatur praeter impedimenta canonica alibi recensita aliud impedimentum Ecclesiam tacite statuisse, seu aliud impedimentum ex voluntate Ecclesiae practice vigere speciali dispensatione tollendum, quod illum consensum impedit, ne vim suam naturalem valeat exserere; exsistentia huius impedimenti innominati expresse significatur in can. 1138, ubi affirmatur exsistere « lex de renovando consensu ».

[1] Necessitas monendi partem ignaram de matrimonii nullitate et difficultates adnexae, multo rarius in novo iure occurrent, quam in vetere. In vetere frequentiores erant, tum quia renovatio consensus cum scientia nullitatis requirebatur semper ab utraque parte, tum quia casus impedimenti occulti proveniebat saepissime ex crimine incestus, et tunc angustiae erant, ne comparti daretur ansa suspicandae causae. At in novo iure, sublato impedimento affinitatis ex copula illicita, aliud fere impedimentum occultum non restat pro convalidatione timendum, nisi impedimentum criminis; de quo tamen, si ex adulterio provenit aut ex mutua coniugicidii conspiratione, utraque pars iam est impedimenti conscia;

timetur periculum, poterit coniux alteri dicere: « Si matrimonium nostrum non fuisset validum, nonne velles nunc contrahere? nonne me tamquam coniugem vere amas? » 1.

---

sin autem provenit ex coniugicidio occulto comparte ignara patrato, revalidatio consensus ab hac parte rei ignara in novo iure non requiritur. Quare difficultates monitionis nunc rarissime exsurgere possunt: fere solum in casu, quo utrique coniuges nesciant, aut eorum alteruter, vim invalidandi habuisse crimen occultum, quod mutuo patraverant (immo etiam in hoc casu, an nullitas matrimonii debeat moneri, cf. n. 888 nota). Quod si in casu timor habeatur ne, cognita nullitate, voluntatem mutet aliquis eorum, adhuc difficultas declinari poterit recurrendo, praetermissa monitione, ad sanationem in radice.

Ad sanationem in radice recurri quoque poterit in aliis casibus natura sua publicis, nempe in casu detecti impedimenti publici, vel defectus occulti formae, cuius vim invalidandi utraque vel alterutra pars ignorat (v. gr. in casu consanguinitatis communiter ignoratae et non divulgandae, vel si defuit delegatio competens in sacerdote assistente). Immo, quoniam detecta invaliditate formae, vel impedimento publico, non sufficeret consensum renovare privatim (cf. can. 1135, § 1, 1137), ideo in his casibus ad sanationem in radice omnino recurratur, si gravis aliqua causa suadet vitare, ne coniuges, de exsistentia defectus formae, vel impedimenti, et consequenter de nullitate inde derivata, certiores fiant.

1 Verm.-Creus. n. 451, 3°.

S. Alph. n. 1117 hunc modum approbat, si nempe coniux alteri dicat: « Quando nupsi, non habui verum consensum (profecto consensus nullus non fuit verus consensus); nunc praestare volo, vis et tu praestare? »; vel si dicat; « Angor scrupulis de nostri matrimonii valore, ideoque renovemus consensum. » Quamvis enim his modis nonnisi velate proponatur comparti nullitas matrimonii, haec tamen, ait S. Doctor, non mere ratihabet priorem consensum, sed ponit novum a priore independentem, ideoque sufficienter obtinetur finis, qui per apertam certiorationem quaereretur.

Hi tamen modi satis apti non videntur. Nam, in primo satis aperte potest intelligi nullitas (ait enim « non habui verum consensum »), quod quidem periculosum est; potest praeterea offensioni valde gravi dari locus, si intelligatur defuisse initio coniugii sinceritas. In altero potest coniux putare matrimonium fuisse validum, siquidem « scrupuli » contemnendi sunt, ideoque forte non ponet consensum a priore independentem (et idem dic de primo, si nullitas non intelligeretur). — *Practice* tamen hi modi videntur adoptari posse, etsi forte altera pars non ponat consensum a priore independentem. Quia in vetere iure solebat *S. Poenitentiaria* etiam exigere, sicut exigitur in praesenti iure, ut compars certioraretur de nullitate, et tamen permittebat ut, si aliter absque gravi periculo fieri non posset, fieret « iuxta probatos auctores » (cf. Wernz n. 651 nota 10); unde non improbabile apparet eodem modo posse etiam nunc intelligi can. 1134, quando sine gravi periculo aliter fieri non potest.

Nec modum supra descriptum: « Si matrimonium nostrum non fuisset validum etc. » censemus omni difficultate vacuum; primae enim interrogationi responderi potest per consensum tacite habentem sensum condicionate futurum, alteri per consensum ab olim praestito non independentem.

887 4° *Consensus praesumitur perseverare, donec de eius revocatione constiterit*[1]. Ita ex can. 1093.

5° *Consensus satis censetur exprimi per actus eum significantes implicite*, puta per copulam aliosve actus affectu coniugali habitos[2]. Quare si huiusmodi actus ponantur remota iam nullitatis causa (v. gr. absente metu vel dispensato impedimento) et cum cognitione nullitatis, matrimonium convalidatur (nisi aliunde requiratur convalidatio in forma canonica)[3].

6° *Convalidatio facienda est coram parocho*[4] *et testibus, quando matrimonium fuit nullum ob vitium natura sua publicum*, v. gr. ob consanguinitatem, vel ob invaliditatem formae (puta parochus testatur se non delegasse, sacerdos vero assistens erronee intellexerat se oretenus delegari). Ratio est, ne validitas matrimonii impugnari possit in foro externo[5].

7° *Ubi convalidatio facienda est coram parocho et testibus, facienda est publice, si nullitas matrimonii est publica; secreto, si occulta*[6]. In primo enim casu scandalum tolli debet; in altero scandalum vitandum est, et simul famae prospiciendum eorum, qui publice veri coniuges putabantur.

888 Iam sequentes regulae, iuxta can. 1133-1137, ad praxim statui possunt:

a) **Si nullitas provenit ex impedimento canonico,** imprimis impedimentum cessare debet vel sponte[7] vel per dispensationem. Deinde:

---

1 Igitur *per se* censeri debet perseverare consensus quamdiu coniuges matrimonium suum validum putant. Nec refert quod quis consensum revocaret, si matrimonium suum nullum esse sciret; non enim considerari debet, quid quis faceret in aliqua hypothesi, sed an nunc aliquid faciat et quid faciat.

2 Sánchez l. 2, d. 35, n. 5; S. Alph. n. 1114; Gasparri n. 1411; Verm.-Creus. n. 451, 3°.

3 Cum tamen huiusmodi actus ex se non magis significent voluntatem priorem perseverantem quam novum actum consensus a priore independentis, ideo, si nesciatur an compars tales actus posuerit cum scientia nullitatis, tamquam signa tantum voluntatis prioris perseverantis accipienda erunt.

4 Tum hoc loco tum in sequentibus intellige « coram parocho, vel loci Ordinario, vel sacerdote ab alterutro delegato » ad normam can. 1094.

5 Ob hanc rationem renovandum est in forma publica praescripta matrimonium duorum acatholicorum, valide, sed clandestine initum, de quo nullum exstat documentum publicum.

6 Nempe in hoc altero casu initur de licentia speciali Ordinarii loci iuxta normam n. 860 traditam pro ineundo matrimonio conscientiae.

7 V. gr. per adeptam iam aetatem, vel per conversionem infidelis qui invalide contraxerat cum catholico.

1° *Si impedimentum sit publicum*, nempe si probari possit in foro externo (can. 1037), utraque pars consensum renovare debet cum scientia nullitatis prioris consensus coram parocho et testibus [1].

2° *Si impedimentum sit occultum*, consensus renovandus est privatim cum scientia nullitatis consensus prioris, *a*) ab utraque parte, si impedimentum est utrique notum; *b*) a parte tantum impedimenti conscia, si altera est ignara et in consensu dato perseveret [2].

---

1 Quod poterit fieri coram eis secreto, si casus ferat, iuxta can. 1104.

2 Quaeri potest in casu impedimenti occulti, utrum ignorantia impedimenti excusans unam partem a renovando consensu, requiratur ut sit etiam circa impedimentum materialiter sumptum, an vero sufficiat circa impedimentum sumptum formaliter, seu circa impedimentum ut impedimentum. Blat III, p. 709 ait quod Codex non sine causa omisit hanc hypothesim, eo quod, vi canonis 1018, supponat populum sufficienter instructum circa impedimenta, et consequenter non debuit supponere coniuges ignorantes impedimentum in ratione tantum prohibitionis. Sed hoc pacto ratio ad summum redditur praetermissionis, sed difficultas directe non solvitur; quae quidem nimis potest in praxi occurrere, cum reapse tanta detur harum rerum ignorantia.

Supponatur verbi causa impedimentum occultum criminis primae speciei, quod utrique parti plane notum est in ratione facti. cum criminis a se patrati non possit uterque coniux non esse conscius. Supponatur una tantum pars nullitatem matrimonii didicisse. Quaeritur utrum tunc, cum altera pars non noverit impedimentum formaliter ut tale, verificetur canon 1135, § 3 et sufficiat ut pars conscia consensum renovet, an vero, cum impedimentum sit utrique notum materialiter, censendus sit potius verificari canon 1135, § 2 et debeat consensus ab utraque parte renovari, ideoque debeat altera pars nullitatis ignara de nullitate praemoneri iuxta can. 1134. Quaestionis momentum patet, quia potest saepe timeri ne altera pars, cognita nullitate, compartem, forsan et filios, deserat.

Putamus tunc sufficere renovationem consensus ab una parte, ubi altera ignorat impedimentum formaliter, etsi noverit materialiter. Ratio est: 1° Quia, ut proprie quis dicatur nosse impedimentum, non sufficit, ut notitiam habeat facti, sed necesse est, ut simul sciat vim habere impediendi. Ergo censendum erit verificari tunc can. 1135, § 3, non autem § 2 eiusdem canonis, et sufficere renovationem consensus unius partis. — 2° Codex sustulit, vi can. 1135, § 3, obligationem, quae antea ad validitatem omnino exigebatur, certiorandi de nullitate partem ignaram, propter grave periculum, quod ex hac certioratione saepe imminet. Atqui grave periculum imminere potest, etiam cum sola adest ignorantia impedimenti formalis; nam quamvis tunc non detur periculum sese infamandi, cum complex factum iam noscat, datur tamen periculum provocandi separationem. Vel aliis verbis, ut obiter significat Verm.-Creus. n. 451, 3°: « Codex extendit ad omnes casus impedimenti uni parti ignoti dispensationem, quae antea concedebatur ob gravem causam. » Atqui antea *S. Poenitentiaria*, etsi dispensationem tribuere solebat ob causam gravis periculi infamiae (quia casus generatim occurrebat propter affinitatem contractam ex copula

b) **Si nullitas provenit ex defectu consensus** [1], sufficit ut consensum ponat, cum scientia nullitatis coniugii initi, pars quae illum non posuerat (dummodo altera in suo perseveret), cum aliqua tamen manifestatione externa ipsius (v. gr. per cohabitationem coniugali affectu), si defectus non fuit mere internus. Coram parocho et testibus renovari tantum debet, si defectus fuit, vel esse possit, notorius.

c) **Si nullitas provenit ex defectu formae,** matrimonium convalidandum est, cum scientia nullitatis coniugii initi, coram parocho et testibus; publice vel secreto, prout nullitas publica sit vel occulta.

Si aliqua vel utraque pars renuit pergere ad ecclesiam, revalidatio fieri poterit quolibet in loco. Si aliqua pars renuit praesentiam parochi, obtineatur ut saltem procuratorem deleget; quod si obtineri non possit, recurrendum erit ad sanationem in radice, dummodo tamen praesumi possit, quod consensum matrimonialem naturaliter validum posuerat et in eo perseverat.

Art. 2. Sanatio in radice [2].

889 Haec specialis concessio, quae S. Sedi reservatur, *requirit ad validitatem*: 1° Ut impedimentum sit iuris tantum ecclesiastici. Quod si fuerit iuris divini aut naturalis (v. gr. ligamen), necesse esset ut, postquam illud cessaverit, novus con-

---

illicita), tamen dispensationem pariter tribuebat vel tribuisset propter solam causam gravis periculi separationis, cum separatio non sit malum minus grave quam infamia; ideoque eam tribuebat vel tribuisset in casu, quo delictum esset comparti notum, non tamen eius vis impediendi.

Si uterque est impedimenti (saltem formalis) ignarus, debet, obtenta huius dispensatione, unus praemoneri, ut renovet consensum, secus matrimonium maneret invalidum; nisi timor sit, ne uterlibet coniugum moneatur, discedat, et suadeat tunc prudentia utrumque in ignorantia relinquere vel obtinere sanationem in radice.

1 Eo quod ficte, vel cum errore substantiali, vel ex gravi metu fuit positus.

2 « § 1. Matrimonii in radice sanatio est eiusdem convalidatio, secumferens, praeter dispensationem vel cessationem impedimenti, dispensationem a lege de renovando consensu, et retrotractionem, per fictionem iuris, circa effectus canonicos, ad praeteritum. — § 2. Convalidatio fit a momento concessionis gratiae; retrotractio vero intelligitur facta ad matrimonii initium, nisi aliud expresse caveatur. — § 3. Dispensatio a lege de renovando consensu concedi etiam potest vel una tantum vel utraque parte inscia » (can. 1138).

« § 1. Quodlibet matrimonium initum cum utriusque partis consensu naturaliter sufficiente, sed iuridice inefficaci ob dirimens impedimentum iuris ecclesiastici vel ob defectum legitimae formae, potest in radice sanari, dummodo consensus perseveret. — § 2. Matrimonium vero contractum cum impedimento iuris naturalis vel

sensus positus fuisset a priore invalido independens; pariter, si consensus defuisset, opus est ut iam sit positus. — 2° Ut consensus ex suis intrinsecis elementis sit validus; non igitur sanari posset consensus in concubinatum. — 3° Ut is consensus ex suis elementis intrinsecis validus eo momento, quo sanatio concedatur, adhuc perseveret[1]. — 4° Gravem causam.

Effectus sanationis sunt: 1° Matrimonium fit validum a momento concessionis sine consensus renovatione. — 2° Per fictionem iuris matrimonium censetur validos habuisse effectus ab initio[2] (vel a momento praestiti consensus sufficientis, si ab initio non exstiterit) ideoque legitimatur ipso facto proles durante nullitate suscepta.

---

divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice, ne a momento quidem cessationis impedimenti » (can. 1139).

« § 1. Si in utraque vel alterutra parte deficiat consensus, matrimonium nequit sanari in radice, sive consensus ab initio defuerit, sive ab initio praestitus, postea fuerit revocatus. — § 2. Quod si consensus ab initio quidem defuerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus » (can. 1140).

« Sanatio in radice concedi unice potest ab Apostolica Sede » (can. 1141).

Cf. Sánchez l. 8, d. 7; Gasparri n. 1423-1451; Wernz n. 652-664; De Smet *n.* 735-736 832; Gen.-S. n. 540-542; Verm.-Creus. n. 454-458.

1 Hinc sanatio data post mortem alterutrius coniugis nihil operari potest nisi legitimationem prolis.

2 Propterea haec sanatio dicitur fieri « in radice ».

TRACTATUS IX.

DE CENSURIS

Caput 1. CENSURAE IN GENERE

Art. 1. Notiones generales.

Notiones generales praemittendae sunt quibuslibet censu- **890**
ris communes, ut de singulis earumdem speciebus deinde tractetur expeditius.

a) **Quid censura et quotuplex.** « Censura, ait can. 2241, § 1, est poena, qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus, vel spiritualibus adnexis, privatur, donec a contumacia recedens absolvatur. »

Poena autem ecclesiastica definitur in can. 2215: « privatio alicuius boni ad delinquentis correctionem et delicti punitionem a legitima auctoritate inflicta », ubi duplex poenae finis distincte exprimitur, unde duplex poenarum genus derivatur: medicinalium et vindicativarum, secundum quod correctio delinquentis primario intendatur, delicti punitio secundario; vel e converso punitio sit poenae finis principalis.

Cum igitur censurae ferantur primario ad frangendam delinquentis contumaciam ideoque eius correctionem intendant principaliter, patet eas esse poenas *medicinales* (can. 2216). Poenae autem *vindicativae* vocari etiam solent simpliciter *poenae* [1].

Censura non solum *delictum* supponit, id est « externam **891**
et moraliter imputabilem legis violationem, cui addita sit sanctio canonica » (can. 2195), sed etiam *contumaciam*. Ille autem dicitur *contumax*, qui delinquit cum contemptu censurae vel formali vel saltem interpretativo; saltem interpretativo, in-

---

1 Quaenam poenae vindicativae in *omnes fideles* infligi possint, cf. can. 2291; quaenam in *clericos* tantum, cf. can. 2298. De remediis poenalibus can. 2306 seqq.; de poenitentiis can. 2313.

quam, non enim necesse est, ut censuram contemnat actu expresso, sed sufficit ut, cum sciat aliquid sub censura prohiberi, prohibitionem nihilominus transgrediatur [1].

Censurarum species est triplex: *excommunicatio*, *interdictum*, *suspensio* (can. 2255, § 1), de quibus statim agemus in particulari [2].

Censurae, sicut et quaelibet poenae, sunt *latae sententiae*, si ita legi vel praecepto iam addita sunt, ut incurrantur ipso facto commissi delicti, quin opus sit ulla sententia auctoritatis ecclesiasticae [3]; *ferendae sententiae* sunt eae, quae non incurruntur, donec a iudice vel Superiore infligantur (can. 2217, § 1, 2°). Poenae autem semper intelliguntur esse sententiae ferendae, nisi contrarium diserte exprimatur (can. 2217, § 2). — Sunt *a iure* (sive latae sententiae sint sive ferendae), si in ipsa lege determinatae statuantur; *ab homine*, si ferantur per modum praecepti peculiaris, id est personalis [4] (can. 2217, § 1, 3°).

Multiplicantur censurae, si multiplicantur, etiam mere numerice (n. 60-62), delicta, quibus sunt adnexae, vel si a diversis Superioribus infliguntur (can. 2244) [5]. Potest quis pro-

---

1 Nec tamen est necesse ut, dum delinquit (v. gr. dum simoniam beneficialem committit), actu de censura cogitet; sufficit enim eam nosse habitualiter.

2 Praeter tres praedictas nullam aliam exsistere censurae speciem iam erat omnino certum in iure veteri; cf. SUÁREZ, *De censuris* d. 1, sect. 3, n. 2; WERNZ, *Ius decret.* n. 146. Idemque nunc constat expresse per can. 2255, § 1.

3 Vel potius, sententia ab ipso iure iam lata est in antecessum pro quacumque violatione futura.

4 Dicuntur etiam *ab homine* si ferantur per sententiam iudicialem condemnatoriam, etsi in iure iam fuerant statutae; quare addit can. 2217, § 1, 3° poena ferendae sententiae, legi addita, ante sententiam condemnatoriam est *a iure tantum*, postea *a iure* simul et *ab homine*, sed consideratur tamquam *ab homine*. Cf. quoad ius antiquum SUÁREZ, *De censuris* d. 3, sect. 1; WERNZ, *Ius decret.* VI, n. 146 nota 16.

Alia dicitur sententia *condemnatoria*, alia *declaratoria*. Per priorem sententiam actu infligit iudex poenam, quae erat sententiae ferendae; per posteriorem iudex declarat aliquem incurrisse poenam, quae erat latae sententiae. Cf. WERNZ n. 62.

5 « § 1. Non solum diversae, sed etiam eiusdem speciei censura potest in eodem subiecto multiplicari. — § 2. Censura latae sententiae multiplicatur: — 1° Si diversa delicta, quorum singula censuram secumferunt, eadem vel distincta actione committantur; — 2° Si idem delictum censura punitum, pluries repetatur ita ut plura sint delicta distincta; — 3° Si delictum, diversis censuris a distinctis Superioribus punitum, semel aut pluries committatur. — § 3. Censura ab homine multiplicatur, si plura praecepta vel plures sententiae vel plures distinctae partes eiusdem praecepti aut sententiae suam quaeque censuram infligant » (can. 2244).

Adverte tamen, quod « si censura Sedi Apostolicae reservata sit, Ordinarius nequit aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre » (can. 2247, § 1).

inde pluribus excommunicationibus ligari, v. gr. si plures clericos, vel eumdem diversis vicibus, percutit.

b) **Quis in quos possit ferre censuras.** *Potestate ordinaria*, ii omnes et soli censuras ferre possunt, qui potestate pollent leges ferendi vel praecepta imponendi, est enim actus iurisdictionis fori externi; potestatis autem delegatae capaces sunt soli clerici. Proinde iure proprio possunt ferre censuras, praeter Romanum Pontificem, Ordinarii locorum pro sua dioecesi (non tamen Vicarii Generales sine speciali mandato, can. 2220, § 2), Concilia plenaria vel provincialia, et Superiores regulares intra limites a suis constitutionibus praefinitos[1]. Parochi eam potestatem non habent. **892**

Censurae ferri possunt *in omnes et solos subditos*. Sunt tamen exceptiones faciendae pro quibusdam personis, aut saltem quaedam animadversiones, quae sequuntur:

1° *Cardinales*, nisi expresse nominentur, sub lege poenali non comprehenduntur (can. 2227, § 2).

2° *Episcopi* non comprehenduntur sub poenis « latae sententiae » suspensionis et interdicti (can. 2227, § 2).

3° *Qui supremum tenent populorum principatum*, eorum filii ac filiae, atque ii, quibus ius est proxime succedendi in principatum, a solo Rom. Pontifice poenis plecti possunt (can. 2227, § 1). Incurrunt tamen poenas latae sententiae in Codice inclusas, utpote a Rom. Pont. latas.

4° *Impuberes*[2] excusantur a poenis latae sententiae; non tamen excusantur puberes, qui eos ad legem violandam induxerunt vel cum eis in delictum concurrerunt (can. 2230).

---

[1] Nativum et propium ius habere Ecclesiam infligendi poenas (can. 2214, § 2) cf. apud Suárez, *De censuris* d. 1, sect. 2; Wernz. *Ius decret.* VI, n. 75 76 99 seqq., 147; *Dict. d'Apolog.* v. Hérésie col. 446 seqq.; *Dict. de Théol.* v. Censures col. 2123-2124, v. Inquisition col. 2059 seqq.; *Cathol. Encycl.* v. Heresy p. 259-261; Sole, *De delictis et poenis* n. 60-65; Verm.-Creus. *Epitome iuris can.* III, n. 400.

Quinam censuras ferre possint, quo modo eas infligere debeant, aliave similia, quae theologiam moralem vix respiciunt, non est cur pluribus exponamus. Ea si fusius desideres, adi pro praesenti iure Sole op. cit.; Cappello, *De censuris;* Verm.-Creus. op. cit.

[2] Id est mares ante expletum 14 aetatis annum, feminae ante 12 (can. 88, § 2).

Cum tam expresse Codex aetatem pubertatis in can. 88 definierit, nec ullam insinuationem faciat, ut hoc loco ab eadem discedere permittat, putamus insufficiens fundamentum adesse, ut cum Verm.-Creus III, n. 424 et Gén.-S. n. 566 agnoscatur probabilis in novo iure sententia quorumdam paucorum qui, sub iure veteri, putarunt sub nomine impuberum accipi posse « in re criminali » quoslibet utriusque sexus ante expletum 14um annum. Aliunde, in nullo alio ex auctoribus, quos habemus prae manibus, hanc sententiam reperimus.

893 5° *Peregrini* non subiacent Ordinario loci, in quo versantur, nisi in iis quae ordini publico consulunt (can. 14, 2°); non tenentur proinde eius censuris particularibus, nisi bonum commune respiciant et per modum legis latae sint.

Si tamen contra leges iuris canonici delinquunt, ab Ordinario loci, in quo versantur, puniri possunt; reus enim forum sortitur in loco patrati delicti (can. 1566, § 1); propterea, nisi in his ei pareant, ab eodem censuris plecti possunt.

Quoniam legibus particularibus sui territorii non adstringuntur, nisi earum transgressio in illo noceat (can. 14, 1°), ideo nec censuras incurrunt, quibus Ordinarius suus eas communierit, nisi subditi absentis transgressio in nocumentum cedat aliorum subditorum, v. gr. si Ordinarius censuram tulerit contra parochos illegitime absentes.

Censuris particularibus, quas in proprio territorio iam incurrerint, certe iis extra territorium adhuc ligantur (can. 2226, § 4); immo subiacent extra territorium praeceptis personalibus sui proprii Ordinarii ideoque et censurae praecepto adnexae, servant enim Ordinarii iurisdictionem in subditos quamvis absentes (can. 1561, § 2).

6° *Regulares* censuras ab Ordinario loci latas non incurrunt, siquidem ab eius iurisdictione exempti sunt (can. 615); excipe, quoad ea, in quibus illius iurisdictioni subiacent (can. 619 et cf. supra n. 459 460), nisi particulare privilegium habeant, quo ab eo, etiam in his materiis, censura plecti non possint.

7° *In corpus morale*, v. gr. in confraternitatem, si feratur excommunicatio, intelligi debet in delinquentes tantum; si interdictum aut suspensio, quoad actus tantum corporationis ut talis (can. 2255, § 2).

894 *c*) **De condicionibus ad incurrendam censuram.** Delictum, ob quod censura incurrenda est, debet esse:

1° *Mortale* (can. 2242, § 1), tum obiective tum subiective. Obiective, id est materia debuit in se esse gravis[1] et non tan-

---

[1] Etenim super materia levi nequit infligi poena gravissima, cuiusmodi esset censura, deesset enim proportio. SUÁREZ, *De censuris* d. 4, sect. 4; S. ALPH. *De censuris* n. 30; BALL.-P. n. 123 seqq.

Ob culpam levem incurrebatur aliquando in iure veteri excommunicatio *minor* quam vocabant, quae aliquos tantum excommunicationis maioris effectus causabat; eius autem inflictio inde iusta censebatur, quia, etsi magnis adhuc bonis spiritualibus privabat, facile tamen tolli poterat; quilibet enim confessarius poterat ab ea absolvere. Excommunicatio minor iam a PIO IX per const. « Apostolicae Sedis » 12 oct. 1869 sublata fuit, utpote in ea non contenta, et a novo Codice diserte excluditur; impedit enim canon 2257, § 1, quominus excommunicationis effectus separari possint.

tum apprehendi ut gravis [1]. Subiective, id est cum sufficienti advertentia et consensu [2].

Quod si confessarius dubitat de reatu gravi [3] in conscientia contracto, censura, si reapse reatus fuit gravis et ea fuit incursa, non reservatur absolvique poterit pro foro interno.

---

1 Censurae, cum actum iurisdictionalem importent fori externi, ferri nequeunt in actus internos ideoque nequeunt ferri ob actum solummodo interne gravem. SUÁREZ d. 4, sect. 2; S. ALPH. n. 34.

2 Si enim culpa defuit theologica ob inadvertentiam, errorem inculpabilem etc., poena huiusmodi incurri nequit coram Deo; coram iudice tamen, id est in foro externo, incursa censetur, si istiusmodi excusatio non possit probari (cf. can. 2218, § 2); tuncque, si res est publica, debet quis se gerere publice tamquam censura irretitum, si aliter nequeat vitare scandalum.

3 *Quaeres*: Quid, si actum quidem posuisti sub censura prohibitum, dubites tamen num vere peccaveris graviter in conscientia? — *Resp.*: Distinguendum putamus inter realem censurae incursionem et eius reservationem.

Quoad 1um. Si reapse peccasti graviter, ligaris censura, etiamsi dubites de commisso peccato gravi; nullam enim efficaciam habet dubium tuum in ordine ad impediendam censuram. Et sane, nihil reperimus a iure statutum in favorem istius dubii; aliunde doctrina theologorum, quam retulimus in n. 658, 1° nota, versabatur circa *reservationem* peccati dubii et ad tutius, casu quo doctrina illa non fuisset absolute certa, adduximus can. 209; haec autem, ut patet, applicari non possunt ad impediendam realem incursionem censurae, sicut applicari non possent ad impediendam realem incursionem peccati gravis in conscientia.

Quoad 2um. Si revera peccasti graviter, censuram revera incurristi, ut diximus; sed censura in hoc casu non est reservata pro foro interno. — Diximus 1° « non esse reservatam »; hic enim locum habent ea, quae alibi (n. 658, 1° nota) tradunt theologi de reservatione peccati; hic enim, pariter ac ibi, licet repetere cum S. ALPH. l. 6, n. 600 et aliis communiter, quod reservatio censurae (sicut reservatio quaelibet) est strictae interpretationis (idque de reservatione censurae expresse statuit can. 2246, § 2); unde debet reservatio intelligi de censuris certo incursis. Quando ergo confessarius dubitat, num censura vere in conscientia incursa sit, eius reservatio tollitur, ita ut si reapse est incursa, ab ea, quaecumque sit, absolvere valeat. Sed imprimis adverte, quod, si solus poenitens dubitet de peccato gravi commisso et confessarius hoc dubium nesciat, vel si poenitens suum peccatum dubium accusare oblivisatur, non absolvitur a censura; nam quamvis dicat « absolvo ab omni vinculo... quantum possum », tamen ab illo vinculo non absolvit; non enim tollitur reservatio illius vinculi, nisi propter confessarii dubium (cf. LUGO, *De Poenit.* d. 20, n. 20-24, praesertim n. 24); quod si poenitens illud peccatum dubium non accusat et agitur de censura non reservata, haec, si revera incursa est, tollitur in prima absolutione valida propter formulam « ab omni vinculo... quantum possum ». Adverte praeterea non tolli reservationem propter dubium quodlibet confessarii manifeste imprudens aut temerarium, ut advertimus in n. 658 nota. — Diximus 2° non esse reservatum « pro foro interno »; nam pro externo, cum non possit probari dubitationem de peccato gravi in conscientia commisso vere esse fundatam, censura praesumi debebit incursa (can. 2200).

2° *Externum* (can. 2242, § 1), ut patet ex ipsa natura censurae (cf. can. 2195, § 1). Et quidem debet esse *externe mortale*[1].

Quod si confessarius dubitat, num actio fuerit externe mortalis, censura, si reapse incursa fuit, non reservatur[2], ab eaque absolvere poterit pro foro interno.

3° *Consummatum* (can. 2242, § 1), id est non frustratum aut mere attentatum[3]. Proinde, si censura plectitur « homicidium », non sufficeret porrectio veneni, si deinde mors secuta non fuisset.

4° *Patratum in sensu stricto verborum legis* (can. 2228). Proinde, si censura plectitur lectio libri pravi, non ideo plectitur libri retentio (nisi id quoque constet in lege), vel lectio ephemeridis.

Advertit tamen semel pro semper can. 2231 simul cum can. 2209, §§ 1-3[4], quod, etsi lex tantum exprimat delictum

---

1 Suárez d. 4, sect. 4, n. 2; S. Alph. l. 7, n. 34; Wernz n. 156; Ball.-P. n. 132. Praeterea, ut diximus, censura non posset ferri in actum solummodo interne gravem.

2 Can. 2246, § 2; S. Alph. n. 67. Quare, si dubium est, num percussio clerici fuerit graviter iniuriosa (etiamsi malitia fuerit interne certo gravis), non debet quis se censere excommunicatum; quod si excommunicatio vere incursa fuit, in dubio tolli potest a quovis confessario.

3 Non solum in can. 2242, § 1 haec condicio expresse requiritur, sed eadem quoque ex aliis locis iuris eruitur. Profecto punitur sub censura delictum (can. 2241, § 1, 2242, § 1, 2195, § 1), non delicti conatus (can. 2212, § 1), nec delictum frustratum (can. 2212, § 2), quia lex poenalis est strictae interpretationis (can. 19 2228); excipe, si lex ipsum delicti conatum puniat (v. gr. acceptationem duelli, etsi id non sequatur), sed potius tunc conatus est ipsum delictum, quod lege punitur (can. 2212, § 4).

4 « Si plures ad delictum perpetrandum concurrerint, licet unus tantum in lege nominetur, ii quoque de quibus in can. 2209, §§ 1-3, tenentur, nisi lex aliud expresse caverit, eadem poena; ceteri vero non item, sed alia iusta poena pro prudenti Superioris arbitrio puniendi sunt, nisi lex peculiarem poenam in ipsos constituat » (can. 2231).

« § 1. Qui communi delinquendi consilio simul physice concurrunt in delictum, omnes eodem modo rei habentur, nisi adiuncta alicuius culpabilitatem augeant vel minuant. — § 2. In delicto quod sua natura complicem postulat, unaquaeque pars est eodem modo culpabilis, nisi ex adiunctis aliud appareat. — § 3. Non solum mandans qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem inducunt vel in hanc quoquo modo concurrunt, non minorem, ceteris paribus, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti exsecutor, si delictum sine eorum opera commissum non fuisset. — § 4. Si vero eorum concursus facilius tantum reddidit delictum, quod etiam sine eorundem concursu commissum fuisset, minorem imputabilitatem secumfert. — § 5. Qui suum influxum in delictum patrandum opportuna retractatione abduxerit plene, ab omni imputabilitate liberatur, etiamsi exsecutor delictum ob alias

censura punitum, tamen, nisi aliud moneatur, intelligantur eadem censura ligandi non tantum is, qui illud patret, sed omnes etiam, communi consilio in illud concurrentes: complex delicti natura sua hunc requirentis [1], mandantes, inducentes, cooperatores positivi. Attamen, ligabuntur, dummodo 1° delictum vere fuerit a suo auctore consummatum; et 2° actio ceterorum ea fuerit, ut absque ea delictum non fuisset patratum [2].

5° *Coniunctum cum contumacia* (can. 2242, § 1), eo modo quo in n. 891 explicatum est.

d) **Causae a censura excusantes.** Supposito quod delictum sub poena vetitum reapse patratum fuerit, adhuc tamen a censura *latae sententiae* excusant (can. 2229) [3]: **895**

---

causas sibi proprias nihilominus patraverit; si non abduxerit plene, retractatio minuit, sed non aufert culpabilitatem. — § 6. Qui in delictum concurrit suum dumtaxat officium negligendo, imputabilitate tenetur proportionata obligationi qua adigebatur ad delictum suo officio impediendum. — § 7. Delicti patrati laudatio, fructuum participatio, delinquentis occultatio et receptatio aliive actus delictum iam plene absolutum subsequentes, nova delicta constituere possunt, si nempe poena in lege plectantur; sed, nisi cum delinquente de illis actibus ante delictum conventum fuerit, non secumferunt delicti patrati imputabilitatem » (can. 2209).

[1] V. gr. si censura plectitur « emptio libri », eamdem incurrit venditor; si « contrahens matrimonium ligatus voto », etiam persona, quae cum eo contrahit, etsi voto non ligata.

[2] Ita ex can. 2231 2209, § 3; idem praeterea eruitur ex can. 2212, § 3, ubi expresse actio inductiva ad delictum, si est inefficax, conatui huius delicti dicitur aequiparanda, non eidem delicto.

Ex can. 2231 2209 eruitur non ligari eadem censura, qua plectitur auctor principalis, cooperatores positivos, si ii operam praestiterunt insufficientem, nec cooperatores negativos.

Iure vetere, in pluribus censuris, postquam expressum fuerat delictum poenae subiectum, distincte recensebantur alii complices auxilium, consilium, favorem etc. praestantes, qui eidem poenae submittebantur. In novo iure nihil huiusmodi necesse est exprimere, quia semper est subintelligendum, nisi lex contrarium moneat.

[3] « § 1. A nullis latae sententiae poenis ignorantia affectata sive legis sive solius poenae excusat, licet lex verba de quibus in § 2 contineat. — § 2. Si lex habeat verba: *praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit* aliave similia quae plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, quaelibet imputabilitatis imminutio sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis eximit a poenis latae sententiae. — § 3. Si lex verba illa non habeat: — 1° Ignorantia legis aut etiam solius poenae, si fuerit crassa vel supina, a nulla poena latae sententiae eximit; si non fuerit crassa vel supina, excusat a medicinalibus, non autem a vindicativis latae sententiae poenis; — 2° Ebrietas, omissio debitae diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis, si, non obstante imputabilitatis deminutione, actio sit adhuc graviter culpabilis, a poenis latae sententiae non excusant; — 3° Metus gravis, si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum

1° *Ignorantia*[1] (idem dic de inadvertentia et errore (can. 2202, § 3), dummodo non fuerit crassa vel supina[2] (n. 2). Idque tene tam de ignorantia legis quam solius censurae, tam iuris (v. gr. si quis nesciat censura puniri percussionem clerici) quam facti (v. gr. si ignoret hunc esse clericum), tam censurae a iure quam censurae ab homine. Ratio a priori est, quia deest tunc contumacia in legem censurae; sed moraliter non censetur defuisse, ubi ignorantia fuerit crassa.

Immo, si lex censuram ferat contra eum, qui « praesumpserit, ausus fuerit, scienter, studiose, temerarie, consulto egerit » aliisve similibus verbis plenam deliberationem requirentibus, excusaret etiam ignorantia crassa, non tamen affectata[3].

Ubi censura incursa fuit, ignorantia suae reservationis non impedit reservationem, ut est indubitatum, et nonnisi ab habente competentem facultatem absolvi poterit.

896 2° *Ebrietas*, *omissio debitae diligentiae*, *mentis debilitas*, *impetus passionis*, dummodo a gravi culpa excusent. Nam, si a gravi culpa non excusant, nec a censura excusant.

Attamen, si lex verba illa praeseferat « praesumpserit, ausus fuerit etc. », praedictae circumstantiae a censura excu-

---

animarum damnum, a poenis latae sententiae nullatenus eximit. — § 4. Licet reus censuris latae sententiae ad normam § 3, n. 1 non teneatur, id tamen non impedit quominus, si res ferat, congrua alia poena vel poenitentia affici queat » (can. 2229).

1 Attamen, ignorantia sive legis sive poenae legi adnexae, generatim in foro externo non praesumitur (can. 16, § 2).

2 A censuris excusare cuiusvis gradus ignorantiam, dummodo ad crassam seu supinam non pertingeret, iam in iure antiquo docebant multi. Alii tamen eam tantum excusare volebant, quae excusaret a culpa gravi, non autem, si esset graviter culpabilis, quamvis ad crassam non pertingeret; vel potius omnem ignorantiam graviter vincibilem dicebant esse crassam seu supinam; unde dissidium videbatur esse tantum de vocibus. Protestabantur tamen priores dissidium esse de re, quia aiebant ignorantiam graviter vincibilem non propter quamlibet diligentiae omissionem gravem iam esse crassam, sed tantummodo quando negligentia esset summa, id est, quando nulla aut valde modica diligentia adhiberetur ad eam depellendam, ita ut fere aequivaleret dolo; quod tamen alii dicebant fere idem esse in praxi, eo quod practice non possent discerni huiusmodi gradus.

In iure novo expresse constat ad incurrendam censuram requiri ignorantiam saltem crassam seu supinam; et quoniam in poenis benignior est interpretatio facienda (can. 2219, § 1), ea intelligi potest, quae importat omissionem fere omnis diligentiae.

Cf. Suárez d. 4, sect. 8-11; S. Alph. l. 7, n. 45; Sánchez, *De matrim.* l. 9, d. 32, n. 31-33; Ball.-P. VII, n. 149 seqq.; Lehmk. n. 1108; Wernz n. 158. Noldin, *De cens.* n. 24.

3 Affectata dicitur ignorantia eius, qui non vult ab ea exire, ut liberius agere possit (n. 2).

sant, etiam ubi a culpa gravi non excusant, dummodo tamen culpam vere minuerint[1].

---

[1] Ebrietas, omissio diligentiae, mentis debilitas, impetus passionis, causae sunt, quas tamquam capaces imputabilitatem minuendi et saepe de facto minuentes, immo omnem imputabilitatem forte tollentes, recenset Codex tum in can. 2201 2203 2206, tum in can. 2229, qui proxime agit de causis a censura vel ab alia poena qualibet excusantibus. E contra autem, quod potuerint imputabilitatem nullatenus minuere, tum ex ipsa re manifestum est, tum ipsi canones expresse agnoscunt.

Hae causae, quamtumvis graviter culpabiles, a censura excusant, ubi lex efferatur per verba praedicta « praesumpserit etc. », si vere culpabilitatem aliquo modo imminuerint. Ratio est, quia tunc can. 2229, § 2 pro causa excusante admittit « quamlibet imputabilitatis imminutionem sive ex parte intellectus sive ex parte voluntatis ». Ratio autem a priori, cur tunc tamquam a censura excusantes admittantur, est, quia, si propter minorem deliberationem minuitur imputabilitas, minuitur delinquentis dolus (can. 2199 2200) et consequenter abest plenior ille contemptus, quem ad poenam incurrendam lex ipsa per praedicta verba requirebat (cf. Noldin n. 23).

At si imputabilitas revera imminuta non fuit, poena nullatenus excusatur, etiamsi lex illa verba contineat, ut patet tum ex ipsa natura rei tum ex verbis canonis 2209, § 2 illam imminutionem requirentis. Porro manifestum est illiusmodi causas nullam imminutionem induxisse imputabilitatis actus, quando positae fuerunt cum plena deliberatione, *a*) praevidendo simul futuram transgressionem legis sub earum influxu, non ut mere possibilem aut etiam probabilem, sed ut certam (v. gr. si quis cum plena deliberatione se inebriat, simul sciens « certo », ex praeterita experientia saepe repetita se in ebrietate percussurum clericum, cum quo cohabitat); vel *b*) transgressionem praevidendo ut probabilem tantum, sed simul eam plena deliberatione et positivo voluntatis actu approbando. Ratio est, quia in his casibus transgressio non minus plene et sine imminutione imputatur voluntati, quam si commissa fuisset cum perfecta deliberatione in ipso actu, quoniam perfecta huiusmodi deliberatio adfuit iam in causa. Neque enim alia de causa ius respuit excusationem ignorantiae affectatae, quantumvis lex per verba « praesumpserit etc. » plenam deliberationem requirat; nempe quia illiusmodi ignorantia nihil imputabilitatem imminuit nec quidquam detrahit de dolo; ratio, quia illa ignorantia transgressionem concomitans, nihil imminuit de plena deliberatione, quae exstitit in causa.

Nunc, ut aliud punctum huic materiae affine attingamus, non consentimus Arregui, *Summar. theol. mor.* (edit. 5ª) n. 880 aienti, « excusare a poena lata in praesumentes etc., minorem aetatem, scilicet 21 annos non expletos », quasi minorennes, *eo ipso quod minorennes sunt*, ab huiusmodi poenis sub ea forma latis excipiantur ipso iure, easque *numquam* incurrant. Porro id verum non est. Etenim can. 2204, ad quem ille provocat, minorennitatem non recenset inter causas, quae simpliciter imputabilitatem minuunt ex parte intellectus vel voluntatis (et quamvis simpliciter recensuisset, non inde erueretur pro semper excusatio, quia can. 2229 causam imminuentem non admittit pro excusatione, nisi de facto imminuerit), sed ait tantum: « Minor aetas, nisi aliud constet, minuit delicti imputabilitatem », aliis verbis, minorennitas fundat « praesumptionem » imminutionis (proinde praesumptione iuris

3° *Metus gravis* (cui plerumque aequiparari poterit incommodum grave, id enim metuitur, can. 2205, § 2). Excipe, si delictum vergat in contemptum fidei aut ecclesiasticae auctoritatis vel in publicum animarum damnum[1], in his enim casibus a poenis latae sententiae non eximit[2].

Sed, si poena lata est in « praesumentes aut etc. », excusat metus, etiam levis.

4° *Aetas infra pubertatem*, ut constat ex superius dictis.

897 5° *Dubium iuris*, id est, si dubius est sensus legis ferentis censuram. Si hoc iuris dubium est publicum, id est, si inter probatos auctores controvertitur an tale delictum subsit censurae, censura non incurritur[3]; si vero est privatum (dummodo prudens), censura incurritur, si reapse in lege continetur, sed, excepta censura ab homine aut specialissimo modo S. Sedi reservata, non reservatur pro foro interno[4].

---

tantum, non iuris et de iure), unde plena deliberatio in minorenne probari debet, secus praesumitur defuisse. Quare hoc tantum claro auctori concedere possumus, minorennes, nisi cum plena deliberatione seu cum perfecta notitia censurae egisse moraliter certo constet, censendos esse non incurrisse censuras latas in « praesùmentes etc. ». At si minorennis (iam puber) asserat se v. gr. librum indebite legisse haeretici haeresim propugnantem idque egisse cum memoria censurae, quam bene noverat (idem dic, si egerit cum ignorantia affectata, quia nihil imminuit dolum in causa, ut diximus), nulla ratio est, qua a censura, quantumvis lata in « scienter legentes », excusari possit.

Parum tamen ad confessarii praxim proderunt quae concessimus, quia in foro interno vix ullum discrimen intercedet inter minorennes (exclusis impuberibus) et maiorennes; etenim si lex feratur in « praesumentes etc. » et, re moraliter investigata apud poenitentem, constat eum cum plena notitia censurae egisse, non excusabitur, etsi sit minorennis; sin autem id non constet sufficienter, censendus erit non incurrisse, etsi sit maiorennis, ut constat ex doctrina generali de hac materia. Prodesse tamen poterit in foro externo; quia in eo facile liberabitur minorennis, cum eius plena deliberatio debeat probari positive, id autem plerumque probari non poterit; difficilius vero liberabitur maiorennis, quia in eo potius probanda erit positive imputabilitatis imminutio, ad id autem saepe rationes deerunt.

1 V. gr. duellum acceptare, etsi ob metum gravem; non enim haec circumstantia tolleret magnum scandalum.

2 Can. 2229, § 3, 3°.

3 In eo casu censura non mere « censetur » non esse incursa, sed reapse « non incurritur »; nam can. 15 diserte ait quod « leges in dubio iuris *non urgent* ». Quod autem id intelligi debeat de dubio iuris « publico », cf. dicta in n. 641 nota.

4 Censura, si reapse a lege lata est, incurritur; nusquam enim in iure declaratur sublata propter dubium iuris privatum (cf. dicta in n. 894 nota, § « Quoad 1um »). Praeterea dubium privatum nihil ad vitandam censurae incursionem conferre potest, quia supervenit post actum consummatum.

Si tamen confessarius prudenter et factis moralibus diligentiis dubitat de sensu legis, tunc locum habet canon 2247, § 3; qui

Dubium *facti* antecedens non excusat a censura, si non impedit contumaciam; si consequens, tollit reservationem cuiuslibet censurae pro foro interno[1].

---

enim dubium habet insolubile de sensu legis, vere ignorat legem, seu, quod in casu idem est, censurae reservationem; ideoque, vi praedicti canonis, valide potest ab ea absolvere, si forte incursa est, eaque valide absolvitur in conscientia, dummodo non sit ab homine aut specialissimo modo S. Sedi reservata. « In foro interno », inquimus supra, quia in foro externo nec dubitatio confessarii nec eius dubitationis legitimitas probari poterit, ideoque, si aliunde dubitatio iuris non sit simul doctrinalis, censura praesumi debebit subsistere.

[1] Explicatione aut saltem comprobatione sine dubio egent ea, quae supra tradimus.

Dubium facti occurrit, si dubites v. gr., an is sit clericus. Potest autem esse actui antecedens vel consequens, et in primo casu potest contumaciam tollere vel non tollere.

De dubio facti antecedente. Si antequam hominem percutias dubitas an sit clericus, et hanc voluntatem concipis « volo percutere, quamvis sit clericus », manifestum est quod adest contemptus legis, immo contemptus formalis, ideoque contumacia et censura, si revera clericus est, nequit excusari. Si autem ais « percutio quia id nescio, si tamen id scirem, non percuterem », contumacia abest, et censura excusatur.

De dubio facti consequente. Nunc v. gr. serio dubitas, an persona, quam percusseras credens esse clericum, vere esset clericus, et confessarius in idem dubium venit, forte quia ei dicis id esse dubium; supponuntur factae a te morales diligentiae pro temporis et circumstantiarum opportunitate et his non obstantibus rei veritatem non potuisse clarescere. Dico in hoc casu reservationem tolli et confessarium posse absolvere, etiamsi censura sit ab homine vel S. Sedi specialissimo modo reservata. Ratio est, quia in can. 2245 dicitur quod, in censuris latae sententiae, « in dubio sive iuris sive facti reservatio non urget ». Et quamvis hoc principium, quod hic Codex statuit circa reservationes censurarum eodem modo intelligi debeat ac simile principium, quod in can. 209 statuit circa exsistentiam iurisdictionis, propter rationes allatas in n. 641 nota, id est per se intelligi debeat de dubio publico seu doctrinali, non de mere privato (idque confirmatur ex can. 2247, § 3, ubi videmus quod propter dubium insolubile confessarii seu, quod aequivalet, propter eius ignorantiam reservationis non auferuntur quaedam reservationes); tamen, quando dubium versatur circa ipsum factum seu delicti exsistentiam, adest specialis ratio, cur illa regula intelligi debeat de dubio etiam mere privato, si est vere prudens et insolubile: nempe quia reservatio, sive agatur de peccato sive de censura, est odiosa et strictae interpretationis et in poenis benignior est interpretatio facienda (haec principia expresse statuuntur ab ipso Codice in materia censurarum, can. 19 2219, § 1, 2246, § 2). Atqui ex his principiis eruunt unanimiter auctores reservationes peccatorum non fieri nisi de peccatis certis seu certo commissis; ergo ex iisdem erui debet quod reservationes censurarum non fiunt nisi de censuris certis seu propter delicta certo commissa; porro huiusmodi dubia natura sua sunt mere privata. Cf. similia dicta in n. 641 nota, § « Ad 4 ».

In dubio, sive iuris sive facti, poteris te gerere tamquam censura non ligatum, nisi obstet ratio scandali [1].

6° *Absolutio peccati ante consummationem delicti;* nequit enim censura incurri in conscientiae foro, ubi peccatum iam est remissum [2].

7° *Recessus a contumacia ante consummationem delicti* [3], dummodo tamen media per se efficacia ad impediendam consummationem potueris ponere et de facto posueris, etsi per accidens non impedierint [4].

Art. 2. Absolutio a censuris.

898 Ab una censura tantum absolvi posse eum, qui pluribus sit ligatus, manentibus ceteris, liquet tum ex ipsa censurae natura, tum ex can. 2249, § 1; confessarius tamen non poterit

---

1 Tum quia odia sunt restringenda, tum quia praevalet possessio proprii iuris. Lacroix l. 7, n. 120 seqq.; S. Alph. l. 7, n. 32 39 67 68; Bucceroni, *Comment.* II, n. 32. Consonat can. 2251.

2 V. gr. porrecto veneno te poenitet et ad confessarium accedis ab eoque absolveris priusquam mors sequatur. Adverte tamen, quod non poteris valide absolvi nisi diligentias possibiles effeceris ad vitandam mortem, aut saltem paratus sis eas facere. Sed, quamvis nullam diligentiam possis iam ponere, censuram, remisso iam peccato per absolutionem vel perfectam contritionem, non incurres propter rationem dictam. Cf. etiam Lehmk. n. 1111.

3 Intellige, hoc loco, etsi peccatum nondum sit in conscientia remissum.

4 Tres casus licet distinguere: 1° Si media per se efficacia ad impediendam consummationem potuerint poni et de facto sint posita. 2° Si media non sint posita, eo quod non potuerint iam poni. 3° Si media omnia ponantur, prout poni possunt, sed non possunt poni per se efficacia. Exemplum casus primi, si induxisti Petrum ad occidendum Paulum meris precibus, deinde vero vehementer roges ne id faciat; per se enim preces sufficienter valent tollere influxum priorum, si non fuerunt instantiores. Exemplum secundi, si nihil iam possis dicere Petro, quia abiit. Exemplum tertii, si Petrum induxisti obiiciens ei ignominiam susceptae iniuriae, deinde vero roges ne occidat; nam simplices preces per se non sufficiunt ad tollendum influxum illius motivi in intellectu suggesti.

In primo casu censura nequit incurri, quia effectus iam nequit agenti imputari. Alia ratio, quia desiit in agente contumacia, ut patet et eruitur quoque ex iis, quae tradit can. 2242, § 3; censura autem non incurritur nisi coniungatur cum contumacia, ut expresse ait can. 2242, § 1.

In secundo et tertio censura incurritur, quia adhuc effectus agenti moraliter imputatur, non obstante quod eum interne poenituerit.

Cf. Suárez, *De cens.* disp. 44, sect. 3, n. 10 seqq., ubi fuse praesens punctum tractat; et quamvis ibi agat de irregularitate ex homicidio voluntario, tamen, quia in antiquo iure illa erat poena proprie dicta, quae requirebat effectum secutum, liquet eamdem doctrinam materiae de censuris posse applicari, prouti recte illam applicavit S. Alph. n. 40, quantumvis propter hoc eum carpat Cappello n. 13, p. 15 nota. — Cf. etiam Lehmk. n. 1111.

a peccatis absolvere, manente in poenitente aliqua censura, quae impediat sacramenti receptionem (can. 2250, § 2).

a) **Quotuplex absolutio censurae.** Absolutio alia est in foro *externo*, alia in *interno;* prior vinculum tollit apud Ecclesiam, quae ita absolutum nequit iam tamquam censuratum habere, altera vinculum solvit in conscientia apud Deum.

Absolutio, quae datur in foro externo, valet simul pro interno (can. 2251 202, § 1), non autem e converso.

b) **Condiciones rei absolvendi.** Absolutio, nisi rei praesentia aliunde requiratur (eam requirere debet confessarius, nam ei facultas datur absolvendi tantum in foro sacramenti), dari potest etiam *absenti* (can. 2239).

Non debet a censura absolvi, nisi qui a contumacia desierit; censura enim fertur ad eam perfringendam; ab ea autem desiisse non est putandus, nisi quem delicti poenituerit et qui simul congruam satisfactionem pro damnis et scandalo dederit aut saltem se daturum serio promiserit (can. 2242, § 3, 2248, § 2) [1].

c) **Quomodo absolvendum.** Absolutio *pro foro externo* **899** datur extra confessionem modo quo in foro externo probari potest, coram duobus saltem testibus et regulariter subscripto documento. Absolutio *pro foro interno* dari potest extra confessionem, si in facultate accepta non exigitur contrarium; v. gr. si tantum dicitur danda « in foro interno », vel « in foro conscientiae »; necessario autem dari debet intra confessionem, si id exigatur, v. gr. si dicatur danda « in foro sacramentali », vel « in actu confessionis » (can. 202, § 2).

Censuras nemini reservatas confessarius, nisi speciali accepta facultate, valide absolvere potest tantum in actu confessionis (can. 2253, 1°).

Ordinarie sufficit absolutionem accipere in foro interno, etiam si delictum fuerit publicum vel notorium [2]; dummodo publice constet, aut saltem legitime praesumi possit absolutionem pro foro interno obtentam esse (v. gr. peractam esse confessionem) et satisfactio, ad scandalum tollendum forte necessaria, fuerit data. Secus, etsi absolutio obtenta fuerit in foro interno, debebit homo externe se gerere tamquam censura ligatum, donec in foro externo absolvatur (can. 2251).

Absolutio dari potest sub condicione (can. 2239); non sic tamen poterunt absolvi a confessario censurae sacramenti receptionem impedientes, quoniam hae ante absolutionem peccati debent esse sublatae (can. 2250, § 2).

---

1 Cf. Gén.-S. n. 577.

2 Quid delictum publicum vel notorium, cf . can. 2197.

Ad validitatem sufficit verbis vel signis quibusvis uti, quibus significetur censurae absolutio tribui, v. gr. petenti capite annuere. Attamen, ad absolvendum in foro non sacramentali, regulariter adhiberi debet forma in libris ritualibus tradita[1]; sed pro foro sacramentali adhibenda praecipitur ea formula, quae continetur in consueta forma absolutionis peccatorum, videlicet per verba[2] « Dominus noster Iesus Christus te absolvat et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, et interdicti, in quantum possum et tu indiges » (can. 2250, § 3).

Advertatur, quod si censura absolvatur per formulam aliquam generalem (cuiusmodi est forma consueta, per quam absolvit confessarius), valet absolutio pro omnibus censuris *bona fide reticitis*, pro quibus absolvens facultatem habuerit absolvendi, dummodo non sint S. Sedi specialissimo modo reservatae (can. 2249, § 2).

900 *d*). **Reservatio censurarum.** Censurae aliae sunt *reservatae*, aliae *non reservatae*.

Censurae *ab homine*, seu latae per praeceptum personale, semper censentur reservatae[3], nisi aliud expresserit qui eas tulerit. Reservantur, nimirum, huic ipsi; ideoque non poterunt absolvi nisi ab eo, aut eius Superiore vel successore, vel cui concesserit delegationem[4]. Censura *ab homine* reservata est ubique, etiam extra territorium Superioris, qui illam inflixit (can. 2247, § 2).

---

1 In *Pontificali Rom.* parte III, et in *Rituali Rom.* tit. III, cap. 3 et 5.

2 Haec est forma, quae significatur, cum in *Rit Rom.* tit. III, cap. 3, n. 7 8, vel alias in facultatibus, censurae absolutio dicitur impertienda « in forma Ecclesiae communi, vel consueta ».

3 Nec contrarium significat canon 2245, § 4, ut optime probat Verm.-Creus. n. 442, et certum est tum ex can. 2245, § 1, 2247, § 2, 2253, 2° tum ex constanti doctrina iuris veteris, tum ex assimilatione censurae ab homine cum censura specialissimo modo reservata, quam facit Codex, ut videre est in can. 2247, § 3, 2252. Intelligi ergo debet can. 2245, § 4 de praecepto generali lato ad modum legis, non de praecepto personali.

4 Revocandum est in memoriam censuram, quae in iure est *ferendae sententiae*, converti in censuram *ab homine* postquam competens auctoritas iudicialis sententiam condemnatoriam tulit (can. 2217, § 1, 3°). Data igitur sententia condemnatoria, censura huiusmodi reservata est ei, qui sententiam tulit, vel eius successori, aut delegato (can. 2236 2245), et proinde facultas ab ea absolvendi non comprehenditur in facultatibus seu indultis absolvendi a censuris reservatis; poterit tamen pro foro conscientiae absolvi in casibus urgentioribus cum onere ad competentem auctoritatem recurrendi (can. 2254).

Censurae *a iure* aliae reservantur *Ordinariis*[1], aliae *Apostolicae Sedi.*

Quae Apostolicae Sedi reservantur, aliae reservantur *simpliciter* (hae saepe dici solent « reservatae », nullo alio addito), aliae *speciali modo*, aliae denique *specialissimo modo* (can. 2245).

Censurae *iure particulari dioecesano latae*, reservatae non sunt, nisi aliud expresse dictum sit (can. 2245, § 4). Sin autem latae sunt sub reservatione, reservatio non tenet extra territorium, in quod iurisdictionem habet qui eas tulit (can. 2247, § 2).

Censurae *iure particulari religionis* latae, reservatae non sunt, nisi aliud expressum fuerit (can. 2245, § 4). Sin autem expressum fuerit reservari, absolvi poterunt, pro foro tum interno tum externo, tantum a Superioribus religionum quibus reservatae fuerint, vel a competenter delegato; pro foro autem interno absolvi possunt a quovis confessario habente ab Ordinario loci facultatem ad confessiones (can. 519).

Habens facultatem absolvendi a casibus *reservatis* non ideo facultatem habet absolvendi a casibus reservatis speciali modo, ut patet eo ipso, quod hoc modo speciali reservantur; nec a casibus reservatis modo specialissimo. Similiter qui facultatem accepit absolvendi a casibus *speciali modo* reservatis, poterit quidem (nisi ei expresse limitatum fuerit) absolvere etiam ab iis, qui nullo modo speciali, sed simpliciter reservantur, non autem ab iis, qui reservantur modo specialissimo (cf. can. 2253, 3°).

Habens facultatem absolvendi casus *a iure* reservatos, etiamsi facultas extendatur ad specialissimo modo reservatos, non ideo potest absolvere censuras *ab homine*, aut reservatos *iure particulari.*

e) **Quandonam cesset reservatio censurae.** Ex alibi dictis **901** sequitur censuram non amplius reservari:

1° *In dubio iuris vel facti* (can. 2245, § 3); v. gr. si dubites de peccato gravi commisso, vel de actione patrata cum circumstantiis a censura requisitis, vel an metus fuerit tantum levis, vel an delictum patraveris ante vel post pubertatem, vel an media, quae bona fide adhibuisti ad impediendam delicti con-

---

1 Non ait « Ordinariis loci ». Proinde, a censuris Ordinariis a iure reservatis religiosi exempti absolvendi erunt, tum in foro interno tum etiam in externo, a suis Superioribus maioribus, vel ab iis, qui facultates ab iisdem acceperint delegatam pro praedictis etiam casibus; in foro autem sacramentali absolvi quoque poterunt ab Ordinario loci, habet enim etiam in eos potestatem ordinariam in eo foro (can. 873, § 1, 874, § 1), vel ab habentibus facultates pro illis casibus ab Ordinario vel a S. Sede delegatas.

summationem, fuerint de se sufficienter efficacia. Tunc potest censura, quaecumque sit, etiamsi ab homine vel specialissimo modo reservata, absolvi a quolibet confessario.

2° *Extra territorium* reservantis, et quamvis egressus a territorio fiat praecise ad obtinendam censurae absolutionem; excipe censuram ab homine; haec enim reservata manet ubique locorum (can. 2247, § 2).

f) **Valet absolutio, secus indebita,** censurae reservatae, in his casibus:

1° *Si bona fide reticetur delictum* apud confessarium, dummodo *a*) is facultatem haberet ad absolvendum ab ea censura, et *b*) a censuris absolverit per formulam aliquam generalem. Excipe, si agatur de censura specialissimo modo S. Sedi reservata (can. 2249, § 2).

2° *Si confessarius ignorat reservationem* (vel ad reservationem in eo momento non advertit)[1] et absolvit a censura et peccato[2]. Excipe, si agatur de censura ab homine vel de specialissimo modo S. Sedi reservata (can. 2247, § 3).

902 *g*) **Quinam a censuris absolvere possint.** Iam diximus censuram *ab homine* non posse auferri, nisi absolvatur ab eo, qui eam inflixit, vel ab eius Superiore, vel successore, vel ab aliquo ab his delegato. Etiam ex praedictis colligitur censuras *iuris particularis*, dioecesani vel religionum, (intra territorium, in quo vigent) absolvendas esse, si sint reservatae, facultate accepta respective ab Ordinario loci vel a Superioribus religionis, censuras tamen religionum, etsi reservatas, posse absolvi pro foro conscientiae a quovis confessario ab Ordinario loci approbato.

Quare, ea quae nunc dicemus, accipienda erunt de censuris latae sententiae *a iure* (scilicet, communi), nisi aliud moneamus.

---

[1] Aequiparantur enim ignorantia et inadvertentia. Cf. can. 2202.

[2] Canon 2247 loquitur explicite de ignorantia reservationis, sed non dubitamus, quin idem intelligi debeat de ignorantia censurae; id est canon explicite supponit confessarium nescire aut non advertere quod illa censura est reservata; sed idem est, si confessarius nesciat aut non advertat quod illud peccatum adnexam habet aliquam censuram. Requiritur tamen, 1° ut noverit peccatum; nam si poenitens illud reticuerit, etsi bona fide, censura non absolvitur, tum quia absolutio tunc non debetur ignorantiae confessarii, sed omissioni accusationis, tum quia absolutio casus bona fide reticiti non agnoscitur, nisi confessarius aliunde facultatem haberet absolvendi ab illo casu (can. 2249, § 2). Requiritur 2° ut absolverit censuram; nam si confessarius protulerit tantum partem formae respondentem abolutioni peccatorum, patet censuram non fuisse solutam.

1. *Romanum Pontificem* posse absolvere, per se vel per suos delegatos, ab omni vinculo est notissimum.

2. *Cardinales* absolvere possunt ab omnibus censuris, exceptis tantum specialissimo modo reservatis et iis, quae adnexae sunt revelationi secreti *S. Officii* (can. 239, § 1, 1°).

3. *Ordinarii*[1] absolvere possunt:

α) a censuris *simpliciter* reservatis *S. Sedi* in casibus *occultis*[2] (can. 2237, § 2). Hanc facultatem exercere possunt in foro etiam extra-sacramentali (can. 202, § 2), per se vel per alium (can. 2237, § 2), et cum facultas sit adnexa officio (can. 145), est ordinaria (can. 197) ideoque delegabilis, etiam habitualiter (can. 199, § 1), possuntque eam exercere in suos subditos ubique, etiam in eos absentes (can. 201, § 3); Ordinarius vero loci in foro sacramentali etiam in peregrinos; hi enim censentur eius subditi in hoc foro (can. 881)[3];

β) a censuris reservatis *Ordinario* vel *Episcopo*[4]. Hanc facultatem exercere possunt pro foro tum interno tum externo, tum ergo suos subditos ubique et quamvis absentes, tum, si sunt Ordinarii loci, in peregrinos[5], eamque delegare possunt etiam habitualiter;

γ) a censuris non reservatis pro utroque foro[6] et in eosdem[7], sicut supra in *β*.

---

1 Horum nomine veniunt Episcopi residentiales, Vicarius Generalis, Superiores maiores religiosorum ceterique, de quibus cf. can. 198 vel alibi n. 52 nota 3.

2 Delictum, quandonam dicatur publicum vel occultum, cf. can. 2197, vel alibi n. 777.

Ordinarii non possunt absolvere a censuris simpliciter reservatis S. Sedi, in casibus publicis (can. 2237, § 1), nec in ullis casibus, etiamsi occultis, absolvere possunt a censuris reservatis S. Sedi specialissimo vel speciali modo (can. 2237, § 2); saepe tamen id possunt per delegatas facultates temporaneas a S. Sede acceptas.

3 Cf. Gén.-S. n. 575.

4 Non possunt Ordinarii quilibet absolvere a censuris, quae reservantur Ordinario alicui speciali, ut occurrit in can. 2343, sed quae simpliciter dicantur reservari *Ordinario* vel *Episcopo;* nec possunt Superiores maiores religiosorum absolvere ab iis, quae a iure forte reserventur *Ordinario loci.* Superiores tamen maiores religiosorum absolvere possunt non solum a censuris reservatis *Ordinario,* sed etiam a reservatis *Episcopo;* expresse enim ait can. 2253, 3° quod ab iis absolvere potest Ordinarius *quilibet.*

5 In peregrinos, ut habes in can. 2253, 3°, debetque accipi pro foro etiam externo, quoniam ius eas censuras vult pro Ordinariis non reservatas ideoque vi propriae eorum iurisdictionis auferendas.

6 Has enim censuras, utpote non reservatas, Ordinarii absolvent potestate sua ordinaria, quae natura sua est pro utroque foro.

7 In eosdem, etiam in peregrinos, si agatur de Ordinariis locorum; nam cum canon 2253, 3° vult Ordinarios locorum posse

4. *Confessarii* absolvere possunt a censuris non reservatis tantum, et solum in foro sacramentali (can. 2253, 1°); sed ab iis absolvere poterunt etiam peregrinos, hi enim ceteris loci incolis aequiparantur in hoc foro (can. 881, § 1).

903 *h*) **In periculo mortis** [1] omnes sacerdotes, licet non approbati, absolvere possunt a quibuscumque censuris [2]; sed ex can. 2252 [3], qui absolutionem censurae alicuius ab homine vel specialissimo modo S. Sedi reservatae sic acceperit a sacerdote specialis facultatis experte, tenetur, sub poena reincidentiae [4], recurrere [5], postquam convaluerit, in primo casu ad eum qui

---

absolvere a censuris reservatis *Ordinario* etiam peregrinos, non id vult praecise quia exprimantur haec verba et dicantur « reservatae Ordinario », sed quia tunc ab iis censuris absolvent potestate sua ordinaria; atque eadem ratio valet quando agitur de nemini reservatis; ergo tunc absolvere poterunt in utroque foro peregrinos.

1 Quid mortis periculum, cf. n. 655 litt. *f* nota. Sive periculum oriatur e morbo, sive sit extrinsecum, v. gr. si milites ad pugnam mittuntur. Verm.-Creus. n. 452; Cappello n. 31, II nota. Cum exsistentia periculi mortis relinquatur prudenti iudicio confessarii audito medico, si advocari potuit, aliisve idoneis personis, ideo etsi deinde appareat periculum fuisse mere existimatum, absolutio tamen valet nec debet recurri deinde pro reservatis, pro quibus recursus non praecipitur. Cf etiam Verm.-Creus. loc. cit.

2 « In periculo mortis omnes sacerdotes, licet ad confessiones non approbati, valide et licite absolvunt quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis aut censuris, quantumvis reservatis et notoriis, etiamsi praesens sit sacerdos approbatus, salvo praescripto can. 884 2252 » (can. 882). Can. 884 refertur ad praescripta de absolutione complicis, can. 2252 ad recursum, de quo loquimur supra.

3 « Qui in periculo mortis constituti, a sacerdote, specialis facultatis experte, receperunt absolutionem ab aliqua censura ab homine vel a censura specialissimo modo Sedi Apostolicae reservata, tenentur, postquam convaluerint, obligatione recurrendi, sub poena reincidentiae, ad illum qui censuram tulit, si agatur de censura ab homine; ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum, ad normam can. 2254, § 1, si de censura a iure; eorumque mandatis parendi » (can. 2252).

4 Videtur reincidentia intelligenda ad modum, quo alias solet eam intelligere Codex, nempe, infra mensem protractae morae. Cf. etiam notam sequentem. Ita quoque Verm.-Creus. n. 452, 5°; Noldin n. 29, 2°. Igitur, qui debet recurrere et non recurrit, reincidit in eamdem censuram transacto mense postquam convaluerit, id est computando a tempore quo iam morbus omnino non obstat quominus commode recurrere possit.

5 Ex tenore ipsius canonis 2252 intellexit Verm.-Creus. n. 452, 3° onus recurrendi incumbere directe ad ipsum poenitentem, non ad confessarium nisi secundo loco, id est quatenus ille non possit, ipse vero absque incommodo gravi possit. Contrarium opinamur; canon enim ait « ad normam can. 2254, § 1 », quae verba videntur dicta brevitatis gratia ad supplenda haec quae sequuntur: « intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine ». Incumbit igitur imprimis ad confessarium.

censuram tulit, in altero ad *S. Poenitentiariam* vel ad Episcopum [1] aliumve facultate praeditum, eorumque mandatis parere [2].

---

[1] Ad Episcopum, subintellige verba sequentia « facultate praeditum », id est, si facultate praeditus aliunde. Cf. mox dicenda ad can. 2254. Ita quoque VERM.-CREUS. n. 452, 4°; CAPPELLO n. 31, II.

[2] Valde interest determinare, utrum praecipiatur sub poena reincidentiae non solum recursus ad Superiorem (de quo nullum dubium esse potest, cum id apertissime dicat Codex), sed etiam stare eius mandatis. Atque haec quaestio non solum attingit canonem 2252, sed etiam can. 2254, quorum tenor est aequalis.

Quaestioni propositae affirmative respondet VERM.-CREUS. n. 452, 6°, propter responsum S. Sedis 30 mart. 1892 (cf. apud BUCCER., *Comment. de cens.* n. 76, vel resp. *S. Off.* 19 aug. 1891 [*A.S.S.* XXIV, p. 746-747]), tenendum in interpretatione novi iuris, iuxta can. 6, 4°; simul tamen agnoscit probabilitatem opinionis contrariae, quam emittit ARREGUI n. 617, 3°, nixus ordine verborum Codicis. Canonem proinde ita legit ARREGUI, quasi verba « sub poena reincidentiae » afficerent tantum verba immediate proxima « recurrendi »; ita vero ea legit VERM.-CREUS., nixus declaratione iuris veteris, quasi afficerent quoque postremam clausulam « mandatis parendi » vel « standi mandatis ».

Putamus quaedam imprimis esse distinctius perpendenda. Etenim locutio « standi mandatis Ecclesiae » alium sensum videtur habuisse in citato resp. 30 mart. 1892, alium habere in novo Codice.

Nam in resp. 30 mart. 1892 non alium sensum habuit, nisi quem habuerat in const. PII IX, *Apostolicae Sedis* 12 oct. 1869, ubi in § « A quibus » legitur: « dummodo non agatur in mortis articulo, in quo tamen firma sit quoad absolutos (ab excommunicatione speciali modo Romano Pontifici reservata) obligatio standi mandatis Ecclesiae, si convaluerint ». Haec locutio « standi mandatis Ecclesiae » iam statim cuilibet consideranti patet significare hoc loco obligationem « recurrendi ad mandata accipienda » (quomodo enim stari posset mandatis nisi recurratur?) et consequenter « mandatis parendi » (ad quid enim recursus, si non obligaret mandatorum adimpletio?); propterea *Congr. S. Off.* interrogata de sensu verborum « standi mandatis Ecclesiae » in illa constitutione, respondit: « obligationem standi mandatis Ecclesiae importare onus... recurrendi ad S. Pontificem eiusque mandatis obediendi »; et quoniam iste sensus constit. Pianae sufficienter erat obvius, non opus fuit ulla confirmatione Pontificis in forma specifica. Duplicem igitur importabat obligationem locutio « standi mandatis Ecclesiae » in const. Piana et consequenter in resp. *S. Off.* 30 mart. 1892, et « recurrendi » et « parendi ». — Nunc, quoad comminationem reincidentiae in censuram, non apparet sat clare eam subintelligi sub illis verbis constitutionis. Possunt quidem verba hunc sensum facere; attento enim contextu et praecipue natura rei, possunt facere sensum absolutionis datae sub condicione reincidentiae, non tamen satis liquet; sed *S. Off.* in eadem responsione declaravit verba hunc sensum referre. Sub poena ergo reincidentiae imponebatur in const. Piana obligatio « standi mandatis ». Sed cum haec esset locutio brevis duas importans obligationes valde diversas, et « recurrendi » et « parendi », dubitare licet an poena reincidentiae utramque afficeret. Putamus potuisse cum solida probabilitate intelligi quod sub reincidentiae poena cadebat tantum obligatio recurrendi (utique cum serio proposito parendi, inutile enim

Non est igitur recurrendum, si absolutio accepta est a censura simpliciter aut etiam specialiter S. Sedi reservata, aut iure dioecesano aliove particulari reservata.

---

et nugatorium fuisset in re tam gravi praecipere, ut recurreretur ad accipienda mandata, etsi cum animo non adimplendi), non autem posterior obligatio parendi; sola enim prior videtur significari primo et per se sub illis verbis, altera vero secundario et in obliquo, quatenus, nempe, prior sola parum prodesset.

Veniamus nunc ad novum ius. Verba « standi mandatis » non habent eumdem sensum ac in Pii IX constitutione et resp. *S. Off.* 30 mart. 1892. Etenim duae obligationes, quae in ea significabantur, commemorantur in can. 2252 2254, distincte et singillatim, ita ut prius sermo sit de obligatione recurrendi, deinde de obligatione standi mandatis. Ergo « standi mandatis » nihil amplius significat in praedictis can., nisi obligationem « parendi » seu « mandata adimplendi ».

His praeiectis proponitur quaestio, de qua initio, sub his terminis: Qui ad S. Sedem recurrit intra mensem, utique cum seria voluntate parendi (secus idem esset ac si non recurrisset), deinde vero mandata adimplere negligit, reinciditne in censuram?

Resp.: Putamus non reincidere. Rationes sunt: 1ª Lectio magis obvia canonum praedictorum ea est, qua « reincidentia » sola afficiat verba immediate contigua « recurrendi », non autem simul clausulam satis distantem « standi mandatis ». Haec est lectio magis obvia. Nec prodest recurrere ad declarationem iuris antiqui; in eo enim sub reincidentia obligatio quidem erat « standi mandatis », sed quatenus haec importabat « obligationem recurrendi », non vero quatenus importabat « obligationem adimplendi », aut saltem de hoc non satis constat; atqui in praedictis can. obligatio « standi mandatis » importat tantum « obligationem adimplendi ». Quod si de his, ex ratiocinio directo non satis constat, recurrere licet reflexe ad can. 19 vel 2219, § 1, qui in huiusmodi dubiis poenam decernunt haberi pro non lata. — 2ª Si verba « sub reincidentia » afficerent quoque postremam clausulam significantem obligationem adimplendi, reincidentia incurreretur vi ipsius canonis, seu ipso iure, et proinde post certum tempus ab ipso iure determinatum, puta post mensem a neglectis mandatis. Atqui, imprimis, res non videntur ita se habere; nam ubi quis in impossibilitate recurrendi absolvitur a confessario, si deinde mandatis non paret, non reincidit post mensem ipso iure, sed post tempus a confessario praefiniendum et vi istius praefinitionis; unde nec videtur unquam reincidere, si confessarius quidquam praefinire fuit oblitus. Deinde ius nullum tempus determinat ad reincidendum post neglecta mandata; nam verba « intra mensem » manifeste afficiunt tantum vocabulum « recurrendi »; unde clare quidem infligitur poena reincidentiae, « si non recurritur intra mensem », at non dicit Codex infligi eam poenam, si mandata accepta « non adimpleantur intra mensem ». — 3ª Etsi peccatum grave semper sit, mandata confessarii praetermittere in tam gravi materia, at certe non reincidit in censuram qui absolutus fuit, non vi canonis 2254, § 1 a confessario facultate destituto, sed a confessario facultates competentes habente; immo nec reincidit, qui mandata praetermittit accepta a confessario, ad quem, post priorem absolutionem a confessario non facultato acceptam in casu urgentiore, recurrit vi canonis 2254, § 2; nec potest iste confessarius absolvere ad reincidentiam post tempus a se praefinitum; nemo enim potest com-

i) **In casibus urgentioribus** [1]; scilicet, ob periculum gravis **904**
scandali vel infamiae, vel quia durum fit poenitenti in statu

---

minari reincidentiam in censuram nisi ipse potestatem habeat eam censuram infligendi (cf. Bucceb. op. cit. n. 85; Ferr. n. 677, litt. *e*). Ergo haec reincidentia ipso iure ob praetermissa mandata non datur.

Quare, si materia censurae, praetermissis mandatis, subsistit, reinciditur in censuram si mandata praetermittuntur; non tamen propter inobedientiam mandatorum, sed quia verificantur iterum condiciones censurae; sic v. gr., qui bona ecclesiastica usurpare praesumpsit et absolutus est, in censuram reincidit si deinde non adimplet mandatum restituendi; sed hoc evenit, quia tunc adsunt iam condiciones omnes ad incurrendum. At vero qui post obtentam absolutionem propter absolutum complicem negligit severum mandatum non audendi amplius illum complicem, graviter quidem peccat quoties illum audit, non tamen reincidit in censuram specialissimo modo reservatam, a qua fuerat absolutus, nisi S. Sedes expresse istud ipsi fuisset comminata.

1 « § 1. In casibus urgentioribus, si nempe censurae latae sententiae exterius servari nequeant sine periculo gravis scandali vel infamiae, aut si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens provideat, tunc quilibet confessarius in foro sacramentali ab eisdem, quoquo modo reservatis, absolvere potest, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem saltem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve Superiorem praeditum facultate et standi eius mandatis. — § 2. Nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem; qua obtenta, mandata ab eodem accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus. — § 3. Quod si in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius, excepto casu quo agatur de absolutione censurae de qua in can. 2367, potest absolutionem concedere sine onere de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, ita ut poenitens, nisi intra congruum tempus a confessario praefiniendum penitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram » (can. 2254).

« § 1. In casibus occultis urgentioribus, si ex observatione poenae vindicativae latae sententiae, reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae suspendere, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum facultate praeditum et standi eius mandatis. — § 2. Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam can. 2254 » (can. 2290).

« § 1. Licet Ordinariis per se vel per alium suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientibus, ea excepta de qua in can. 985, n. 4 aliave deducta ad forum iudiciale. — § 2. Eadem facultas competit cuilibet confessario

peccati manere donec Superior competens provideat, poterit quilibet confessarius in foro sacramentali a censuris latae sententiae quoquo modo reservatis absolvere, iniuncto onere recurrendi, sub poena reincidentiae, intra mensem, saltem per epistolam et per confessarium, ad *S. Poenitentiariam* aut ad aliquem Superiorem facultate praeditum, aut repetendi confessionem delicti cum censura apud confessarium facultate praeditum, et standi eius mandatis; si in casu extraordinario recursus est impossibilis, obtinetur absolutio sine onere, sub quibusdam condicionibus (can. 2254).

In casibus occultis urgentioribus, ob periculum gravis scandali vel infamiae, poterit quilibet confessarius, in foro sacramentali, sub iisdem condicionibus praedictis, suspendere obligationem servandae poenae vindicativae; in casu extraordinario, quo recursus sit impossibilis, ab eadem dispensare eodem modo ac nuper circa censuram (can. 2290).

In casibus occultis urgentioribus, ob periculum gravis damni vel infamiae, si Ordinarius adiri nequeat, quilibet confessarius dispensare potest a qualibet irregularitate ex delicto occulto, sed dumtaxat ad exercendos ordines iam susceptos (can. 990).

905 Praedicta adeo gravis momenti sunt, ut prorsus oporteat nonnulla amplius declarare.

1. *In casibus urgentioribus*, nempe, ut explicat ipse canon: 1° ob «periculum gravis damni vel infamiae»; aut 2° «si durum sit poenitenti in statu gravis peccati permanere per tempus necessarium ut Superior competens[1] providere possit,

---

in casibus occultis urgentioribus in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens ordines iam susceptos exercere licite valeat» (can. 990).

Canone 2254, paucis factis immutationibus, continetur disciplina introducta per celebre decr. *S. Off.* 23 iun. 1886 (*A.S.S.* XIX, p. 46-47, vel XXV, p. 574), quo funditus reformabatur disciplina de impedimento perpetuo, diuturno, brevi, de quo apud veteres canonistas. Circa illud decr. consuli debent declarationes et responsa subsequentia: *S. Off.* 17 iun. 1891, 16 iun. 1897, 9 nov. 1898, 7 iun. 1899, 5 sept. 1900, 19 dec. 1900; *S. Poenit.* 7 nov. 1888 (*A.S.S.* XXIV, p. 744 vel XXIX, p. 574, XXX, p. 123, XXXI, p. 402, XXXII, p. 128, XXXIII, p. 226, XXIII, p. 419, XXV, p. 571.

1 Nullum dubium, quin sub nomine «Superioris competentis» veniat is, cui peccatum reservatur, nempe S. Sedes pro quolibet delicto, et Ordinarius pro delictis, quorum censura ipsi iure communi vel particulari reservatur.

Sub eodem nomine venire quoque Superiorem habentem in delictum potestatem ordinariam indubium esse debet; v. gr. Ordinarium pro casibus occultis simpliciter S. Sedi reservatis, ut habetur ex can. 2237, § 2.

Videtur quoque sub eadem denominatione comprehendi Ordi-

id est per tempus necessarium, ut Superiorem competentem ipse personaliter, vel per alium, vel per epistolam adeat et obtineat absolutionem censurae, aut saltem facultatem, ut possit ab alio absolvi.

Absolutio dari potest, si poenitenti statum suae animae perpendenti durum fiat per unum diem manere in mortali [1]. Nullum dubium, quin confessarius zelo indutus possit legitime hanc dispositionem excitare in poenitente. At si nec poenitenti exspectatio fit vere dura, nec imminet infamatio, casus non est urgentior debetque exspectari quid disponat Superior [2].

Nulla fit distinctio casus publici vel occulti. Quare, etsi pro casu publico non valebit ratio vitandae infamiae, at certe valere poterit ratio non manendi in mortali. A censura ergo delicti publici absolvi poterit in foro conscientiae cum onere recurrendi, ut dicetur, si vere sit ipsi intolerabile in peccato manere; exterius tamen debebit interea se gerere ut censura ligatus, si ceteri supponere non possint eum esse in confessione absolutum, aut si res sit in forum iudiciale deducta.

2. *Quilibet confessarius*, ex approbatis scilicet iuxta regu- **906**
las generales approbationis, ideoque pro monialibus si poenitens est monialis, non tantum pro viris si poenitens est femina, etc.

3. *A censuris latae sententiae quoquo modo reservatis.* Non comprehenduntur: 1° Censurae ferendae sententiae, quae iam sint inflictae; proinde haec absolutio non datur a censuris ab homine [3]. 2° Nec, per se, « peccata » reservata [4]; at in hypo-

---

narius vel Nuntius, si facultatem habeant delegatam, eodem modo ac dicitur sub finem eiusdem can. 2254, § 1.

1 Aliquot dies videtur requirere CAPPELLO n. 31, III nota. Omnino tamen opinamur unum etiam sufficere, si unius exspectatio in mortali vere fiat poenitenti dura. Cf. dicta in n. 18 nota, ubi, adverte, agebatur de excusatione a quadam lege divina. Unum diem sufficere tradit VERM.-CREUS. n. 454, 2°, idemque ab aliis tradi significat ipse CAPPELLO (quamquam verendum est, ne alii id tradiderint mere repetendo opinionem, quam S. ALPH. profert in l. 6, n. 490 minus accurate, ut diximus loc. cit.).

2 Quod si nihilominus confessarius absque facultate absolvere « praesumpserit » et casus sit excommunicatio specialissime, aut specialiter S. Sedi reservata, ipse in excommunicationem reservatam incideret.

3 Cf. VERM.-CREUS. n. 454, 1°.

4 Proinde per se non posset absolvi casus calumniosae denuntiationis, quia, sublata censura, adhuc reservaretur peccatum (n. 679); sed reservatio cessat, cum agatur de gravi incommodo exspectandae absolutionis (n. 660, 4°).

thesi in qua versamur, iam eorum reservatio cessat, si exspectari nequit facultas absolvendi sine periculo gravis infamiae aut si exspectatio in mortali fiat poenitenti dura. (n. 660, 4°).

Comprehenduntur: 1° Censurae quaelibet S. Sedi etiam specialissimo modo reservatae, non excepta censura incursa ob absolutam personam complicem. 2° Censurae reservatae iure particulari [1].

4. *Iniuncto onere recurrendi saltem per epistolam et per confessarium.* Recurrere poterit poenitens personaliter, vel per alium, vel saltem per epistolam, tacito si vult nomine. Sed onus recurrendi incumbit imprimis confessario [2], qui istud sub gravi tenetur suscipere, quatenus possit sine gravi incommodo; quod si non possit (v. gr. quia est abiturus, aut poenitens redire non poterit, nec responsum Superioris posset ad poenitentem mitti tuto, quin aliquis in suspicionem veniret) [3], tunc onus recurrendi incumbit poenitenti.

907 5. *Sub poena reincidentiae intra mensem.* Si intra mensem negligitur recursus, reinciditur in eamdem specie censuram, ita ut rursus necessaria sit absolutio, eodemque modo, ac prius, procuranda. Incurritur intra mensem [4] post absolutionem receptam [5] aut a die, quo obligatio innotuerit.

Reincidentia incurritur ipso iure [6].

---

1 Id est iure dioecesano vel religiosorum; hae tamen postremae non sunt reservatae pro confessariis approbatis ab Ordinario loci, sed tantum pro confessariis absolventibus religiosum vi iurisdictionis acceptae a Superioribus Ordinis.

2 Nisi poenitens nolit eius opera uti, sed vel sua vel alius confessarii.

3 Si confessarius et poenitens non possent sibi invicem obviam fieri, sed necessarium esset responsum mitti ad hunc, qui illi est ignotus, non tenetur poenitens hoc medio uti, quia deberet nomen suum dare confessario, numquam autem exigitur, bene ait Gén.-S. n. 574, 3°, ut poenitens nomen suum confessario manifestet. Si igitur aliter poenitens recurrere non potest, versatur in adiunctis de quibus in can. 2254, § 3.

4 Nempe, si nondum ad Superiorem epistola missa est aut iter est arreptum, quin requiratur ut Superior epistolam iam acceperit. Ita etiam Ferr. n. 677, litt. *f*.

5 Non computatur ipse dies absolutionis: can. 34, § 3, 3°; Verm.-Creus n. 454, 3, 3°.

6 Non enim canon ita legi debet, quasi confessarius deberet ipse adiungere poenam reincidentiae, dum iniungit onus recurrendi; debet quidem hanc poenam declarare, sed ipso iure lata est, incurriturque si a poenitente noscitur, etiamsi confessarius eiusdem non meminisset.

6. *Ad S. Poenitentiariam etc.* Recursus debet fieri ad *S. Poenitentiariam*[1], vel ad Superiorem facultate pollentem[2] (Ordinarium vel Nuntium); non ad confessarium pollentem facultate delegata aut subdelegata; ad hunc enim non recurritur per epistolam aut per alium, sed personaliter ad confessionem iterandam.

7. *Aut repetendi confessionem delicti apud confessarium facultate praeditum.* Sufficit repetere confessionem delicti cum censura; ceterorum peccatorum iteratio non requiritur, quia fuerunt *directe*[3] remissa a priore confessario.

Ad novum confessarium (vel eumdem facultate praeditum) semper recurri potest, etiamsi ad Superiorem iam factus sit recursus[4].

---

1 Recursus ad *S. Poenitentiariam* fieri potest quovis idiomate, necessaria breviter exprimendo. En epistolae exemplar:

Beatissime Pater!

Titius sacerdos unam poenitentem complicem (vel duas poenitentes complices) in peccato turpi absolvit semel (vel bis, ter etc.) sacrilege. Delictorum suorum sincere poenitens, absolutus fuit per me a censuris et peccatis ad normam can. 2254, § 1 novi Codicis. Nunc ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus profitetur se omnino paratum ad quaecumque mandata exsequenda, quae Sanctitati Vestrae placuerit iniungere et transmittere. Responsio dirigatur ad me infrascriptum.

Ad pedes Sanct. Vestrae provolutus
N. N., confessarius
(apponatur hic locus domicilii).

Exterius epistola superscribitur:

« All' Eminentissimo Cardinale Penitenziere Maggiore
Palazzo S. Uffzio - ROMA ».

2 Proinde ad Superiorem suum recurrere potest religiosus, etiam pro censuris non reservatis intra Ordinem, sed iure communi, si ille facultatem habet absolvendi ab illo casu in foro etiam externo, ad quem proinde recurri possit extra sacramentum pro accipiendis mandatis.

3 Directe, id est vi iurisdictionis quam in illis adiunctis contulit canon 2254, § 4.

Directe datur absolutio, quando sacerdos absolvit peccatum, quod a poenitente accusatur, vi iurisdictionis quam habet ad absolvendum ab illo peccato. *Indirecte*, quando peccatum non est accusatum, vel sacerdos non habet circa illud peccatum iurisdictionem; tollitur tamen vi gratiae sanctificantis, quae ad remissionem aliorum peccatorum, nisi obstet mala fides aliave indispositio poenitentis, in sacramento infunditur; nequit enim gratia sanctificans stare in anima simul cum ullo peccato gravi. Manet tamen obligatio satisfaciendi obligationi legis divinae de subiiciendis peccatis potestati clavium, ideoque debent peccata *indirecte* remissa accusari iterum, et absolvi a confessario per absolutionem directam.

4 Et quamvis iam a Superiore responsum acceperit; tunc enim, si novum confessarium adit, non tenetur stare mandatis ab

Confessarius debet poenitenti congrua mandata iniungere, id est, praeter poenitentiam sacramentalem et aliam congruam pro gravitate delicti[1], compensationem damnorum, si quae adhuc resarciri possunt, satisfactionem pro iniuria, reparationem scandali, abiurationem sectae secretae, denuntiationem coryphaeorum, traditionem emblematum et diplomatum, destructionem libri haeretici, retractationem calumniosae denuntiationis ect.; quae autem nunc poenitens adimplere non potest, serio promittat se adimpleturum quamprimum[2].

8. *In casu extraordinario, quo est impossibilis recursus* ad *S. Poenitentiariam* aliumve Superiorem competentem[3], obtineri potest absolutio absque onere recurrendi (excepto tantum casu, quo agatur de sacerdote qui absolverat complicem)[4]. Debet tunc confessarius iniungere mandata, ut supra, insuper-

---

illo acceptis, sed mandatis huius confessarii. Can. 2254, § 2 sub finem; Ferr. n. 678, litt. *a*; Gén.-S. n. 574; 6; Verm.-Creus. n. 454, 3, 2°.

At facto recursu ad confessarium atque acceptis ab eo mandatis post iteratam delicti confessionem, non licet poenitenti, ut huius evadat mandata, ad alium rursus confessarium recurrere; nulli enim confessario datur potestas mutandi aut commutandi mandata ab altero confessario propter censuram incursam iniuncta in sacramento; sed si poenitens his se non conformat, nihil restat nisi recurrere ad S. Sedem (*S. Poenitentiariam*), ad eam nempe auctoritatem, quae in can. 2254 mandatis illis stare severe praecepit.

Alius confessarius posset tamen mandata confessarii praecedentis reformare quoad eam partem, qua poenitentiam sacramentalem continent (semper enim potest cum rationabili causa eam commutare).

[1] Haec alia, praeter sacramentalem, iniungitur tamquam ad satisfactionem erga Ecclesiam. Cf. dicta n. 839, 4° nota.

[2] Cf. Suárez d. 7, sect. 5, n. 39 seqq.; Bucceroni, *Comment. de cens.* n. 79-85.

[3] V. gr. si poenitens recurrere non potest per confessarium, nec per seipsum, quia scribere nescit; vel si poenitens scribendi imperitus, eidem confessario, a quo absolvitur, se praesentare non poterit; vel si confessarius poenitenti responsum tradere non poterit, poenitens vero (minorennis, ancilla etc.) in iis adiunctis est constitutus, ut etsi scribere posset, non posset tamen ei a S. Sede vel Superiore responsum mitti, quin alii suspicentur. Cf. resp. *S. Off.* 9 nov. 1898 et 5 sept. 1900. Bene ait Gén.-S. recursum non debere censeri moraliter impossibilem ex ordinario periculo ne epistolae aperiantur a Status administris, cum in precibus nomina sint supprimenda.

Recursus manet moraliter impossibilis, etsi recurri posset ad alium confessarium facultate praeditum pro instituenda iterum confessione delicti; iste enim recursus ad novum confessarium non imponitur. Cf. responsa *S. Off.* citata; Verm.-Creus. n. 454, 4, 2°; Cappello op. cit. n. 31, III, nota; Sole op. cit. n. 196.

[4] Exceptio constat in ipso can. 2254, § 3. Cf. etiam resp. *S. Off.* 7 iun. 1899 (*A.S.S.* XXXII, p. 128).

que praefinire congruum tempus intra quod poenitentiam agat et det satisfactionem, secus reincidat in censuram [1].

9. *De absolutione a poenis vindicativis.* In casibus urgen- **908**
tioribus, si poena vindicativa latae sententiae occulte contracta est, quae impedit exercitium officii, et ab eo non possit poenitens sine gravi suspicione abstinere[2], potest quilibet confessarius eius obligationem suspendere [3] sub onere recurrendi intra mensem, ut supra diximus circa censuras; quod si recursus est impossibilis, eam potest dispensare iuxta normam nuper explicatam in pari impossibilitate circa censuras.

Urgentia casus intelligitur hic propter grave famae periculum, non propterea quod durum fiat poenitenti subiisse eam poenam.

10. *De absolutione ab irregularitate.* Facile potest sacerdos poenitens irretitus aliqua censura deprehendi simul irretitus irregularitate, quam contraxit propter exercitium ordinis positum cum violatione illius censurae. Sufficienter confessario providet can. 990. Nam si ex abstentione exercitii ordinis imminet poenitenti grave famae periculum, potest eum confessarius ab irregularitate dispensare ad effectum suscepti ordinis exercendi, dummodo tamen casus sit occultus et non possit adiri Ordinarius (cf. dicta n. 759).

11. *De rescripto a S. Poenitentiaria accepto. S. Poenitentiaria* responsum suum mittit inclusum in involucro ordinario; quo proinde reserato, responsum reperiri solet clausum, sigillo *S. Poenitentiariae* munitum et cum hac superscriptione: « Discreto viro confessario ex approbatis ab Ordinario loci ». Hoc

---

1 Non est mirum, quod in impossibilitate recurrendi debeat poenitens reincidere in censuram post tempus a confessario assignandum, ni pareat, in aliis casibus non debeat reincidere etsi non pareat. Nam in aliis casibus iam infligitur reincidentia, nisi recurrat intra mensem cum voluntate seria parendi; praeterea in aliis casibus mandata facile iniungentur quoque a S. Sede sub poena reincidentiae post certum tempus, si praetermittantur.

2 Advertit Verm.-Creus. n. 491 non dari in praedictis circumstantiis obligationem observandi poenam (cf. can. 2232, § 1), hoc tamen esse beneficium suspensionis a confessario obtentae, quod, sublata iam poena per aliquod tempus, officium exerceri poterit per illud tempus, etiam quando nulla adsit causa quae impediat abstinere.

3 Suspenditur interea poena, non tollitur absolute. Confessarius poenam non « suspendit per unum mensem », sed « suspendit », attamen « cum onere recurrendi intra mensem ». Unde: 1° poena non redit per unum mensem, etiamsi intra eum recursus negligatur; 2° si recursus postea fit impossibilis, non redit poena quamdiu durat impossibilitas, etsi per plures menses et amplius; 3° redit sua sponte poena post mensem, si eousque neglectus fuit recursus.

responsum debet sic clausum tradi poenitenti, ut is confessarium eligat ex approbatis ab Ordinario loci. Confessarius electus rescriptum accipiet attenteque leget, ut instructiones *S. Poenitentiariae* rite exsequatur. Si superscriptio ait «Doctori in Theologia aut Iure canonico», tradi debet sacerdoti hoc titulo insignito.

Quid importent clausulae «audita sacramentali confessione», «sublata occasione peccandi», «iniuncta gravi poenitentia salutari», «dummodo res sit occulta», etc., quae in huiusmodi rescriptis apponi solent, explicatum habes in n. 839 vel ex alibi explicatis facile deducitur)[1].

Caput 2. CENSURAE IN SPECIE

Art. 1. Excommunicatio.

909 *a*) **Quid excommunicatio.** Est censura, qua quis excluditur a communione fidelium cum effectibus in Codice expressis, quos mox recensebimus; vocatur quoque excommunicatio «anathema», potissimum cum sollemniore quadam forma fulminatur (can. 2257).

Excommunicati distinguuntur *vitandi* et *tolerati*. Vitandi sunt: 1° Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerint (can. 2343); 2° Qui excommunicati fuerint nominatim a Sede Apostolica, si excommunicatio fuerit publice denuntiata et in sententia expresse dicatur ipsum vitari debere (can. 2258). — Ceteri omnes dicuntur tolerati.

b) **De effectibus excommunicationis.** Huius effectus sunt: 1° *Privatio divinorum officiorum*[2] (can. 2259); iis enim (v.gr. Missae, processionibus, Vesperis sollemnibus etc.) excommunicatus prohibetur assistere; non tamen necesse est ut expellatur, si est toleratus[3].

---

[1] De his plura FERRERES in ephem. *Razón y Fe* XXIX, p. 373, n. 731 seqq.

[2] Nomine *divinorum officiorum* intelliguntur in materia poenali «functiones potestatis ordinis, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt» (can. 2256, 1°); huiusmodi sunt: Missa, processiones, collationes ordinum, Horae canonicae sollemniter cantatae, benedictio candelarum et palmarum, expositio SS. Sacramenti etc.

[3] Nec necessario repelli debent tolerati a participatione activa in divinis officiis. Attamen, post sententiam iudicialem vel alioquin notorii, repelli debent a participatione activa, sed non necesse est, ut repellantur a mera assistentia. Vitandus non solum repelli, sed etiam expelli debet, etiam a mera assistentia; quod si expelli nequeat, ab officio est cessandum (can. 2259).

Permisit tamen *S. Off.* 24 ian. 1906 (*A.S.S.* XL, p. 269), ut in regione quadam, ubi catholici pauci sunt, puellae schismaticae

Non prohibetur assistere concioni, venerari reliquias, orare in templo dum officia divina non peraguntur etc.[1].

2° *Privatio usus passivi sacramentorum* (can. 2260). Sub gravi prohibetur excommunicatus, etsi tantum toleratus, sacramenta suscipere[2]; ea tamen susciperet valide, praeter poenitentiam, propter malam dispositionem[3]. **910**

Post sententiam iudicialem (condemnatoriam vel declaratoriam) privatur quoque receptione sacramentalium et nisi ante mortem dederit poenitentiae signa, ecclesiastica sepultura.

3° *Privatio usus activi sacramentorum* (can. 2261). Excommunicatus non potest licite sacramenta vel sacramentalia conficere[4] aut administrare.

Fideles tamen possunt ab eo (nisi vitandus sit aut sententia intercesserit declaratoria vel condemnatoria)[5] sacramenta et sacramentalia petere ex qualibet iusta causa[6], maxi-

---

cuiusdam Instituti puellarum canerent una cum puellis catholicis in functionibus ecclesiasticis, propter necessitatem, cum aliunde id fiat ibi sine ullo scandalo.

1 Cf. Suárez d. 12, sect. 1 et 2; S. Alph. n. 174-178; Ball.-P. 396-401; Lehmk. n. 1135-1139.

2 Propterea, qui in secta vixit acatholica, nequit ad receptionem sacramentorum admitti, etsi in bona fide sit et sacramentum fructuose acciperet, antequam errorem suum abiuret; censetur enim in foro externo seu coram Ecclesia excommunicatus et iure recipiendi sacramenta privatus.

Negavit *S. Off.* 20 iul. 1898 (*A.S.S.* XXXI, p. 253) dari posse absolutionem schismatico bonae fidei, praeterquam in mortis articulo et efficaciter remoto scandalo. Poenitens in casu ibi exposito versabatur in bona fide et in necessitate spirituali; videtur tamen ex responsione erui quod, si tunc ei subvenire non licuit, alia non fuit ratio nisi propter vitandum scandalum (puta quia ad alios notitia facile perveniret et contemneretur catholica fides).

3 Poenitentiam etiam susciperet valide, si ad eam bona fide seu cum ignorantia prohibitionis accederet; non enim aufertur a confessario iurisdictio in eum. Attamen ab ipso peccato, cui excommunicatio adnexa est, non absolveretur, nisi *indirecte;* manet enim reservatum, quamdiu non aufertur excommunicatio (cf. can. 2246, § 3).

4 Valide tamen ea conficeret, non excepto sacramento poenitentiae; non enim ab eo aufertur iurisdictio, nisi intercesserit iudicis sententia declaratoria aut condemnatoria, ut dicemus mox in 6°.

5 Si vitandus sit aut intercesserit sententia declaratoria aut condemnatoria, tantummodo in mortis periculo permittuntur fideles ab eo petere absolutionem; cetera autem sacramenta et sacramentalia in eodem periculo, si alii ministri desint. Cf. can. 2261.

6 Ex qualibet iusta causa; v. gr. si est difficultas reperiendi alium confessarium ad communionem, etiam ex mera devotione, suscipiendam.

Non sufficeret ea causa, si sacerdos ad sacramentum conficiendum non se offerebat et aliunde notum esset illud esse confec-

me si alii ministri desint; et tunc ille, ab iis requisitus, permittitur eadem ministrare [1], quin teneatur causam percontari.

4° *Privatio communium suffragiorum Ecclesiae* (can. 2262). Excommunicatus quilibet, etsi tantum toleratus, privatur fructibus, qui fidelibus omnibus obveniunt ex Missarum sacrificiis, ex usu indulgentiarum, ex publicis Ecclesiae precibus. Non tamen redditur incapax nec reddi potest, ut alius ei proprias satisfactiones aliosque suorum bonorum operum fructus applicet et pro eo oret [2].

911 5° *Privatio actuum legitimorum ecclesiasticorum* [3] (can. 2263). Nequit enim patrinum agere in baptismo vel confirmatione, iudex esse, advocatus etc. in iudiciis ecclesiasticis [4]. Non prohibetur testis esse in matrimoniis.

6° *Privatio exercitii iurisdictionis ecclesiasticae* (can. 2264). Non potest excommunicatus eam exercere licite neque in foro externo nec in interno (nisi ab eo sacramenta peterent fideles, ut dictum in 3°); post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam omni iurisdictione ecclesiastica destituitur ideoque eam non exerceret valide, praeterquam quod posset absolvere constitutos in periculo mortis.

---

turum in mortali (cf. n 98 99). Hoc loco attenditur tantum ad prohibitionem sacramenta conficiendi et consequenter petendi, provenientem eex incursa excommunicatione.

Sufficere petitionem rationabiliter praesumptam, v. gr. magnam poenitentium affluentiam in quadam festivitate, non immerito affirmant Verm.-Creus. n. 463; Cappello n. 37.

[1] Corde tamen contritus; gravis enim esset sacramenti confectio in mortali (cf. n. 471).

[2] Missam pro eo potest sacerdos applicare privatim; non tamen pro excommunicato vitando, nisi pro eius conversione. Cf. n. 506.

Cf. Suárez d. 9 per tot.; Ball.-P. n. 385-391; Lehmk. n. 1130 1131.

[3] Canon 2256, 2° distincte exponit, quid in materia poenali veniat nomine *actuum legitimorum ecclesiasticorum*, nempe: « Nomine actuum legitimorum ecclesiasticorum significantur: munus administratoris gerere bonorum ecclesiasticorum; partes agere iudicis, auditoris et relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; munus patrini gerere in sacramentis baptismi et confirmationis; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; ius patronatus exercere ».

Privatio actuum legitimorum saepe partem constituit alicuius poenae vindicativae latae vel ferendae sententiae, quam ius infligit vel infligendam dicit, etiam sine ulla censura, in quaedam delicta, v. gr. infamiae iuris (can. 2294), attentationi suicidii (can. 2350) etc.

[4] Huiusmodi prohibitiones Codicis respiciunt tantum iudicia fori ecclesiastici, non civilis.

In memoriam revocandum eum, qui excommunicatione ligatur occulte, non teneri ad se infamandum (can. 2232, § 1).

7° *Privatio quorumdam munerum et officiorum* (can. 2265 2266). Nam excommunicatus quilibet non potest licite obtinere ullam dignitatem, officium, beneficium aut pensionem ecclesiasticam. Post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam ea ne valide quidem obtineret et privaretur fructibus eorum, quae obtinuerat; vitandus privatur ipsa dignitate, officio etc. Insuper post sententiam iudicialem nequit excommunicatus valide consequi ullam gratiam pontificiam, nisi in rescripto mentio fiat de excommunicatione. Denique nullus excommunicatus promoveri potest ad ordines.

8° *Privatio communicationis civilis* (can. 2267). Haec respicit tantum vitandos. Cum iis fideles (praeter coniugem, parentes, liberos, famulos, subditos) prohibentur (sub levi)[1] communicare in iis, quae referuntur ad vitam domesticam seu socialem, scilicet eos alloqui, salutare, invitare ad mensam etc. Cum iis communicare in divinis esset grave.

9° *Effectus alios mediate habet excommunicatio* praeter hucusque recensitos, qui vocantur immediati. Nam excommunicatus: 1. Fit irregularis, si excommunicationem violat per actum ordinis (n. 763, 7°); — 2° Fit suspectus de haeresi[2], si per annum in excommunicatione insorduerit (can. 2340, § 1).

Art. 2. Interdictum.

a) **Quid interdictum.** Est censura, qua fideles, in commu- **912**
nione Ecclesiae permanentes, certis quibusdam bonis sacris privantur (can. 2268, § 1), vel directe, personis ipsis usum eorum bonorum interdicendo, vel indirecte, eorum usum certis in locis vetando (can. 2268, § 2); hinc duplex interdicti species, *personale* vel *locale*. Personale sequitur personam ubique, locale omnes dum versentur intra eum locum (can. 2269, § 2).

Potest etiam interdictum distingui *generale* vel *particulare*, prout in totam dioecesim, paroeciam etc. eiusve populum feratur, vel in aliquam tantum personam aut locum.

b) **De effectibus interdicti.** Interdictum *locale generale*, nisi aliud in decreto caveatur, non prohibet divina officia celebrari privatim, ianuis clausis, voce submissa et absque pulsu campanarum (can. 2271); sed *locale particulare* ordinarie

---

1 Ait enim novum ius « nisi rationabilis casusa excuset », quod satis significat prohibitionem non imponi sub gravi.

2 Videtur id tantum de iis intelligendum, de quorum excommunicatione constat per annum in foro externo. Cf. Gén.-S. n. 535, IX.

omnem sacrum ritum prohibet. Attamen, sive generale sive particulare, *locale* non vetat morientibus sacramenta et sacramentalia ministrare (can. 2270 2271 2272).

Interdictum *personale* prohibet usum activum et passivum sacramentorum et sacramentalium, assistentiam officiis divinis (non tamen praedicationi verbi Dei) et, post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, nullo dato resipiscentiae signo, privat ecclesiastica sepultura (can. 2275).

Interdictum *ab ingressu ecclesiae* prohibet, ne quis in ecclesia divina officia celebret, vel eisdem assistat, aut ecclesiastica donetur sepultura; quin tamen sit necesse eum ab ecclesia expelli aut eius cadaver amoveri (can. 2277).

De his plura minutius can. 2268-2277 [1].

Art. 3. Suspensio.

913 *a*) **Quid sit suspensio.** Est censura, qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur (can. 2278, § 1).

b) **De effectibus suspensionis.** Si suspensio generaliter feratur, utramque prohibitionem importare censetur, ab officio et a beneficio (can. 2278, § 2).

Suspensio *ab officio* omnes effectus habet, nisi limitetur (potest enim ad aliquos tantum vel aliquem limitari), quos recenset can. 2279. Inter alia, quae ibidem possunt consuli, suspendit: — 1. *A iurisdictione*, sive externi sive interni fori, ordinaria vel delegata. — 2. *A divinis*, scilicet, ab omni actu potestatis ordinis sive per ordinationem sive per privilegium [2] acceptae. — 3. *A certo ministerio vel officio*, v. gr. ab audiendis confessionibus, a cura animarum. — 4. *Ab ordine pontificali*, id est ab omni actu potestatis ordinis episcopalis. — 5. *A pontificalibus* seu ab exercitio actuum pontificalium, nimirum qui requirunt insignia pontificalia.

Suspensio *a beneficio* privat eius fructibus; si nihilominus perciperentur, restituendi essent (can. 2280).

Suspensio tamen, quae secumferat prohibitionem administrandi sacramenta et sacramentalia, non id prohibet, si suspensus a fidelibus requiratur, praeterquam post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam; suspensio a iurisdictione actum reddit illicitum (nisi ministerium requiratur a fidelibus), non vero invalidum, nisi post sententiam aut nisi Superior declaraverit se potestatem revocare (can. 2284).

---

[1] Cf. etiam, sis, Suárez d. 32-39; Wernz n. 216-234; Ball.-P. n. 547-571; Lehmk. n. 1155-1164; Verm.-Creus. n. 470-478; Cappello n. 144 seqq.

[2] V. gr. potestas sacerdotis ad administrandam confirmationem ex facultate speciali S. Sedis.

Plura in can. 2278-2285[1]. De suspensione ex informata conscientia, seu quae infligi potest non servatis normis iuris, cf. can. 2186-2194[2].

Caput 3. SINGULAE CENSURAE LATAE SENTENTIAE IURE COMMUNI HODIE VIGENTES

914 Censuras singulas apponemus latae sententiae hodie vigentes de iure communi, seu in novo iuris canonici Codice contentas[3], brevi aliqua declaratione, ubi opus fuerit subiuncta; eas tantum omittemus, quae statuta sunt contra delicta, quae

---

1 Cf. etiam, sis, SUÁREZ d. 25-31; WERNZ n. 200-215; BALL.-P. n. 490-520; LEHMK. n. 1149-1154; VERM.-CREUS. n. 480-487; CAPPELLO n. 159-163.

2 De suspensione ex informata conscientia, cf. *A.S.S.* XIV, p. 372, XVII, p. 368, XXVIII, p. 10; BALL.-P. n. 498-499; WERNZ V, n. 886-902; LEHMK. n. 1150; VERM.-CREUS. n. 372-381; GÉN.-S. n. 614, 4°; FERRERES in ephem. *Razón y Fe* L, p. 516-520.

3 Censurae latae sententiae olim sat erant numerosae, quarum aliae nemini, aliae Episcopo, aliae Pontifici per Bullam Coenae, aliae eidem extra illam Bullam reservabantur; de quibus consuli potest, si lubet, SUÁREZ, *De censuris* d. 21 22 23 31 37; S. ALPH. n. 209 seqq.

Has, pluribus abolitis, reformavit, in unum corpus collegit atque ordinavit PIUS IX const. « Apostolicae Sedis » 12 oct. 1869 (eam vide v. gr. apud WERNZ, *Ius decret.* VI ad calcem), dilucide quatuor series distinguens excommunicationum: Romano Pontifici speciali modo reservatarum (fere erant, quae antiquitus continebantur in celebri « Bulla Coenae »), eidem simpliciter, vel Episcopis, vel nemini reservatarum, quas sequebantur series suspensionum atque interdictorum. Non tamen omnes, quae vigere in posterum debebant, recensebantur explicite, siquidem in ea confirmabantur censurae *Concilii Tridentini* in genere, nulla de singulis mentione facta (communiter tamen sentiebant auctores eas tantum *Tridentini* censuras per const. « Apostolicae Sedis » specialiter confirmari, quae vel primum a Concilio latae fuerant vel specialiter fuerant ab eo confirmatae, reliquas per eamdem const. aboleri); nonnullae praeterea post praedictam const. additae fuerunt, immo eas quae editionem et lectionem librorum respiciebant, paulum immutatas seorsim collegit LEO XIII const. « Officiorum ac munerum » 25 ian. 1897. Earum omnium numerus aliis accrevit a PIO X latis (cf. VERM.-CREUS. n. 509).

Codex fere easdem continet, quae a tempore constitutionis Pianae « Apostolicae Sedis » viguerunt, vel eis successivis temporibus supervenerunt. Propterea magnae adhuc sunt utilitati commentaria, quae in laudatam const. PII IX auctores elucubrarunt.

Praeter eas, quae continentur in Codice, aliae iam non vigent. Quare, quae usque ad diem, quo Codex vigere coepit (19 maii 1918), vigebant et in Codice suppressae sunt, non iam ipso facto incurruntur; non tamen ab iis exonerati sunt, qui eas incurrerant et nondum absolutionem obtinuerunt.

in eligendo Romano Pontifice committi possunt[1]. Praeter has, ceterae, inquimus, nunc recensebuntur, quae sunt: — 1° *De iure communi;* aliae enim praeterea exsistunt de iure particulari; cuiusmodi sunt tum quae in quibusdam dioecesibus sunt latae, tum quae ad ius particulare pertinent cuiusvis Ordinis religiosi. — 2° *Latae sententiae;* aliae enim praeterea continentur in Codice can. 2314-2414, quae exprimuntur verbis « poena suspensionis plectatur, suspendatur, censuris puniatur etc. », proindeque sunt « ferendae sententiae »[2].

Animadversio. In censuris latae sententiae, quae sequuntur, ii tantum nominantur, qui delictum immediate patrant; sed in eamdem censuram intelligendi sunt incurrere, quin necessarium sit id monere in censuris singulis, etiam alii delicti complices, nempe, qui communi consilio in delictum concurrerunt, complex delicti natura sua complicem requirentis, mandantes, inducentes, cooperatores positivi, si absque eorum opera delictum non fuisset patratum (cf. dicta n. 894, 4°)[3].

Art. 1. Excommunicationes Sedi Apostolicae *specialissimo* modo reservatae.

Sunt quatuor, easque incurrunt:

I.

915 « *Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit* » (can. 2320).

Species consecratas, sive panis sive vini, quovis ritu consecratas.

Abiecerit; abiicit autem qui eas voluntarie proiicit, sive despective (puta in terram, aliumve locum, etsi non sordidum, v. gr. in sacrarium), sive ut destruantur (v. gr. in ignem). Fur, qui sacras formas vertit supra altare, ut ciborium asportet,

---

1 Censurae latae sententiae circa delicta, quae in electione Romani Pontificis committi possunt, continentur in const. Pii X « Vacante Sede Apostolica » 25 dec. 1904, quae integra, tamquam Docum. I, inserta est ad calcem Codicis iuris canonici. Eius dispositiones et censurae sanciuntur in can. 160 241 262 2330.

2 Praeter censuras continentur quoque in can. 2314-2414 poenae vindicativae; quarum aliae efferuntur simpliciter sub verbis « puniatur, privetur, hac vel illa poena plectatur etc. », proindeque non incurruntur donec a legitima auctoritate infligantur, dicunturque « ferendae sententiae »; aliae, etsi per modum quoque subiunctivum exprimantur, praeponunt tamen verba « ipso facto, eo ipso », aliave similia, et consequenter sunt « latae sententiae », quia delicto commisso statim incurruntur, nulla alia exspectata condicione. Sed de poenis vindicativis in praesenti non agimus.

3 Husmodi regula statuitur in can. 2231 pro poenis quibusvis, non solum igitur pro censuris, sed etiam pro poenis vindicativis.

incurrit, si id quasi cum contemptu facit; secus vero, si intendens ut a sacerdote colligantur et reverenter asserventur.

Ad malum finem, v. gr. superstitiosum, vel ut eas tradat aliis, qui abusuri sunt.

Abduxerit, id est in alium locum, ad malum finem, v. gr. ut alii abusuro tradat; quod si alii ad abutendum tradat in ipsa ecclesia, incurrit, non quia abducit, sed quia abiicit. Malus finis abductionis praesumitur in foro externo.

Retinuerit, scilicet ad malum finem.

II.

« *Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit* » (can. 2343, § 1).

Violentas manus; id sume in eodem sensu qui explicabitur infra in n. 928, III.

Qui in hanc excommunicationem incidit, est ipso facto vitandus.

III.

« *Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi* » (can. 2367, § 1).

Explicat idem can. 2367, §§ 1 et 2 circumstantias quasdam, in quibus excommunicatio non effugitur. Canonem integrum eiusque materiae explicationem dedimus in n. 665 seqq.

IV.

« *Confessarius, qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit* » (can. 2369, § 1) [1].

Confessarius, non alii, qui forte sacramentalis sigilli obligatione (v. gr. interpres) etiam teneantur. Cf. dicta in n. 725.

Directe; quaenam violatio directa, quaenam indirecta, cf. n. 723, 2°.

Praesumpserit, cf. n. 895.

---

1 Verba « confessarium... manet excommunicatio », quibus effertur haec censura in can. 2369, § 1, etsi quamdam futuri temporis significationem habeant, non sunt tamen mere comminatoria aut commissoria, seu quibus poenae inflictio iudici committatur, sed operatoria, id est iam actu excommunicationem infligentia in delictum quocumque tempore perpetrabitur. Idem ergo sonant ac « incurret excommunicationem »; nec intelligas « incurret post iudicis sententiam », cum nulla sit huius rei insinuatio (immo contrarium sat clare significatur, siquidem absolutio Romano Pontifici reservatur), sed « incurret, ipso facto quod delinquet » (cf. etiam Verm.-Creus. n. 408, 4°); quare ideo « manet excommunicatio », optime ait Blat, quia ipso facto incurritur. Est igitur excommunicatio latae sententiae, non ferendae. Et latae sententiae esse omnes tenent, sive explicite id affirmando (Verm.-Creus. n. 572; Blat in « Append. » p. 751; Gén.-S. n. 586), sive implicite, dum hanc censuram inter alias latae sententiae recensent atque ut talem exponunt (Cappello n. 55 seqq.; Ferr. n. 1235; Sole n. 426; Noldin n. 56.

Art. 2. Excommunicationes Sedi Apostolicae *speciali* modo reservatae.

Sunt undecim, quas incurrunt:

I.

916 « *Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici* » (can. 2314, § 1, 1°).

Apostata dicitur, qui post receptum baptismum a fide christiana totaliter recedit (can. 1325, § 2), transeundo v. gr. ad iudaismum vel mahumetismum, vel iactando se tenere atheismum, aut esse libero-cogitatorem. Sed apostata nemo censendus est eo tantum, quod in practica indifferentia vivat.

Haereticus est qui, post receptum baptismum et nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat (can. 1325, § 5). Plectitur hac censura haeresis formalis, quam definitam atque explicatam habes in n. 77. Censura incurritur, quomodolibet haeresis crimen patretur, dummodo aliquo modo manifestetur exterius; sive patretur verbis, v. gr. si quis dicat (etsi privatim et nemine audiente) aliquid haereticum (v. gr. Papam nullam habere infallibilitatem, vel se profiteri theosophismum) aut veritatem aliquam fidei catholicae esse dubiam (v. gr. « quis scit, an vera sint quae circa alteram vitam traduntur »); sive patretur factis, v. gr. si quis, mente haeretica domum suam exornet in festo publico alicuius haeresiarchae ut talis [1].

Non excusatur ab hac censura qui haeresim profitetur dubitans, sed non vult ulterius inquirere; eius enim ignorantia est affectata; si tamen ideo negligit inquirere, quia si veritatem comperiret, nollet se opponere iudicio Ecclesiae, non incurrit, cum desit contumacia in Ecclesiam [2].

De suspicione haeresis. Suspectus de haeresi dicitur qui propter loquendi aut agendi modum praesumitur de iure haeresim profiteri. Codex memorat in hac parte poenali (can. 2314-2414) actus, unde exsurgit suspicio haereseos, et proinde determinat, quinam suspecti de haeresi haberi debeant (can. 2316 2319 2320 2340 2371). Sed can. 2315 generatim de quolibet suspecto statuit, ut moneatur; quod si monitus causam suspi-

---

1 In iure ante Codicem excommunicatione Papae speciali modo reservata plectebantur quoque « eis (haereticis) credentes, eorumque (scilicet, ut talium) receptores, fautores ac generaliter quilibet eorum defensores ». In praesenti iure, quinam ex iis et quandonam incurrant aut non incurrant, erui debet ex regula generali canonis 2231 2209, supra memorata (n. 914 sub finem, in animadversione).

2 Cf. dicta n. 77; cf. etiam FERR. I, n. 291; LEHMK. I, n. 415; WERNZ VI, n. 284.

cionis non removeat, poenis plectatur; et si intra sex menses non sese emendaverit, habeatur tamquam haereticus atque haereticorum poenis obnoxius. Haec respiciunt forum externum; sed secuta declaratione iuridica quod habendus sit ut haereticus, censemus eum vi huius can. 2315 excommunicationem revera incurrisse et in hoc sensu istum canonem continere censuram latae sententiae[1].

De absolutione ab haeresi in foro externo. Ordinarius loci **917** per se vel per delegatum absolvere potest in utroque foro ab haeresi, quae ad eos quovis modo deferatur[2]; ad quod sufficit abiuratio coram eo aut eius delegato et duobus testibus.

---

1 Nempe ni fallimur, vox « habeatur » continet poenam sententiae ferendae, quatenus requirit declarationem iuridicam quod ille ita sit habendus; sed hac declaratione posita, censura haereticorum debet huius sententiae facto ipso esse incursa, ne declaratio evadat nugatoria, et in hoc sensu canon refert censuram latae sententiae.

2 Etenim can. 2314, § 2 ait: « § 1. Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici: — 1° Incurrunt ipso facto excommunicationem. — 2° Nisi moniti resipuerint, priventur beneficio, dignitate, pensione, officio aliove munere, si quod in Ecclesia habeant, infames declarentur, et clerici, iterata monitione, deponantur. — 3° Si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint, ipso facto infames sunt et, firmo praescripto can. 188, n. 4, clerici, monitione incassum praemissa, degradentur. — § 2. Absolutio ab excommunicatione de qua in § 1, in foro conscientiae impertienda, est speciali modo Sedi Apostolicae reservata. Si tamen delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta aliisque servatis de iure servandis, sua auctoritate ordinaria in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae. Abiuratio vero habetur iuridice peracta cum fit coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus ». — Haec potestas, cum sit ordinaria, potest in alium delegari, etiam habitualiter. Potestatem ordinariam in hac re negat Codex Vicario Generali, requiritque, ut deputetur ex delegatione, quam de cetero potest accipere habitualem.

Sufficit ut ad forum Ordinarii loci casus deferatur « quovis modo », ideoque etiam extraiudicialiter, v. gr. si haereticus sponte se Episcopo sistit, vel si sacerdos facultatem petit absolvendi neoconversum.

Abiuratio debet recipi iuridice, ut possit fidem facere. Non est tamen necesse, ut fiat coram notario, qui talis sit ex officio, sed sufficit, ut fiat coram quopiam delegato ab Ordinario et coram duabus personis ut testibus. Qua formula uti oporteat, cf. n. 718 nota.

Plura habes in n. 718 nota. Cf. etiam *A.S.S.* XXXII, p. 695; PENNACCHI-AVANZINI, *Comment. in const.* « Ap. Sedis » I, p. 8, cum Append. I et II, p. 59 seqq.; ephem. *Sal Terrae* (1916) p. 540 seqq.; BUCCER., *Comment. de censuris* n. 9; VERM.-CREUS. n. 513, III; FERR. n. 1237.

Absolutio censurae in foro externo eam simul aufert pro foro interno (can. 2251), et quoniam sublata censura non reservatur peccatum (can. 2246, § 3), hinc data haeretico absolutione in foro externo, potest peccatum absolvi a quovis confessario.

Impuberes (viri ante 14 annos expletos, feminae ante 12) censuras latae sententiae non incurrunt (can. 2230) ideoque (etsi sint neo-conversi) non tenentur ad iudicialem abiurationem, neque egent a censura absolvi, sed absolvi possunt a peccatis a confessario quolibet.

Schismatici dicuntur ii, qui post receptum baptismum subesse renuunt Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare (can. 1325, § 2).

De absolutione a schismate idem prorsus dic ac de abiuratione ab haeresi[1].

II.

918 « *Opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes* » (can. 2318, § 1).

Opere publici iuris facto, non si iam quidem impresso, sed nondum publici iuri tradito. Clausula afficit utramque legis partem, et eam quae ad edentes et quae ad legentes refertur.

Editores, quo nomine venit etiam auctor, qui opus edendum tradit[2]. Cf. n. 382.

Libri, id est stricte dicti, vel fasciculi scientifici in unum ligati (can. 19), non libelli, aut diaria[3].

Libri apostatarum etc. Debent proinde libri, ut sub hac excommunicatione vetentur, et apostasiam, haeresim aut schisma, propugnare, et ab apostata, haeretico aut schismatico esse

---

Regulares nequeunt vi ullius privilegii perpetui absolvere ab haeresi, etsi pro foro tantum interno, cum omnia eorum privilegia perpetua absolvendi a casibus et censuris Romano Pontifici specialiter reservatis revocata fuerint a Pii IX const. « Ap. Sedis ». Cf. hanc const. « Ap. Sedis » 12 oct. 1869, § « A quibus omnibus » (*A.S.S.* XXIV, p. 704). Privilegia, inquam, perpetua revocata fuerunt, non ea quae ad tempus fuerant concessa. *S. Off.* 1 febr. 1871; *S. Poenit.* 5 dec. 1873; ap. Ball.-P. VII, n. 443; Avanzini-Pennacchi op. cit. I, p. 456, col. 2.

1 Etenim can. 2314, § 2 dicit idem tenendum esse de absolutione ab excommunicationibus, de quibus ibidem § 1, seu ab apostasia, haeresi aut schismate. Cf. etiam n. 719 nota.

2 Et saltem comprehendi deberet titulo complicitatis.

3 Nam sub nomine libri venire quoque diaria etc., id Codex statuit in can. 1384, § 2 pro iis solummodo, quae in tit. XXIII seu in can. 1384-1405 decernuntur.

Quid stricte veniat nomine libri, cf. n. 374 nota.

scripti. Quare non sufficit: 1° Si liber auctorem quidem habet haereticum, sed non propugnat apostasiam, haeresim aut schisma. — 2° Si in libro propugnatur quidem apostasia etc., sed auctor est iudaeus aliusve non baptizatus.

Non est necesse, ut sit haereticus (apostata, vel schismaticus) notorius, sed sufficit, ut ex lectione deprehendatur haeresim propugnare, ideoque esse haereticus (nam quod sit baptizatus, in nostris regionibus supponi debebit, nisi in contrarium vehementia sint indicia) [1].

Propugnant, id est defendendo seu persuadere conando, non autem veritatem contrariam tantum despiciendo; praeterea opus est, ut id fiat consulto, non quasi obiter et paucis lineis.

Eosdem libros aliosve etc. Duplex est librorum genus, quorum *defensio*, *lectio*, *retentio* prohibetur sub hac censura: 1° libri haereticorum etc., modo nuper exposito; et 2° libri a Rom. Pontifice nominatim prohibiti, modo statim exponendo. Libri secundi generis sat rari sunt, primi generis non pauci.

Impossibile est, bene advertit *Noldin* [2], ut confessarius omnia opera haeresim propugnantia cognoscat; quare occurrente casu interroget poenitentem de argumento libri pravi, quem legit, atque exinde diiudicet, utrum liber haeresim propugnet ideoque sub excommunicatione prohibitus sit necne.

Per apostolicas litteras etc., quicumque sit auctor libri, etsi non haeretici. Liber tamen debet esse prohibitus « nominatim », id est libri titulo expresso; et prohibitus « per apostolicas litteras », id est ab ipso Rom. Pontifice emanatas, non ab aliqua S. Congregatione. Praeterea videtur hic canon, ex const. « Apost. Sedis » desumptus, nihil aliud velle referre nisi censuram contentam in ipsis apostolicis litteris, quibus prohibetur liber; quare non sufficit librum prohiberi nominatim et per apostolicas litteras, sed prohiberi debet « sub excommunicatione Rom. Pontifici reservata » [3].

---

1 Si auctor est protestanticus, ad eludendam censuram allegari nequit dubium de validitate baptismi. Tum quia protestantes haereticis accenseri notissimum est, tum quia illiusmodi dubium, etsi sufficiens ad iterandum sub condicione baptismum, insufficiens prorsus est ad fundandam probabilitatem, qua homo ducatur in rebus practicis.

2 Noldin n. 61.

3 Si liber prohibitus est ante const. Pii IX « Apost. Sedis », debuit prohiberi in apostolicis litteris sub excommunicatione Rom. Pontifici speciali modo reservata; qui autem in posterum prohibeantur, debent etiam prohiberi sub excommunicatione Rom. Pontifici reservata, sed sufficiet dici reservata; nam vi huius can. 2318 evadet speciali modo reservata. Ita Pennacchi op. cit. I, p. 127-129; Bail.-P. n. 425; Lehmk. n. 1184; Buccer. op. cit. n. 13; Cappello n. 77; Ferr. n. 1240; Gén.-S. n. 588.

Defendentes; id facit qui libri doctrinam commendat, aut eum editum esse approbat, aut perperam damnatum esse contendit; non vero qui eius stylum aliasve bonas dotes (in quo tamen caveri debet scandalum), laudat.

Scienter afficit duas tantum actiones sequentes; excusat proinde a censura lectio vel retentio cum ignorantia etiam crassa (n. 895).

Legentes vel retinentes. Quaenam lectio vel retentio sit gravis, cf. n. 383 386.

Probabiliter censuram non incurrit qui audit legentem [1].

III.

919 Qui « *ad sacerdotalem ordinem non promotus Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit* » (can. 2322, 1°).

Non comprehenditur qui sacerdos est, etsi actum vetitum, aut nullum, ponat suspensus, vel interdictus.

Debet Missae celebratio aut confessionis auditio simulari non ex ioco aliove modo per se periculum deceptionis non inducente, sed ita ut poenitens vel Missae adstantes, saltem aliqui, in errorem induci possint, quamvis fictus sacerdos verba absolutionis aut consecrationis non proferat.

IV.

« *Omnes et singuli cuiuscumque status, gradus seu condicionis, etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale Concilium appellantes* » (can. 2332).

Ad universale Concilium, non ad Pontificem futurum, vel ad eum bene informatum.

V.

920 « *Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes* » (can. 2333).

Recurrentes; sed excommunicatio non incurritur, nisi recursus effectum obtineat, seu effectu impediendi secuto.

Ad laicam potestatem; v. gr. ad iudices, gubernatorem, senatum (uti tales, non uti personas privatas).

---

1 Cf. n. 383; Ferr. n. 1240, *NB.* 2°.

Legatis; quorum nomine veniunt Legati a latere, Nuntii, Internuntii, Delegati Apostolici. Cf. can. 266 267.

Impediendas... prohibentes; scilicet auctoritate publica; v. gr. ut impediant invocato « placet regio ».

VI.

« *Qui leges, mandata vel decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt; qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem* » (can. 2334).

Leges etc. contra libertatem aut iura Ecclesiae; nimirum leges, mandata vel decreta generalia, quibus v. gr. eiiciantur religiosi, vel prohibeantur in posterum publicae processiones etc.; non contra personam particularem, v. gr. ne amplius iste sacerdos concionetur; vel circa casum particularem, v. gr. ne fiat haec processio.

Iura assistendi matrimoniis, peragendi funera, possidendi proprium coemeterium (can. 1206, § 1), evangelicam doctrinam docendi (can. 1322, § 2), regendi Seminaria (can. 1352), scholas condendi (can. 1375) etc.

Edunt; ministri vel burgomagister decretum promulgantes, deputati vel consiliarii municipii suffragium ferentes.

Impediunt; scilicet auctoritate publica. Requiritur ad incurrendum effectus impediendi secutus.

Directe; minis, vi etc.; non meris precibus, etsi importunis, vel pecunia.

Indirecte; v. gr. gravi metu incusso gubernatoris consanguineis, vel impediendo officiales ecclesiasticos, per quos actus iurisdictionalis ponendus esset.

Exercitium; etiamsi ab eo impediatur tantum persona particularis.

Iurisdictionis, non solius ordinis.

Sive interni fori; v. gr. si impediatur parochus sacramenta ministrare, aut prohibeantur sacerdotes confessiones audire.

Sive externi fori; ne v. gr. iudex ecclesiasticus in causam propriam se intromittere audeat.

Recurrentes; ut impediant, et effectu secuto. Non incurrit proinde persona privata, quae huiusmodi exercitium impedit, si ad auctoritatem publicam non recurrit.

Ad quamlibet laicalem potestatem; iudicem laicum, burgomagistrum, militiae praefectum etc.

VII.

921 « *Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium* » (can. 2341).

Contra praescriptum can. 120[1], in quo continetur privilegium fori (n. 397, 2°).

Ausus fuerit; cf. n. 895.

Ad iudicem laicum, civilem vel militarem.

Ad iudicem laicum trahere, etsi qui trahat sit persona mere privata. Trahere aliquem ad iudicem significat actionem contra eum instituere, proinde trahere eum ut reum, non mere ut testem. Supponitur privilegium fori non esse in ea regione abrogatum; quod si ex conventione inter S. Sedem et Gubernium, vel ex consuetudine privilegium fori est alicubi modificatum, censura intelligenda est iuxta modum, quo hoc privilegium in ea regione vigeat.

Legatis, ut supra in V.

Ordinarium proprium, qui pro religiosis est quilibet e Superioribus eorum maioribus, in religionibus clericalibus exemptis.

VIII.

« *Qui violentas manus in personam S. R. E. Cardinalis vel Legati Romani Pontificis, vel in personam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum iniecerit* » (can. 2343, §§ 2 et 3).

IX.

« *Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia* » (can. 2345).

---

1 « § 1. Clerici in omnibus causis sive contentiosis sive criminalibus apud iudicem ecclesiasticum conveniri debent, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum fuerit. — § 2. Patres Cardinales, Legati Sedis Apostolicae, Episcopi etiam titulares, Abbates vel Praelati *nullius*, supremi religionum iuris pontificii Superiores, Officiales maiores Romanae Curiae, ob negotia ad ipsorum munus pertinentia, apud iudicem laicum conveniri nequeunt sine venia Sedis Apostolicae; ceteri privilegio fori gaudentes, sine venia Ordinarii loci in quo causa peragitur; quam tamen licentiam Ordinarius, praesertim cum actor est laicus, ne deneget sine iusta et gravi causa, tum maxime cum controversiae inter partes componendae frustra operam dederit. — § 3. Si nihilominus ab eo qui nullam praehabuerit veniam, conveniantur, possunt, ratione necessitatis, ad vitanda maiora mala comparere, certiore tamen facto Superiore a quo venia obtenta non fuit » (can. 120).

Agitur in hac censura de bonis et iuribus Sedis Apostolicae (v. gr. de Statibus pontificiis), non alius cuiusvis ecclesiae aut personae moralis ecclesiasticae.

X.

« *Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes* » (can. 2360, § 1).

XI.

« *Si quis per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit* » (can. 2363).

Addit praeterea can. 2363: « a qua (excommunicatione) nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 894 ». — « Gravi ac diuturna poenitentia »; quaenam haec sit, cf. n. 679. — « Firmo praescripto can. 894 », in quo praescribitur peccatum istud esse reservatum ratione sui, ideoque non posse a quolibet confessario absolvi, etiamsi censura a Superiore iam fuerit ablata.

De falsa sollicitationis denuntiatione cf. dicta in n. 679.

Art. 3. Excommunicationes Sedi Apostolicae *simpliciter* reservatae.

Sunt undecim, easque incurrunt:

I.

« *Quaestum facientes ex indulgentiis* » (can. 2327). **922**

Quaestum facere est lucrum captare. Non requiritur, ut fiat mente simoniaca.

II.

« *Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur* » (can. 2335).

Alliisve eiusdem generis, v. gr. anarchistarum; at non incurrit qui anarchismum profitetur, sed nulli sectae adscriptus est. Secta, opinantur aliqui, debet socios habere quasi confoederatos et aliqua ratione regi secreto, etsi societatis finis notissimus sit nec ab eius sociis secretum exigatur.

An comprehendantur societates socialistarum *mitigatorum*, merito dubitant non pauci[1], cum potius videantur velle efformare partes politicas. Plerique tamen socialistae athei sunt, qui sub excommunicatione apostatarum cadunt speciali modo reservata.

Clerici et religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus sub gravi a quovis, etsi laico, *Sacrae Congr. S. Officii* denuntiandi sunt (can. 2336, § 2).

De absolutione massonum etc. Antequam praedictarum sectarum asseclae absolvantur, opus est, ut sectam vel associationem in perpetuum deserant[2] eamque (si adhaesio erat publica) in foro externo abiurent, coryphaeos occultos (quod nunc in ipsa lege censurae non urgetur, sed a lege naturali imponitur) clericosque vel religiosos adscriptos denuntient, libros, manuscripta, signa societatem respicientia confessario ad ecclesiasticam auctoritatem transmittenda tradant, vel, si specialis ratio obstet, destruant, documentum funeris irreligiosi vel crematonis, si quod confecerant, revocent[3], scandalum reparent.

III.

923 « *Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata* » (can. 2338, § 1).

Praesumentes, cf. n. 895.

Sine debita facultate, seu extra periculum mortis, extra casum urgentiorem et absque facultate aliunde accepta.

Ab excommunicatione, non ab alia specie censurae.

---

1 Lehmk. n. 1225; Vermeersch, *De prohibit. libror.* (edit. 3ª) p. 66 67; Gén.-S. n. 594; Noldin n. 74. Sed intelligendum de socialistis *mitigatis*, secus adhaeremus Cappello n. 105, qui omnino putat socialistas comprehendi.

2 Nonnisi ob gravissimi mali periculum tolerari posset, ut seria promissione data quamprimum eam deserendi, interea in ea permaneant (etiam collata stipe, si vitari non posset), dummodo nec poenitenti perversionis periculum immineat, nec societati emolumentum obveniat.

3 *Conc. Plen. Am. Lat.*, a. 166-178 reiecto eorum praetextu, qui dictitant sectam massonicam in aliquibus nationibus esse innocuam ac honestam (a. 168), damnat et proscribit omnes societatis massonicae aliarumque ex ea prognatarum catechismos et libros, ad earum defensionem exaratos, sive typis editos sive manu scriptos earumque omnia et singula diaria seu ephemerides (a. 171); interdicit ne massones notorii patrinum agant in baptismo vel confirmatione (a. 173), in memoriamque revocat non posse eos sepultura ecclesiastica donari, nisi resipiscentiae signa dederint (a. 176).

Cf. Verm.-Creus. n. 535; Pennacchi op. cit. I, p. 595 seqq.; Gén.-S. n. 594; Ferr. n. 1253; Cappello n. 105; Noldin n. 74.

IV.

« *Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes* » (can. 2338, § 2).

Quodvis, v. gr. suadendo ne scandalum reparet.

Clerici, non laici, qui certe comprehenduntur in prima parte censurae.

In divinis etc. Probabiliter verba « ipsum in divinis etc. » accipi debent tamquam explicativa praecedentium « in divinis communicantes », ideoque unica actio est, quae in hac altera parte censurae continetur, nempe, si clerici vitandum admittant ad obeunda officia, quae clerici obeunt ut Ecclesiae ministri[1]; non attingitur proinde eius admissio ad audiendum sacrum aut recitare p r i v a t i m cum eo breviarium.

Recipientes, id est ii ad quos pertinet admittere vel recusare, v. gr. rectores ecclesiarum.

V.

« *Si quis contra praescriptum can. 120 ausus fuerit ad iudicem laicum trahere alium Episcopum etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum nullius, vel aliquem ex supremis religionum iuris pontificii Superioribus* » (can. 2341).

Consule explicationem datam excommunicationis similis sub n. VII inter specialiter reservatas.

Alium, id est, Episcopum, qui non sit Ordinarius proprius trahentis ad tribunal, aut aliam ex personis nominatis in praedicta censura.

VI.

« *1° Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut condicionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes; — 2° Mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes; — 3° Moniales e clausura illegitime exeuntes contra praescriptum can. 601* » (can. 2342). **924**

Clausuram monialium vel regularium; eam nempe, quae dicitur papalis, cuius explicationem cf. in n. 456 457.

---

1 Cf. can. 2256, 1°.

Introducentes, id est qui ad ingrediendum invitant, vel ostium aperiunt etc., quamvis nec ianuae, nec monasterii, aut domus curam habeant.

Admittentes; quod, etsi cum omni proprietate dicatur de iis, quibus admissio incumbit ex officio, nempe Superiorissa et ostiaria, adhuc tamen de ceteris subditis dici potest proprie, si aliquid positive faciunt, quo personae ingressum videantur concedere (sed tunc iam facile venient sub termino « introducentes »). Per actionem negativam, id est personam ingressam non expellendo, ii tantum censuram incurrunt, quibus ex officio incumbit ingressum prohibere, nempe Superiorissa et ostiaria; hae enim censentur personam admittere, si personam non expellunt, ubi id facile praestare possent, vel si eam colloquio aliove modo intus detinent. Ceteri vero, quibus ex officio non incumbit, non incurrunt, si non expellunt; immo, etsi cum persona colloquantur aut eam per domum comitentur[1].

Aliique, quicumque ii sint, etsi non Superiores, sed subditi; etsi laici non religiosi, sed famuli; etsi domui extranei.

Violantes regularium etc., etsi ingrediantur quando nullus regularis intus sit.

Eas, cuiuscumque aetatis, etsi impuberes sint[2].

Moniales illegitime exeuntes; de his cf. n. 458 sub litt. *c*.

---

[1] Pennacchi p. 794; Lehmk. n. 1231; Cappello n. 112 id concedunt tantum, dummodo hoc modo non detineatur persona quae aliter egrederetur. Sed rectius Ferr. n. 232; Verm.-Creus. I, n. 613; Gén.-S. n. 599 probabilius putant non incurrere eos qui in causa sunt cur persona diutius commoretur, dummodo ex officio non teneantur impedire.

[2] Pauca de introductione aut admissione personae *impuberis* post septennium, vel *infantis*.

1° *De impuberibus* post septennium. Putarunt quidam ante Codicem non incurrere censuram qui admitterent feminam impuberem intra clausuram *virorum regularium*, eo quod in const. « Apost. Sedis » legeretur « mulieres », quod proprie sonat eas, quae sunt aptae coniugio (cf. apud. Ball.-P. IV, n. 160); sed cum in Codice appositum sit « mulieres cuiuscumque aetatis », nullum dubium est, quin id hodie sub censuram cadat.

De admissione personae impuberis iam septennis in clausuram *monialium* pariter videtur non esse dubium, cum huiusmodi personae vere verba legis « clausuram violantes » verificare possint; quamvis enim impuberes excusentur a censuris, non tamen ab obligatione legis. Propterea censemus non esse rationem sufficientem in contrarium, ut putat Verm.-Creus. I, n. 613, quod in Codice omissa sint verba « cuiuscumque aetatis » expressa in const. « Apost. Sedis »; omissa enim sunt, ne impuberes, ut in textu const. « Apost. Sedis », hanc censuram incurrerent; ut autem hi certo includerentur in numero eorum, quorum admissio censura plecteretur, illa verba non requirebantur in parte relativa ad clausuram

VII.

« *Si quis bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobi-* **925**
lia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit aut impedire ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur » (can. 2346).

Sequitur can. 2346 decernens ut is « excommunicationi tamdiu subiaceat, quamdiu bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit ac deinde... absolutionem impetraverit » [1].

---

monialium (sed propter terminum « mulieres » requirebantur, e contra, in parte relativa ad clausuram virorum).

2° *De infantibus* (seu de personis ante expletum septennium). Plectuntur censura ii, qui admittunt personas « violantes clausuram »; non possunt autem clausuram violare infantes, ut iam notarunt plures ante Codicem (Pennacchi p. 746 788; Lehmk n. 1231, etc.). Nam, etsi non requiratur, ut persona censuram incurrat, immo nec opus sit, ut sit baptizata et subiectum sit legis ecclesiasticae (non enim ait « violantes legem clausurae », sed « violantes clausuram », quae est actio physica ingrediendi), at verba sonare videntur actionem personae sui compotis. Quare censuram effugeret admittens infantem in clausuram *monialium* (etsi id sub gravi prohibeatur; cf. can. 600); ita etiam Ferr. n. 236, praeter citatos Pennacchi etc. (immo Pennacchi p. 747 id non inconsequenter extendit ad adultos amentes).

Ut eam effugiat admittens puellulam in clausuram *virorum regularium*, obstant verba « cuiuscumque aetatis » apposita in censura sub n. 2°. Propterea a censura in hoc casu non excusant Verm.-Creus. III, n. 541; Gén.-S. n. 599; Noldin n. 80. Attamen, quoniam versamur in odiosis, quae strictam interpretationem poscunt, posset terminus « eas » referri non ad solum terminum « mulieres », sed ad complexum « mulieres violantes clausuram » (confirmatur ex n. 1°, in quo agitur de admissione « violantium »), tuncque « cuiuscumque aetatis » referri deberet ad mulieres iam septennes (cf. Avanzini in opus Pennacchi p. 745 nota). Quod si quis, ut id declinaret, sumeret « violantes » pro materiali actione ingressus indebiti, etsi posita a non compote, iam a censura excusare non posset admittentes infantem in clausuram monialium. Admittentes feminas infantes in clausuram virorum excusari probabiliter a censura, admitti videtur a Ferr. n. 232, nulla tamen addita ratione.

1 Per bonorum restitutionem et impedimenti remotionem non tollitur ipso facto censura, ut patet ex postremis verbis requirentibus absolutionem; sed decernitur, ut illae sint condiciones, sine quibus absolutio non detur, ita ut, pro hac censura, non sufficiat, ait Sole n. 385, p. 307, seria promissio satisfaciendi pro damnis, admissa generaliter per can. 2242, § 3, sed requiratur secuta satisfactio. Non est tamen dubium quin, si satisfactio sit moraliter impossibilis, possit interea absolutio dari. Verm.-Creus. n. 546, 4°; Gén.-S. n. 600, *NB.* Saepe, ubi sufficiens reparatio damni fieri non poterit, necessarium erit recurrere ad Ordinarium, ut obtineatur compositio, iuxta instructiones a S. Sede datas pro iis casibus. Cf. pro *Hisp.* et *Am. Lat.* Ferr. I, n. 699-700, 885-888, append. VI,

Bona ecclesiastica cuiuslibet generis; latissimo sensu accipienda sunt: corporalia (mobilia vel immobilia) vel incorporalia (reditus, iura ad alia bona etc.), ad quodcumque ens ecclesiasticum pertineant (ad ecclesiam, beneficia, Congregationem religiosam, loca pia, confraternitatem), dummodo Ecclesiae auctoritate constitutum sit (cf. can. 1497, § 1 et can. 99).

In proprios usus convertere, usurpare etc.; quae actiones probabiliter[1] intelligendae sunt de iis personis, quae auctoritate publica (Gubernio vel municipio vel iudice decernente bonorum usurpationem vel redituum sequestrationem) eas perpetrant, non de privatis qui ea furentur[2].

VIII.

926 « *Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, nec non de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscunque dignitatis sint* » (can. 2351).

---

p. 736 seqq. Cf. pro *Gallia* litt. *Secret. Status* (*A.S.S.* XL, p. 255); *S. Poenit.* 5 aug. 1907 et 16 ian. 1909 (*A.S.S.* XLI, p. 680; *A.A.S.* [1909] p. 239); facultates Episcopis datas per *Secret. Status* 21 sept. 1907 (*A.A.S.* [1910] p. 602) et consultationes varias ap. « *L'Ami du Clergé* ».

[1] Lehmk. n. 1209; Gén.-S. n. 600; Ferr. n. 1258.

[2] An sub nomine eorum « qui in proprios usus convertunt, usurpant, impediunt etc. », designentur in hac censura etiam ii, qui bona emunt aut quomodocumque accipiunt vel immediate a Gubernio, municipio etc., vel mediate, ea accipiendo ab aliis (per emptionem, hereditatem, legatum etc.), qui vicissim ea a Gubernio immediate vel mediate acceperant, non conveniunt auctores. Affirmant Ball. n. 435; Sole n. 385, p. 307; Cappello n. 117; negant Pennacchi I, p. 364 365, II, p. 304 seqq.; Lehmk. n. 1209; Buccer., *De censuris comment.* II, n. 29 73; Verm.-Creus. n. 546; Gén.-S. n. 600; Ferr. n. 1258; Noldin n. 81.

Probabilius tenendum putamus personas privatas non incurrere. Ratio est quod, etsi verba can. 2346 desumpta sint ex censura lata a *Tridentino* sess. 22, c. 11, at suppressa sunt praecise ea verba « quacumque arte, quomodocumque pervenerint etc. », quae emptores, legatarios etc., respiciebant; his verbis demptis, iam vel ipsi pristini iuris commentatores, plerique saltem, excommunicationem Tridentinam excommunicationi XI primae seriei const. « Apost. Sedis » omnino assimilabant aiebantque voces « usurpare » etc. etiam in censura Tridentina accipienda esse in sensu auctoritativo. Cf. Pennacchi II, p. 304 seqq.; Buccer. n. 73; ita ergo sumi possunt in moderno Codice, atque ita ea sumunt Verm.-Creus., Gén.-S., Ferr., Noldin nuper citati. Quod si « usurpare, in proprios usus convertere » auctoritative sumendum est, facili negotio et illud « impedire etc. » auctoritative sumi poterit; cf. Buccer. n. 73, p. 115 sub finem.

Duellum prout definitum in n. 175. Verum duellum perpetrant Universitatum germanicarum alumni «mensuras», quas aiunt, conserentes[1].

Simpliciter provocantes, etsi provocatus recuset et quamvis provocans tempus, locum, arma non determinaverit, sed liberae alterius electioni reliquerit.

Acceptantes, etsi duellum deinde non sequatur, et quamvis tempus, locum, arma non determinaverint.

Quamlibet operam aut favorem praebentes. Quibus verbis non solum veniunt mandantes, consulentes, animum duellantibus addentes, publicae auctoritatis mandatarios vel custodes avertentes ne duellum impediant, aliive complices comprehensi sub regula generali canonis 2231 (n. 914), sed etiam: 1° *Testes* seu *patrini*, nisi forte munus acceptent ut duellum impediant, vel, si impedire non possint, ut saltem finem imponant quamprimum alteruter duellantium leve vulnus acceperit. 2° *Medicus* vel *confessarius* qui duello assistit, aut *ex condicto* cum duellantibus in locum vicinum se confert paratus suam operam praestare.

Non incurrunt, qui artem gladiatoriam quoslibet indifferenter docent, certe vero, si quos ad futurum duellum praeparant. Nec incurrit medicus vel confessarius qui, peracto iam duello, accurrit, ut auxilium suum praestet.

Probabilius favorem praebentes aliique complices non incurrunt, nisi duello secuto[2].

De industria spectantes, id est, qui consulto ad duellum spectandum se conferunt, non autem qui, casu transeuntes, consistunt, nec qui e loco occulto aut longinquo aspiciunt[3].

Permittentes, *non prohibentes;* quibus verbis videtur designari auctoritas publica, non personae privatae.

IX.

« *Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales* **927**
post votum sollemne castitatis, *itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes* » (can. 2388).

Regulares, *moniales*, quinam dicantur cf. n. 423, 7°.

Post votum sollemne castitatis et quamvis simul habeant aliud impedimentum dirimens, v. gr. consanguinitatis.

---

1 Ita ex resp. *S.C.C.* 9 aug. 1890 (*A.S.S.* XXIII, p. 234): ratio bene esse potest, quia cultri, quibus ad « mensuras » utuntur, arma sunt grave vulnus per se inferentia. De duello cf. Wernz n. 377 seqq.; Rivet in *Dict. d'Apolog.* v. Duel; Pennacchi II, p. 536 seqq.; Sole n. 392 seqq.

2 Cf. Ferr. n. 1259.

3 Ferr. loc. cit.; Gén.-S. n. 601.

X.

« *Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis* » (can. 2392, 1°).

Delictum; requiritur ergo actio externa [1].

Officiis, beneficiis, dignitatibus. Officia, id est munera, quae adnexam habent aliquam ecclesiasticam potestatem ordinis vel iurisdictionis [2]. Beneficia, quae constant videlicet officio sacro et iure ad reditus ex dote adnexa [3]. Dignitates dicuntur quaedam membra capituli cathedralis vel collegialis, quae praecedentiam habent prae aliis canonicis [4].

XI.

« *Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint* » (can. 2405).

Aliive omnes, tam clerici quam laici.

Art. 4. Excommunicationes *Ordinario* [5] reservatae.

Sunt sex, easque incurrunt:

I.

928 « *Catholici: 1° Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico contra praescriptum can. 1063, § 1; 2° Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam; 3° Qui scien-*

---

1 Cf. can. 2195, § 1.

2 « § 1. Officium ecclesiasticum lato sensu est quodlibet munus quod in spiritualem finem legitime exercetur; stricto autem sensu est munus ordinatione sive divina sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secumferens participationem ecclesiasticae potestatis sive ordinis sive iurisdictionis. — § 2. In iure officium ecclesiasticum accipitur stricto sensu, nisi aliud ex contextu sermonis appareat » (can. 145).

3 « Beneficium ecclesiasticum est ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio adnexos » (can. 1409). Quaenam constituant dotem beneficii, cf. can. 1410.

4 De dignitatibus ceterisque membris capituli canonicorum, Codex in l. II, tit. 8, c. 5, seu can. 391 seqq.

5 Ordinario; is pro religionibus clericalibus exemptis est Superior maior (can. 198); possent tamen religiosi ab huiusmodi casibus absolvi in foro interno etiam ab Ordinario loci (can. 874, § 1).

ter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt; 4° Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt » (can. 2319, § 1).

Contra praescriptum can. 1063, § 1, id est coram ministro acatholico uti sacris addicto, sive id faciant per se vel per procuratorem, sive ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum.

II.

« *Qui falsas reliquias conficit, aut scienter vendit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit* » (can. 2326).

III.

« *Qui violentas manus iniecerit in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum* » (can. 2343, § 4).

Violentas manus. Intellige quamlibet actionem physicam (non sola verba), graviter iniuriosam personae vel eius honori, quamvis actio forte in se nequeat inferre laesionem physicam gravem; v. gr. clericum incarcerare, conspuere, luto conspurcare, crines ei evellere, vestem lacerare, violenter auferre pileum, violentas manus inferre in equum, quo ille insidet etc. Supponitur culpa gravis, ideoque non comprehenditur necessitas iustae defensionis.

Aliorum, id est, qui non sint ex iis, quorum mentio fit in excommunicatione 2ª specialissimo modo aut in 8ª speciali modo reservata.

Clericorum, etsi sola tonsura insigniti sint.

Religiosorum, etsi vota tantum habeant temporanea, immo etsi tantum novitii sint eorumque religio sit iuris tantum dioecesani.

Animadverte. Haec excommunicatio reservatur *Ordinario proprio* (can. 2343, § 4), id est proprio delinquentis, non clerici percussi. Quare nequit absolutio obtineri ab Ordinario dioecesis, in qua quis domicilium aut quasi-domicilium non habeat (can. 94, § 1), nisi vagus sit (can. 94, § 2); nec a confessario facultatem generalem habente absolvendi a papalibus (cf. dicenda ad excommunicationem sub n. V positam). Potest tamen ubilibet in casu urgentiori absolutio obtineri ad normam can. 2254 (n. 904).

IV.

« *Procurantes abortum, matre non excepta, effectu secu-* **929**
to » (can. 2350).

« *Procurantes*, scilicet directe et de industria (non indirecte, v. gr. mulierem praegnantem percutiendo ob iram),

actione sive physica sive morali (v. gr. terrore incusso). Mandantes, item medici, obstetrices, aliive consulentes (nisi constet consilium non influxisse efficaciter), pharmacopolae remedium vendentes, certe in novo iure in eam censuram incurrunt, iuxta regulam generalem can. 2231.

Abortum, non accelerationem partus, aut embryotomiam (cf. n. 176). Incurritur censura, etsi a brevi conceptus sit fetus.

Effectu secuto; quare non sufficit attentatio. Complices censendi sunt incurrisse, si causam per se efficacem posuerunt; hac enim posita, praesumendus est effectus secutus, nisi aliud constet; dubium facilius concipi poterit, si consilium, motivis non adeo urgentibus, fuit datum, tuncque censura, si forte incursa sit, non reservatur (can. 2245, § 4).

V.

930 « *Religiosus, apostata a religione* » (can. 2385).

Apostata dicitur « religiosus professus a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus, qui e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi, vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat » (can. 644, § 1); huiusmodi autem malitiosus animus in foro externo praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit (can. 644, § 2). Fugitivus dicitur qui (etsi vota non habeat perpetua), sine Superiorum licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi (can. 644, § 3).

Ex dictis patet non incurrere censuram religiosum, si ligatus non sit votis perpetuis.

Adverte: Haec excommunicatio reservatur « proprio (apostatae) Superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo (apostata) commoratur » (can. 2385). Quae excommunicatio, cum non sit reservata iure particulari religionis, sed iure communi, bene advertit *Gén.-S.* [1], tolli non potest a quovis confessario ab Ordinario loci approbato, immo, nec ab eo qui facultatem habet generalem absolvendi a papalibus.

VI.

« *Professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, (itemque) omnes cum aliqua ex praedictis personis, matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes* » (can. 2388, § 2).

---

[1] Gén.-S. n. 608.

Votorum simplicium perpetuorum. Non ergo si religiosus votis ligatus sit temporaneis; si sollemnibus, cf. excommunicationem IX praecedentis seriei.

Art. 5. Excommunicationes *nemini* reservatae.

Sunt quinque, quas incurrunt: **931**

I.

« *Auctores et editores qui sine debita licentia Sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes aut commentarios imprimi curant* » (can. 2318, § 2).

II.

« *Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, haereticos, schismaticos, aliosve sive excommunicatos sive interdictos contra praescriptum can. 1240, § 1* » (can. 2339).

Mandare, cogere, intellige probabiliter [1] de iis, qui mandant vel cogunt auctoritate publica.

Tradi, etsi cum nullo ecclesiastico ritu. Excommunio tamen locum non habet, nisi traditionis effectu secuto.

Contra praescriptum can. 1240, § 1, in quo recensentur qui ecclesiastica sepultura privantur [2]. Quare « apostatae etc. » intelligi debent « notorii » et « nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa » (can. cit., sub n. 1°); « alii excommunicati

---

[1] Bucceр. n. 84; Ferr. n. 1273; Cappello n. 137; Noldin n. 97; Sole n. 367. Attamen, Pennacchi II, p. 65; Verm.-Creus. n. 538; Gén.-S. n. 611; Blat V, p. 230, etsi consentiunt requiri in mandantibus auctoritatem publicam, dissentiunt tamen quoad cogentes.

[2] Hac occasione pauca quaedam de sepultura ecclesiastica; de quo argumento fusius *Rit. Rom.* tit. VI; can. 1203-1242; *Conc. Plen. Am. Lat.* a. 913-929; Wernz III, n. 466-473; Verm.-Creus. n. 510-550; Ferr. n. 1322-1329; Gén.-S. n. 626-628; Soláns, *Manual litúrg.* II, n. 682 seqq.; Besson in *Dict. d'Apolog.* v. Incinération; Valton *in Dict. de Théol.* v. Crémation; Curran y Shahan in *Cath. Encycl.* v. Cemetery; Devlin ibid. v. Cremation.

Sepultura ecclesiastica consistit in ritu exsequiarum et cadaveris depositione in loco legitime deputato can. 1204). Quare, quibus sepultura ecclesiastica denegatur, deneganda quoque sunt tum quaelibet Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funebria (can. 1241).

Porro, *sepultura ecclesiastica privantur* non baptizati (exceptis catechumenis), apostatae notorii, sectae haereticae, schismaticae, massonicae aliive huiusmodi notorie addicti; excommunicati vel interdicti per sententiam; suicidae (si deliberate egerunt); mortui in duello aut ex vulnere inde relato; qui mandarunt suum corpus cremationi tradi; alii peccatores publici et manifesti (can. 1240, § 1).

Sed *adverte*: 1°. Praedicti ab ecclesiastica sepultura privantur, « nisi ante mortem aliqua dederint poenitentiae signa » (can.

vel interdicti » intelligi debent « post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam » (can. cit., sub n. 2°) [1], vel addicti sectae secretae, vel mortui ex duello (can. cit., sub n. 1° et 4°).

1240, § 1). Non sunt ergo ab ea excludendi si sufficientia resipiscentiae signa dederunt.

2° Valde hodiernis temporibus oportet, ut sepulturae ecclesiasticae denegatio, quantum fieri possit, vitetur; ne civilia funera in scandalum fidelium cedant, eorum tepescentiam foveant, aut forte velut totidem impiorum triumphi decantentur. Quare, si defuncti impietas non erat notoria, aut si ex adiunctis et manifestationibus suicidae seria colligantur indicia insaniae, aut si is, qui in duello occubuit, sacerdotem moriturus advocavit et sacramentum aliquod suscepit, sepultura deneganda non est. Sed ex alia parte ecclesiastica sepultura omnino denegari debet, ubi impiissimae decessus circumstantiae, superius recensitae, nimis manifestae, sunt; concessio enim magnum pareret vicissim scandalum fidelium.

Quare, si amentiae indicia in suicida, aut si poenitentiae signa in notorio apostata, duellante, etc. nimis ambigua sint, sepultura ecclesiastica concedi poterit, si sufficienter removeri potest scandalum; porro in huiusmodi casibus dubiis saepe sufficienter removebitur, si ecclesiastica sepultura concedatur sine pompa exsequiali (cf. resp. *S. Off.* 2 dec. 1840, 16 maii 1866 [*A.S.S.* XXVI, p. 641]), id est absque pulsu campanarum et Missa non cantata, nec adhibita post Missam lectam absolutione ad tumulum; haec enim pompae abstentio pro sufficienti protestatione reputabitur ex parte Ecclesiae. Ut autem haec decernantur in huiusmodi difficilibus adiunctis, recurratur, quantum sinat opportunitas, ad Ordinarium.

3° Et generatim Ordinarius adeatur occurrente in hac materia casu dubio. Nam, ut bene ait Gén.-S. n. 626, postulat rectus ordo, ut huiusmodi graviora negotia, ad externam gubernationem spectantia, ad superiorem auctoritatem deferantur. Idipsum faciendum edicit can. 1240, § 2, si tempus sinit, occurrente in praedictis casibus aliquo dubio; et dubio permanente, adiungit, Ordinarius ecclesiasticam sepulturam concedat, ita tamen ut removeatur scandalum.

Fidelium defunctorum corpora *sepelienda sunt* (can. 1203, § 1), etiam eorum membra amputata; ad quae facilius sepelienda oportet, ut in hospitalibus parvum aliquod terrae spatium benedictum deputetur (*S. Off.* 3 aug. 1897 [*A.S.S.* XXX, p. 630]).

Crematio cadaveris gravissime ab Ecclesia reprobatur (can. 1203, § 1), tum quia irrespectuosa tractatio est corporis christiani, in quo anima Dei sacramentis et donis sanctificata inhabitavit, tum quia aptum medium est ad ingerendum materialisticum conceptum vitae, utpote qua veluti significetur negatio immortalitatis animae; saltem in hunc sensum impiae sectae illiusmodi praxim promovent. Quare, qui proprium corpus post mortem cremandum mandavit, ecclesiastica sepultura privandus est, nisi hanc dispositionem ante mortem retractaverit, aut nisi ex adiunctis (v. gr. quia id multis ante annis disposuerat et quaedam postremis temporibus christianae vitae signa dedit) praesumi possit illius suae dispositionis vixisse oblitus. Certe crematio non prohibetur ad finem necessarium simul et non impium, uti casus evenire potest v. gr. tempore pestis.

[1] Cappello n. 137; Gén.-S. n. 611; Noldin n. 97; Blat p. 230.

III.

« *Omnes quovis modo rei* (in alienandis bonis ecclesiasti- **932**
cis) *sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, si beneplacitum apostolicum in canonibus 534, § 1 et 1532 praescriptum, fuerit scienter praetermissum* » (can. 2347, 3°).

Beneplacitum apostolicum requiritur pro alienandis[1]

---

1 Alienare: intellige non solum si res vendatur aut donetur aut permutetur, sed etiam si obligetur in pignus vel hypothecam.

Alienare non est repudiare lucrum etiam sine causa, nec pecuniam mutuo accipere, nec eam mutuo dare, si in forma detur legitima et secura (Wernz III, n. 154; Gén.-S. n. 612).

Alienatio bonorum ecclesiasticorum, quae servando servari possunt, ut fieri possit, requirit iustam causam, praeviam pretii aestimationem a peritis faciendam, beneplacitum legitimi Superioris (qui pro rebus pretiosis vel valorem triginta millium francorum excedentibus est Sedes Apostolica) et cautelas ad vitandum Ecclesiae damnum (can. 1530 1532).

Alienationes, nisi circumstantiae aliud suadeant, debent fieri per publicam licitationem aut saltem publice notae fieri et res tradi plus offerenti (can. 1531, § 2); Superior tamen, cuius licentia ad alienandum requiritur, iuxta can. 1532, non est determinandus iuxta pretium maius oblatum in licitatione, sed iuxta id quod aestimatum fuerat a probis peritis, de quibus can. 1530, § 1, 1° (resp. Praesidis *Comm. I.C.* 24 nov. 1920 [*A.A.S.* (1920) p. 577]).

Absque beneplacito legitimi Superioris alienationis contractus est invalidus (can. 1530, 1, 3°), nec possunt Ordinarii sanare alienationes illegitime peractas; *S.C.C.* 17 maii 1919 (*A.A.S.* [1919] p. 382).

Non est tamen adeunda S. Sedes, ut tituli « ad latorem » in alios aeque aut magis tutos ac frugiferos commutentur (can. 1539).

Censura non incurritur si contractus alienationis initur sub condicione obtinendi beneplaciti apostolici.

Censura non incurritur donec illegitimae alienationis contractus sit perfectus, ideoque donec facta sit traditio rei, si ante traditionem, iuxta leges civiles, contractus non perficitur; secus, per solum partium consensum.

An incurratur censura, si alienatio fiat ab una ecclesia in aliam, ab uno monasterio in aliud, affirmant Wernz III, n. 156; Ferr. I, n. 1090 ad finem; Cappello n. 139; negant vero Ball.-P. n. 478; Bucceр. op. cit. n. 86, p. 128; Gén.-S. n. 612.

Possunt tamen bonorum ecclesiasticorum administratores vendere res valoris non notabilis, aut, quae plus incommodi quam commodi afferunt, aut quae servari incolumes non possunt; item, si urgeat necessitas, quae moram non patitur, et secus transiret occasio valde favorabilis; debet tamen adiri Ordinarius loci. Nec requiritur licentia, quando Ecclesiae relicta sunt bona, cum condicione ut vendantur.

De administratione atque alienatione bonorum ecclesiasticorum cf. ius canonicum can. 105 691 531-537 676, § 2, 1489, § 3, 1518 ad 1551 2347; instruct. *S.C. de Relig.* 30 iul. 1909 (*A.A.S.* [1909] p. 695); S.C.C. 17 maii et 12 iul. 1919, 14 ian. 1922 (*A.A.S.* [1919] p. 382-387 416-419, [1922] p. 160); Ojetti, *Synopsis* v. Administratio, Alienatio; De Angelis, *Prael. iur. can.* II, l. 3, p. 1, tit. 13, pag. 269 seqq.; Wernz III, n. 147-173; Bail.-P. VII, n. 478; Pennacchi II, p. 113

bonis ecclesiasticis[1], immobilibus vel mobilibus, quae servando servari possunt[2], si pretiosa[3] sint, vel valorem excedant triginta millium libellarum seu francorum[4] (can. 1530 1532) vel si agatur de locanda ultra novennium re hunc valorem excedente (can. 1541, § 2, 1°)[5].

Recipiendo; incurrunt ergo quicumque emptione, donatione etc. ea recipiunt; praeterquam quod emptio, donatio etc. est irrita (can. 1530, § 1, 3°).

Consensum praebendo, ii nempe (v. gr. consultores, etsi laici), qui vel iure vel consuetudine consensum dare tenentur. Non incurrunt, nisi effectu alienationis secuto.

IV.

933 « *Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam* » (can. 2352).

Cogentes; censura tamen non incurritur nisi effectu secuto, id est, recepta tonsura vel incepto novitiatu vel professione emissa.

Quoquo modo, v. gr. mandato, metu.

Ad religionem ingrediendam, quod fit per ingressum in novitiatum. Qui ergo ad id aliquem coegisset, et deinde cogeret rursus ad profitendum, bis censuram incurreret[6].

---

seqq.; Verm.-Creus. II, n. 838-864, III, n. 547; Gén.-S. n. 612; Ferr. I, n. 1089-1090; Noldin n. 98-101.

1 Quid bona ecclesiastica, cf. supra n. 925.

2 Id est res quae non consumuntur primo usu.

3 Res pretiosae dicuntur, quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa (can. 1497, § 2); v. gr. vasa sacra notabilis valoris, gemmae, bibliothecae bene instructae. Ante Codicem pretiosae res huiusmodi dicebantur, si excederent valorem 500 francorum (600 fr., iuxta Noldin n. 99; cf. etiam Wernz III, n. 160 nota; De Angelis). Hodie tuto teneri potest rem pretiosam non censeri, nisi attingat valorem 800 francorum, vel, non improbabiliter, 1000 francorum (cf. discussionem ap. *S.C.C.* 12 iul. 1919 in *A.A.S.* [1919] p. 416-419). Nequit alienari sine beneplacito apostolico rei pretiosae pars, etsi ex se sola non sit tam notabilis valoris; secus enim per partes res quaelibet alienari possent; confirmatur id ex can. 1532, § 4 et ex *A.A.S.* (1919) p. 418.

4 Iuxta cambium — *a la par — au pair.*

5 Requiritur etiam beneplacitum apostolicum, ut religiosi debita contrahant ultra praedictam summam (can. 534); si tamen praetermittitur, haec censura non incurritur, quia agit tantum de « alienandis bonis ».

6 Cf. Ferr. n. 1275.

V.

« *Fidelis, qui scienter omiserit eum, a quo sollicitatus fuerit, intra mensem denuntiare contra praescriptum can. 904* » (can. 2368, § 2).

Cf. exposita in n. 678.

Art. 6. Interdicta.

I.

« *Universitates, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocunque nomine nuncupentur, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad universale Concilium appellantes* » (can. 2332). **934**

Hoc interdictum Sedi Apostolicae speciali modo reservatur.

II.

« *Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam* » (can. 2338, § 3).

Hoc interdictum interdicit tantum ab ingressu ecclesiae, et proinde, quid prohibeat, cf. n. 912. Tantum durat, donec incursus ei, cuius sententiam contempserit, congruenter satisfecerit, ideoque, data satisfactione, sua sponte cessat absque absolutione, uti dicitur in eodem can. 2338, § 3.

Celebrari facientes, intellige probabiliter de clericis tantum et de iis solis qui potestatem habent ecclesiae vel capellae sepulcri.

III.

Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium » (can. 2338, § 4).

Hoc interdictum est *personale* (n. 912) et nemini reservatur.

IV.

« *Sponte sepulturam ecclesiasticam donantes infidelibus, apostatis a fide, vel haereticis, schismaticis, aliisve excommunicatis sive interdictis contra praescriptum can. 1240, § 1* » (can. 2339).

Hoc interdictum interdicit tantum ab ingressu ecclesiae (n. 912) et reservatur Ordinario.

Sponte, cf. n. 895.

Cf. excommunicationem II inter nemini reservatas.

Art. 7. Suspensiones *Sedi Apostolicae* reservatae.

Quae per modum censurae latae sunt[1], numerantur quatuor, easque incurrunt:

I.

935 « *Clerici, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam ad ordines scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint* » (can. 2371).

Suspensio est *totalis*, ideoque ab officio et beneficio (n. 913).

Per simoniam; haec debuit esse realis et effectus secutus ex utraque parte.

Ad ordines, etsi minores.

---

1 Dantur enim praeterea aliae suspensiones latae sententiae, quae censurae non sunt, sed poenae vindicativae, ut patet ex eo, quod imponantur in perpetuum, vel ad tempus praefinitum, vel ad beneplacitum Superioris; etenim suspensiones aliquo ex his modis impositae, poenae vindicativae sunt, ut constat ex can. 2298, 2°, ideoque non per absolutionem, sed per Superioris dispensationem tollendae.

Sunt autem paucis verbis quae sequuntur:

1° Suspenduntur totaliter, donec Sedes Apostolica dispensaverit, Episcopus consecrans, Episcopi vel presbyteri assistentes, et consecratus, sine apostolico mandato (can. 2370).

2° Suspenditur ab exercitio ordinis male recepti, donec dispensetur, qui bona fide ordines receperit a censurato post iudicis sententiam vel a notorio apostata aut acatholico, ut refertur supra in suspensione n. II (can. 2372). « Donec dispensetur » ab Ordinario (Ferr. n. 1301; Verm.-Creus. n. 575; Sole n. 430; Blat p. 289; Cappello n. 168). « Bona fide », sive ob ignoratam condicionem ordinantis, sive ob censurae ignorantiam, quae impedivit praesumptionem (Ferr. n. 1301; Blat n. 289). Cum suspensio eius, qui bona fide egit, non sit poena (non enim supponit gravem culpam), eius violatio non inducit irregularitatem (Ferr., Verm.-Creus., Sole locis cit.).

3° Suspenduntur per annum ab ordinum collatione, qui ordinaverint subditum alienum sine dimissoriis, vel proprium sine testimonialibus, vel aliquem sine titulo canonico, vel illegitime religiosum domus extra territorium sitae (can. 2373).

4° Suspenditur totaliter, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit, religiosus clericus in sacris cuius professio ob dolum nulla fuerit declarata (can. 2387). Canon iste comprehendit etiam societates clericales sine votis, in quibus servatur vita communis. *Comm. I.C.* 2-3 iun. 1918 (*A.A.S.* [1918] p. 347).

5° Suspensa manent a iure eligendi, nominandi, praesentandi, ad beneplacitum Sedis Apostolicae, Capitula, conventus aliique admittentes electum, nominatum vel praesentatum ad beneficium, officium vel dignitatem ante litterarum exhibitionem (can. 2394, 3°).

6° Suspenduntur a Missae celebratione per mensem Superiores religiosi, qui subditos suos ad Episcopum alienum indebite remittere praesumpserint (can. 2410). Comprehenduntur societates clericales sine votis, quae privilegio gaudeant dimissorias concedendi suis subditis (*Comm. I.C.* loc. cit.).

II.

« *Qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico* » (can. 2372).

Suspensio est *a divinis* (n. 913).

Ordines, etsi minores.

III.

« *Religiosus in sacris, qui dimittitur ob delicta minora iis de quibus in can. 670* » (can. 671) [1].

Suspensio est *totalis*, id est ab officio et beneficio (n. 913) [2].

Religiosus a votis perpetuis; nam de his religiosis tantum agunt can. 669 seqq.

Ob delicta, gravia externa, contra ius commune vel speciale religiosorum (can. 656).

Delicta minora etc. Delicta maiora, in can. 670 recensita, haec sunt: 1° Apostasia a fide catholica; fuga cum muliere; matrimonii attentatio etiam mere civilis; 2° Delictum, quod iure communi puniatur infamia iuris (n. 761) vel depositione vel degradatione. Quamobrem, in suspensione praecitata veniunt delicta iis minora.

IV.

« *Sacerdotes qui ex Europa vel ex Mediterranei oris in Americam vel in Insulas Philippinas, non servato decreto S. C. Consist.* « *Magni semper* » *30 dec. 1918, temere demigraverint, etsi ad breve tempus* (decr. cit.) [3].

Suspensio est *a divinis* (n. 913) et reservatur *S. C. Consistoriali.*

---

1 Religiosus quilibet a votis perpetuis et in sacris constitutus, quovis modo e religione egrediatur (v. gr. obtento indulto saecularizationis), nequit sacros ordines exercere, donec Episcopum benevolum receptorem invenerit aut Sedes Apostolica aliter providerit (can. 641, § 1). Haec prohibitio rationem poenae non habet, cum culpam necessario non supponat, ideoque eius violatio irregularitatem non inducit. FERR. n. 1306.

2 Etsi suspensio feratur « donec a S. Sede absolutionem obtinuerit »; non est tamen poena mere vindicativa, tum quia dicitur auferenda per absolutionem tum quia in eodem can. 671, 7° expresse appellatur censura, ut bene advertit GÉN.-S. n. 618 bis et BLAT II, n. 757, p. 741.

3 Cf. decretum citatum in *A.A.S.* (1919) p. 39, vel apud FERR. ad calcem volum. II in Append. XIV.

Art. 8. Suspensiones *Ordinario* reservatae.

Duae sunt. Has incurrunt:

I.

936 « *Clericus, qui non obtenta ab Ordinario loci licentia, ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliam personam privilegio fori fruentem* » (can. 2341).

Suspensio est *ab officio* (n. 913).

Aliam personam, praeter eas, de quibus in excommunicatione VII inter speciali modo reservatas et in V inter simpliciter S.Sedi reservatas.

II.

« *Religiosus fugitivus, si sit in sacris* » (can. 2386).

Suspensio est *totalis* et reservatur proprio Superiori maiori.

Fulgitivus, id est, qui sine licentia domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi (can. 644, § 3).

Haec suspensio attingit etiam sodales societatum clericalium sine votis, in quibus servatur vita communis[1].

Art. 9. Suspensiones *nemini* reservatae.

Recensentur quinque, easque incurrunt:

I.

937 « *Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, vel a peccatis reservatis absolvere* » (can. 2366).

In primo casu suspenditur *a divinis*, in altero suspenditur *ab audiendis confessionibus*. Si suspensionem violat, et graviter peccat et irregularitatem incurrit (nisi ministerium requiratur a fidelibus), non tamen iurisdictione destituitur ante sententiam; cf. dicta in n. 913.

Sine necessaria iurisdictione, quam quidem non habet is, cui a iure datur quasi coacte in adiunctis erroris communis; non enim illi datur, nisi quia alia caret, quae necessaria erat et quam sibi procurare debuerat. Cf. n. 640.

Praesumpserit. Cf. n. 895.

Confessiones audire, etsi absolutionem non pronuntiet.

---

1 *Comm. I.C.* 2-3 iun. 1918 (*A.A.S.* [1918] p. 347).

A peccatis, non a censuris. Quod si simul absolvere praesumpserit a censura aliqua specialissime vel specialiter S. Sedi reservata, incidit in excommunicationem, de qua in n. III inter simpliciter eidem reservatas.

A peccatis reservatis; sive ratione sui sive ratione censurae adnexae[1] reservata sint, sive iure communi sive particulari reserventur. Requiritur ut formam absolutionis protulerit.

II.

« *Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel* **938**
ante canonicam aetatem, vel per saltum ad ordines malitiose accesserit » (can. 2374).

Suspenditur *a recepto ordine.*

Per saltum, id est, unum ordinem recipiendo, nondum recepto qui immediate praecessisse debuerat.

Malitiose; quo vocabulo dolus seu ausus temerarius exigitur (n. 895).

III.

« *Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit* » (can. 2400).

Suspenditur *a divinis.*

IV.

« *Abbas vel Praelatus nullius qui contra praescriptum can. 322 § 2 benedictionem non receperit* » (can. 2402).

Suspenditur *a iurisdictione.*

Contra praescriptum can. 322, ubi benedictio praescribitur accipienda intra tres menses a receptis litteris apostolicis.

V.

« *Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione contra praescriptum can. 958, § 1, n. 3* » (can. 2409).

Suspenditur *a divinis.*

Contra praescriptum can. 958, § 1, n. 3, ubi Vicarius Capitularis prohibetur, intra annum a sede vacante, eas dare non arctatis ratione beneficii recepti vel recipiendi, aut officii, cui propter necessitatem dioecesis sine dilatione sit providendum.

---

1 Ita quoque NOLDIN n. 128; CAPPELLO n. 178. Quare suspensionem incurrit confessarius qui, audito peccato, cui adnexa est cenura reservata, idque bene sciens, sine facultate (in casu tamen urgentiore eam habet ipso iure) formam absolutionis peccatorum profert, sive verba praecedentia, quae absolutionem generalem a censuris respiciunt, protulerit sive omiserit. Contrarium tamen sentiunt, id est de solis peccatis agi reservatis ratione sui (de quibus Codex in l. III, tit. IV, c. 2) opinantur VERM.-CREUS n. 569 et GÉN.-S. n. 619.

BREVIS CONSPECTUS CENSURARUM LATAE SENTENTIAE

Incurrunt:

I. Excommunicationem S. Sedi specialissimo modo reservatam:

1. Qui *species consecratas abiiciunt, vel ad malum finem abducunt, retinent.*

2. Qui *violentas manus in Romanum Pontificem iniecerit.*

3. *Absolvens complicem* in peccato turpi.

4. Confessarius *sigillum directe violans.*

II. Excommunicationem S. Sedi speciali modo reservatam:

1. *Apostatae, haeretici, schismatici.*

2. *Edentes libros haereticos;* eosdem, vel specialiter a S. Sede prohibitos, *defendentes*, aut scienter *legentes* vel *retinentes.*

3. *Non-sacerdotes* Missam simulantes vel confessionem audientes.

4. *Apellantes* a Rom. Pontifice *ad Concilium universale.*

5. *Impedientes acta S. Sedis* vel eius Legatorum.

6. *Coercentes libertatem Ecclesiae aut eius iura aut exercitium iurisdictionis ecclesiasticae.*

7. *Trahentes ad iudicem laicum* Cardinalem, Legatum, *Ordinarium proprium.*

8. Qui *violentas manus in Cardinalem, Legatum, Episcopum iniecerit.*

9. Usurpantes *bona aut iura Ecclesiae Romanae.*

10. *Falsificatores documentorum S. Sedis aut* falsificatis utentes.

11. Confessarium *de sollicitatione falso denuntiantes.*

III. Excommunicationem S. Sedi simpliciter reservatam:

1. Facientes *quaestum ex indulgentiis.*

2. Adscripti sectae *massonicae* aut alii contra Ecclesiam vel Statum machinanti.

3. Praesumentes indebite *absolvere ab excommunicatione specialissime aut specialiter* S. Sedi reservata.

4. *Faventes vitando* in suo crimine vel cum eo communicantes in divinis.

5. *Trahentes ad iudicem laicum Episcopum* non proprium, Abbatem, aut Supremum Moderatorem religionis.

6. *Violantes clausuram* papalem eosque admittentes.

7. *Usurpantes bona ecclesiastica* aut impedientes perceptionem eorum redituum.

8. *Duellum* perpetrantes, ad illud provocantes, acceptantes, favorem ad illud praebentes, spectantes, permittentes, non prohibentes.

9. *Contrahentes matrimonium cum voto sollemni* castitatis aut cum persona eo ligata.

10. *Simoniam* perpetrantes in *officiis*, *beneficiis*, *dignitatibus* ecclesiasticis.

11. *Documentum Curiae episcopalis* subtrahentes, destruentes, celantes, immutantes.

IV. **Excommunicationem Ordinario reservatam:**

1. *Recurrentes ad ministrum acatholicum* pro ineundo matrimonio aut baptizanda prole; *acatholicae educationi* tradentes prolem.

2. *Falsarum reliquiarum* confectio, venditio, distributio, expositio.

3. Qui *violentas manus in clericum vel religiosum* iniecerint.

4. Procurantes *abortum*.

5. *Religiosi apostatae*.

6. *Religiosi contrahentes matrimonium* cum votis simplicibus perpetuis aliive contrahentes cum religioso iis ligato.

NB. — Censura sub n. 3 reservatur Ordinario proprio percutientis; quae sub n. 5, Superiori maiori, si apostata pertinet ad religionem clericalem exemptam, secus Ordinario loci, in quo commoratur.

V. **Excommunicationem nemini reservatam:**

1. *Edentes Sacrarum Scripturarum* libros absque licentia.

2. *Tradentes ecclesiasticae sepulturae* infideles, excommunicatos vel interdictos.

3. *Praetermittentes beneplacitum apostolicum* in alienatione bonorum ecclesiasticorum.

4. *Cogentes amplecti statum* ecclesiasticum vel religionem ingredi aut in ea profiteri.

5. *Omittentes denuntiare confessarium*, a quo sollicitati sunt.

VI. **Interdictum.**

1. Personae morales *appellantes* a Rom. Pontifice *ad Concilium universale* (reservatur S. Sedi speciali modo).

2. *Violantes locum interdictum* per divina officia, aut ad haec *admittentes censuratos* per sententiam (interdicuntur ab ingressu ecclesiae, sed poena cessat data satisfactione).

3. *Dantes ecclesiasticam sepulturam* infideli, excommunicato vel interdicto (interdictum ab ingressu ecclesiae et reservatur Ordinario).

4. *Causam dantes interdicto* (est interdictum personale et nemini reservatur).

VII. **Suspensionem S. Sedi reservatam:**

1. *Ministrantes vel recipientes simoniace sacramenta* (suspensio totalis).

2. *Ordinatus a censurato* per sententiam vel ab apostata vel acatholico notorio (a divinis).

3. *Religiosus* in sacris *dimissus ob delicta* (totalis).

4 Sacerdotes indebite *demigrantes in Americam* (a divinis; reservatur *S. C. Consistoriali*).

VIII. **Suspensionem Ordinario reservatam:**

1. *Trahentes ad iudicem laicum* aliam personam privilegio fori fruentem (ab officio).

2. *Religiosus fugitivus*, si est in sacris (totalis; reservatur proprio Superiori maiori).

IX. **Suspensionem nemini reservatam:**

1. *Confessionem* audientes vel reservatum absolventes *sine iurisdictione* (a divinis in primo casu, a confessionibus in altero).

2. *Ordinatus* litteris nullis vel falsis vel ante aetatem vel per saltum (a recepto ordine).

3. *Resignantes officium vel beneficium* in manus laicorum (a divinis).

4. *Abbas non recipiens benedictionem* (a iurisdictione).

5. *Vicarius Capitularis dimissorias* indebite concedens (a divinis).

CONSPECTUS BREVIOR EXCOMMUNICATIONUM LATAE SENTENTIAE

Excommunicatione plectuntur:

Specialissimo modo S. Sedi reservata: 1. Profanatio SS. Eucharistiae. — 2. Percussio Rom. Pontificis. — 3. Absolutio complicis. — 4. Violatio directa sigilli.

Speciali modo S. Sedi reservata: — 1. Apostasia, haeresis, schisma. — 2. Lectio libri haeretici. — 3. Simulatio sacerdotii. — 4. Appellatio ad Concilium. — 5. Impeditio actorum S. Sedis. — 6. Impeditio libertatis Ecclesiae vel iurisdictionis ecclesiasticae. — 7. Trahentes ad tribunal laicum Cardinalem vel Ordinarium proprium. — 8. Percussio Cardinalis, Legati, Epi-

scopi. — 9. Usurpatio bonorum S. Sedis. — 10. Falsificatio documenti pontificii. — 11. Calumniosa sollicitationis denuntiatio.

Simpliciter S. Sedi reservata: 1. Quaestus indulgentiarum. — 2. Sectae Ecclesiae vel Statui infensae. — 3. Temeraria absolutio excommunicationis specialiter reservatae. — 4. Favor vel communicatio in divinis cum vitando. — 5. Trahentes Episcopum ad tribunal laicum. — 6. Violatio clausurae papalis. — 7. Usurpatio bonorum ecclesiasticorum. — 8. Duellum. — 9. Matrimonium cum voto sollemni. — 10. Simonia in officiis, beneficiis. — 11. Violatio documenti Curiae episcopalis.

Ordinario reservata: 1. Acatholicae nuptiae vel prolis baptismus aut educatio. — 2. Reliquiae falsae. — 3. Percussio clerici vel religiosi. — 4. Abortus. — 5. Religiosus apostata. — 6. Matrimonium religiosi cum votis perpetuis.

NB. — Censurae sub n. 3 et 5 reservantur Ordinario proprio delinquentis.

Nemini reservata: 1. Editio Scripturae illegitima. — 2. Sepultura ecclesiastica excommunicati aut infidelis. — 3. Alienatio sine beneplacito apostolico. — 4. Coactio ad statum ecclesiasticum vel religiosum. — 5. Omissio denuntiationis sollicitationis.

APPENDICES

I.

FACULTATES QUAS S. C. DE PROP. FIDE ORDINARIIS IN TERRIS MISSIONUM PROCURAT

Facultates a *S. C. de Prop. Fide* distinguuntur in tres Formulas, quae vocantur *Formula prima, secunda, tertia.* Formulam primam concedere solet *S. Congr.* Superioribus a se dependentibus earum regionum, quae ab Italia non nimis distant, cuiusmodi sunt territoria Europae aut quae in Asia aut Africa mare circumeunt Mediterraneum. Formulam secundam tribuit Ordinariis magis distantibus; tertiam denique omnino remotis et proprie degentibus in locis infidelium, ut Ordinariis insularum Oceani Pacifici.

Formula prima est unica. Sed secunda et tertia dispertiuntur in *minorem* et *maiorem.* Maior a minore non differt nisi quia facultates quasdam superaddit, quae characterem episcopalem in Vicario aut Praefecto Apostolico supponunt.

Formula tertia superaddit secundae facultates terris infidelium proprias, ut celebrandi ubique et sine ministro, applicandi privilegium paulinum, etc.

Formula quaeque tribus constat partibus; quarum prior facultates continet circa sacramenta et sacros ritus; secunda circa absolutiones, benedictiones, indulgentias; tertia pro ipso Ordinario; sequuntur animadversiones quaedam generales. Simul cum Formula concedi solet breve Supplementum quasdam continens facultates erigendi Confraternitates et benedicendi scapularia.

Hic dabimus *Formulam secundam maiorem.* Si qua huius Formulae facultas non continetur in Formula prima, ei praeponetur signum (2). Similiter hoc signum praeponetur verbis intra uncinos inclusis, ut denotetur haec secundae esse propria, deesse in prima. E contra, signum (1) denotat verba esse propria primae Formulae, desse in secunda.

Harum Formularum commentarium cf. apud VERMEERSCH, *Periodica* XI, p. (70) seqq.

FORMULA SECUNDA MAIOR

A) **Circa sacramenta et sacros ritus.**

1. (2) Concedendi suis missionariis facultatem *benedicendi aquam baptismalem* ea breviori formula, qua missionariis Peruanis apud Indos Summus Pontifex *Paulus III* uti concessit.

Formula reperitur in *Rit. Rom.* in initio Appendicis.

« Suis missionariis »; id est sacerdotibus in suo territorio laborantibus qui ob distantiam aliudve impedimentum non possunt desumere aquam Sabbato Sancto aut Pentecoste benedictam (ita explicatur in simili facultate, quam ad triginta annos concessam habent Episcopi *Americae Latinae* vi const. LEONIS XIII, *Trans Oceanum* 18 apr. 1897 sub n. V.

2. (2) Conficiendi *olea sacra* cum sacerdotibus, quos potuerit habere; et, si necessitas urgeat, etiam extra diem Coenae Domini.

Hanc facultatem acceperunt ad triginta annos Episcopi *Americae Latinae* vi const. Leonis XIII, *Trans Oceanum* 18 apr. 1897 sub n. III.

3. (2) Concedendi facultatem *administrandi confirmationis sacramentum* uni vel alteri ex suis sacerdotibus, in quacumque regione a sua residentia longe dissita, absente tamen quocumque episcopo, servato decreto Sacrae huius Congreg. diei 4 Maii anni 1774, atque instructione « De Sacramento Confirmationis » in Appendice *Ritualis Romani* inserta.

« Uni vel alteri » potius ponitur ad significandum numerum valde exiguum. Unde, urgente necessitate pro diversis regionibus, posset ad tres vel quatuor sacerdotes extendi.

« Longe dissita »; sed minorem distantiam supplere possunt itinerum difficultates.

« Absente quocumque Episcopo », aut eo, si ibi est, ad sua ministeria physice atque ad aliquot annos impedito; non autem (ut censemus), si impedito ob occupationes, aut ob morbum transeuntem.

« Servato decreto », quod simul cum praedicta instructione reperitur in citata Appendice.

4. Permittendi suis missionariis ut *Missam* celebrare possint *in mari*, dummodo mare sit tranquillum, in loco tamen decenti; atque ut, in casu necessitatis, Missa celebrari queat *una hora post mediam noctem.*

« Suis missionariis », id est sacerdotibus saecularibus vel regularibus sui territorii.

« Dummodo mare sit tranquillum », ita ut facultas non valeat, nisi moraliter certum sit nullum esse periculum effundendi SS. Sanguinem.

« In loco decenti », talis autem habendae non sunt privatae cellae; non tamen prohibentur absolute, si aptior locus obtineri nequit et dummodo decentia tanto mysterio debita omnino niteat.

« In casu necessitatis », intellige mediocrem, puta itineris arripiendi aut prosequendi.

« Post mediam noctem », tempore vero, medio vel officiali computatam.

5. Permittendi *thurificationem* in Missis cantatis a solo celebrante absque ministris, dummodo duo saltem clerici superpelliceo induti Missae inserviant.

« Clerici » non intelliguntur praecise tonsura insigniti, sed possunt esse saeculares veste talari habituque inservientium induti.

Amplior est haec facultas, quam ea, quam anno 1899 Episcopi *Conc. Plen. Am. Lat.* obtinuerant ad decennium (cf. *Conc. Plen. Am. Lat.* pag. CVII sub n. III).

6. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii *tres Missae* statim post mediam noctem *Nativitatis Domini* celebrari possint, cum potestate administrandi fidelibus s. communionem, cauto tamen ut omnia cum debita reverentia fiant.

« In ecclesiis », vel in oratoriis publicis, illis enim in iure aequiparantur (can. 1191, § 1).

« Tres Missae » ab uno tantum sacerdote; videlicet vi huius facultatis tribui potest quibuslibet ecclesiis, quod vi canonis 821, § 3 conceditur religiosis domibus. Ecclesiae vero, quibus id iam pro uno sacerdote de iure communi conceditur, nequeunt pro alio sacerdote praesentem facultatem cumulare; putamus enim (contra VERMEERSCH, *Period.* XI, p. 85) hanc dari tantum in favorem earum ecclesiarum, quae eam non habent, nam non tam est facultas in favorem alicuius personae, ut tres Missas celebret, quam in favorem loci, ut tribus Missis non careat.

« Post mediam noctem » tempore vero, medio vel legali computandam.

7. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii *functiones Maioris Hebdomadae* celebrari valeant iuxta peculiarem ritum a s. m. *Benedicto XIII* propositum pro ecclesiis minoribus paroecialibus, in quibus ministrorum numerus vel copia cantorum ad praedictas sacras functiones sollemniter peragendas haberi nequeat: dummodo tamen constet ibidem satis esse consultum reverentiae sacris mysteriis debitae, et quod nulla exinde abusui pateat occasio; et quatenus neque praedictus ritus servari possit, permittendi ut in iisdem ecclesiis unica Missa lecta, loco sollemnis, celebrari possit feria V in Coena Domini et Sabbato Sancto.

De iure communi liturgico id in praefatis circumstantiis licet ecclesiis paroecialibus (*S.R.C.* Decr. auth. n. 2619 ad 1, n. 2915 ad 1, n. 4049 ad 1); haec facultas proinde ceteras ecclesias respicit atque oratoria publica. Eadem facultas, quoad suam primam partem, concessa fuerat ad decennium Episcopis *Am. Lat.* anno 1899 (cf. *Conc. Plen. Am. Lat.* pag. CVII, ub n. IV).

8. Permittendi ut in ecclesiis sui territorii ter in hebdomada, extra Quadragesimam, *Missa privata de Requie* celebrari possit, etiam diebus ritus duplicis maioris et minoris, exceptis dominicis, necnon feriis, vigiliis atque octavis privilegiatis, diebus tamen, quibus eadem Missa a rubricis permittitur, computatis.

« In ecclesiis » vel oratoriis publicis.

« Celebrari possit » ab omnibus sacerdotibus, eodem tamen die ab omnibus, facta dierum electione a rectore ecclesiae.

9. (2) Permittendi etiam in omnibus diebus festis et dominicis *Missam votivam de B.M.V.* iis qui ob defectum oculorum aliamve infirmitatem legere nequeant Missas singulis diebus occurrentes iuxta *Missalis Romani* rubricas.

« Missam votivam de B. M. V. » In ea addi debet *Gloria* et *Credo* diebus quibus in Missa de Officio currenti dicuntur; *Gloria*

autem omnibus sabbatis. Dicuntur orationes de Spiritu Sancto et « Ecclesiae » vel pro Papa, si in Missa diei occurrunt orationes de Tempore. Cf. dicta n. 519 nota.

10. (2) Permittendi ut, iusta de causa, *SS. Sacramentum cum duobus luminaribus* ex quacumque substantia confectis *exponi* possit.

« Exponi » privatim vel publice, non tamen Missa celebrari. « Luminaribus..... confectis »; certe luminaribus electricis haec verba non aptantur.

11. Permittendi *religiosis sororibus* sacrarii servitio addictis ut sacra vasa sacrasque supellectiles tangere, necnon pallas, *corporalia et purificatoria abluere valeant.*

« Sacrarii servitio addictis », etsi eis vasorum sacrorum custodia non sit commissa, ne haec facultas nihil differat a can. 1306, § 1; potest ergo prodesse v. gr. sorori habitualiter adiutrici sororis sacristiae praepositae.

12. Concedendi *infirmis decumbentibus*, de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, etiam ante finem mensis, a quo decumbunt, ut *s. communionem* sumere possint bis vel ter in hebdomada; et si agatur de sacerdotibus vel religiosis, etiam quotidie, *non servato ieiunio*: hoc est, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint.

« Ut cito convalescant », puta intra hebdomadam.
« Etiam ante finem mensis », id est sufficit ut non adsit spes quod cito convalescant, etsi infirmitas a brevi inceperit.
Cetera vide exposita in n. 591.

13. (2) Conferendi, rationabili de causa, *ordines minores* omnes simul, etiam cum prima tonsura.

14. (2) Dispensandi, gravi tamen de causa, cum utriusque cleri *diaconis* super *defectu aetatis* unius anni, ut, eo non obstante, ad s. presbyteratus ordinem promoveri possint, dummodo idonei sint et dimidiam partem quarti anni cursus theologici rite, secundum Codicis praescriptiones can. 976, absolverint.

« Diaconis », non ergo ad diaconatum suscipiendum dispensatio dari potest.
« Gravi de causa » ad ecclesiae utilitatem spectante; raro aliter videtur intelligendum.

15. Dispensandi, canonicis exsistentibus causis, super *impedimentis matrimonialibus* [(2) sive] minoris [(2) sive maioris] gradus (can. 1042), tam publicis quam occultis, etiam multiplicibus [(2) iuris tamen ecclesiastici: exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine, ex defectu praescriptae aetatis et ex affinitate in linea recta, consummato matrimonio.]

Concedendo tamen has dispensationes Ordinarius prae oculis habeat regulas statutas in Codice, a can. 1035 ad can. 1080, circa impedimenta in genere et in specie; [(2) *et, in impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus, servatis condicionibus ab Ecclesia praescriptis: videlicet de amovendo a catholico coniuge perversionis periculo ac de universa prole utriusque sexus in catholicae religionis sanctitate baptizanda et educanda; monita parte catholica de obligatione, qua tenetur, conversionem coniugis acatholici prudenter curandi; eaque lege ut, neque ante neque post matrimonium coram Ecclesia initum, partes adeant ministrum falsi cultus ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Si agatur vero de matrimoniis cum hebraeis vel mahumetanis, peculiari ratione oportet ut: constet de status libertate partis infidelis, ad removendum periculum polygamiae; absit periculum circumcisionis prolis; et si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat.*]

Impedimenta impedientia comprehenduntur quoque in hac facultate, ut patet ex explicatione subiuncta, quae supponit comprehendi impedimentum mixtae religionis.

Si, praetermisso Ordinario, ad S. Sedem missa est petitio dispensationis super aliquo impedimento, Ordinarius valide quidem, sed illicite, his facultatibus circa illud impedimentum uteretur; ex gravi tamen urgentique causa liceret iis uti, monita deinde S. Sede (can. 1048 204). Excipe, si simul cum impedimento aliquo « publico », super quo vi harum facultatum dispensare potest, concurrat aliud, super quo dispensare non potest, tunc enim pro omnibus S. Sedes adiri debet (can. 1050).

Cum dispensatione conceditur ipso facto legitimatio prolis, non tamen adulterinae vel sacrilegae (can. 1051).

Ad impertiendam dispensationem requiritur causa gravitati rei proportionata; prae oculis habeantur causae, quae a S. Sede pro diversis impedimentis dispensandis attenduntur (cf. n. 830).

Etsi dipensatio oretenus tantum concessa valida esset, debet tamen concedi servata forma, quam stylus Romanae Curiae sancivit. In ea impertienda mentio fieri debet indulti pontificii (can. 1057).

Excepta modica aliqua praestatione titulo expensarum pro non pauperibus, prohibitum est occasione dispensationis emolumentum ullum exigere (can. 1056).

16. *Sanandi in radice*, iuxta regulas in Codice a can. 1133 ad can. 1141 statutas, matrimonia ob aliquod impedimentum, de quo supra n. 15, nulliter contracta. Quod vero attinet ad prolis legitimationem, Ordinarius prae oculis habeat can. 1051.

Matrimonium debuit fuisse nullum ob aliquod ex impedimentis, a quibus dispensandi habetur facultas, non autem si nullum fuit ob aliquod aliud impedimentum aut ex defectu consensus aut ex defectu formae.

17. (2) *Sanandi* pariter *in radice matrimonia mixta* attentata coram magistratu civili vel ministro acatholico.

Haec matrimonia nulla fuerant non propter mixtae religionis impedimentum, quod est mere impediens, sed propter defectum formae canonicae.

B) Circa absolutiones, benedictiones, indulgentias etc. etc.

18. « Absolvendi » ab omnibus *censuris* sive simpliciter sive speciali modo Romano Pontifici reservatis.

« Absolvendi » etiam in foro externo (can. 202, § 3).
« Romano Pontifici », non enim necesse erat dare potestatem circa eas, quarum absolutio ipsi Ordinario reservatur.

19. Dispensandi vel commutandi *vota privata* Sedi Apost. reservata, de quibus in can. 1309.

Non comprehenduntur vota in religione emissa, etsi tantum temporalia.

20. Benedicendi solo crucis signo cum omnibus indulgentiis a S. Sede concedi solitis *coronas* precatorias, *cruces*, parvas statuas et sacra *numismata*, et annectendi coronis indulgentias, quae a S. Birgitta et quae a PP. Crucigeris nuncupantur.

« Cum indulgentiis a S. Sede concedi solitis »; agitur hic de iis, quae vocantur indulgentiae apostolicae, de quibus in n. 735 nota. Cum his cumulari possunt indulgentiae coronarum S. Birgittae vel PP. Crucigerorum. Indulgentiae PP. Crucigerorum cum indulgentiis rosarii in huius recitatione cumulari possunt.

21. (2) Conferendi uni alterive ex suis sacerdotibus facultatem *consecrandi*, iuxta formam in *Pontificali Romano* praescriptam, *calices*, *patenas* et *altarium lapides*, adhibitis tamen oleis ab Episcopo catholico benedictis.

« Uni alterive », quod non videtur prorsus litteraliter sumendum, sed potius significare numerum omnino exiguum, intra quem tres quoque vel quatuor comprehendi possint, si necessitas regionis amplissimae id requirat (Blat tamen putat designari taxative duos ad summum, quod censemus aeque probabile); ex se tamen haec facultas non exigit causam necessitatis ut alicui sacerdoti communicetur.
« Ex suis sacerdotibus », id est in sua dioecesi vel territorio laborantibus, etsi regularibus.

22. Impertiendi, praeter concessionem de qua in can. 914, ter in anno in sollemnioribus festis *benedictionem papalem* iuxta praescriptam formulam cum indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere poenitentes, confessi et s. communione refecti eidem benedictioni interfuerint, Deumque pro s. fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis oraverint.

23. Concedendi ut, servatis consuetis condicionibus, *indulgentiam plenariam* in *primae communionis* sollemni distributione et in *s. confirmationis* administratione, christifideles ad s. communionem vel confirmationem rite accedentes lucrari possint.

« In primae communionis sollemni distributione » generali, non privata alicuius.
« Ad s. communionem accedentes » christifideles quilibet.
« Ad s. confirmationem accedentes » ut confirmandi, non ut patrini.

24. Concedendi *indulgentiam plenariam* primo *conversis* ab haeresi, servatis consuetis condicionibus.

« Conversis », quamvis ab Ecclesia catholica defecerint, cuius fidem tenuerant.
« Primo conversis », non relapsis.
« Ab haeresi », vel schismate.

25. Impertiendi *indulgentiam plenariam* singulis ex clero, qui per quinque saltem dies *sacris exercitiis* interfuerint, ac, sacrosanctum Missae sacrificium celebrantes, vel saltem ad s. synaxim accedentes, pias ad Deum preces effuderint pro s. fidei propagatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

« Impertiendi » per ipsum Ordinarium, non per alium.
« Ex clero », non ex laicis.
« Qui interfuerint », proinde in communi, non si quis privatim exercitia obierit.
« Pro s. fidei propagatione », praeter preces ad mentem Summi Pontificis fundendas.

26. Concedendi benedictionem apostolicam cum *indulgentia plenaria* omnibus christifidelibus, qui spiritualibus exercitiis seu *sacris missionibus*, de quibus in can. 1349, § 1, ultra medietatem interfuerint, benedictioni cum cruce in fine postremae contionis impertiendae vere poenitentes, confessi ac sacra communione refecti astiterint, atque ecclesiam, in qua contiones huiusmodi habebantur devote visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium pias ad Deum preces effuderint pro sanctae fidei propagatione et iuxta mentem Romani Pontificis.

« Concedendi » per se vel per alium; recensetur enim haec facultas in fine Formulae inter subdelegabiles.
« Ecclesiam, in qua », non proinde aliam.
« Pro s. fidei propagatione », praeter preces ad mentem Romani Pontificis fundendas.

27. Concedendi in actu *visitationis* paroeciarum, quasi-paroeciarum et missionum, necnon communitatum tam saecularium quam religiosorum, ut *indulgentiam plenariam* una vice tantum lucrari possint christifideles, dummodo contriti,

confessi ac s. communione refecti pias ad Deum preces fuderint pro s. fidei propogatione et iuxta mentem Summi Pontificis.

« Concedendi » per se vel per alium; nam haec facultas recensetur in fine Formulae inter subdelegabiles.

« Communitates saecularium », v. gr. collegii alumnorum, cuius fiat visitatio canonica.

« Pro s. fidei propagatione », praeter preces ad mentem Summi Pontificis.

28. Concedendi christifidelibus ut *indulgentias*, propter quas *confessio* saltem bis in mense requiritur, lucrari possint, etsi ob legitimum impedimentum inde a mense ad poenitentiae sacramentum non accesserint.

« Ob impedimentum » ortum ex raritate confessariorum.

Similem concessionem pro fidelibus regionem inhabitantibus, in qua difficile sit habere copiam confessarii, fecit *Amer. Lat.* Leo XIII const. *Trans. Oceanum* 18 apr. 1897 (sub n. IX) ad triginta annos.

29. Concedendi ut omnes praedictae *indulgentiae* applicari possint *per modum suffragii* animabus in purgatorio detentis.

« Praedictae », id est hucusque in hac Formula contentae; de se enim applicabiles defunctis non sunt, nisi vel a Rom. Pontifice immediate concedantur (can. 930), vel expresse applicari permittantur.

30. Benedicendi crucifixos cum indulgentia plenaria vulgo *toties quoties* nuncupata: id est a quocumque ex fidelibus in mortis articulo constitutis lucranda. Grassantibus autem epidemicis vel contagiosis morbis, concedendi ut fideles *in periculo mortis* constituti *indulgentiam plenariam* lucrari possint, Christi crucifixi imaginem vel crucem deosculando; vel, ea deficiente, SS. Iesu nomen corde saltem, si ore non potuerint, invocando.

« Christi crucifixi imaginem »; quamlibet, etsi benedicta non fuerit.

« Vel crucem », etsi Christi imaginem non habeat.

Indulgentia plenaria acquiritur in ipso mortis instanti. Praesupponuntur, ut de more, confessio et communio, si peragi potuerunt, et mortis acceptatio de manu Domini.

31. Concedendi ut, expleto divino Officio diei, legitima concurrente causa, privatim recitari possit *Matutinum cum Laudibus* diei sequentis, *statim post meridiem*.

« Expleto Officio diei », secus facultas in usum valide deduci nequit.

« Legitima causa »; sufficit quaevis rationabilis, puta ad maiorem devotionem vel propter occupationes deinde instantiores.

« Post meridiem » tempore vero, medio vel legali computatum.

32. (2) Concedendi ut ob legitimam gravemque rationem, de qua eius conscientia oneratur, *loco divini Officii*, *rosarium* vel aliae preces recitari possint.

« Rosarium », intelligatur integrum, nisi tam gravis aut specialis causa sit, quae suadeat imponere tertiam tantum partem.

33. Permittendi suis missionariis ut *vestes laicales* induere possint, si aliter vel transire ad loca eorum curae commissa, vel in eis commode permanere non potuerint.

« Si aliter etc. » indicat causam, ob quam unice conceditur tribuenda permissio.

34. *Assignandi pensiones* quasi-parochis vel missionariis ex infirmitate resignantibus quasi-paroecias vel missiones, in quas per decem annos incubuerunt, solvendam annuatim a successore, non excedentem tertiam partem fructuum quomodolibet provenientium ex quasi-paroeciis vel missionibus, deductis expensis.

« Pensiones » perpetuas, ut scilicet aliquid amplius haec facultas concedat, quam quod can. 1429, § 1 concedit pro beneficiis quibuslibet, etiam non paroecialibus (exclusis iis, de quibus can. 1412); requirit tamen haec facultas, ut causa resignationis sit infirmitas.

C) **Pro ipso Ordinario.**

35. *Asservandi* in sacello domus stabilis suae residentiae *SS. Eucharistiae Sacramentum*, ea lege, ut lampas indesinenter ante tabernaculum lucescat, clavis diligenter custodiatur, aliaque iuxta liturgicas leges plene serventur.

36. *Lucrandi indulgentias*, quas aliis vi facultatum sibi concessarum impertiendas censuerit, impletis tamen condicionibus.

37. *Utendi* ipse *personaliter*, in iisdem tamen adiunctis, *facultatibus* seu permissionibus, quas, intra limites in praecedentibus articulis expressos, concedendas esse censuerit.

38. Utendi *throno* cum *baldachino* et *cappa magna* in Pontificalibus; nec non permittendi presbyteris in ecclesiis suae iurisdictionis celebrantibus ut sui *nominis* tamquam Antistitis sive in precibus ferialibus sive *in Canone Missae* mentio fiat: quatenus haec ipsi a iure concessa non fuerint.

Animadversiones.

1. Praedictae facultates ea lege conceduntur, ut non omnes indiscriminatim *subdelegari* possint, sed illae tantum quae asterisco notantur, seu quae habentur sub numeris: 11 12 15 16 17 18 19 20 24 26 27 28 29 30.

Hoc monitum apponitur propter can. 199, § 2, vi cuius potestas quaelibet iurisdictionis a S. Sede delegata per se censenda est subdelegabilis nisi aliud moneatur.

Quae autem subdelegabiles sunt, subdelegari possunt vel habitualiter, vel ad certum tempus, vel ad certum casuum numerum (can. 199, § 1). Is autem, cui Ordinarius aliquam vel aliquas communicaverit: — 1° Non potest eas rursus alii, ne ad casum quidem particularem, communicare; cum enim Ordinarius eas habeat a S. Sede delegatas, eas ipse ab Ordinario accepit ut subdelegatas, subdelegatus autem subdelegare non potest. — 2° In subdelegato exspirant simul ac exspirant in Ordinario (non enim potuit Ordinarius ei transferre potestatem quam non habebat, id est ad longius tempus duraturam), ideoque renovandae erunt ubi Ordinarius eas renovatas acceperit.

Aliud est dicendum de re vi facultatum concessa, v. gr. de permissione accepta ad recitandum Matutinum Officii sequentis a meridie, vel pensionis perpetuae ex quasi-paroecia resignata, vel celebrandi Missam lectam de Requie ter in hebdomada. Etenim, quamvis Ordinarius nequeat suis facultatibus uti ultra tempus ad quod eas acceperit, tamen intra hoc tempus non praecipitur tribuere illas concessiones ad simile tempus rstrictas; potest igitur permissionem dare indefinitam, vel ad certum tempus; et, quamvis in Ordinario facultates cessaverint, actionem ponere licet; ponitur enim vi permissionis acceptae eo tempore, quo valide accipi poterat. Et hac occasione revocare oportet in memoriam quod concessiones dari poterunt etiam in dubio de sufficientia causae (can. 84, § 2).

Facultates competunt quoque Vicario Generali (can. 66, § 2), ideoque potest is similiter subdelegare eas, quae assignantur ut subdelegabiles. Facultates transeunt ad Ordinarii successores (can. 199, § 2).

2. Ordinarius insuper supradictis omnibus facultatibus sive per se sive per alios uti tantum valet *intra fines suae iurisdictionis;* easque gratis et sine ulla mercede exercere debet et facta mentione apostolicae delegationis.

« Intra fines suae iurisdictionis »; quod ita intelligendum videtur, ut Ordinarius extra territorium exsistens possit adhuc concessionem tribuere, dummodo subditus in dioecesi actu exsistat (Ball.-P. VII, n. 248; D'Annibale I, n. 346; Génicot in editionibus ante Codicem n. 575, VI, et cf. can. 201, § 3).

3. Quod si forte *ex oblivione vel inadvertentia* ultra tempus supra praefinitum, seu ultra . . . . . hisce *facultatibus* Ordinarium *uti* contingat, absolutiones, dispensationes, concessiones omnes exinde impertitae uti ratae atque validae habeantur. Insuper *datis* ab Ordinario *precibus pro renovatione* seu prorogatione earumdem facultatum, ipsae in suo robore *perseverare* censeantur, usque dum responsum *S. C. de Prop. Fide* ad eumdem Ordinarium pervenerit.

In prima parte ampliatur can. 207, § 2; is enim actus tantum respiciebat positos pro foro interno.

II.

INDEX FACULTATUM QUAS, PRO LOCIS MISSIONIS SUAE, NUNTIIS, INTERNUNTIIS ET DELEGATIS APOSTOLICIS PENES CIVITATES SEU NATIONES, POST CODICIS IURIS CANONICI PUBLICATIONEM TRIBUERE SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER DECREVIT, CETERIS ABROGATIS

CAPUT I. **Facultates ordinis generalis.** — 1. Facultas visitandi sive per se sive per ecclesiasticum virum probitate, prudentia ac doctrina praestantem personas, loca et res, de quibus in can. 344 512 1382 Codicis, in casibus tamen particularibus et non per modum generalis visitationis; dummodo visitatio ipsa necessaria et urgens videatur, Ordinarius impeditus sit vel negligens, et tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem.

2. Conficiendi sive per se sive per alium virum ecclesiastica dignitate exornatum acta omnia seu processus, ut vocant, pro iis qui ad episcopalem seu archiepiscopalem dignitatem ab hac S. Sede sunt designati iuxta normas pro singulis nationibus datas.

3. Conferendi personis idoneis ea beneficia, de quibus in can. 1435, § 1, n. 1 et 3, servatis regulis ab *Ap. Dataria* datis vel dandis.

4. Absolvendi, iniunctis de iure iniungendis, tum in foro conscientiae, tum etiam in foro externo, pro casuum diversitate, ab omnibus censuris a iure sive simpliciter, sive speciali modo Romano Pontifici reservatis.

5. Dispensandi pro iam ordinatis ad effectum tam Missam celebrandi, quam consequendi et retinendi beneficia ecclesiastica, super quibuscumque irregularitatibus tum ex delicto tum ex defectu provenientibus, dummodo exinde scandalum non oriatur, nec divinis pariatur impedimentum, iis semper exceptis quibus in can. 985, n. 4, et praevia abiuratione in manibus absolventis, quando agitur de crimine haeresis vel schismatis.

6. Indulgendi ex causa paupertatis iis qui Missarum sive manualium sive fundatarum applicationem omiserint, ut quod ad praeteritum tempus obligationem suam paulatim adimplere valeant, ita nempe, ut faciant quantum possunt pro integra satisfactione oneris Missarum quo gravantur, celebrando vel per se vel per alium singulis mensibus aliquem Missarum numerum, iuxta eorum vires, de bono et aequo a concedente et, in casibus occultis, a confessario determinandum.

Moneantur autem praedictarum omissionum rei, si ita faciendo ante completam huiusmodi satisfactionem obierint, nec habeant quid pro eodem onere sive in toto sive in parte

adimplendo relinquant, Missas quae post eorum obitum celebrandae supererunt, ipsis, dum pie in Christo decedunt, condonata fore censeri, defectum quemcumque tunc supplente Sancta Sede de thesauro Ecclesiae.

Item concedendi, si in aliquo casu ob peculiaria omnino rerum adiuncta expediens in Domino videatur, ut ad certum numerum iuxta vires petentis Missae, quod ad praeteritum pariter tempus, reducantur, dummodo non agatur de recidivis, supplente pariter Sanctitate Sua reliquarum Missarum defectum de Ecclesiae thesauro.

7. Admittendi in foro interno eos, qui beneficiis ecclesiasticis etiam cum cura animarum instructi recitationem horarum canonicarum omiserint, ad discretam compositionem, eaque mediante fructus male perceptos condonandi, pecuniis exinde redactis in pia opera arbitrio Sedis Apostolicae erogatis.

Pauperibus autem, quorum inopia compositionem non admittit, praedictos fructus condonandi, iniuncta pro eorum viribus eleemosyna, pro suo vel confessarii prudenti iudicio determinanda.

Et haec quidem, sine praeiudicio illorum, quibus distributiones accrescere vel non decrescere debent, sint et censeantur ordinata.

8. Condonandi in foro interno fructus ex beneficio ob simoniam realem invalide obtento indebite perceptos, iniuncta congrua poenitentia salutari, cum aliqua eleemosyna iuxta vires poenitentis taxanda, et imposita eiusdem beneficii dimissione. Quatenus vero ob iustas et rationabiles causas beneficium dimitti non expediat, praesertim vero si idem parochiale sit, et non adsint qui parochiis praefici possint, titulum ipsius beneficii convalidandi.

9. Absolvendi vel per se vel per alias idoneas ecclesiasticas personas a se deputandas eos omnes qui fundos olim ecclesiasticos et a plurimis annis Ecclesiae per civiles leges ablatos nunc possident, vel titulo hereditatis a suis maioribus accepto, vel titulo emptionis seu similis contractus cum tertiis possessoribus initis, eosque singulos habiles reddendi ad praedictos fundos tamquam proprios licite habendos, de iisque tam inter vivos, quam mortis causa libere disponendi, imposita pro una vice tantum congrua eleemosyna iuxta prudens absolventis iudicium, favore alicuius ecclesiae vel pii operis eroganda.

10. Dispensandi, quando ita in Domino expedire videbitur, super lege abstinentiae, diebus praescriptis, etiam tempore ieiuniorum et quadragesimae, in casibus particularibus.

11. Permittendi clericis et religiosis, uti singulis, ut rationabili de causa, quocumque anni tempore, privata Matutini cum Laudibus recitatio anticipari possit statim post meridiem.

12. Commutandi, ob visus debilitatem vel ob aliam iustam causam, eaque durante, obligationem recitandi Horas canonicas in quotidianam recitationem integri rosarii B. M. V. vel aliarum piarum precum quae congruae sint, citra exemptionem a Choro, quatenus is qui commutationem obtinuit ad illum accedere teneatur.

13. Dispensandi, in casibus urgentibus, a gradibus academicis ad assequendas praebendas canonicales, quae ex lege fundationis ipsos gradus requirant, dummodo nullum praeiudicium aliorum iuribus inferatur.

14. Concedendi ad normam const. *Officiorum et munerum* facultatem retinendi ac legendi prohibitos libros et ephemerides, cum cautelis et sub limitationibus quae necessaria vel utilia in singulis casibus videbuntur, et in usu penes *S. Congr. S. Officii* sunt.

15. Commutandi aut dispensandi, consideratis causis, omnia vota simplicia private emissa, etiam Apostolicae Sedi reservata, exceptis votis in quibus agitur de tertii praeiudicio.

16. Dispensandi ex iusta causa a quovis iuramento, dummodo tertii praeiudicium non adsit.

17. Remittendi seu condonandi, *pro foro conscientiae tantum*, delinquentibus pauperibus partem aliquam male ablatorum, aut retentorum, quando domini incerti sunt et casus occulti; ita tamen ut residuum, si quod adsit, vel aliqua alia summa vel pars pro viribus taxanda pauperibus loci distribuatur vel in pia opera eiusdem loci, si fieri possit, distribuatur.

18. Recipiendi aut delegandi in singulis casibus alium idoneum ecclesiasticum virum, ut recipiat denuntiationes de crimine sollicitationis, servatis in omnibus forma et tenore instructionis, quae a *S. Officio* danda erit.

19. Prorogandi ad breve aliquod tempus facultates, indulgentias et indulta a S. Sede concessa, quae exspiraverint quin tempestive postulatio pro eorum prorogatione ad S. Sedem missa fuerit, facta tamen obligatione statim recurrendi ad eamdem S. Sedem pro gratia aut (si petitio iam facta fuerit) pro responsione obtinenda.

Caput II. **Facultates circa indulgentias.** — 20. Concedendi sexies in anno, occurrente aliqua sollemnitate, plenariam indulgentiam omnibus utriusque sexus christifidelibus qui vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti ecclesiam vel publicum oratorium visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis aliquo temporis spatio oraverint.

Fidelibus vero qui in loco habitent, ubi impossibile vel difficile admodum sit confessarii copiam habere, concedendi, ut praedictas indulgentias lucrari valeant, dummodo actuali sacramentorum susceptioni pium aliquod opus substituant, ac corde saltem contriti firmiter proponant admissa confiteri quam primum poterunt.

21. Impertiendi ter in anno et non eodem loco, diebus a se eligendis, benedictionem papalem iuxta formulam typis impressam atque insertam, cum indulgentia plenaria ab iis lucranda, qui vere poenitentes, confessi et sacra communione refecti eidem benedictioni interfuerint, Deumque pro s. fidei propagatione et Sanctae Romanae Ecclesiae exaltatione oraverint.

22. Concedendi pariter, non tamen in perpetuum, sed ad tempus sibi benevisum, omnibus christifidelibus contritis et confessis ac sacra communione refectis indulgentiam plenariam in oratione Quadraginta Horarum, quoties in anno a respectivis locorum Ordinariis indicatur, etiamsi, ex rationabili causa, in aliquibus non servetur *instructio Clementina*.

23. Item concedendi plenariam indulgentiam primo-conversis ab haeresi et ad sinum catholicae Ecclesiae redeuntibus, in actu eorum conversionis.

24. Concedendi in casibus particularibus vel ad tempus indulgentiam plenariam occasione ss. missionum, servatis consuetis regulis.

25. Declarandi privilegiatum quotidianum perpetuum in qualibet ecclesia territorii suae iurisdictionis unum altare ad tramitem can. 916.

26. Concedendi bis centum dies de vera indulgentia omnibus praesentibus in sacris functionibus a se peractis, durante munere.

27. Erigendi sacras stationes Viae Crucis cum applicatione indulgentiarum, et pia sodalitia rosarii B. M. V. de Monte Carmelo et Septem Dolorum; cum potestate communicandi huiusmodi facultatem ecclesiasticis viris pro suo prudenti arbitrio; sub lege tamen et condicione ut haec facultas non exerceatur ubi coenobia adsint religiosorum, qui ex apostolica concessione eiusmodi privilegiis gaudent.

Item ecclesiasticis viris facultatem concedendi sub eadem lege et condicione benedicendi et imponendi scapularia praedictarum sodalitatum.

28. Concedendi ut indulgentiae, de quibus in praecedentibus articulis, applicabiles etiam sint per modum suffragii animabus in purgatorio detentis.

Caput III. **Facultates circa matrimonium.** — 29. Dispensandi ab impedimentis impedientibus de quibus in cap. III, tit. VII, lib. III Codicis, servatis ad unguem regulis ibidem positis, praesertim quod ad dispensationes ob mixtam religionem, et docta quotannis ante Pascha *S. Congr. S. Officii* de numero aliisque adiunctis dispensationum, quae anno praecedente circa mixtam religionem datae sunt.

30. Dispensandi pro . . . . . vicibus ex gravi causa ab omnibus impedimentis dirimentibus matrimonium, iuris tamen ecclesiastici, sive publicis sive occultis, sive minoris sive maioris gradus, iis tamen exceptis quae ex affinitate in linea recta consummato matrimonio, ex ordine sacro et sollemni professione religiosa proveniunt.

Quod vero ad impedimentum dirimens disparitatis cultus, fas non sit dispensationem concedere nisi servatis iis quae in canonibus 1060-1064 praescripta sunt; et quod ad matrimonia cum hebraeis vel mahumetanis, dummodo constet de status libertate partis infidelis ad removendum periculum polygamiae, absit periculum circumcisionis prolis, et, si civilis actus sit ineundus, sit tantum caeremonia civilis nullaque Mahumetis invocatio aut aliud superstitionis genus interveniat.

Nupturientes aliquam oblationem, si fieri potest, iuxta vires persolvant, quam ipse Nuntius, Internuntius vel Delegatus Apostolicus transmittet ad *S. Congregationem S. Officii*, si agatur de impedimento disparitatis cultus, aut ad *S. Congregationem de disciplina Sacramentorum*, si agatur de aliis impedimentis.

31. Sanandi in radice pro . . . . . vicibus matrimonia nulla ob impedimentum dirimens, de quo in numero 30, quando moraliter impossibilis est renovatio consensus modo ordinario, monita parte impedimenti conscia de sanationis effectu. Rescriptum vero huiusmodi sanationis in Curia episcopali diligenter custodiatur, quo, omni tempore et eventu de matrimonii validitate et de prolis legitimatione constare possit.

Sed si matrimonium fuerit nullum ob defectum formae, danda non erit sanatio, nisi in casu quo altera pars renuat renovare consensum iuxta formam, aut, si id ab ea exigatur, grave immineat alteri parti malum vel periculum.

Quod si matrimonium fuerit nullum ob non servatam formam in casu mixtae religionis aut disparitatis cultus, et pars acatholica induci non possit ad renovandum consensum iuxta leges Ecclesiae, danda non erit sanatio in radice nisi assumptis a parte fideli obligationibus curandi pro viribus conversionem coniugis et educationem prolis in fide catholica,

concessa eidem absolutione a censuris, si coram acatholico matrimonium attentaverit, ipsaque monita de gravi patrato scelere.

Caput IV. **Facultates circa cetera sacramenta et sacros ritus.** — 32. Deputandi simplices sacerdotes probatae doctrinae ac virtutis pro administrando sacramento confirmationis in iis regionibus dumtaxat in quibus Episcopi desunt, servatis praescriptis can. 781, § 1, 782, § 4 et 784; idque ad tempus aliquod determinatum.

33. Permittendi singulis vicibus, vel ad tempus, feria V in Coena Domini unicam Missam lectam in oratoriis publicis.

34. Concedendi sacerdotibus infirmis, durante infirma valetudine, aut aetate devexis indultum oratorii privati, in quo Missam celebrent, servatis canonicis regulis.

35. Concedendi pro sacerdotibus suae iurisdictionis usum comae ascititiae tempore celebrationis Missae, data vera eorum necessitate.

36. Concedendi in casibus particularibus indultum celebrandi extra ecclesiam et oratorium et erigendi altare sub dio ex rationabili causa, ad tramitem can. 822, § 4.

37. Permittendi sacerdotibus navigantibus sive in mari sive in fluminibus, ut in navi Missam celebrare possint super altare portatili, dummodo locus in quo Missa celebratur nihil indecens aut indecorum praeseferat et periculum absit calicis effusionis.

38. Consecrandi, sive per se sive per simplices presbyteros a se deputandos, altaria tum fixa tum portatilia, quae ex aliquo defectu pristinam consecrationem amiserunt, servatis tamen omnibus in instructione *S. Rituum Congregationis* ad rem in *ritu et formula breviori* praescriptis.

39. Indulgendi, ex rationabili causa, in casibus particularibus, vel ad tempus, ut sacrosanctum Missae sacrificium peragi possit a tertia hora post mediam noctem.

40. Indulgendi ad tempus ut in aliqua ecclesia bis vel ter in hebdomada, de consensu Ordinarii, Missa *de Requie* celebrari possit etiam diebus ritus duplicis, exceptis tamen festis duplicibus I et II classis, dominicis aliisque festis de praecepto servandis, nec non feriis, vigiliis, octavisque privilegiatis.

41. Concedendi presbyteris, ex utroque clero, visivae potentiae debilitate laborantibus, vel alia infirmitate detentis, facultatem celebrandi Mssam votivam Deiparae Virginis aut defunctorum, adhibita, quoties ea indigeant, alterius sacer-

dotis assistentia, et firmo permanente onere, si sint parochi, explicandi Evangelium diebus praescriptis.

Item eamdem facultatem concedendi sacerdotibus omnino caecis, praescripta semper assistentia alterius sacerdotis aut diaconi, et dummodo, facto experimento, comperiantur in nullo defecisse.

42. Concedendi infirmis decumbentibus, de quibus certa spes non adsit ut cito convalescant, etiam ante finem mensis a quo decumbunt, ut s. communionem sumere possint semel in hebdomada non servato ieiunio, hoc est, etsi aliquam medicinam vel aliquid ad modum potus antea sumpserint (can. 858, § 2).

Concedendi infirmis non decumbentibus, qui tamen tali morbo laborant, quo, iudicio medici, ieiunium sine discrimine servare nequeant, ut communionem semel in hebdomada percipere valeant non servato ieiunio, ut supra.

43. Indulgendi per modum actus ut in ecclesiis, in quibus festum alicuius sancti in *Martyrologio Romano* descripti, vel alias ab Apostolica Sede approbatum, sollemniter celebretur, quod cum Officio illius diei minime congruat, dici possint tum Missa sollemnis cum cantu, tum etiam Missae lectae de eodem festo, dummodo non occurrat duplex vel dominica primae classis, aut vigilia Nativitatis D.N.I.C. vel vigilia Pentecostes, vel dies octava Nativitatis D.N.I.C. (Circumcisio Domini), dies octava Ephiphaniae vel SS. Corporis Christi aut feria IV Cinerum, vel integra Maior Hebdomada.

44. Deputandi, in locis iurisdictionis sibi commissae, in casibus particularibus vel ad tempus aliquem sacerdotem cum facultate *consecrandi*, iuxta formam in *Pontificali Romano* praescriptam, calices, patenas et altarium lapides, adhibitis sacris oleis ab Episcopo catholico benedictis.

45. Benedicendi campanas et consecrandi ecclesias, monito tamen loci Ordinario eoque non renuente.

Caput V. **De facultatibus circa religiosos.** — 46. Cognoscendi in casibus extraordinariis et urgente necessitate super statu alicuius domus Religionis cuiuslibet; conferendo cum Superioribus consilium et operam, ut opportuna abusibus remedia adhibeantur et religiosi ad sui status perfectionem reducantur, certiore tamen facta quam primum Apostolica Sede, si quid novi in utilitatem claustralium communitatum decernendum esse videatur.

47. Dispensandi, iusta de causa, postulante Communitate super defectu dotis in religione pro sororibus aut monialibus requisitae.

48. Concedendi in casibus particularibus, vel ad tempus, Ordinariis dioecesanis facultatem praeficiendi paroeciis religiosos in defectu sacerdotum saecularium, de consensu tamen suorum Superiorum, et cum clausula ut saltem duo alii religiosi cum parocho cohabitent, servatisque in reliquis sacrorum canonum dispositionibus.

49. Indulgendi monialibus in casu infirmitatis, aliisque iustis gravibusque de causis, ut *extra claustra* per tempus prudenti arbitrio praefiniendum manere possint, ita tamen ut cum associatione et assistentia suorum consanguineorum vel affinium aut alicuius honestae mulieris semper incedant, domi et alibi vitam religiosam ducant a virorum frequentia semotam, prout Deo sacratas virgines decet, firmo praescripto can. 639.

50. Dispensandi religiosos utriusque sexus, *pro foro conscientiae tantum*, a regressu in religionem et permittendi ut in saeculo remaneant, quoties hi invalide obtinuerint declarationem nullitatis votorum, dummodo tamen haec invaliditas occulta sit, firmo semper manente voto castitatis perpetuae, servatisque aliorum votorum substantialibus, usquedum peculiarem dispensationem a S. Sede hac de re assequantur, et, si sint sacerdotes, facta lege ut habitum sacerdotis saecularis induant.

Caput VI. **Facultates pro ipso Nuntio, Internuntio, seu Delegato.** — 51. Recitandi divinum Officium et Missam celebrandi iuxta kalendarium romanum pro clero Urbis; idque concedendi sacerdotibus secum commorantibus sibique subiectis.

52. Asservandi in sacello domus stabilis suae residentiae SS. Eucharistiae sacramentum, ea lege ut lampas indesinenter ante tabernaculum lucescat, clavis diligenter custodiatur, aliaque iuxta liturgicas leges plene serventur.

Sacellum autem ipsum ex Summi Pontificis venia qua publicum erit.

53. Administrandi sacramentum confirmationis in ditione universa suae iurisdictioni obnoxia, nec non durante maritimo itinere tam in accessu quam in recessu a loco missionis suae.

54. Excipiendi sacramentales confessiones fidelium utriusque sexus in locis et in maritimo itinere, uti supra.

55. Lucrandi sibi indulgentias quas aliis vi facultatum sibi concessarum impertiendas censuerit.

ANIMADVERSIO. — 1. Facultates, quae superius continentur in cap. II et III, et eae quae recensentur, sub numeris 1 3 et 18 cap. I; 32 et 38 cap. IV; 46 cap. V; et 53 54 55 cap. VI, non conceduntur nisi iis qui sunt caractere episcopali insigniti; ideoque ad eos, et signanter ad Auditorem vel Secretarium qui-

bus durante Nuntiaturae, Internuntiaturae vel Delegationis vacatione negotiorum gestio fuerit commissa, non intelliguntur attributae, nisi expresse id dicatur, quamvis commissio regendi officium cum facultatibus ordinariis eisdem concessa sit.

2. Caveat Pontificius Administer, ne indulta quae ad tempus concedere potest, ultra quinquennium vel decennium protrahat.

III.

S. C. DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM FACULTATES MATRIMONIALES

Sacra Congregatio de Disciplina Sacramentorum, vigore facultatum a SS.mo D. N. Pio Papa XI sibi tributarum, attentis expositis, Ordinario Oratori infrascriptas ad . . . . . communicat facultates, quibus, sive per se sive per alias idoneas ecclesiasticas personas ad hoc specialiter deputandas, uti poterit in matrimoniis contrahendis et nulliter contractis cum suis subditis ubique commorantibus et aliis omnibus in proprio territorio actu degentibus, facta in unoquoque casu expressa mentione huius apostolicae delegationis ad normam can. 1057:

1° Dispensandi *iusta et rationabili ex causa* super matrimonialibus impedimentis minoris gradus quae in can. 1042 recensentur, nec non super impedimentis impedientibus de quibus in can. 1058, ad effectum tantum matrimonii contrahendi.

2° Dispensandi *ex gravi urgentique causa*, quoties periculum sit in mora et matrimonium nequeat differri usque dum dispensatio a S. Sede obtineatur, super impedimentis maioris gradus infra recensitis:

a) consanguinitatis in secundo aut tertio cum primo mixtis, dummodo nullum exinde scandalum aut admiratio exoriatur;

b) consanguinitatis in secundo lineae collateralis gradu;

c) affinitatis in primo lineae collateralis gradu aequali vel mixto cum secundo;

d) publicae honestatis in primo gradu, dummodo nullum subsit dubium quod coniux esse possit proles ab altero contrahentium genita.

3° Dispensandi tempore et in actu sacrae pastoralis visitationis aut sacrarum missionum, et non ultra, super omnibus matrimonialibus impedimentis supra memoratis, cum iis qui in concubinatu vivere reperiuntur.

4° Sanandi in radice matrimonia nulliter contracta ob aliquod ex impedimentis minoris gradus, si magnum adsit incommodum requirendi a parte ignara impedimenti renovationem

consensus, dummodo tamen prior consensus perseveret et absit periculum divortii; monita tamen parte conscia impedimenti de effectu huius sanationis et debita facta adnotatione in libro matrimoniorum.

In usu facultatum de quibus in praesenti folio, prae oculis habeantur quae in can. 1048 ad 1054 statuta reperiuntur.

Curet Ordinarius in singulis praefatis concedendis dispensationibus, ut nupturientes qui pares solvendo inveniantur, aequam oblationem iuxta vires persolvant in obsequium Sanctae Sedis. Idem autem Ordinarius quovis anno, a data praesentium computando, referat ad hanc Sacram Congregationem de numero et specie dispensationum quas vigore praesentis indulti ipse fuerit elargitus, et summam oblationum transmittat, salvo praescripto can. 1056.

Pro facultate dispensandi super impedimentis mixtae religionis et disparitatis cultus sive singillatim sumptis sive cum aliis impedimentis concurrentibus, recurrendum ad Sanctum Officium.

Datum Romae, ex aedibus eiusdem Sacrae Congregationis etc.

IV.

PAGELLA S. POENITENTIARIAE QUAE NONNULLIS CONFESSARIIS COMMUNICATUR

Tibi N. N., dilecto in Christo confessario ad excipiendas fidelium confessiones legitime adprobato, infrascriptas concedimus facultates, quibus pro foro conscientiae et in sacramentali confessione tantum, per te ipse et non aliter auctoritate apostolica uti valeas.

Monetur confessarius has facultates non posse valide exerceri, nisi in actu sacramentalis confessionis et non esse subdelegabiles. Valet tamen dispensatio data in sacramentali confessione, etsi dein absolutio denegetur ob poenitentis indispositionem.

I. Absolvendi quoscunque poenitentes (exceptis haereticis haeresim inter fideles e proposito disseminantibus) a quibusvis censuris et poenis ecclesiasticis, ob haereses tam nemine audiente vel advertente, quam coram aliis externatas incursis; « postquam tamen poenitens magistros ex professo haereticalis doctrinae, si quos noverit, ac personas ecclesiasticas et religiosas, si quas hac in re complices habuerit, supremae *S. Congr. S. Officii*, per se, vel, de eius consensu, per te ipsum denuntiaverit; et quatenus ob iustas causas huiusmodi denuntiatio ante absolutionem peragi nequeat, facta ab eo seria promissione denuntiationem ipsam peragendi, cum primum et quo meliori modo, iudicio tuo fieri poterit; et postquam in singulis casibus

haereses coram te secreto abiuraverit; iniuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentorum et obligatione se, prudenti iudicio tuo, retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit, atque illata scandala reparandi ».

« Absolvendi quoscumque », scilicet pro quibus confessarius approbationem habet; v. gr. has facultates valide non exerceret in mulieres confessarius approbatus tantum ad virorum confessiones.

« Exceptis haereticis ..... disseminantibus »; quare facultas excipit tantum haereticos, quos vocant doctrinales seu publice dogmatizantes, sed non excipit haereticos publicos, si haereses e proposito non disseminant. Porro huiusmodi censendus non est auctor articuli, in quo quaedam dicuntur haeretica, nisi ex iteratis articulis aliisve adiunctis manifestum fiat ipsius propositum deliberatum haeresim disseminandi.

« Ob haereses ». Crimen ergo a quo datur facultas absolvendi est haeresis; cui accenseri possunt apostasia et schisma, siquidem haeresi aequiparantur in iure (cf. v. gr. can. 985 1240 2314); facultas autem absolvendi per pagellam *S. Poenitentiariae* accepta est late interpretanda (can. 50). — Apostasia est totalis defectio a fide christiana, v. gr. per professionem iudaismi vel atheismi. — Haeresis debet esse formalis, quae consistit in denegatione vel dubitatione alicuius dogmatis, quod quis scit ab Ecclesia proponi tamquam de fide credendum. Ut autem incurratur censura, requritur externa denegationis vel dubitationis prolatio (sufficit prolatio privata et nemine audiente.)

« Magistros ..... denuntiaverit ». Debet poenitens denuntiare, ut de iure naturali tenetur, eos, qui suam haereticam doctrinam publice disseminant, item clericos et religiosos complices. Denuntiatio fieri debet *S. Officio* ab ipso poenitente, secus a confessario, de poenitentis consensu.

« Coram te secreto abiuraverit », quod paucis verbis peragitur in secreto confessionis.

« Gravi poenitentia salutari », id est gravi poenitentia, a sacramentali distincta, proportionata tamen viribus poenitentis et delictorum gravitati; « cum frequentia sacramentorum », v. gr. cum obligatione confessionis et communionis menstruae per semestre aut quadrimestre.

« Scandala reparandi ». Reparatio in casibus communioribus sufficienter datur eo ipso quod quis publice videatur ad sacramenta accedere et christianam vitam ducere; possunt tamen peccati et poenitentis adiuncta reparationem magis expressam requirere.

Animadversiones. 1. Facultatem exercere potest confessarius erga omnes, in quos iurisdictionem accipit, ideoque etiam in vagos et peregrinos (can. 881, § 1).

A facultate non excluduntur ii, quorum crimen et censura per sententiam iudicialem fuerunt declarata; quare potest etiam eos absolvere pro foro conscientiae intra sacramentum, dummodo satisfactionem congruam parati sint dare ceterasque habeant dispositiones.

Etsi facultas dicitur ad absolvendum certum crimen (v. gr. haeresim, lectionem libri haeretici, ingressum in clausuram), tamen comprehendit etiam crimen cooperationis in illud; absolvere ergo potest confessarius etiam criminis complices (v. gr. si quis se accusat dedisse librum haereticum legendum, alium induxisse ad violandam clausuram etc.).

Facultas ait « absolvendi a censuris et poenis ». Sed cum facultas sit « absolvendi », non « dispensandi », remittere non poterit confessarius poenas vindicativas, quae forte a iure, ipso facto, vel post sententiam, sunt incursae (v. gr. ob nomen datum sectae haereticae incurritur ipso facto infamia iuris, can. 2214, § 1, 3°); poenae enim vindicativae non absolvendae sunt, sed dispensandae (can. 2236). Aliunde poenae, quae excommunicationi directe adnexae sunt (vel potius eam constituunt) et forum internum respiciunt (v. gr. privatio recipiendi sacramenta), eo ipso evanescunt quod a confessario excommunicatio absolvitur. Quare verba « absolvendi a poenis » practice nihil videntur addere supra facultatem « absolvendi a censuris ». Poenas tamen vindicativas latae sententiae, in casu imminentis infamiae, potest confessarius suspendere sub onere recurrendi intra mensem (can. 2290, § 1). — Nec per verba « absolvendi etc. » accipit confessarius facultatem tollendi irregularitatem, cuius contrahendae occasio fuit censura; tum quia irregularitas non absolvitur, sed dispensatur, tum quia non adnectitur crimini principali, sed violationi censurae ob crimen incursae, quae sunt crimina specie prorsus diversa. Propterea facultas circa irregularitatem datur inferius sub distincto n. VII.

2. Etsi confessarius facultatem accipiat a quibusdam censuris absolvendi, videat tamen in singulis casibus, an illae vere incursae sint; si enim vere incursae fuerint, id in taxatione poenitentiae prae oculis habeat, ut poenitens satisfaciat etiam Ecclesiae, quam contempserat; si vero non fuit incursa ob ignorantiam, regulariter tenebitur poenitenti, si iam sit pubes (secus enim huic legi poenali non subiicitur), eam notam facere, servatis regulis monitionis.

3. Absolutio censurae datur per verba iam inclusa in formula consueta « Dominus noster Iesus Christus te absolvat et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges.» Quae verba sufficienter indicant absolutionem tribui quantum confessarius vi quarumlibet facultatum possit et quatenus poenitens sit corde dispositus; propterea ait can. 2249, § 2 quod poenitens a censura, supra quam facultatem habet confessarius, absolutus maneret, si crimen bona fide reticuisset (nam tantum fit ibi exceptio pro specialissime reservatis).

4. Cum confessarius pro foro tantum conscientiae absolvat, debet poenitens coram ceteris se gerere tamquam censura ligatum, ut vitet scandalum. Quare, si v. gr. sententia declaratoria intercesserit, publice a quibusvis actibus se abstinere debet, a quibus per censuram privatur, donec absolutionem obtineat in foro externo.

II. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos, qui libros apostatarum, haereticorum, aut schismaticorum, apostasiam, haeresim, aut schisma propugnantes, aliosve per Apostolicas Litteras nominatim prohibitos, scienter sine debita licentia legerint, vel retinuerint; « iniuncta congrua poenitentia salutari ac firma obligatione supradictos libros, quantum fieri poterit, ante absolutionem destruendi, vel tibi tradendi ».

Non agitur de quibusvis libris ab apostatis, haereticis etc. conscriptis, sed de iis, in quibus doctrina aliqua heterodoxa propugnatur. Sed si in libro propugnatur aliqua huiusmodi doctrina,

iam auctor eo ipso censendus erit haereticus etc. (nisi aliunde constaret eum non esse baptizatum, sed v. gr. esse iudaeum). Nisi enim hae duae condiciones verificentur: auctorem esse apostatam etc. et in libro propugnari heterodoxiam, censura non incurritur, etsi lectio sit ceteroquin graviter vetita de iure naturae.

Confessarius acceptum librum destruere debet, nisi licentiam habeat retinendi aut legendi; vel ad *S. Officium* illum transmittere.

Cf. praeterea animadversiones sub n. I.

III. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos, qui nomen dederint sectae massonicae aliisque eiusdem generis associationibus, quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur; « ita tamen ut a respectiva secta vel associatione omnino se separent eamque abiurent; denuntient, ut supra, personas ecclesiasticas et religiosas, si quas eidem adscriptas noverint; libros, manuscripta ac signa eandem respicientia, si qua retineant, in manus tuas tradent, ad *S. Officium* quamprimum caute transmittenda, aut saltem, si iustae gravesque causae id postulent, destruenda, iniuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentatione sacramentalis confessionis et obligatione illata scandala reparandi ».

« Sectae massonicae aliisque eiusdem generis etc. »; v. gr. anarchistarum. Ad incurrendam censuram non sufficit doctrinam sectae propriam profiteri, sed requiritur sectae esse adscriptum. An sub hac censura veniant socialistae mitigati dubium est, cum eorum associationes videantur potius mere politicae; regulariter tamen sub censuram apostatarum cadunt, utpote odium fidei profitentes.

« Denuntient personas ecclesiasticas etc. »; id enim iam praecipitur in can. 2336, § 2.

« Gravi poenitentia salutari cum frequentatione etc. »: cf. dicta sub n. I.

Cf. quoque animadversiones appositas sub n. I.

IV. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos, qui clausuram regularium utriusque sexus sine legitima licentia ingressi fuerint necnon qui eos introduxerint, vel admiserint; « dummodo tamen id factum non fuerit ad finem utcunque graviter *criminosum*, etiam effectu non secuto, nec ad externum Ordinarii forum deductum; congrua pro modo culpae poenitentia salutari iniuncta ».

« Clausuram regularium utriusque sexus ». Agitur de clausura sic dicta papali, de qua can. 597, quam solae habent domus regularium utriusque sexus; dicuntur autem regulares religiosi Ordinis, in quo sollemnia vota emittuntur.

« Dummodo tamen etc. ». Non datur ergo confessario facultas absolvendi ab hac censura, si ingressus factus est ad malum finem alicuius criminis, v. gr. ad seducendam monialem, etiamsi qui id intentaverat intentum suum assecutus non fuerit.

Cf. animadversiones sub n. I.

V. Dispensandi commutando, consideratis causis, in alia pia poenitentiae vel pietatis opera, omnia vota privata; exceptis votis perfectae et perpetuae castitatis et ingrediendi religionem votorum sollemnium, quae emissa fuerint absolute et post completum decimum octavum aetatis annum, necnon votis in quibus agitur de praeiudicio aut iure tertii.

« Dispensandi commutando »; quod neque ad simpliciter dispensandum facultatem dat, nec eam ad solam commutationem restringit. Sed quia principaliter venit dispensatio, addita tamen aliqua commutatione, facultas intelligitur ad commutandum in notabiliter minus, v. gr. votum unius ieiunii in sex *Pater* et *Ave;* votum ieiunandi perpetuo omnibus sabbatis in confessionem et communionem menstruam.

« Consideratis causis »; etenim dispensatio sine causa non valet; valet tamen in dubio causae.

« Votis in quibus agitur etc. », v. gr. votum perseverantiae in aliqua Congregatione religiosa; emittitur enim per modum contractus bilateralis, et generatim vota quaelibet designantur, quorum dispensatio secumferret laesionem iuris ab aliquo acquisiti.

VI. Dispensandi in matrimonius iam contractis super impedimenta occulta criminis ex adulterio cum fide data, absque ulla tamen machinatione; monitis coniugibus de necessaria secreta inter sese tantum, id est sine interventu parochi seu testium, renovatione consensus, atque iniuncta gravi et diuturna poenitentia salutari.

« In matrimoniis iam contractis », non ergo in ordine ad matrimonium contrahendum.

« Occulta », ad quod non obstat, si rem paucae quaedam personae noverint; non enim crimen huius indolis posset ex eis probari in foro externo.

« Ex adulterio ». Debet saltem unus complex esse coniugatus, idque esse notum alteri, secus non fuisset locus huic impedimento.

« Cum fide data » et acceptata contrahendi post mortem coniugis, cuius tamen mortem neuter procuravit; non requiritur quod fides data fuerit occasione adulterii aut tempore subsequente.

Datae fidei aequivalet matrimonii attentatio. Quare, poterit confessarius dispensare cum iis, qui, commisso adulterio (etsi fide non data), matrimonium civile inierunt, et deinde, attentati coniugii poenitentes, coram Ecclesia contraxerunt. Nam etsi matrimonii attentatio sit publica (constat enim in publico registro), impedimentum tamen quocum matrimonium canonicum initum fuit, est occultum, siquidem publice ignoratur adulterium.

« Absque machinatione», id est facultas non datur, si vel uterque vel alteruter mortem coniugis alterutrius procuravit; tunc enim impedimenti species mutaretur; non sufficeret tamen procuratio mortis, si mors inde secuta non sit.

« Renovatione consensus », quae fieri debet antequam ponatur illicite ullus actus coniugalis. Si tamen est periculum ne, si altera pars moneatur de nullitate matrimonii et renovando consensu, a coniugio discedere velit, praestabit procurare sanationem in radice.

Sufficit ut confessarius dispenset cum alterutra parte culpabili.

Conceditur vi huius facultatis legitimatio prolis, ut constat ex can. 1051, non tamen si proles nata fuit ex adulterio.

« Gravi et diuturna poenitentia »; v. gr. auditio Missae ter in hebdomada, extra diem dominicam, per octo menses; vel per octo menses recitare quotidie sexies *Pater, Ave, Gloria* et semel actus fidei, spei, caritatis et contritionis.

Dispensatio tribui potest, dummodo intra sacramentum, ante vel post absolutionem, per haec vel similia verba, in quibus mentio fit apostolicae delegationis (can. 1057): « Auctoritate mihi a S. Sede concessa, dispenso tecum super impedimento criminis contracto, ut in matrimonio inito perstare valeas; in nomine Patris etc. »

VII. Dispensandi super occulta irregularitate contracta ex violatione censurarum tantum cum clericis, tam saecularibus, quam regularibus, in sacris ordinibus constitutis, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens ordines iam susceptos licite exercere valeat.

« Occulta, cf. dicta supra sub n. VI.

« Ex violatione censurarum »; v. gr. si sacerdos, excommunicatione vel suspensione (ab ordine vel iurisdictione) irretitus, celebraverit aut, a fidelibus non requisitus, confessiones audierit aut Eucharistiam ministraverit aut sollemniter baptizaverit, aut diaconum vel subdiaconum egerit in Missa sollemni.

Irregularitatem dispensare poterit confessarius, dummodo intra sacramentum, ante vel post prolatam formulam absolutionis, per haec aut similia verba: « Auctoritate mihi a S. Sede concessa, dispenso tecum ab irregularitate contracta ob violationem excommunicationis (vel suspensionis), ut ordines susceptos licite exercere valeas; in nomine Patris etc. »

Volumus autem, ut supradictis facultatibus uti valeas tantummodo per (*triennium*) a data praesentium computandum. Mens tamen nostra est, ut, si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus te uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae.

Conceditur his verbis quod per can. 207, § 2 concessum est. Conceditur tamen solummodo oblivionis vel inadvertentiae gratia; quare invalide prorsus facultate sua uteretur confessarius non ignorans tempus concessionis esse elapsum.

INDEX ALPHABETICUS RERUM

QUAE IN TOTO OPERE CONTINENTUR

Indicantur numeri marginales

A

Abdicatio bonorum ante professionem 443.

Abortus 176 177; — quoad irregularitatem 763; — quoad excommunicationem 929.

Absolutio sacramentalis, eius formula 596; — sub condicione quando impertienda 597 598 599; — moribundorum 619; — in errore communi 640; — cum iurisdictione probabili aut dubia 641 642; — saecularium 643 645; — religiosorum 646-650; — religiosarum 651-654; — navigantium 655; — militum 655; — moribundorum 655; — a reservatis, cf. *Reservatio;* — complicis 655 seqq.; — recidivorum etc., cf. *Confessarius;* — danda, neganda, differenda 690 seqq.; — generalis Tertiariorum 737; — ab irregularitatibus, v. *Dispensatio, Irregularitas;* — a censuris, quibus sub condicionibus et quomodo danda 898-899; — censurarum reservatarum absolutio a quibus dari possit 902; — earum absolutio in periculo mortis et in casibus urgentioribus 903-908; — ab excommunicatione absque facultate 923; — sine iurisdictione vel a reservatis absque facultate 937.

Abstinentia a carnibus 363-366.

Abusus matrimonii 873.

Acatholici, cum eis communicatio 75 76; — eisdem cooperari 105; — qua forma matrimonium contrahere debeant 856.

Acceleratio partus 176 179.

Accessio bonorum 234.

Accusatio peccatorum, cf. *Confessio.*

Acquisitio dominii 232 seqq.; — quoad bona amissa 233; — quatenus eius sit capax religiosus votorum simplicium 440 441; — vel sollemnium 444.

Actiones vel obligationes acquirere an clericis prohibeatur 404.

Actus voluntarius 1; — honestus 13; — heroici 34; — luxuriae imperfectae quatenus liceant coniugibus 872; actus legitimi ecclesiastici, quid veniat hoc nomine in materia poenali 911 nota.

Adiunctio rerum quoad acquisitionem dominii 234.

Adiuratio 146.

Adiutores vicarii 420.

Administratio bonorum quatenus vetetur clericis 399, 5°; — cedenda ante professionem votorum simplicium 432; — sacramenti 474-476; — sub condicione

468; — taxae 476; — communionis vel Viatici, cf. *Eucharistia, Communio, Viaticum.*

Adnotatio baptismi 493; — confirmationis 496; — Missarum acceptarum et adimpletarum 568; — matrimonii 860.

Adolescentes quomodo dirigendi a confessario 704.

Adoptio legalis, quatenus matrimonium impediat 788; vel dirimat 820.

Adulterium 203; — quoad restitutionem 286; — quatenus constitutivum impedimenti criminis 805 807; — quatenus det ius ad non reddendum debitum coniugale 869 881; — quatenus causa separationis coniugum 881-882.

Adultorum baptismus, cf. *Baptismus.*

Advenae 37 nota 2.

Advocatus, eius obligationes 291; quoad restitutionem 270 291; advocatum agere quatenus prohibeatur clericis 399, 4°.

Aetatis defectus, impedimentum dirimens 796.

Affinitas, quatenus impedimentum dirimens 815 816.

Aleatorii contractus 334 seqq.

Alienatio bonorum ecclesiasticorum 932 nota.

Alluvio 234

Altare portatile 358; — mobile, immobile, portatile 528; — quando amittat consecrationem 528; altaris suppellex ad celebrandum necessaria 529; — privilegiatum 551.

Alumnorum obligatio denuntiandi seductores 91; — officia erga Superiores 168, 3°.

Amentes quoad baptismum 484.

America Latina, Indultum quoad abstinentiam et ieiunium 372, III; — Clerici in eam migrantes 405.

Amicitiae sensuales 210 214, 7°.

Amissio dominii animalium 232; amissa bona, cf. *Bona* amissa.

Amplexus 193 210.

Animalia quoad dominium 232.

Aperitio litterarum 354 354 nota 1; — conscientiae in religionibus 437.

Apostata a fide quis, eiusque excommunicatio 81 916; — quoad sepulturam ecclesiasticam 931; — religiosus apostata 930.

Apostolica Sedes, quid hoc nomine intelligendum 32 nota.

Apostolicae indulgentiae 737.

Appellantes ad universale Concilium 919 934.

Applicatio Missae 503; — eius condiciones 504; — pro quibus fieri possit 506; — pro populo 507-509; — ex stipendio, cf. *Stipendium.*

Apum examen 232 nota 2.

Arma gestare clericis interdictum 399; — cf. *Bellum.*

Artificialis fecundatio 866.

Aspectus inhonesti 192 193 208 212, 3°.

Assecuratio (contractus) 334; rei assecuratae damna quatenus resarcienda 263.

Asservatio SS. Eucharistiae 569.

Assistere matrimoniis quinam possint 848-855, cf. *Delegatio, Matrimonium.*

Attentatio matrimonii, quatenus constituens impedimentum criminis 806; attentatio matrimonii a personis ecclesiasticis 927 930; — coram ministro acatholico 928.

Auctoris iura 231.

Audiens detractionem 347.

Auditio Missae, cf. *Missa.*

Aurora qua hora incipiat 526 nota.

Authentice declarare impedimenta matrimonialia iuris naturalis vel divini sola Ecclesia potest 777.

B

Baptismus, eius materia et forma 479 480 491; — sollemnis 482; — subiectum 483; — parvulorum 483; — fetus abortivi 485; — in utero 486; — infantis haereticorum vel infidelium 478; — adulti acatholici vel infidelis 488; baptismi iteratio 489; baptismus collatus a laicis, haereticis, schismaticis 489; baptismi caeremoniae 490 493; — locus 491; — patrini 491; — adnotatio 493; — attestatio ante matrimonium 774; baptismus dubius, quoad matrimonium 801; — filiorum procuratus a ministro acatholico 928.

Baptizati in Ecclesia catholica quinam dicantur 801 nota.

Barbam nutrire non debent clerici 407.

Bellum 175; — voluntarie adire clericis interdictum 407.

Benedictio papalis 735; — apostolica in articulo mortis 736; — scapulariorum 740 741; — sollemnis nuptiarum 858.

Benedictiones constitutivae, invocativae 478; quando ecclesia vel oratorium publicum amittat benedictionem 527 nota; benedictio sacrarum vestium 531.

Beneficia ecclesiastica quid 415; iniquus eorum distributor quoad restitutionem 248 nota; beneficialia bona 230; beneficiariorum obligationes 416.

Bestialitas 200.

Bigami quoad infamiam et irregularitatem 761 762.

Binatio, 525; — quoad stipendium 546; quomodo impetranda pro sacerdote binante dispensatio a ieiunio eucharistico 522 nota.

Blasphemia 136 seqq.; blasphemi quomodo iuvandi ad emendationem 701.

Blenorrhagia an impediat matrimonium 793.

Bona necessaria vitae vel statui, quaenam dicantur 93; — uxoris 229; — beneficialia vel ecclesiastica 230 239; — nullius, derelicta, vacantia 232; — amissa et inventa 233; — eorum praescriptio iuxta leges civiles 238; — mobilia, immobilia, quoad praescriptionem 238; bonorum accessio alluvione, adiunctione, commixtione, etc. 234; bonorum cessio iudiciaria 278 *NB.*; — abdicatio ante professionem sollemnem 443; bona ecclesiastica, eorum usurpatio 921 925; eorum alienatio 932 nota.

Bona fides ad praescriptionem requisita 236; bonae fidei possessor 250; — quomodo comparari possit in casu dubii 259, 2°.

Brephotrophium, cf. *Orphanotrophium.*

Breviarum, cf. *Horae canonicae.*

Bulla Cruciatae in Hispania et Lusitania 372, I.

Bursae speculationes 338.

C

Caecutiens sacerdos 519.

Caelibatus status praestantia 211; vindicatio ab incusationibus 211 nota 1; — cf. *Continentia.*

Caeremoniae baptismi 490 493; — Missae 529 seqq.

Caesarea operatio 176 181.

Calix 530.

Calumnia 348.

Calumniosa sollicitationis denuntiatio 679.

Cambium 328.

Candelae ad Missam quales esse debeant 529.

Canonicorum obligationes 417.

Canonis privilegium proprium clericorum 397.

Capitulationes matrimoniales 229.

Caritatis notio et praeceptum 83; — necessitas 84; — ordo erga proximum 85; — regulae 86.

Castitatis obligatio in clericis 409; — votum reservatum 158; — votum religiosorum 452; cf. *Continentia.*

Castratio 169; castratio viri vel mulieris quoad matrimonium ineundum 783 nota et cf. *Impotentia.*

Casus perplexus 780-782 823, 3°, 826, 1°, 827, 1°.

Casus reservati cf. *Reservatio.*

Catechismi eruditio danda filiis 167 c).

Cauponas adire vetitum clericis 400, 3°.

Caupones quoad cooperationem 109 113; — quoad ducendas choreas 117.

Causa eiusque species 9-11; — causae a lege eximentes, impedientes 41; — influentes in delectationem veneream 191-193; — diversimode influentes in damnum 274 nota 3; — excusantes a restitutione 281; — excusantes a detractione 346; — a restitutione famae 349; — a servando secreto 352 353; — ab abstinentia carnium 365; — a ieiunio 371; — a recitatione Horarum 415; causae ad dispensandum ab impedimentis matrimonii 830-831; — a censura excusantes 895.

Causa pia 310 nota; piarum causarum commutatio 312; — cf. *Testamentum, Legata.*

Celebrandi obligatio ratione sacerdotii 518; — pro populo 507 ad 509; — ratione fundationis vel stipendii, cf. *Stipendium;* — tempus et locus 524-528; — binatio 525.

Celebrans in aliena ecclesia, quem ritum sequi debet 536; cf. *Sacerdos.*

Celebratio matrimonii qua forma fiat 848 seqq.; quo loco et tempore 857; cf. *Ritus, Delegatio, Matrimonium, Forma.*

Censura, quid et quotuplex 890 ad 891; — a quonam infligi possit 892; — quasnam condiciones generaliter exigat 894; — quibus causis excusetur 895; — quomodo absolvenda 899; censurae reservatae 900; a quibus absolvendae 902; earum absolutio in periculo mortis et in casibus urgentioribus 903-908; censurae in specie, cf. *Excommunicatio, Interdictum, Suspensio.*

Census 328.

Cephalotripsia 180.

Cera candelarum ad Missam 529.

Cessatio a labore ex condicto seu operistitium 332.

Cessio bonorum iudiciaria 278, *NB.*

Chirurgiae exercitium clericis prohibitum 399.

Choreae quatenus illicitae 118; — eis interesse clericis interdictum 400, 4°; choreae beneficentiae 118 nota 2.

Chori obligatio 410.

Ciborium, dubia de eius consecratione 498 513 514; — eius renovatio 572.

Cinematographi in ecclesiis 127 nota 3.

Circumstantiae peccatorum quaenam accusandae 611 seqq.

Civica officia 168, 5°.

Civile matrimonium 861.

Civilis lex, cf. *Lex.*

Clausulae rescriptorum 839.

Clausura regularium papalis 456; quinam ab ea arcendi vel ab eius lege excipiendi 457; — in Congregationibus utriusque sexus 458; egressus e clausura 458 c); clausura monialium et regularium virorum censura munitur 924.

Clavis tabernaculi 569.

Clerici, quinam dicantur 395; — incardinatio 395; — quoad dominium 230; eorum privilegia canonis, fori etc. 397; eorum obligationes 398-409; — quando et quomodo ad statum laicalem reducantur 397 *NB.* — in Amer. Lat. migrantes 405.

Coadiutores vicarii 420.

Codex iuris canonici eiusque vis 31 46 nota.

Coelibatus, v. *Caelibatus.*

Coenula die ieiunii 367 368.

Cogitatio, cf. *Delectatio* morosa.

Cognatio legalis, quatenus impedimentum matrimonii 788 820.

Cognatio spiritualis quatenus impedimentum dirimens 819.

Cohabitatio cum mulieribus clericis interdicta 398.

Collationes de re morali et liturgica 408.

Colloquium turpe, cf. *Turpiloquium.*

Commemorationis Omn. Def. Missae 524 nota; — quoad stipendia 546.

Commendatitiae litterae ad celebrandum in aliena ecclesia 517.

Commixtio bonorum in accessione 234.

Commodatum (contractus) 319.

Commoratio menstrua in ordine ad matrimonium ineundum 852.

Communicatio cum acatholicis 75 76; communicatio in divinis cum vitando 923.

Communio paschalis 360 362; communio quo tempore et loco dispensanda 575; — infirmorum 576 577; — per modum Viatici, cf. *Viaticum;* — quo ritu suscipienda 580; — puerorum 581; — amentium 581; communionis effectus 584; quamdiu maneant species sacramentales 585; ieiunium ante communionem 588 seqq.; communio praescripta ad lucrandas indulgentias 733.

Commutatio iuramenti 146; — voti 160; — ultimarum voluntatum in favorem causae piae 312; commutatio poenitentiae sacramentalis 629; — operis praescripti ad lucrandas indulgentias 732.

Compensatio occulta eiusque condiciones 247; — infamiae cum pecunia 247 nota 3.

Competentiae privilegium proprium clericorum 397, 4°.

Complex an possit in confessione manifestari vel inquiri 620 621; complicis absolutio 665 seqq.

Compositio a S. Sede pro bonis restituendis 282.

Concubinatus quatenus impedimentum dirimens 817.

Concupiscentia 5.

Condicio contractui apposita 303; condiciones ad peccatum grave 55; — cooperationis licitae 103; iuramenti validi 139; — et liciti 141; — iuramenti promissorii 145; — ad voti validitatem 148 ad 150; — ad voti reservationem 158; condicio in collatione sacramentorum 468; — ad lucrandas indulgentias 732 seqq.; — in consensu matrimoniali 846; — ad incurrendam censuram 894.

Condonatio offensae 89; — debiti 282.

Conferentiae morales 408.

Confessarii religiosorum 647-648; — religiosarum 651-653; — quoad dispensanda impedimenta matrimonialia in quibusdam casibus 827; — quoad absolvendum a censuris 902, 4°; — absolventes ab excommunicatione sine facultate 923; — absolventes sine iurisdictione vel a reservatis absque facultate 937.

Confessarius quoad usum opinionum probabilium 28; — praesertim in materiis periculosis 734 nota; — quoad interrogandos poenitentes circa blasphemias, cogitationes et desideria 67; — circa blasphemias 137 *NB.*, 1°; — de re venerea 197 210, 3°, 213, 4°; — quoad restitutionem 270 273; — quoad ingressum in clausuram monialium 457; — confessarius carens facultate ad reservata, quomodo se debeat gerere 662; — sollicitans 670 seqq., cf. *Denuntiatio;* officia confessarii diversa 680 seqq.; confessarii scientia requisita 680; — officium poenitentem interrogandi 681-684; — monendi 686 687; — disponendi ad dolorem et propositum 688; — iudicandi de peccatis 684; — dandi, negandi, differendi absolutionem 690 seqq., 697; — quoad absolvendos consuetudinarios 692; — recidivos 693 694; — occasionarios 695 697; — quoad procurandam emendationem recidivorum 698-701; — quoad occasionarios 702; — pueros 703; — adolescentes 704; — parentes 704; — rudes 705; — mulieres 705; — fideles in genere 705; — personas pias 706 707; — sacerdotes 708; — aspirantes vitae religiosae 708; — moniales 708; scrupulosos 709; — infirmos et moribundos in genere 710-713; — moribundum infidelem 714; — haereticum 715; — schismaticum 716; — methodus excipiendi ordinarie confessiones 685; quoad corrigendos errores a se commissos 721 722; — quoad obligationem servandi sigilli 723-729; — quoad commutationem operum ad indulgentias praescriptorum 732.

Confessio annua 360 361; confessio ante celebrationem 520 521; — peccatorum generica 594; — quomodo confitenda peccata 608; confessionis integritas 609

seqq.; — causae ab ea excusantes 617 seqq.; — moribundorum 619; confessionis iteratio 622; confessio generalis 624; methodus excipiendi ordinarie confessionem 685; confessio praescripta ad lucrandam indulgentiam 733; — cf. *Absolutio, Confessarii, Iurisdictio, Reservatio.*

Conficere res pravas 106-107.

Confirmatio, eius materia et forma 494; — minister 495; — subiectum 495; — patrini 496; — adnotatio 496; — ante matrimonium 774.

Congregationes Sacrae Romanae 31 nota; — religiosae 423.

Coniugalis societas quoad bonorum dominium 229.

Coniugicidium quatenus constituens impedimentum criminis 807 808.

Coniugum officia mutua 168, 1°.

Conopaeum 569 nota.

Consanguinei alimenta mutuo sibi debent 168, 2°.

Consanguinitas dubia, 783 nota; quatenus impedimentum dirimens 810-814.

Conscientia eiusque divisiones 14; eius dictamen ultimum 16; regulae ad eam efformandam 24; — conscientiae aperitio in religionibus 437.

Conscientiae examen ante confessionem 616.

Consecratio ut pars essentialis Missae 497 498; quando consecrationem amittat ecclesia vel oratorium publicum 527 nota.

Consensus necessarius ad peccatum mortale 55; — quoad vota 148; — quoad contractus 297.

Consentiens quando teneatur restituere 271.

Consuetudinarii 138 693; quando censeatur contracta consuetudo 692 nota; — cf. *Habituati.*

Consuetudo 46; — in iure canonico vel civili 46 nota 2.

Consulens quoad restitutionem 269; — quo loco inter cooperatores ad restituendum teneatur 275 nota.

Consummatio matrimonii quid requirat 797 nota.

Contagiosus morbus, quatenus impediat matrimonium 792.

Continentia homini possibilis 220 221; — eius laus 409 nota; — cf. *Caelibatus* et *Castitas.*

Contractus eiusque species 292; — materia, subiectum, consensus, obligatio 293 seqq.; — de re turpi 294; contractus gratuiti vel onerosi quonam consensu perficiantur 297; condiciones contractui adiectae 304; — finis adiectus 298 nota 2, 304; — iuramentum adiectum 305; contractus aleatorii 334 seqq.

Contritio, eius dotes 600-604.

Contumacia quid 891.

Contumelia 350.

Convalidatio matrimonii 885-888; — per sanationem in radice 889.

Conventiones matrimoniales 229.

Cooperatio formalis quibus modis fiat 102; — materialis quando ad restitutionem obliget 268 seqq.; cooperatores negativi 273; cooperatores quo ordine teneantur ad restitutionem 275.

Cooperatores vicarii cf. *Vicarii.*

Copula per se apta ad generationem quas condiciones requirat 797 nota; — circa eius usum in coniugio, cf. *Usus.*

Corporale 530.

Correptio fraterna 90.

Craniotomia 180.

Creditor, quo loco ei solvendum est 302; creditorum ordo quoad restitutionem 278.

Crematio cadaverum 931 nota.

Crimen publicum vel occultum quando dicatur 345; crimen, impedimentum dirimens 805-809.

Cruciatae Bulla in Hispania et Lusitania 372, I.

Crux altaris 529.

Culpa theologica vel iuridica 261; — levis an a restitutione excuset 262.

Cultus Sanctorum, imaginum, reliquiarum 121 nota 2; cultus disparitas impedimentum dirimens 801.

Curiae episcopalis documenta falsificantes, subtrahentes, destruentes 927.

Custodes non impedientes damna 273.

Custodia SS.mae Eucharistiae 569.

D

Damna subditorum an resarcienda a patre, hero, aliove Superiore 273; — animalium an resarcienda ab eorum domino 273; — inculpabiliter illata et voluntarie non impedita 264.

Damnificatio quatenus ad restitutionem obliget 261 277 nota; damnificator quo loco teneatur restituere inter cooperatores 275.

Debitor an possit praescribere 236 nota, 238 D; — quandonam possit denegare debitum 247, 2° et 247 nota; — quando et quo loco satisfacere debeat creditori 302.

Debitum denegare ad compensationem 247, 2° et 247 notae; debitum coniugale, cf. *Usus*.

Decimae solvendae 373.

Declarare authentice impedimenta iuris naturalis vel divini sola Ecclesia potest 777.

Defectus in celebratione Missae 498 540; — quoad irregularitatem 760.

Defectuum manifestatio antequam ineatur matrimonium 769 792-794.

Delatio ad Superiorem 91; — apud religiosos 91.

Delectatio morosa 63; — de re turpi 63 214; — venerea, quid 187; — completa vel incompleta quale peccatum si intenditur directe 189 190; — si indirecte voluntaria 191 seqq.; — causae in eam influentes 191-193; — an incompleta diversas habeat species 212, 3°; — carnalis, quid et quale peccatum 214, 7°.

Delegatio ad assistendum matrimoniis 850, cf. *Subdelegatio;* an vicarii curati, oeconomi, substituti, adiutores, cooperatores, ad assistendum matrimonio delegare possint 850 nota.

Deliberatio requisita ad peccatum mortale 55 57.

Delictum quid 891.

Denegatio sacramentorum 475.

Denuntiatio confessari sollicitantis, quibus in casibus facienda sit 671 672; — a quibus 673; — cuinam 675; — quomodo facienda 676; — causae ab ea excusantes 674; — quomodo se gerere debeat confessarius erga personam sollicitatam 676; — casus dubii 677; denuntiationis

omissio plectitur censura 933; denuntiatio sollicitationis calumniosa 679 921.

Depositum (contractus) 319.

Deputati et senatoris munus clericis interdictum 399.

Desiderium 65.

Desperatio 82.

Detractio 342 seqq.

Dies festi de praecepto 356, et cf. *Missa, Labor;* — abstinentiae vel ieiunii 363.

Dilatio in restitutione facienda 280.

Dilectio inimicorum 88-89.

Disparitas cultus impedimentum dirimens 801.

Dispensatio in genere 47 49-52; — iuramenti 146; — voti 158-159; — ab observantia festorum 359; — abstinentiae vel ieiunii 372; — a recitatione Horarum 415; dispensandi facultates concessae religionibus clericalibus exemptis 461-465; dispensatio SS.mae Eucharistiae, cf. *Communio, Viaticum;* — ab irregularitatibus 759 908; — publicationum antematrimonialium 776; — impedimentorum matrimonialium 821 seqq.; — a quonam pro diversis adiunctis dari possit 822-829; quibus de causis 830-831; — a quonam petenda 831; per quem 832; quomodo redigenda petitio et quaenam in ea exprimi debeant 833-837; — quomodo exsequenda 838-840; dispensationis fulminatio 840.

Disputatio cum acatholicis 76.

Dissensus parentum circa ineundum matrimonium 774 791.

Dissolutio sponsalium 769; — vinculi in matrimonio rato tantum, vel in matrimoniis infidelium conversorum 878-880.

Distillatio 184 199.

Distinctio peccatorum specifica et numerica 58-62.

Divina officia, quid veniat hoc nomine in materia poenali 909 nota.

Divinatio 121-124.

Doctrinae christianae examen ante matrimonium 773.

Documenta Curiae episcopalis falsificantes, subtrahentes, destruentes 927.

Dolus, cf. *Error.*

Domicilium 38.

Domini officia erga famulos 168, 4° — cf. *Herus.*

Dominium quid 223; — directum, indirectum 223; — filiorum familias 228; — uxoris 229; — clericorum 230; — quibus modis acquiratur 232 seqq.; — animalium 232.

Domus religiosa, regularis, formata 423, 5°.

Donatio 307; — in favorem causae piae 307; — facta in praeiudicium creditorum vel legitimae 308; — inofficiosa 309; — inter vivos vel mortis causa 309; — facta religioso 441 444.

Dos uxoris 229; — ad ingressum mulieris in religionem 430.

Dubium eiusque species 15; — circa votum 153; — de bona fide possessoris antecessoris in ordine ad praescriptionem 237; — circa dominum cui restitutio debetur 276; dubium de impedimento matrimonium dirimente 783-784; — circa consanguinitatem, ligamen vel impotentiam 783 nota; rursus circa impoten-

tiam 799; — de valore matrimonii, quatenus eius usum impediat 871; — de gravitate peccati, quoad incurrendam censuram 894 nota; — iuris vel facti, excusans a censura 897.

Duellantes quoad infamiam et irregularitatem 761; — excommunicatione plectuntur 926; — quoad sepulturam ecclesiasticam 931 nota.

Duellum 175.

E

Ebrietas 69-70; ebriosi quomodo iuvandi ad emendationem 701.

Ecclesia, quid hoc nomine veniat 357; ecclesiae exsecratio 527 nota; — violatio 527; — visitatio ad lucrandas indulgentias 734.

Ecclesiastica bona 230; — eorum praescriptio 239.

Ectopici conceptus 176 182 186.

Educatio acatholica filiorum 928.

Electio indigni, cf. *Suffragium*.

Eleemosyna spiritualis 90; — temporalis, eius obligatio 93; eleemosynae Missarum, cf. *Stipendia*.

Embryotomia 176 180.

Embryulcia 180.

Emptio bona fide facta apud furem 251; — cf. *Emptio-venditio*.

Emptio-venditio, huius contractus materia 321-325; — quando perficitur contractus 321 nota 5; — — iustum pretium 324; — quando liceat carius vendere vel vilius emere 325 326; — venditio sub hasta, cum pacto retrovenditionis, per proxenetas 326 327.

Ephemerides pravae, quomodo vetentur iure naturae 111; — vel iure ecclesiastico 374 384 390; — ad eas cooperatio 112-113.

Episcopi quoad obligationem applicandi pro populo 507-509; episcoporum obligationes 417; — cf. *Ordinarii loci*.

Error vel dolus, an praesumendus 44 nota 2; — in emissione voti 149; — iuramenti 144; — in contractibus 298-299; — in emptione-venditione 322; error communis, quoad validitatem absolutionis 640; errores a confessario commissi quomodo corrigendi 721 722; error in consensu matrimoniali 843 844.

Eucharistia (SS.) ut sacrificium 497; — eius confectionis materia 510 511; — forma 512; — materia quomodo esse et disponi debet ad consecrationem 513-516; — custodia 569; — cultus 570; — renovatio 571; — dispensatio 574 seqq. — subiectum 580 seqq.; cf. *Communio*; — effectus 584; quamdiu maneant species sacramentales 585.

Eunuchi 197 212, 2°; — quoad matrimonium 798.

Euthanasia 183.

Evictio 252.

Examen apum 232 nota 1; examen conscientiae ante confessionem 616; — sponsorum ante matrimonium 773. —

Excommunicatio quid 909; eius effectus varii 909-911; excommunicationes latae sententiae singillatim recensentur 915-933; excommunicationem absolventes absque facultate 923; excommunicati tolerati vel vitandi, quinam 909; — quibus iuribus priventur 909-911; favorem praestantes excommunicato vitando 923.

Exemptionis privilegium et casus ab exemptione excepti 459.

Existimatum impedimentum dirimens 785.

Expellere receptum virile semen 178.

Expensae resarciendae possessori bonae fidei 253; — vel malae fidei 257.

Exploratio voluntatis mulieris ad religionem adspirantis 430.

Expositio SS.mi Sacramenti 570; — Quadraginta Horarum 570.

Exsecutor damni quo loco inter cooperatores ad restituendum teneatur 275.

Extra-uterini fetus 176 182.

Extrema unctio, eius materia, forma, minister 750 751; — subiectum 752; — eorum qui recens dicuntur obiisse 753 754.

F

Facultates ad dispensandum ab impedimentis matrimonii, quasnam habeant Ordinarii locorum 823-825 et in Appendice; — absolvendi a censuris reservatis 900; — Ordinariorum, Nuntiorum etc., 825 nota et cf. in Appendice.

Falsificatores litterarum apostolicarum 921; — documenti Curiae episcopalis 927; — reliquiarum 928.

Fama quando reparanda 348 349.

Famuli quoad cooperationem 108; — officia erga dominum 168, 4°; an liceat ei occulta compensatio 247 *NB.*; — quoad restitutionem 273.

Fecundatio 185; fecundatio artificialis 866.

Ferreae viae leges quatenus obligent 287.

Festi dies, cf. *Dies* festi.

Fetus abortivi quoad baptismum 485.

Fidei necessitas 71; — praeceptum 72; — professio 73-74.

Fideicommissum 313.

Fides bona vel mala, cf. *Bona fides*, *Mala fides*.

Filii, eorum officia erga parentes 166; — quoad vocationem religiosam 166 nota; — quoad dominium 228; filiorum educatio 167; — eorum instructio sexualis 221; filii legitimi, illegitimi, legitimati, naturales, spurii, adulterini, sacrilegi, incestuosi, nefarii, 772 nota; filiorum legitimatio 772; filiorum educatio acatholica 928.

Finis contractui assignatus 298 nota 2, 304.

Foetus occisio 176; — animatio 177 nota 1; — ectopici 176 182.

Forenses actus die festo prohibiti 164, 4°.

Fori privilegium proprium clericorum 397.

Forma celebrationis validae matrimonii 848; — celebrationis licitae 852; — in matrimoniis mixtis 789; — in periculo mortis 854; — in impedimento habendi sacerdotem competentem 854 855; quosnam obliget forma contrahendi canonica 856; cf. *Ritus*.

Formalitates legales 227.

Formata domus religiosa 423, 5°.

Formulae facultatum, quas Ordinariis sibi subiectis tribuit S.C. de Prop. Fide, cf. in Appendice.

Fornicatio 201; — illicite suaderetur habituato in pollutione 219, 14°; — quoad restitutionem 286.

Fragmenta hostiarum reperta 572 573.

Fructus beneficii 230 411 418; — — naturales, industriales, mixti, civiles 249; — quinam restituendi a possessore bonae fidei 253; — vel malae fidei 257; — fructus Missae 500.

Fugitivi religiosi 936; cf. *Apostata.*

Fulminatio dispensationis 840.

Fur quo loco teneatur restituere inter cooperatores 275.

Furtula 244.

Furtum quid et quando grave 242 243 245.

G

Gastrohysterotomia 181.

Gaudium 66.

Gestio negotiorum (contractus) 320.

Gratiarum actio post Missam 523.

Guttae calici adhaerentes 513.

H

Habituati in pollutione quomodo iuvandi 700; habituati in blasphemiis 701; — in odio 701; — in ebrietate 701; — in venialibus 701; — cf. *Consuetudinarii.*

Habitus ecclesiastici et tonsurae delatio clericis praecepta 407; religiosi delatio 438.

Haeresis 77.

Haeretici, eorum templa vel functiones adire 76; eisdem favere 105; haeretici quoad baptismum 489 490; — quomodo praeparandi ad reconciliationem cum Ecclesia 717-718; — moribundi 715; quoad irregularitatem 762; eorum filii quatenus ligentur impedimentis matrimonialibus iuris ecclesiastici 778; — quoad excommunicationem et quoad absolutionem ab excommunicatione 916 917; suspectus de haeresi, quis 916; — quoad sepulturam ecclesiasticam 931.

Heres 311; — circa testamentum vel legatum informe 227 247 nota; — quoad praescriptionem 237.

Herus, eius officia erga operarios 168, 4°.

Hispania, Bulla Cruciatae 372, I.

Homicidium 174; — quoad restitutionem 284 285; — quoad irregularitatem 763.

Honestas publica quatenus impedimentum dirimens 817.

Honor laesus reparandus 350.

Honoraria professionalia quaenam iusta 289 nota 1.

Hora celebrandi 526.

Horae canonicae quibusnam praecipiantur 410; — omissionis materia gravis 411; quo kalendario utendum 412; — quo tempore recitandae 413; Officii mutatio voluntaria, involuntaria 413; — attentio, pronuntiatio debita in recitatione 414; recitationis interruptio 414; — socius 414; causae a recitatione excusantes 415; recitationis dispensatio 415 *NB.*

Hostiae conservandae sint recentes 510, 2°; — dubie consecratae 513-515; — repertae 573; — in terram delapsae 575; si nequeat hostia deglutiri 592.

Hypnotismus 124.

Hysterotomia 181.

I

Idiomatis ignari, quoad confessionem 618.

Ieiunium quando et quomodo obliget 363 367 seqq.; ieiunium eucharisticum 588 seqq.; an possit celebrare aliquando sacerdos non ieiunus 522; — quoad sacerdotes binantes 522 nota.

Ientaculum qui inadvertenter sumpsit die ieiunii 369.

Ignorantia eiusque species 2; — an praesumenda 44 nota 2; — an invincibilis dari possit circa gravitatem pollutionis 213, 5° — iuris an noceat praescriptioni 236 nota; — impedimenti matrimonium dirimentis 779-782; — excusans a censura 895.

Illegitimi, quoad irregularitatem 760.

Immunitas, clericorum privilegium 397.

Impedientes dispositiones apostolicas vel libertatem ecclesiasticam 920.

Impedimenta ad ordines suscipiendos 758 764; — investiganda ante matrimonium 773; — revelanda ante matrimonium 776; impedimento detecto dubio vel certo, ante matrimonium, quid faciendum parocho 776; impedimentum, impediens vel dirimens, quid 777; — stricto vel lato sensu, quid 777 nota *; — quando publicum vel occultum 777; impedimenta iuris naturalis vel divini authentice declarare potest sola Ecclesia 777; impedimentis iuris ecclesiastici quatenus ligentur haeretici 778; matrimonium inire cum impedimento ignorato 779-782 et cf. *Casus perplexus;* cum impedimento dubio 783-784; impedimenti existimatio 785; impedimentum detectum post contractum matrimonium 786; impedimenta impedientia explicantur singillatim 787 seqq.; impedimenta late dicta 790 seqq.; — dirimentia explicantur singillatim 795 seqq.; — a quonam dispensari possint pro diversis adiunctis 822-829; quibus de causis 830-831; ad quem recurrendum, ut obtineatur dispensatio 831; per quem recurrendum 832; quomodo petenda dispensatio 833-837; quomodo exsequenda 838-840.

Impii, an liceat cum iis contrahere matrimonium 790.

Impotentia 217; — impedimentum dirimens 797-799; — dubia 783 nota, 799; — quatenus impediat usum coniugii 870.

Impuberes 197; — non incurrunt poenas latae sententiae 892, 4°.

Impudicitiae peccata 207.

Incapacitas legalis 226.

Incestus 204.

Incolae 37 nota.

Indissolubilitas matrimonii 770.

Indulgentiae, notiones generales 730; quinam eas concedere possunt 730; — quoties, quo die acquiri possunt 731; — condiciones generales 732 seqq.; — apostolicae 737; — viae crucis 738; — rosarii 739; — scapulariorum 740-743; — Portiunculae 744; — iubilaei 745-748.

Indultum Amer. Latinae quoad abstinentiam et ieiunium 372 III.

Infames quinam in Iure 761; infamia quatenus constituat irre-

gularitatem 761; — quatenus simplex impedimentum ad ordines 764.

Infantes quinam 36 nota 1; — quoad baptismum 487 489.

Infideles, eorum templa adire 76.

Infidelitas, peccatum contra fidem 81.

Infirmorum communio 576 577; — per modum Viatici, cf. *Viaticum;* ieiunium ante communionem 591; — confessio quomodo suscipienda et quomodo iuvandi 710-713.

Influxus causae in damnum 267 ad 274.

Informia, cf. *Legata, Testamentum.*

Inhonestae partes 187.

Inimicorum dilectio 88-89.

Iniuria 240; — per actum mere internum 241.

Inscriptio baptismi 493; — confirmationis 496; — matrimonii 860.

Instructio filiorum 167; — sexualis eorumdem 221.

Integritas confessionis 609 seqq.; causae ab ea excusantes 617 seqq.

Intentio actualis, virtualis, habitualis, interpretativa 12; — in adimpletione legis 39; — requisita ad votum 148; — in confectione sacramentorum 467; — in eorum susceptione 477; intentiones contrariae 469; — ad lucrandas indulgentias 732.

Interdictum, quid, quotuplex, quos habeat effectus 912; eius violatio 934.

Interesse an sint restituenda a possessore malae fidei 256; — ex mutuo 316-318; — ex interesse 318.

Interrogandi officium quatenus confessario incumbit 681-684.

Inventae res 233; earum praescriptio iuxta leges civiles 238.

Irregularitas quid, et quomodo contrahatur, multiplicetur, dispensetur 758 759; irregularitates ex defectu 760 761; — ex delicto 762-763; earum absolutio in casu urgentiore 759 908, 11°.

Irritatio iuramenti 146; — voti 155-156.

Irrumatio 200 nota 1.

Iteratio sacramentorum 472; — baptismi 489; — confessionis 613 seqq., 662 seqq.

Itinerantes, quoad confessionem in mari 655; — quoad peccata reservata 659; religiosi in itinere 650.

Iubilaeum 745-746.

Iudex, eius sententia quomodo obliget 45; — iustam sententiam ferre tenetur 290; trahentes ad iudicem laicum personas ecclesiasticas 921 923 936.

Iudicium temerarium 351.

Iuramentum 139 seqq.; — promissorium eiusque obligatio 139 141 143 146; — eius distinctio a voto 143; — contractui adiectum 305; — antimodernisticum 74 nota 2.

Iurisdictio ad audiendas confessiones 633; — ordinaria 634; — delegata a quo accipienda 635 ad 638; — quando cesset 639; — extraordinaria in errore communi, vel stante sententia probabili 640 641; — dubia 642; — ad absolvendos saeculares 643 ad 645; — religiosos 646-650; — religiosas 651-654; — navigan-

tes 655; — milites 655; — moribundos 655; — ad reservata; cf. *Reservatio.*

Ius proprietatis 222; — in re, ad rem 223.

Iustitia eiusque species 222; obligatio legum civilium in materia iustitiae 224 seqq.

K

Kalendarium, cuinam se debeat conformare celebrans 536.

L

Labor prohibitus die festo 164; causae excusantes 165; laborandi obligatio naturalis 173; laboris locatio 330; — cessatio ex condicto, seu operistitium 332.

Lactantia filiorum 167 b).

Lacticinia quatenus permittantur in coenula die ieiunii 267.

Laicalia officia quatenus clericis interdicta 399.

Laicus iudex, ad eum trahentes personas ecclesiasticas 921 923 936.

Laparotomia 182.

Lectio prohibita, cf. *Libri* vel *Ephemerides;* — turpis 193 212, 3°; lectio libri haeretici censura plectitur 918.

Legata 312; — informia 227 310; — an contra ea liceat compensatio 247 nota 3; — in favorem causae piae 310 312.

Legitima quatenus debeatur 308 313.

Legitimatio filiorum 772.

Lex 29; — eius promulgatio 32; — interpretatio 33; — obiectum 34; — subiectum 35; — obligatio 39 42; — causa excusans 43; — lex irritans 44; — poenalis 45; legis cessatio 46; legum civilium obligatio in materia iustitiae 224 seqq.; leges annullativae 225 226 nota 3; — dominii translativae 225; — regulantes actus dominii translativos 226; — circa formalitates legales 227; — circa solvenda tributa et adeundam militiam 287.

Liberalismus 69-80.

Libertas quibus modis minuatur 4-6.

Libri pravi quomodo vetentur iure naturae 11; — vel iure ecclesiastico 374 381-394; — ad eos cooperatio 112 113; liber, libellus, quid hoc nomine veniat 375 nota; censura librorum 375-380; liber pravus an reddendus domino 387; libri paroeciales 419; libri haeretici 918.

Licentia differt a dispensatione 48; — praesumpta ad dandum vel accipiendum 446.

Licitatio 326.

Ligamen, impedimentum dirimens 800; dubium circa 783 nota.

Litterae, earum aperitio 354; — cum inscriptione « res conscientiae » 354 nota 1; — testimoniales ad admissionem in novitiatu 430 nota; litterarum missio ad Superiores apud religiosos 453; litterae commendatitiae ad celebrandum in aliena ecclesia 517.

Litteraria proprietas 231.

Loca sacra quaenam sint 127 nota.

Locatio quatenus implicat cooperationem ad malum 110; locationis contractus 329; locatio operae 330.

Locus celebrationis Missae 527 528; — dispensandae s. communionis 575; — celebrandi matrimonii 857.

Loteria 335; restitutio ob loteriae schedam furto ablatam 257 *NB.* 3°.

Lotio corporalium et purificatoriorum 530 nota; — manuum ante Missam 536.

Lotiones vaginales 216.

Ludus (contractus) 336; — lege civili prohibitus 337; — quatenus vetetur clericis 400.

Lusitania, Bulla Cruciatae 372 I.

Lux electrica 529; — coram SS.mo 569.

Luxuria in genere 116; — quoad venerea 187 et cf. *Delectatio* venerea; — fucata 219; luxuriae imperfectae actus, quatenus liceant coniugibus 872; luxuriosi quomodo iuvandi ad emendationem 699.

M

Maior aetas quando incipiat 228 nota 5.

Mala fides possessoris antecessoris an impediat praescriptionem 237.

Maledictio 137-138 175.

Mandans quoad restitutionem 268; — quo loco ad eamdem teneatur inter damnificatores 275.

Mandatum (contractus) 320.

Manifestatio delictorum apud religiosos 91; — conscientiae in religionibus 437; — defectuum ante matrimonium 769 792-794; — impedimentorum ante matrimonium 776.

Mansturbatio, v. *Masturbatio.*

Manuscripta quoad votum paupertatis 447.

Mappae altaris 529.

Maritus circa vota uxoris 156.

Massones, cum eis communicatio 76; massones plectuntur excommunicatione 922; — quoad sepulturam ecclesiasticam 931 nota.

Masturbatio 214, 15°.

Mater circa vota filiorum 156.

Materia voti 150; — gravis in furto 242 243 245; — in laesione abstinentiae 364; — in laesione ieiunii 369; — in lectione prohibita 383 384; — in laesione voti paupertatis 445; materia et forma sacramentorum 466.

Matrimoniales conventiones seu capitulationes 229.

Matrimonium, eius essentia, finis, proprietates 770; matrimonium legitimum, putativum, ratum 771; matrimonii sacramenti materia et forma, minister 771; — effectus 772; — publicationes 775; matrimonium vagorum 776; matrimonii impedimenta in genere 777; matrimonium inire cum impedimento ignorato 779-782 et cf. *Casus perplexus;* — dubio 783-784; — existimato 785; — contractum cum impedimento, quod postea detegitur 786; matrimonii consummatio quid requirat 797 nota; — invalidum, quatenus impedimentum dirimens 817; matrimonialium impedimentorum dispensatio, cf. *Dispensatio;* matrimonialis consensus, cf. *Consensus;* matrimonii valide celebrandi forma 848; — licite celebrandi forma 852; — quosnam obliget 856; ad assistendum delegatio, cf.

Delegatio, Subdelegatio; quisnam matrimonio in mortis periculo assistere possit 854; quisnam in casibus extraordinariis 854 855; quo loco et tempore matrimonium celebrari debeat 857; quo ritu et sollemnitate 858 859; matrimonii adnotatio seu inscriptio 860; matrimonium conscientiae 860; — civile 861; matrimonii usus, cf. *Usus.;* vinculi solutio in matrimonio rato tantum vel in matrimoniis infidelium conversorum 878-880; — convalidatio 885-888; — per sanationem in radice 889; matrimonii attentatio a personis ecclesiasticis 927 930; matrimonium coram ministro acatholico 928.

Matutini anticipatio 413.

Medicus, eius obligationes 183 285; — quoad restitutionem 270 289; — quoad examen militiae conscriptorum 287 nota 1; medicinae exercitium clericis interdictum 399.

Mendacium 339 seqq.; — an semper illicitum 339; mendacium in confessione 615 684.

Metus minuit libertatem 4; — in emissione voti 149; — iuramenti 144; — in contractibus 300 301; metus, quoad invalidandum consensum matrimonialem 847; — excusans a censura 896.

Milites, eorum obligatio quoad abstinentiam et ieiunium in Hispania et Lusitania 372 I; milites quoad confessionem 655; — quatenus impediti ad ordines 764.

Militia, obligatio eam adeundi 287, 2°; — clerici ab ea exempti 397, 3°; — eisdem interdicta 399, 7°.

Minister baptismi 482; — confirmationis 495; — Missae 532; — dispensationis SS.mae Eucharistiae 574; — extremae unctionis 751.

Minor iuxta ius canonicum 38 nota; — quoad rescissionem contractus 226; — quoad praescriptionem 238 nota 1; — quinam minores dicantur 228 nota; — quoad contractus 295 296.

Minorennis, cf. *Minor.*

Missa, quoad eius auditionem, praesentia requisita 161; — attentio 162; — causae ab ea excusantes 163 — quibus diebus audienda de praecepto 356; — quo loco 357 358; Missa, ut sacrificium 497; eius fructus 500; — intentio 469 502; — applicatio 503-509; Missae in Nativit. Domini et in Comm. Omn. Def. 524 nota, 526 546; — pro sponso et sponsa 859; — in altari portatili 528; — in mari 528; Missae ritus et caeremoniae 529-540; — interruptio 539; — defectus 498 540; — stipendium, cf. *Stipendium.*

Missale 529.

Mixta religio quatenus impedimentum matrimonii 789.

Mola 186.

Moneta falsa 323.

Moniales quaenam dicantur 423, 7°; — earum clausura 456 seqq.; cum iis collocutio 457 *NB.;* earum privilegia 459; — cf. *Religiosae.*

Monitio, eius obligatio 92; — quando facienda poenitenti 686 687.

Monopolium 327.

Monstra, quoad baptismum 485.

Morbi venerei 327; morbus contagiosus, quatenus impediat matrimonium 792.

Moribundi, quoad confessionem 619 655; — quoad peccata reservata 659; — quomodo iuvandi 710-713; moribundi infideles 714; — haeretici 715; — schismatici 716; — quoad extremam unctionem 753 754; — quoad impedimenta matrimonii 823, 4°, 826, 2°, 827, 2°, 829; — quoad formam contrahendi 854; — quoad absolutionem a censuris 903.

Morphina 171.

Mortis periculum, quid 655 nota, 823 nota; cf. *Moribundi*.

Motus impuri, quomodo eis resistendum 215.

Mulier vi oppressa an clamare teneatur 3; mulierum cohabitatio clericis interdicta 398; mulierum ad religionem adspirantium voluntatis exploratio 431; mulier excisa, quoad matrimonium 799.

Munera accipere a seductore 294; — a iudice recusanda 290.

Musica sacra 537.

Muti quoad confessionem 617.

Mutilatio 169; — quoad irregularitatem 763.

Mutuum 314-318.

N

Natalium defectus quoad irregularitatem 760.

Nativitatis Domini Missae 524 nota, 526; — quoad stipendia 546.

Navigantes, quoad confessiones 655.

Necessitas a lege excusans 43; — extrema, gravis, communis 85; — an in extrema ablatio alieni liceat 246.

Negotiatio cum bonis alienis 228, 2°; negotiorum gestio (contractus) 320; negotiatio clericis interdicta 401.

Neophyti quatenus impediti ad ordines 764.

Notarius quoad restitutionem 270 291; notarium agere quatenus prohibeatur clericis 399, 4°.

Novitiatus 426-432.

Novitii, eorum admissio valida vel licita 427 428; — testimonia ad admissionem exhibenda 429; novitiorum privilegia 431; novitii cum quonam confiteri possint aut debeant 648 649.

Numisma loco scapulariorum 743.

Nuntiorum S. Sedis facultates, cf. in Appendice pag. 701 seqq.

Nuptiae clericis interdictae 409; nuptiae quo loco et tempore celebrandae 857; quo ritu et sollemnitate 858 859.

Nupturientes 210; — an teneantur alteri parti defectus proprios manifestare 769.

O

Obedientia Ordinario a clericis debita 408; obedientiae votum religiosorum quatenus obliget 453-455.

Obligatio legis 39 seqq.; — ex caritate 86; — iuramenti promissorii 143; — voti 151; — legum civilium in materia iustitiae 224 seqq.; — legis civilis vel naturalis, in materia iustitiae 226 nota 3, 238 D, 2ª quaest.; — in contractibus 302.

Occasionarii quomodo absolvendi 695 697; — et iuvandi 701.

Occasionem peccandi apponere 96.

Occisio foetus 176.

Occulta compensatio, cf. *Compensatio* occulta; occultum crimen quando dicatur 345; occulta vitia revelanda in venditione 322.

Occupatio, titulus acquirendi dominii 232.

Odium inimicorum 89 *NB.*; in eo indurati quomodo iuvandi 700.

Oeconomi vicarii 420 et cf. *Vicarii.*

Offensa 241; — condonanda est 89.

Officia saecularia quatenus clericis interdicantur 399; officia confessarii erga poenitentes 680 seqq., cf. *Confessarius;* officia divina, quid veniat hoc nomine in materia poenali 909 nota.

Officium divinum, cf. *Horae canonicae.*

Onanismus 202 873.

Onera Missarum, cf. *Stipendium.*

Operarii quoad cooperationem 112; — officia erga herum 168, 4°; salarium eis debitum 330; an eisdem debeatur salarium familiale 331; an eis liceat operistitium 332; — quoad ieiunium 371, 3°.

Operatio caesarea 176 181; operationes Bursae 338.

Operistitium quatenus illicitum 332.

Opinio probabilis 18 seqq.; quomodo ea uti teneatur confessarius 27.

Oratorium publicum, semipublicum, privatum seu domesticum quid intelligatur 357; — qua auctoritate erigendum et qua benedictione donandum 357; Missae auditio in oratorio privato 358; oratorium publicum, eius violatio 527.

Ordinarii vel *Ordinarii loci*, quinam 52 nota 3; Ordinarii loci quoad dispensationem voti 159; observantiam festorumm 359; — abstinentiae vel ieiunii 372; — recitationis Horarum 415 *NB.;* Ordinario suo reverentiam et obedientiam debent clerici 408; — quoad religiosos exemptos 459 A.; — quatenus impedimenta matrimonialia dispensare possint 823-825; — quoad assistendum valide aut licite celebrationi matrimonii 848 852; — quoad delegandum sacerdotem, ut assistat 850; — quoad absolvendum a censuris 902, 3°; Ordinariorum facultates a S.C. de Prop. Fide 825 nota et cf. In Appendice pag. 691 seqq.

Ordines, ut sacramenta 755; eorum materia, forma, minister, subiectum 756 757; ordinandi probitas requisita 765 766; ad ordines suscipiendos impedimenta 764; irregularitates 758 ad 763; ordinum mala collatio vel susceptio 935 938.

Ordo in restitutione facienda 275 278.

Ordo religiosus 423.

Ordo sacer quatenus impedimentum dirimens 802.

Ornatus superfluus 116.

Orphanotrophium, an liceat infantes ei exponere 167 b).

Oscula 192 193 208 210 212, 3°

Ova quatenus permittantur in coenula die ieiunii 367.

Ovulatio 185.

P

Pagella facultatum S. Poenitentiariae pro confessariis, cf. in Appendice pag. 710 seqq.

Palpo quoad restitutionem 271.

Paraphernalia bona 229.

Parentes, eorum officia erga filios 167; parentum consensus vel dissensus circa ineundum a filiis matrimonium 774 791.

Parochus, eius obligationes 418 ad 419; — quoad potestatem dispensandi ab observantia festorum 359; — ab abstinentia vel ieiunio 372; — quoad obligationem applicandi pro populo 507 ad 509; — quoad dispensanda impedimenta matrimonialia in diversis casibus 826; — quoad assistentiam validam vel licitam matrimoniorum 848 852; quoad delegandum sacerdotem, ut assistat 850.

Paroeciae, quaenam dicantur 38 nota 4.

Paroeciales vicarii, cf. *Vicarii.*

Participans in furto vel in damno 272.

Particulae hostiarum repertae 572 573.

Partus acceleratus 176.

Parvuli, quinam 36 nota 1; parvulorum baptismus 483.

Patena 530.

Pater circa vota filiorum 156.

Patria, officia erga eam; eius amor inordinatus in religioso 168, 5°.

Patrini in baptismo 492; — in confirmatione 496.

Pauperes qui se tales fingunt 257 *NB.* 2°; — quoad ieiunium 371, 2ª; — quoad abstinentiam et ieiunium in Hispania et Lusitania 372, I *NB.* 1°; pauperes quinam dicantur in ordine ad dispensationes impedimentorum matrimonialium 832 nota.

Paupertatis votum quomodo obliget 439-445; — quibus actionibus laedatur vel secus 446-451; — gravis laesionis materia 445.

Peccata quomodo accusanda in confessione, cf. *Confessio;* eorum contritio 600-604; peccata dubia 613; — in confessione oblita 614; — reservata, cf. *Reservatio.*

Peccatum mortale, eius condiciones 55; peccatorum distinctio specifica et numerica 58-62; peccata interna 63; — capitalia 68.

Peccatores publici, an liceat cum iis contrahere matrimonium 790.

Peculium 449.

Pecunia, eius praestatio, cf. *Mutuum.*

Percussio personarum ecclesiasticarum 915 921 928.

Peregrini quinam 37; — quoad leges 37; — quoad censuras iuris dioecesani 893.

Perfectio in quo consistat 421; perfectionis status 422; eius sectandae obligatio in religiosis 436.

Periculum proximum consensus in genere 57; — in re venerea 196; periculum mortis, cf. *Mortis periculum, Moribundi.*

Perplexus casus 780-782 823, 3°, 826 827.

Petitio dispensationis impedimenti matrimonialis 833-837.

Phtisis an impediat matrimonium 793.

Piae personae quomodo dirigendae a confessario 706 707.

Piam vitam ducere debent clerici 406; — et religiosi 437.

Poena contractui adiecta 304.

Poenae vindicativae, cf. *Vindicativae poenae.*

Poenalis lex 45.

Poenitentes, quomodo a confessario dirigendi in genere 705; — cf. *Confessarius*.

Poenitentia sacramentalis, eius impositio 625-628; — commutatio 629; — adimpletio 630; — omissio 631.

Poenitentiae sacramentum, materia et forma 593 seqq.; — materia quomodo debeat esse determinata 584; — cf. *Absolutio, Confessio, Iurisdictio*.

Pollutio, eius malitia intrinseca 189; — indirecte voluntaria quale peccatum 191 seqq.; — nocturna 199; — an distincta ratione aetatis vel sexus 212; — eius horrendum vitium 218; illicite suaderetur fornicatio homini in illa habituato 219; — moralis et physiologicae indistinctio 214, 15°; — cf. *Masturbatio;* — in ea habituati quomodo iuvandi 700.

Portiunculae indulgentia 744.

Possessionis principium 25; possessio requisita ad praescriptionem 235.

Possessor bonae fidei 250; — malae fidei 254; — dubiae fidei 258; — quoad restitutionem fructuum 253 257; — quoad compensationem expensarum 253 257.

Postulatus in religionibus 426.

Praeceptum et lex 29; — obedientiae 453.

Praeparatio ad Missam 523.

Praescriptio, eius vis in conscientia 235; eius condiciones 235; — bona fides 236; — tempus requisitum 238; — rerum emptarum in venditione publica 238 C; — liberativa 238 D; praescriptionis suspensio, interruptio 238, — bonorum ecclesiasticorum 239

Praesumptio, peccatum contra spem 82.

Precarium (contractus) 319.

Preces ad indulgentias praescriptae 734.

Pretium iustum, vulgare, legale, conventionale 324.

Privilegia in genere 53; — altaris portatilis 358; — clericorum seu privilegium canonis, fori etc. 397 921; — religiosorum 424 459; — novitiorum 431; — professorum temporariorum 434; — religiosorum clericalium exemptorum 461 462; — regularium 459-465; privilegium exemptionis et casus ab ea excepti 459; — paulinum 879-880.

Probabilismus 18 seqq.

Professio fidei cum iuramento antimodernistico a quibus emittenda 74 nota 2; — religiosa 433-435; — quomodo emittenda 432 nota; eius validitas, invaliditas 435.

Promissio 306.

Promulgatio legis canonicae vel civilis 32.

Propositio haeretica, erronea in fide 78.

Propositum non peccandi, in ordine ad absolutionem 605-607.

Proprietas litteraria 225, 2°, 231; — animalium 232; — cf. *Ius* proprietatis.

Protestantes cf. *Haeretici*.

Proxeneta 327.

Pruritus 208.

Psychoses quatenus minuant libertatem 6.

Pubertas 184.

Publicationes matrimonio ineundo praemittendae 775; earum dispensatio 776.

Publicum vel occultum crimen quando dicatur 345.

Pueri quinam 36 nota 1; — quoad absolutionem 703; eorum confessio collectiva improbatur 729. — quomodo iuvandi a confessario 703.

Purificatoria 530.

Pyxis 569.

Q

Quadraginta Horarum supplicatio 570.

Quaestus ex indulgentiis 922.

Quasi-domicilium 38.

Quasi-parochi quinam, eorumque iura et obligationes 420; quasiparoeciae quaenam dicantur 38 nota 4.

R

Raptus 206; — quatenus impedimentum dirimens 804.

Ratihabitio damni an obliget ad restitutionem 268.

Ratum matrimonium, quid 771.

Recidivi quomodo absolvendi 693 694; — quomodo iuvandi ad emendationem 698-701; — recidivi in venialia 701.

Reconciliatio ecclesiae vel oratorii publici 527 nota.

Recursus ad obtinendam dispensationem ab impedimento matrimoniali, ad quem et quomodo habendus 832-837; — ad obtinendam absolutionem a censuris vel ad accipienda mandata post earum absolutionem 908 nota; — ad laicam potestatem ad impediendas dispositiones apostolicas 920.

Reductio oneris Missarum 542 549 566, 15°.

Regula in religionibus quomodo obliget 436.

Regulares quinam 423, 7°; eorum clausura, cf. *Clausura;* — privilegia 459-465; — Ordinario loci in quibus obedire debeant vel eius permissu egeant 460; — quoad censuras Ordinarii loci 893, 6°.

Relapsus quomodo praecavendus 698-701.

Religionum ecclesiasticarum definitio et divisiones 423.

Religiosi 423; eorum obligationes 436-438; — vota, cf. *Votum, Paupertas, Obedientia;* eorum clausura, cf. *Clausura;* — privilegia 459-465; — quoad manifestationem delictorum 91; — religiosi cum quonam confiteri possint aut debeant 649; — in itinere 650; — quoad peccata reservata in ordine 660 663 664; cf. *Regulares;* religiosi matrimonium attentantes 927 930; — apostatae 930; — dimissi 935; — fugitivi 936; religiosae cum quonam confiteri possint aut debeant 654; — quomodo a confessario dirigendae 708 709.

Reliquiae falsae 928.

Renovatio SS.mae Eucharistiae 571 572.

Renuntiatio ante professionem sollemnem facienda 443.

Reparatio offensae 89; — famae 348; — honoris 350.

Res sacrae 125 127 nota; — inventae 233; — fungibiles 314 nota 5.

Rescissio contractus a minorenne vel uxore initi 226 295 296.

Rescripta quomodo exsequenda 838 840; eorum clausulae 839 908, 11°.

Reservatio peccatorum, quid sit 656; eius condiciones 658; — quotuplex distinguatur, papalis

vel synodalis, cum vel sine censura 656; — a quibus fieri possit 657; quinam habeant facultatem ad reservata 659; — quando cesset 660; — quoad navigantes 659; — quoad moribundos 659; confessarius carens facultate ad reservata quomodo se debeat gerere 662; reservationes Ordinum religiosorum 663 664; reservatio censurarum 900; — quando cesset 901.

Resilire a sponsalibus quando liceat 969.

Resistentia motibus impuris 215.

Restitutio, eius necessitas 248; eius radices 249; — an facienda in alio genere cum in proprio non possit 248; — ob laesam iustitiam distributivam 248; — quatenus facienda a possessore bonae fidei 250 seqq.; — malae fidei 254 seqq.; — dubiae fidei 258 seqq.; — an extendenda ad interesse in casu possessoris malae fidei 256; — ob damnificationem eiusque condiciones 261 seqq.; — ob impeditionem a consequendo aliquo bono 265; — ob cooperationem ex mandato, consilio, suffragio, etc. 268 ad 273; — quanta, quomodo, cui, quando facienda et de aliis eiusdem circumstantiis 274-280; — in solidum vel pro rata 274; facienda absolute vel condicionate 274; causae a restituendo excusantes 281-283; — ob damnum rei assecuratae 278 *NB.* 2°; — an adhuc urgeat cum probabilitate quod iam fuerit peracta 26 283 *NB.* 2°; — ob damnum in bonis animi 284; — ob homicidium 284 285; — ob fornicationem, stuprum, adulterium 286; — ob defraudata tributa 287; — ob defraudatum onus militiae 287, 2°; — ob detractionem 348.

Restrictio late vel pure mentalis 340 341.

Reus 290.

Revelatio defectuum ante matrimonium 769; — impedimentorum ante matrimonium 776.

Ritus, quis ad quem ritum pertineat 36 nota 2; ritus servandi in administratione sacramentorum 475; — baptismi 490; — Missae 529 seqq.; — in celebratione nuptiarum 856 859; — dispensandae s. communionis 575; — suscipiendae Eucharistiae 580.

Rosarium 739.

Rubricae Missae quomodo obligent 574-576.

Rudes, eorum confessio 595; — quomodo dirigendi a confessario 705.

S

Sacerdos celebrare petens in aliena ecclesia 517 561 563, 3°; — celebraturus quas dispositiones habere debet 519-523; — caecutiens vel surdus 519; — valide aut licite delegatus ad assistendum matrimonio 848-850; — competens ad assistendum matrimonio in casibus extraordinariis 854 855; sacerdos fictus 919; — absolvens ab excommunicatione sine facultate 923; — absolvens sine iurisdictione vel a reservatis absque facultate 937.

Sacramenta in genere, eorum materia et forma 466; — iteratio 472; — simulatio 473; — administratio 474; — denegatio

475; — ritus servandi 475; — susceptio 477.
Sacramentalia 478.
Sacrificium Missae, cf. *Missa.*
Sacrilegium eiusque species 155 seqq.; — quoad luxuriam 205.
Sacrum quid dicatur 125 127 nota 2.
Saecularia munera, actiones, oblectamenta quatenus interdicta clericis 399 400.
Salarium iustum 330 — familiale 331.
Sanatio matrimonii in radice 889.
Sancta Sedes, quid hoc nomine veniat 32 nota 2.
Satisfactio pro offensa 89 350; — cf. *Poenitentia* sacramentalis.
Scandalum quid, directum, indirectum, pusillorum 94 seqq.; — an ad eum vitandum omittenda praecepta 117.
Scapularia 740-743; numisma ea substituens 743.
Scheda loteriae furto ablata 257 *NB.* 3°; scheda confessionis 729.
Schismatici quinam 81; eorum baptismus 489; — quomodo praeparandi ad reconciliationem cum Ecclesia 719; — moribundi 716; — quoad irregularitatem 762; eorum filii quatenus impediti ad ordines 764; eorum excommunicatio et absolutio ab excommunicatione 916 917; — quoad sepulturam ecclesiasticam 931.
Scholae neutrae vel mixtae 167 c).
Scripturae Sacrae versiones quaenam prohibitae 389 391.
Scrupuli 17; scrupulosi quomodo a confessario dirigendi 709.
Secretum eiusque species et obligatio 352 353; — quandonam revelari possit 352 353; — et an si fuerit iuratum 145; — si nequeat celari sine mendacio 339 341.
Sectae massonicae etc., cf. *Massones.*
Sedes Apostolica vel Sancta, quid hoc nomine veniat 32 nota.
Semen 184.
Senatoris et deputati munus interdictum clericis 399.
Senes, quoad matrimonium 798.
Sensibus destituti, quoad baptismum 488; — absolutionem 619.
Sententia iudicis quomodo obliget 45.
Separatio coniugum 878 seqq.
Sepultura ecclesiastica 931 nota, 934.
Servitium militare, cf. *Militia.*
Sexualis instructio filiorum 221.
Sigillum sacramentale 723-729.
Simonia 129 seqq.; — quoad restitutionem 135; poenae in simoniacos 134 927.
Simulatio sacramenti 473.
Societas regiminis coniugalis 229; societatis contractus 333; societates illicitae 168, 5°; — assecurationis 334.
Sodomia eiusque species 200.
Sollicitatio in confessione, cf. *Denuntiatio;* sollicitationes dubiae 677; sollicitationis denuntiatio calumniosa 679 921.
Solutio cf. *Dissolutio.*
Sorores quaenam dicantur 423, 7°.
Species sacramentales quamdiu maneant in communicante 585.
Spectacula quatenus illicita 119 ad 120; — clericis prohibita 400, 4°.
Spermatozoa 184.
Spes 82.

Sphenotripsia 180.

Spiritismus 124.

Sponsalia, quid et quaenam sollemnitates requirantur ad validitatem 767; — an valeant metu vel cum impedimento dirimente inita 768; sponsalium dissolutio 769.

Sponsi an teneantur alteri parti defectus proprios manifestare 769; sponsorum examen ante matrimonium 773.

Sponsio 335.

Status gratiae requisitus ad conficienda sacramenta 471; — ad ea suscipienda 478; — ad celebrandum quomodo comparandus 520-521; — ad communionem requisitus 586; — ad lucrandas indulgentias 732.

Status liberi attestatio ante matrimonium 775 nota, 800.

Status sacerdotalis, ad eum vocatio 396; — religiosus in quo consistat 421 422; — ad eum vocatio 425; — eius ineundi impedimenta 427 428; — egressus ob necessitatem parentum 428 nota.

Sterilitas 217 797 nota.

Stipendia acceptare quatenus sit contra votum paupertatis 441 nota 5, 448 nota 3.

Stipendium Missae, eius iustitia 541; — quodnam iustum 542; stipendia manualia, instar manualium, fundata 543; — applicationes vetitae 544 seqq.; eius satisfaciendi obligatio 548 568; — reductio 548 566, 15°; stipendia Missarum fundatarum 549 564; stipendiorum satisfactio quoad circumstantias loci, temporis, qualitatis Missae, altaris 550; tricenarium gregorianum 551 566; — obligationis adimplendae tempus 552 seqq.; — dilatio 554; — omissio 555; stipendiorum collectio 556; — distributio 558; — transmissio 559 563 565 566; — retentio 560-562; — mercimonium 557; — traditio in fine anni 567; — adnotatio 568.

Studia praesertim sacra colere debent clerici 408.

Stuprum 205; — quoad restitutionem 286.

Suadere minus malum 96.

Subdelegatio ad assistendum matrimonio an dari possit 851.

Sub hasta venditio 326.

Substitutus vicarius 420, et cf. *Vicarii*.

Subtractio documenti Curiae episcopalis 927.

Suffragium ferre pro indigno quatenus prohibitum 114-115; eius ferendi obligatio 114 115 168, 5°; — quoad obligationem restitutionis 271.

Suicidae quoad sepulturam ecclesiasticam 931 nota.

Superior quoad correptionem detrahentis 90; — Collegii quoad vota alumnorum 157; — quoad restitutionem ob damna illata a subditis 273.

Superiores religiosi quoad vota subditorum 156 157 159; — quoad dispensandum ab observantia festorum 359; — ab abstinentia vel ieiunio 372; — a recitatione Horarum 415 *NB.*; « Superiores maiores » religiosi quinam dicantur 52 nota, 423, 8°; — cf. *Ordinarii*.

Superstitio 121 seqq.

Surdi, quoad confessionem 617.

Susceptio sacramentorum 477; — Eucharistiae 580 seqq., cf. *Communio.*

Suspectus de haeresi 916.

Suspensio voti 157; suspensio quid, quotuplex, quos habeat effectus 913.

Symphyseotomia 181 nota.

Syphilis 218; — an impediat matrimonium 793.

T

Tabernaculum, quo SS. Eucharistia asservatur 569.

Tactus turpes 192 193 208 212, 3°.

Taxae in administratione sacramentorum 476; — stipendium Missae 542; — Missarum ex testamento 543.

Tempus, eius supputatio iuxta Codicem 33 nota 3; — ad praescriptionem requisitum 238; an liceant simul supputationes diversae in diversis praeceptis 364 nota; tempus celebrationis Missae 524-526; — dispensandae s. communionis 575; — celebrandi matrimonii 857; — copulae coniugalis, cf. *Usus.*

Testamentum 310; — informe 227 310; — an liceat contra id compensatio 247; — in favorem causae piae 310; — condendum ante professionem votorum temporariorum in Congregationibus religiosis 432 442.

Testes ad celebrationem matrimonii requisiti 851; — in iudicio 290.

Testimonia exhibenda ad admissionem in novitiatu 429.

Theatra, cf. *Spectacula.*

Theosophicae doctrinae 80 nota 1.

Thesaurus 225 nota 1, 232.

Titulus ad praescriptionem 235; — exigendi mutui 316 317.

Toleratus, cf. *Excommunicatio.*

Tonsurae delatio clericis obligatoria 407.

Trahentes ad iudicem laicum personas ecclesiasticas 921 923 936.

Transatlanticae Societatis privilegium quoad abstinentiam et ieiunium 372 II sub finem.

Tributa 287.

Tricenarium gregorianum 551.

Turpiloquium 192 193 209 212, 3°.

Typographi quoad cooperationem 110 112.

U

Unctio extrema, cf. *Extrema unctio.*

Universitates laicas frequentare an permittatur clericis 405.

Usurpatio bonorum ecclesiasticorum 921 925.

Usus 223; usus matrimonii licitus vel illicitus 862; quomodo moderandus tempore menstruationis, praegnationis, puerperii, lactationis, morbi, sacrae communionis 863-865; — obligatorius, seu quandonam debitum coniugale sit vel non sit reddendum 867-868; — impeditus, seu quandonam debitum non possit peti aut reddi ob votum, adulterium, impotentiam vel dubium de validitate matrimonii 869 ad 871; — imperfectus, quatenus liceat vel non liceat coniugibus 872; — onanisticus 873.

Ususfructus 223; usufructuarius 223 nota 1.

Uxor quoad vota mariti 157; — quoad dominium 229; — quoad contractus 295 296.

V

Vagi quinam 37; — quoad leges 37; — quoad matrimonium 776 852.

Vaginales lotiones 216.

Valetudinis cura 171.

Vana observantia 121.

Vasa sacra 530.

Vasectomia 170; vasectomiaci, quoad matrimonium 798.

Venatio, leges civiles eam prohibentes 232; — clericis vetita 400, 2°.

Vendere res pravas 106 107.

Venditio, praescriptio rerum in venditione publica emptarum 238 C; — rei alienae bona fide acquisitae 252; — facta duobus emptoribus successive 321 nota; — cf. *Emptio-venditio*.

Venerea delectatio, cf. *Delectatio;* morbi venerei 218.

Viae Crucis exercitium 738.

Viaticum, eius delatio 576 577 578; eius ministrandi tempus 578 582; — ritus 577; quid si infirmus evomat 579.

Vicarii paroeciales quinam, eorumque iura et obligationes 420; — oeconomi 420; — substituti pro parocho 420; — parochi adiutores 420; vicarii curati, oeconomi, substituti, adiutores, cooperatores, an matrimoniis assistere et an ad assistendum delegare possint 850 nota.

Vindicativae poenae, quid 890; earum absolutio in casu urgentiore 908.

Vinum consecrandum quale esse debet 511 nota 3; — ex uvis passis quomodo conficiatur ad Missam 511 nota 3, (p. 67).

Violatio ecclesiae vel oratorii publici 527.

Violantes clausuram monialium vel regularium virorum 924.

Violentas manus iniicientes in personas ecclesiasticas 915 921 928.

Violentia 3.

Virga divinatoria 124.

Virginitas, eius praestantia 211; eius vindicatio ab incusationibus 211 nota 1; — cf. *Continentia*.

Vis, quoad invalidandum consensum matrimonialem 847.

Visitatio ecclesiae ad lucrandas indulgentias 734.

Vitae cura 172; — defensio 174; vita communis in religionibus 438 449.

Vitandus, cf. *Excommunicatio*.

Vitia manifestanda in emptione-venditione 322.

Vocatio ad statum sacerdotalem 396.

Vocum diversitas in Missa 536.

Voluntarietas 2 3.

Voluntarium eiusque species 7 11 12.

Voluntatis exploratio in mulieribus ad religionem adspirantibus 430.

Votum, eius divisiones, essentia, materia, obligatio 147 seqq.; voti irritatio 155-156; — suspensio 157; — dispensatio 158-159; vota reservata quaenam 158; votum castitatis clericorum 409; vota religiosa: simplicia, tem-

poraria vel perpetua, sollemnia 433-435; — ante professionem emissa suspenduntur 434; votum paupertatis ad quid obliget 439; effectus voti paupertatis simplicis 439-441; — vel sollemnis 444; eius laesio gravis 445; votum castitatis religiosorum 452; — obedientiae 453 seqq.; vota in Societate Iesu 439 nota 2; votum quatenus impedimentum matrimonium impediens 787-788; — quatenus impedimentum dirimens 803; — quatenus impediat debitum coniugale petere vel reddere 869.

INDEX CANONUM

qui in toto opere citantur

Indicantur numeri marginales. Littera *n* numero apposita indicat aliquam ex notis ad calcem paginae, illi numero respondentibus.

Canones	Numeri marginales	Canones	Numeri marginales
1	778n 856	41	50
2	31	42	50 835
3	31	43	831
4	31 46n 459n	44	831
5	645 645n	45	835 839n
6	31 33n 38n 46n 135n 230 361 367n 483n 557n 656n 673n 804n 807n 824n 849n	47	833n
		50	53 826n
		55	838
		56	840
7	31 32n 392	59	838 840n
8	29 37n	60	46n
9	32	61	639 824n 825n
11	779	66	825 825n 826n 840n
12	36	68	826n
14	37 893	69	53n
15	33 44n 462 641n 759n 784 784n 814 823 823n 897n	71	46n
		73	385 639n 825n
		80	47 824n
16	44n 758n 779 809n 895n	81	52 462 759n 814 823 823n 869n
17	33n		
18	804n 807n	82	52
19	790 804n 894n 897n 903n 918	83	52
20	33n	84	47 47n
21	46n	85	47
22	46n	86	51
24	29n	88	36n 38n 156n 157n 228n 483 581n 892n
27	46n		
28	46n	91	37 37n 482n
29	33n	92	38 38n 824n
30	46n 639n	93	38 38n 772n
31	33n	94	38 482n 776n 824n 826n 928
32	33n		
33	33n 357n 526n 734n	95	38
34	33n 678 855n 907n	96	810n 833n
36	832 840n	97	815n 869n
37	638n	98	36n 772n
38	638n	99	31n 925
39	838	103	300n 802n
40	830 839n		

Canones	Numeri marginales
104	298n
105	657
108	395
111	395
118	395
119	397
120	397 921n
121	397
122	397
123	397
124	406
125	406 437n 518
126	406
127	408
128	408 518
129	389 408
130	389 408
131	408 437n
132	397 409
133	398 398n
134	409
135	409 410
136	397 407
137	405
138	399 400
139	399 400
140	400
141	397 399
142	401
143	405
145	416 639n 827n 849n 902 927n
158	788
160	134n 914
183	634 634n 639n
196	633
197	49 159 635 824 825 826n 851n
198	52n 401 634n 759n 823n 848n 928n
199	49 159 635 645n 656n 824 825 826n 851n 902
200	824
201	49 159 759n 824 824n 825 826 902
202	159 464 633 718 732n 747 759n 824 825 826n 898 899 902
204	821n 824 824n 825 825n
207	639 640n 642 824n 825n 851n
208	634n
209	463 640 641 641n 658n 849n 850n 894n
211	397
213	409
214	409 802n
216	38n 826n
218	633
232	772n
239	528n 536n 651n 738n 902
241	914
243	31
244	31
245	31
247	31 822
249	31 358 822
251	31 822
257	31 822
258	31 822
262	31 914
264	31
266	920
267	848n 920
274	730
291	30 52 52n
294	730n
306	507 508 509
315	507
319	507
320	772n
323	507 730n
331	772n
335	30 32
336	417
337	459
338	417
339	507 507n 508 509
343	417
344	460n
348	507
349	528n 536n 730 737n
362	30
368	825n
393	657
397	576 751n
401	634n 659
418	417
423	576
435	825n
440	507
451	420 634n 655 826n 849 849n
454	418
459	248n

Canones	Numeri marginales	Canones	Numeri marginales
461	418	545	429 429n
462	418	546	429 429n
463	476	547	429
464	418	552	430
465	418 849n 851n	553	430
466	419 507 507n 508 509	555	427 431
467	418 419	556	431
468	418 419 712 736	558	431
469	419	559	431
470	419 860n	561	156n
471	420 634n 849n	566	646n 648 651 651n
472	420 634n	567	431
473	420 507 634n	569	432 432n 439 442
474	420 507 634n 637n 849n 851n	571	432
		572	435
475	420 507 634n	573	435
476	849n 850n	574	433
479	460	575	433 433n
480	460	576	432 433
487	422	577	432n 433
488	52n 158 423 526n 569n 759n	578	434
		579	439 444 455
489	29n 424	580	432 432n 439 441 442
490	156n 424	581	433 443 443n
497	460 461	582	443 444
501	156 156n 459	583	442 443
512	460n	586	435
514	159 359n 646 646n 751n	587	458n
518	646n 647 648 664 664n	590	389 437n
519	633 643 644 644n 646 649 649n 650 652n 657n 663 664 900	591	437n
		592	436 437
		593	436
520	651n 653	594	436 438 441 449
521	651n 653	595	437
522	633n 644n 651n 652 652n 654n	596	438
		597	456
523	633n 644n 651n	598	457
524	651n 653	599	456
525	633n 644n 651n 653	600	457 924n
526	651n	601	458
527	651	602	456
528	646n 647	604	458
529	652n	605	457 458
530	437	606	458 458n
533	460	607	458
534	460 932n	608	438
535	460	609	438 460
538	425	610	410
539	426	612	460
540	426	613	424 459 463
541	426	614	459
542	427 428 788 881	615	893 459 460n
544	429	616	459

Canones	Numeri marginales
617	459 459n 460n
618	460
619	459 460 893
620	460
621	460 460n
622	460
631	460n
637	433n
641	935n
644	930 936
656	935
670	935
671	935 935n
674	657
675	460n
679	458n
686	460
690	460n
698	460
703	460
713	460
714	460
727	129n
728	129
729	134 135
730	130n 133n
733	475 546n
734	491 491n 749n
735	491n 749n
736	476
737	479n
738	482 482n 718
739	482n
740	482n
741	482n
742	482
744	482 718
745	483 484 488
746	486n
747	484
748	485n
749	488
750	487
751	483n
752	718
753	493 718
754	484
755	490
756	490
757	491n
759	479n 490
760	490
761	493
762	492
763	492
764	492
765	492 819n
766	492
767	492
768	492 819 819n
769	492
770	483 483n
773	491
775	491
776	491n
777	493 493n
778	482 493 718
779	489n
781	494
782	495 495n
783	495
784	495n
785	495
787	495
788	495
789	495
790	495
791	495
792	459
793	496
795	496
796	496
797	819
798	496
799	496
804	517
805	518
806	525 525n
807	520 521
809	506
810	523
811	407n 533
812	533
813	532
814	515
815	510 511
816	515n
817	498
818	533 534
819	533
821	526 526n
822	461 465 527 527n 528 528n 652n
823	527n 528n
824	541 546n
825	544 544n 545 547

Canones	Numeri marginales
826	543n
827	557
829	548 548n
830	543
831	460 542n
832	542n
333	551n
834	552 552n
835	556
836	556
837	553 558 558n
838	558 558n
839	558 558n
840	559n 560 564
841	567 567n
842	568
843	568
844	568
845	574
846	526n 574
847	576n
848	576 576n
849	576 576n
850	576n
851	575n
852	575n
853	580n
854	581n
855	475n
856	586
857	582n
858	582n 588 591
859	360 362 362n
860	360
861	360
864	578n 591n
865	578n
866	578n 580
867	575 578n
868	575
869	574 575
871	633n
872	633n
873	634 634n 637n 900n
874	460 636 639n 643n 644n 645 645n 649n 663 900n 928n
875	461 646n 651 657 657n 664n
876	460 651n 652n
877	636 636n 643n 646n
878	635 n 637 n 645 n 649 n 657n

Canones	Numeri marginales
879	637n
880	639n
881	633n 634n 638 644n 902
882	633n 644 652 655n 659 715n 827 828n 903n
883	655n 659 659n
884	655n 665n 668n 903n
887	625 632
888	621 681n
889	608 723 723n
890	723n 727
891	646n 648 723n 727n
892	418 474n
893	656 656n 657 657n 658n 660
894	656n 660 921
895	656n 657 657n 658n
896	656n 657 657n 660n
897	656n 657 658n
898	656n 657
899	656n 657 659 659n
900	656n 658n 660 660n 664 664n
901	609n 616
902	361n 593n
903	608
904	459 670n 673n 676n 678
905	361 633n 644n
906	360
907	360 759n
909	652n 654n
910	654n
911	730
913	730
914	935
915	935
916	550n
917	524n 550 570
918	550n 551
919	460
921	731 731n 734n
924	133n 731 731n 736n
925	732n
926	731 748
927	730
928	731
929	734 734n
930	731n
931	733 733n 738 748n
932	632 732 746 748
933	732n 737n
935	732n 747 748 848n
936	734

Canones	Numeri marginales
938	751n
939	474n 751n
940	751n
941	751n
942	751n
943	751n
944	751n
945	749n
946	749n
947	750n 751
950	758
954	460
958	938
964	460
968	758
971	396
973	396
983	758 758n
984	519 760 761
985	759n 762 763 800 802 803
987	764 881
988	758
989	759 759n
990	462 759 759n 824n 904 904n 908
991	759
1012	771n
1013	770 771 862 865
1014	778 783n 801n
1015	770n 771n
1016	771 778
1017	767n
1019	773 773n 800n
1020	773 773n 800n
1021	773n
1022	775n
1023	775 775n 800
1024	775 775n
1025	775 775n
1026	775 775n
1027	775 776
1028	775n 776
1029	775 776
1030	775n 776
1031	775n 776
1032	775n 776 852
1033	771 773n
1034	773 773n 791n
1035	777n
1036	777 777n 779 805n 809n
1037	777 777n 888
1038	777n
1039	777n 787 794
1040	777n 821n 830n
1041	777n
1042	821n
1043	801n 814 821n 824 824n 826 827 831
1044	801n 814 821n 826 826n
1045	780 780n 781 781n 782 801n 814 821 823 823n 824n 826 826n 827 827n 831 871 871n
1046	821n 826 828 829
1047	821n 822 828 829 831
1048	824 824n 825
1049	821n 824 825 826n 827
1050	821n 825 825n 831 834
1051	821n 824 824n 825 826
1052	821n 833 834
1053	821n 822
1054	821n 835 839n
1056	476n 821 832
1057	476n 821n 826n 840n
1058	787 790
1059	788n
1060	789 789n
1061	789 789n
1062	789 789n
1063	789 789n 928
1064	789 789n
1065	787n 790 790n
1066	787 787n 790
1067	796 796n
1068	783 783n 797 797n 799
1069	783 783n 786 786n 800n
1070	801 801n
1071	801 801n 824n 825n
1073	803n
1074	804n
1075	800 805n 806n 807n 821n
1076	783 783n 814n
1077	816n
1078	817n
1079	819n
1080	820n
1081	770 841 841n
1082	841n 842 842n 843
1083	841n 844
1084	841n 843
1085	841n 844
1086	841 841n 843 845
1087	841n 847
1088	841n 851
1089	841n
1090	841n

Canones	Numeri marginales
1092	841n 846 846n
1093	841 841n 887
1094	848 848n 849 849n 887n
1095	848n 849 850 850n
1096	848n 849n 850 850n 851n
1097	848n 850n 853
1098	781 821n 823n 828 829 848n 849n 850n 855n
1099	762n 777n 848n
1100	848n 858
1101	848n 858
1102	789 789n 848n 859
1103	848n 849n 860n
1104	888n
1108	857n
1109	789 857n
1110	772
1112	772n
1113	167 772
1114	772n
1115	772n
1116	772n 824n
1117	772n
1118	878n
1119	788 878 878n
1120	878n 880
1121	878n
1122	878n 879n
1123	878n 879n 880
1124	878n
1125	878n 880 880n
1126	878n 880
1127	801n
1128	868 881n
1129	881n
1130	881n
1131	881n 883
1132	881n
1133	846n 885 885n
1134	885 885n 886 886n
1135	885n 886n 888n
1136	885n
1137	885n 886n
1138	885n 889n
1139	885n 889n
1140	885n 889n
1141	825n 889n
1143	858n
1144	478
1147	478
1148	824n
1150	128 478
1151	146
1155	459
1156	462 527n
1161	357
1162	460
1163	462
1169	459 462
1170	527n
1172	127 527
1173	527 527n
1174	527n
1176	462 527n
1177	527n
1179	127n
1188	357
1189	357
1190	357 357n
1191	357 527n
1192	357n 358n 461
1193	357
1195	358n
1196	357 358n
1197	528n
1198	528n
1199	459
1200	527n 528n
1203	931n
1204	931n
1205	462
1206	920
1240	931 931n
1241	931n
1244	356
1245	359 359n 462
1246	356
1247	161 355 356
1248	355
1249	161 356 357
1250	363 746
1251	363 367 367n
1252	152 363 364 367
1253	363
1254	363 367
1256	121n
1259	378 460
1261	460 460n
1264	537 537n
1265	569 569n
1267	569 569n
1268	569n
1269	569n
1270	569 569n 571
1271	569 569n
1272	571

Canones	Numeri marginales	Canones	Numeri marginales
1273	570	1352	920
1274	460 570	1353	396
1275	570	1356	460
1276	121n	1361	648n
1277	121n	1372	167n
1279	121n 460	1373	167n
1283	121n	1374	167n
1284	121n	1375	920
1285	121n	1379	167n
1286	121n	1382	459
1287	121n	1384	374 377 381 382 918
1289	121n	1385	375 379 380 391 460
1291	460	1386	380 460
1292	460	1387	375
1293	460	1388	375 737n
1294	460	1389	375
1296	531n	1390	375 379
1303	561n	1391	375 378 391
1304	462 531n	1392	378
1305	530 531n	1393	380
1306	128 530	1394	380
1307	147 148n 149	1395	381
1308	147	1396	385 388
1309	158 823n 869n	1398	382
1310	152 152n	1399	389
1311	154n	1400	389 391
1312	155 157	1401	462
1313	159 462 823n 824n	1402	462
1314	160	1403	367 385 387
1315	157 434	1404	388
1316	139 141	1405	385
1317	143 144 305n	1406	74n 418 460
1318	144	1409	416 927n
1319	145	1410	230 560n
1320	146 462 464	1427	849n
1321	144	1428	849n
1322	920	1435	134
1325	76 77 81 762n 916 917	1465	134n
1327	417	1470	134n
1329	419	1472	416
1330	419	1473	230
1331	419	1475	410 411
1332	419	1489	560n
1333	419	1491	459n 460n
1334	460	1492	459n
1335	168n	1496	373
1338	460	1497	925 932n
1339	460	1502	373
1343	459	1507	476
1344	419	1508	134 239n
1345	460	1510	128
1349	419	1512	134
1350	419	1513	310n

Canones	Numeri marginales
1516	460
1517	312 543 549
1524	168n
1529	443
1530	932 932n
1531	932n
1532	932
1536	441n
1539	404 932n
1541	932
1543	316n
1544	543n 569n
1545	560n
1550	460
1551	543 549
1559	675n
1560	893
1561	675n
1566	675n
1622	142
1624	290n
1694	25
1695	25
1696	25
1697	25
1698	25
1747	777n
1750	527n
1791	777n
1812	777n
1902	786
1903	786
1960	786
1969	786n
1990	786
1991	786
2084	121n
2115	121n
2147	418
2195	890 894 894n 927n
2197	345n 527n 777n 899
2199	896n
2200	894n 896n
2201	6 896n
2202	2 895 901n
2203	261n 896n
2205	3 4 896
2206	5 896
2209	33n 268n 894 894n 896n
2212	894n
2217	891 891n 900n
2218	761 894n
2219	33n 895 897n 903n
2220	892
2226	893
2227	892
2228	894 894n
2229	761 895 895n 896n
2231	33n 679n 894 894n 914n 926 929
2232	908n 911n
2236	900n
2237	461 824n 902 905n
2239	898 899
2241	890 894
2242	894 894n 897n 898
2243	909
2244	891 891n
2245	900 900n 901
2246	894n 897n 910n 917
2247	891n 897n 900 900n 901 901n
2248	898
2249	898 901 901n
2250	898 899
2251	898 899 917
2252	655n 900n 903n
2253	461 899 900 900n 902 902n
2254	660n 900n 903n 904 904n 905n 906n 928
2255	891 891n 893
2256	909n 911n 923n
2257	894n 909
2259	909 909n
2260	910
2261	655n 910 910n
2262	910 506
2263	911
2264	911
2265	840n 911
2266	911
2267	911
2268	912
2269	912
2271	912
2272	912
2275	840n 912
2277	912
2278	913
2279	913
2280	913
2283	840n
2284	913
2290	904 904n
2291	761 840n
2293	761 764

Canones	Numeri marginales
2294	761 911n
2295	761
2298	935n
2314	718 761 916 917n
2315	916
2316	916
2318	918 918n 931
2319	916 928
2320	761 915 916
2322	919
2326	928
2327	922
2328	761
2330	914
2332	919 934
2333	920
2334	920
2335	922
2336	922
2338	923 934
2339	931 934
2340	911 916
2341	921 923 936
2342	924
2343	761 902n 915 921 928
2345	921 929
2346	925 925n
2347	932
2350	911n 928
2351	761 926
2352	933
2356	761 800
2357	761
2360	921
2363	656 658n 670 679 921
2366	640 640n 662
2367	665n 668n 915
2368	670n 673n 678 723
2369	723n 915 915n
2370	935n
2371	134 916 935
2372	935 935n
2373	935n
2374	938
2375	789
2379	407n
2381	416–418
2385	930
2386	936
2387	935n
2388	927 930
2392	134 927
2394	935n
2400	938
2402	938
2403	418
2405	927
2409	938
2410	935n
2411	428n
2414	652

INDEX ARTICULORUM EX CODICIBUS CIVILIBUS

in toto opere citatorum

Citationes reperientur sub numeris marginalibus, qui hic indicantur, partim ad calcem, partim in textu typis minoribus excuso.

EX COD. CIVILI ARGENTINO

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
2	33	401–410	168	1357 seqq.	321
16	33	441	157	1363	252
17	46	449	157	1364	252
54–57	295	489	157	1370	321
84	814	529 seqq.	302	1375	321
89–102	38	536	294 337	1376	321
126	156	549	226 227 235	1381	238
135	295	549	238 337	1397	321
165	767	561 seqq.	303	1444	302
166	796 800 805	598	303	1448	252
	814 816 847	611	321	1450	321
167	791	612	321	1452	321
168	791	617	321	1527 seqq.	329
169	788	626 seqq.	321	1682 seqq.	333
170	791	631	238	1823 seqq.	307
173	804 847	652	302	1826	297
194–200	861	655	317	1827	297
201	847	686 seqq.	304	1882 seqq.	309
212	295	781	302	1903 seqq.	320
213	295	823	255	2085	335
221	878	926	255	2085 seqq.	335
238	800 878	947 seqq.	297	2090	338
241	800 805 816	957 seqq.	298	2097	337
242	796 797 804	970 seqq.	300	2123	252
	847	1007	294	2140	252
267	861	1020	310	2152	252
269	772 802	1071	294	2198	322
271	772	1076 seqq.	295	2207	322
274–297	772	1078	310	2208	322
280	772	1100–1102	294	2216 seqq.	319
298	156	1118–1120	284	2264–2271	273
309	167	1147–1170	273	2274 seqq.	314
321–324	228	1171–1177	292	2282	317
327	228 295	1178 seqq.	297	2283	317
328	228	1183–1190	297	2289 seqq.	319
329	228	1194 seqq.	295	2322 seqq.	320
331	228	1198	295	2373–2377	232
332	228	1218	321	2386	238
345	772	1229 seqq.	302	2389	236
349	772	1251–1260	229	2390	236
353	772	1295 seqq.	229	2398 seqq.	235
376	772	1306	229	2403–2405	235
387	810	1309	229	2412	238
393	772	1310	229	2446	238
396	810	1349	229	2448	238

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
2456	238 251	2601–2634	234	3993	235
2457	253	2793	238	4000–4033	238
2458	249	2794	238	4036	238
2459	253	2796	238	4038	237
2461–2465	253	2798–2800	238	4039	237
2467	253	2801	251	4040	236
2468	253	2802	238 251	4041	236
2474	253 257	3248	238	4042	236 237 238
2479–2493	238	3313 seqq.	310	4043	236
2568–2570	253	3452	237	4044	236
2573	233	3642	303	4046	236
2579	232	3858	310	4049	237 238
2584	232	3909–3972	278	4050	236 238
2590	232	3981	235 238	4051–4077	238
2595	232	3982	235 238	4409	237

EX COD. CIVILI BRASILIENSI

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
2	33	215	796	424	157
4	46	218	820 848	442	157
5	295	219	797 820	490	236–238
6	295	242	295	491	236
31–34	38	247	295	495	237
63	253	256	229	496	237
86–97	298	258	229	497	235
98–101	300	262 seqq.	229	502	238
114	303	266	229	507	238
115	303 321	269–311	229	510	253
116–122	303	315	878	512	253
134	321	332	820	515	255
145	294 310	333	810	516	253
147	295 298 300	336	788 820	517	257
152	226 295	337	772	518–519	253
154–158	295	338	772	520	238
161	235	340	772	521	238 251
168–171	238	352	772	536–549	234
172–176	238	353	772	550	237 238
183	789 791 796	358	772	551	238
	800 805 814	368–378	788	552	235 237
	820 847	374	820	593	232
185–188	791	376	788 820	603–606	233
192–196	861	379	820	607	232
207	789 800 805	385	228	608	232
	814 816 820	386	228	618	236 238
208	820	389–391	228	619	235 237 238
209	796 804 820	392	820	649	231
210	847	396–405	168	863 seqq.	302
212	791	422	157	868	321

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
916 seqq.	304	1126	321	1288 seqq.	320
950	302	1127	321	1331 seqq.	320
970	226 235 238	1129	321	1363 seqq.	333
1062	317	1130	321	1432 seqq.	334
1063	317	1144	321	1471–1476	334
1079	292 297	1165	297	1477	337
1080	302	1165 seqq.	307	1477–1480	335
1081–1088	297	1181–1187	309	1521–1529	273
1101	322	1188 seqq.	329	1537–1540	284
1105	322	1248 seqq.	319	1554–1571	278
1107	252	1256–1264	314	1572 seqq.	310
1117	252	1262	317	1746	310
1122 seqq.	321	1265 seqq.	319	1792	309

EX COD. CIVILI CHILENSI

(Littera *L* indicat pertinere ad « Legem de matrimonio civili anni 1884 »)

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
2	46	240	156	1093	303
4 L.	796 797 800	243–256	228	1136	309
	847	268	228	1139	309
5 L.	814 816	270–275	772	1205	309
6	33	280–292	772	1386 seqq.	307
6 L.	805	318	772	1412	297
7	33	336	788	1424–1434	309
7 L.	805	321–337	168	1437 seqq.	302
16–18 L.	861	340–342	157	1437–1444	292
19 L.	878	589	232	1445	295 297 337
19–24	33	620	232	1447	295
26	156 796	626	232	1451–1455	298
27	810	629–635	233	1456	308
29 L.	796 797 800	643–669	234	1457	308
	805 814 816	644–647	249	1458	298
	847	647	253	1459	298
32 L.	804 847	702	238	1466	337
33 L.	804 847	706	236 238	1467	294 337
34	810	707	237 238	1468	337
35–38	772	709–713	235	1470	226 227 235
44	261	717	237	1470	238
59 seqq.	38	890	238 251	1471	226
98	767	895	251	1473 seqq.	303
105–115	791	907–909	253	1535 seqq.	304
179	772	910	257	1545–1566	302
180	772	911	253	1567	238
185	772	913	253	1588	238
206	772	951 seqq.	310	1676	255
207	772	1001	310	1678	250
214	772			1682	310

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
1683 seqq.	295	1821	321	2259	335 337
1715	229	1823	321	2259–2263	335
1718	229	1826	321	2284	292
1722	229	1839	252	2286 seqq.	320
1725	229	1852	252	2296	226
1725 seqq.	229	1858	322	2314–2316	284
1740	229	1860	322	2319–2332	273
1749	229	1887	321	2465–2491	278
1774	229	1915 seqq.	329	2492–2494	235
1786	229	2053 seqq.	333	2498	235
1789	229	2116 seqq.	320	2500	237
1793 seqq.	321	2174 seqq.	319	2501–2504	238
1801–1802	321	2196–2210	314	2505	235
1815	252	2206	317	2507–2511	238
1816	252 321	2207	317	2514–2524	238
1817	321	2210	318		
1820	321	2211 seqq.	319		

EX COD. CIVILI COLUMBIANO

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
8	48	237	772	965–970	253
13	816	238	772	966	257
25–32	33	245	772	976	238
37	810	269	788	1008 seqq.	310
40	772	270	788 820	1057	310
50	788 820	273	788 820	1151	303
52	33	275	788 820	1194	309
53	156	287	820	1197	309
51–59	772	291	228	1263	309
63	261	292	228	1292 seqq.	304
76–89	38	294 seqq.	228	1443 seqq.	307
110	767	318–334	772	1469	297
113	797	411–427	168	1483–1491	309
117–125	791	430–432	157	1494 seqq.	302
135	861	696	232	1494–1501	292
139	796 805 861	701	232	1502	297 797
140	788 796 797	704–712	233	1504	295
	800 804 805	713–739	234	1508	298 797
	814 820 847	714–717	249	1510	797
142	847	717	253	1511	797
145	804 847	764	238	1512	298
146	800	768	236 238	1513	300
147	800	769	237 238	1514	300
151	800 802 805	771–774	235	1515	298
152	878	778	237	1516	298
153	878	787–792	238	1524	294
214	772	947	238 251	1527	226 227
220	772	952	251		235 238
236	772	964	253	1528	226

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
1530 seqq.	303	1858	321	2232	317
1602–1624	302	1870	252	2235	318
1625	238	1872	252 321	2236 seqq.	319
1646	302	1873	321	2283	337
1735	255	1876	331	2283–2286	335
1737	250	1877	321	2302	292
1741	310	1879	321	2304 seqq.	320
1742 seqq.	295	1882	321	2314	226
1771	229	1895	252	2341–2343	284
1774	229	1909	252	2346–2358	273
1778	229	1915	322	2488–2511	278
1781 seqq.	229	1917	322	2512–2514	235
1796	229	1945	321	2518	235
1805	229	1973 seqq.	329	2521	237
1830	229	2079 seqq.	333	2522–2525	238
1842	229	2142 seqq.	320	2526	235
1845	229	2200 seqq.	319	2528–2532	238
1849 seqq.	321	2221–2235	314	2535–2545	238
1857	321	2231	317		

EX COD. CIVILI GALLICO

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
6	294	315	772	894	297
75	861	331	772	895	310
102–109	38	333	772	900	303
144	796	335	772	931	310
145	829	343	788	932	297
146	804	348	788	953 seqq.	309
147	800	384	228	1001	310
148–160	791	387	228	1001–1107	292
161	816	389	228	1108	294 297
162	814 816	450	157	1109	298 300
163	814	538	232	1110	298
164	829	546	253	1111–1115	300
165	861	546–577	234	1116	298
180	804 847	549	253	1117	300
181	804 847	550	236	1125	295
183	804	583	249	1131	294
184	816	584	249	1133	294
184–187	796	586	253	1134 seqq.	302
203–211	168	713	233	1137	261
217	295	716	232	1138	321
225	295	718 seqq.	310	1141	321
227	800 878	738	810	1154	318
298	805	804	261	1156–1164	302
312	772	856	309	1168 seqq.	303
313	797	893	309	1186	226
314	772	893 seqq.	307	1226 seqq.	304

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
1235	226 235	1583–1585	321	1915 seqq.	319
1247	302	1587	321	1927	261
1302	255 321	1588	321	1962	261
1305 seqq.	295	1593	321	1965	335
1340	226 227	1599	252	1966	335 338
1371	292	1609	302	1967	226 335 337
1372–1375	320	1612	321	1984	320
1374	261	1614	321	2092–2113	278
1381	253 257	1624	321	2219	235
1382	284	1626	252	2220	235
1383	284	1629	252	2229	235 238
1384–1386	273	1641	322	2233	235
1387–1390	229	1644	322	2235	237
1393	229	1651	302	2242–2259	238
1394	229	1708 seqq.	329	2260–2266	238
1399 seqq.	229	1728	261	2267	236
1401	229	1797	273	2268	237 238
1421	229	1832 seqq.	333	2269	236
1453	229	1874 seqq.	319	2271–2278	238
1467 seqq.	229	1880	261	2279	235 238
1497–1581	229	1892 seqq.	314	2280	238
1582 seqq.	321				

EX COD. CIVILI HISPANO

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
5	46	102	804	434	237 238
9	295	104	878	435	236
11	295	108	772	440	237
40	38	119	772	441	235
42	767 796 800 805 861	120	772	442	237
45	791	122	772	444	235
46–50	791	120–127	772	451	253
52	878	142–153	168	453	253 257
61	295	154	788 820	454	253
62	295	159–162	228	455	257
65	295	164–166	228	464	238
75	796 800 802 805 861	166	788	615	233
76	796 800 805	173–180	788	616	233
77	861	175	820	618 seqq.	307
83	796 797 800 802 847	176	820	620	309
84	788 805 814 816 820	200	157	623	297
100	861	263	157	629	297
101	788 800 802 804 805 814 816 820 847	320	156	644 seqq.	309
		338–339	232	657 seqq.	310
		351	232	687	310
		353–383	234	737	310
		355	249	792	303
		357	249	918	810
		433	236	1049	309

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
1088 seqq.	302	1315	229	1758 seqq.	319
1095	321	1319	229	1791–1797	334
1104	261	1340–1342	229	1798	335 337
1108	317	1365	229	1799	335
1113 seqq.	303	1392	229	1800	335
1152–1155	304	1401	229	1801	335 337 338
1171	302	1408	229	1887	292
1182	321	1412	229	1888–1894	320
1185	252	1445 seqq.	321	1897	252
1254	292	1450	321	1902	284
1255	292 321	1453	321	1903–1910	273
1256–1260	292	1455	321	1921–1929	278
1261	295 297	1466	321	1930	235
1262	297	1473	321	1932	238
1263	295	1475	252	1940	238
1265	298 300	1484	322	1941	235
1266	298	1486	322	1944–1947	238
1267	300	1491–1499	322	1948	235 238
1268	300	1504–1506	326	1950	236 238
1269	298	1542 seqq.	329	1952	236
1270	298	1665 seqq.	333	1953	236
1275	294 337	1709 seqq.	320	1955–1959	238
1278 seqq.	302	1740 seqq.	319	1960	237
1300–1304	295	1753–1757	314	1961–1973	238

EX COD. CIV. LUSITANO

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
9	46	422–425	232	535–547	238
35	168	476	236	548–559	238
36	168	483	237	576	231
42–54	38	487	235	579	231
68	302	495	249 253	641–643	292
98	295	496	255	643	297
99	295	498	253	647–648	297
101	772	499	253 257	648–655	297
103	772	500	253	656	300
105	793	501	253	656–665	298
119	772	502	257	666	300 804
121	772	505	235	667	300 298
122	772	508	235	668	300 298
137	228	515	235	669	294
144–147	228	517	235 238	672	321
150	228	520	237	672 seqq.	302 303
171–184	168	521	235	673–677	304
185	157	523	235	685	302
243	157	526–528	238	688	295
380	232	529	237 238	692	294
402	232	532	237 238	694 seqq.	295
413–420	233	534	238	744	302

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
878–887	278	1105	229	1555	252
1046	252	1108	229	1574	321
1047	252	1108 seqq.	229	1575	321
1051	252	1117	229	1578–1580	321
1056	878	1123	229	1582	322
1057	796 800	1125–1165	229	1590	321
1058	788 791 802 805	1189–1202	295	1595 seqq.	329
		1240 seqq.	333	1636–1643	314
1059	802 805	1318 seqq.	320	1640	317
1059–1062	791	1420–1423	273	1642	318
1063	805	1431 seqq.	319	1722	321
1064	805	1452 seqq.	307	1723 seqq.	320
1067	767	1453	297	1735 seqq.	310
1069	796 802	1457	309	1741	310
1070	796 802	1482–1492	309	1743	303
1071	847	1506 seqq.	319	1754	310
1073	796 800 814 816 829	1523–1536	314	1775	310
		1540	334	1836	310
1074	796 800 816	1541	335	1977	810
1081	861	1542	335 337	1999	310
1086	796 800	1543	335	2106	309
1087	796	1544 seqq.	321	2289–2308	234
1088	797	1548	321	2377–2381	273
1089	796	1549	321	2384–2387	284
1096	229	1551	321	2394–2398	273
1098	229	1552	321		

EX COD. CIV. MEXICANO

(Littera *L* indicat articulos pertinere ad „Legem de relationibus familiaribus“)

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
2	33		805 814 816 820 847	382	228
3 L.	861			403	157
8	46	108 L.	796	497	157
14 L.	767	116 L.	847	697	232
17 L.	797 800 802 805 814 816 820 829 847	117 L.	800	702	232
		143 L.	772	709–721	233
		144 L.	772	726	233
18 L.	796 829	171 L.	796	727	233
19–23 L.	791	176 L.	772	756	232
20	33	177 L.	772	759	232
21	33	182 L.	772	760	232
24 L.	788	188	810	762	232
27–37	38	247–250 L.	228	764	232
39 L.	810	252 L.	228	763–821	234
51–74 L.	168	258	796	775–780	249
75 L.	800 878	270–272 L.	229	830	236
107 L.	797 800 804	374–380	228	831	236

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
833	237 238	1298–1303	300	2434 seqq.	329
834	253	1304	294	2545 seqq.	319
836	252	1306	294	2594 seqq.	307
837	252	1307 seqq.	302	2602	309
842	253	1310	321	2603	297
843	253	1311 seqq.	304	2633 seqq.	309
842–848	257	1324	302	2661 seqq.	319
845–851	253	1325	302	2684–2700	314
857	235	1328 seqq.	303	2692	317
1051 seqq.	238	1430	321	2696	317
1059	235	1476–1481	273	2699	318
1066	235	1489	252	2705 seqq.	334
1077	237	1494	252	2749 seqq.	334
1079	235	1520	302	2772–2782	335
1082	236	1679	226 227 310	2776	337
1083	235	1928–1964	278	2811 seqq.	321
1085	235	1968	229	2818	321
1086	238	1979	229	2822	321
1088	238	1982	229	2824–2826	321
1089	237	1999 seqq.	229	2852	321
1090	238	2008	229	2860	321
1091–1108	238	2024–2026	229	2869–2872	321
1109–1124	238	2031	229	2873	322
1138	231	2044	229	2875	322
1139	231	2072	229	2920	321
1192	231	2120	229	2921	321
1272–1281	292	2137	229	2936 seqq.	329
1286	297	2140	252	3227 seqq.	310
1287	297	2219 seqq.	333	3251	303
1288–1295	297	2342 seqq.	320	3471–3473	310
1296	298	2408	289	3519	310
1297	298	2416 seqq.	320		

EX COD. CIV. REIP. URUGUAY

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
1	33	118–128	168	222	772
9	46	133	295	224	788
12–20	33	146	295	231	788
24–36	38	173	878	233	156
81	767	175	797 804 847	244–247	228
84	861	176	796	249	228
93	796 797 800	177	796	258	228
	804 805 814	189	772	336	157
	816 820 847	191	772	337	157
99	861	193	772	372	157
107–112	791	194	797	430	232
113	788	204	772	431	232
117	791	205	772	479	249

Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales	Artic.	Numeri marginales
624	235 253	1188	238	1588	307 309
625–627	235	1189–1201	238	1589 seqq.	307
651	251	1206–1215	238	1594	297
668	236	1217	238	1605–1612	309
669	253	1219 seqq.	302	1635 seqq.	321
673	253 257	1221–1235	292	1638	321
674	253 257	1235	292 297	1643	252
675	257	1236–1242	297	1644	252
676	253 257	1243	298 300	1648	321
677	253	1244	298	1654	321
678	253	1245	298	1656	321
689	232	1246–1248	300	1657	321
696	232	1249	298	1659	321
700–705	233	1250	298	1662	321
706–732	234	1254	295	1672	252
710	249	1262	294	1675	252
751 seqq.	310	1271 seqq.	302	1692	322
935	303	1282	292	1694	322
973	310	1283–1285	320	1750 seqq.	329
991	810	1293	284	1849 seqq.	333
1086	309	1294–1296	273	1912–1916	229
1162	235	1297	273 284	1924 seqq.	229
1163	235	1298–1306	273	2025 seqq.	320
1170	235	1309	321	2142 seqq.	335
1172	235	1311	321	2150	337
1178	238	1337 seqq.	304	2171–2189	314
1179	238	1380 seqq.	303	2180	317
1180	237	1439	302	2189	318
1181	236 237 238	1527	255	2190 seqq.	319
1182	236	1534	310	2213 seqq.	319
1185	238	1535 seqq.	295	2251–2258	273
1186	238	1539	294	2342–2363	278
1187	238	1587	297 307		

A. M. D. G.

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.U23 C001 V002
COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS FRIBURGI
3 0311 00044 3270

WITHDRAWN

43114

BX
1758
.U23
v.2

43114

Ubach, Joseph

AUTHOR

COMPENDIUM THEOLOGIAE MORALIS

TITLE

DATE LOANED

16662

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

3 0311 00044 3270